JOHANNIS MARCKII
COMPENDIUM
THEOLOGIÆ
CHRISTIANÆ
DIDACTICO-ELENCTICUM.

Immixtis Problematibus plurimis, & Quæstionibus
etiam Recentioribus adauctum.


Editio Tertia, variè emendata & aucta, nec non brevibus Argumentis atque Indicibus necessariis, imo & Notatione Operum Autoris quibus res eædem latius tractatæ sunt ad Capita & Paragraphos singulos nunc instructa.

Accedunt

POSITIONUM THEOLOGICARUM
CENTURIÆ DECEM.



AMSTELÆDAMI,
Apud R. & G. WETSTENIOS, Bibliopolas.
Anno C. N. MDCCXXII.



ILLVSTRIBVS & PRÆPOTENTIBVS

ORDINIBUS

GRONINGÆ ET OMLANDIÆ,

Dominis ſuis Clementiſſimis,

JOHANNES à MARCK F. P. P.



AD pedes Veſtros, PATRES CONSCRIPTI, depono munuſculum, mole & arte exiguum, aſt ex rerum pondere & conſecrantis animo à Vobis æſtimandum. Equidem dum perpendo celerem Quadriennii illius lapſum, quod ſub Veſtri ſolis benigno influxu egi, rubore haud mediocri ſuffundor, quod fructus non protulerim plures hactenus Vobis, Eccleſiæ, & communi omnium Domino. Adeò ſane liberaliter juvenem me ad Stationem Primam in Academia Veſtra tunc invitaſtis, & porro prolixè cu-

raſtis, demandatâ etiam ab eo tempore Expoſitione Hiſtorica variorum Eccleſiæ Fatorum, ut ſilentio meo dudum videri poſſem ingratus adverſus Vos, & indignus Sede illa, quam apud ſeros nepotes celebrabunt innumera & doctiſſima Deceſſorum monumenta. Sed frontem adhuc exporrigere queo, conſiderans Liberos plures Domino clam formatos & Eccleſiæ, qui doctrina, pietate, & facundia præſtantes, multum etiam mortuis præſtant libris. In primis hoc noſtro ſeculo, quo paſſim deploratur ſcribendi vetera, ſed corrupta, vel nova, ſed inepta, cacoëthes. Quo inſuper Theologo vix tutum eſt prodire ob invidorum & factioſorum hominum multitudinem, non lecta, nedum intellecta, damnantem, & vel litigioſis cenſuris, vel etiam famoſis ſcriptis, vexantem. Quæ ſi ſuſtinere queat cum contemptu fortis

Vi-

Virorum animus, quos eruditionis solidæ fama dudum super æthera vexit, metuenda tamen magnopere esse juveni, nemo prudens diffitebitur. Verum quantopere hæc meum terrerent animum, tanta fuit Academiæ Vestræ celebritas, tantaque Juventutis undique confluentis industria, ut ulterius mea Theologiam tractandi methodus latere non potuerit. Nec me ejus modò pudet, postquam lætum usum per annos plures vidi Excerptorum privatâ diligentiâ ab aliis, & nunc sunt lacunæ paulo magis repletæ. Dubitare etiam nequeo, quin facturum sit opusculum hoc, ut promptius & felicius progrediatur Sacra Deo Juventus, quæ meæ est commissa curæ, veritatisque & charitatis tramites amat verè. Quod si ex voto successerit, dabit idem ille Deus, quo duce cœpi & absolvi hoc stamen, ut nihil laborem de ra-

nis palustribus, majora forte tentaturus. Vos interim estis, DOMINI MEI, quos officiosissime rogo, ut non dedignemini prono cum affectu sub Vestri favoris umbra natum opusculum accipere, doctrinam eo comprehensam, quæ hactenus in Ecclesiis Vestris cum fructu & quiete audita est, contra quosvis turbidorum ingeniorum motus defendere, me tandem, qui indesinentibus votis Vestræ Ecclesiæ & Reipublicæ, Vestrum item omnium Vestrorumque Nepotum, perpetuam prosperitatem apud Deum quæram, ut Vobis devotissimum Clientem perennanti gratia prosequi. Dabam Groningæ pridie Kall. Majas Jul. A. Æ. C. N. Dionysianæ M. DCLXXXVI. Et recensebam pari cum veneratione & affectu, post mutatam Stationem, Lugduni Batav. postr. Kall. Jul. Greg. A. MDCXC. Quin & iterum repetebam ipsis Kall. April. A. MDCCXXII.

PRÆ-

PRÆFATIO.

JOHANNES à MARCK

Auditoribus suis S.

NOn possum, *Juvenes Optimi*, quin Vobis ad Vestrum toties repetitum votum atque in usus vestros scriptum Opusculum in manus tradens, pauca præloquar, quæ velim vos audire. Nec quidquam dicam, quod non sit necessarium, aut utile cognitu vobis futurum. Cæteroquin ante omnia desiderare possem, ut ex hoc promptitudinis meæ specimine in juvandis studiis vestris disceretis propensissimum in vos animum, nec unquam honestis desideriis fatigandum à vobis. Quippe si quidquam ab animo meo fuit alienum, fuit certe novi Systematis adornatio, quando videbam sub id genus librorum mole fatiscere Ecclesiam, per recentiorum operam meliora maximorum Doctorum scripta manibus discentium extorqueri, horas profectui impendendas repetitione millies dictorum perire, atque ingens famæ periculum me debere subire, si quidquam simile tentarem, post Homeros plures Iliada scripturus, nec majus unquam quam apti descriptoris encomium meriturus. Quid ad hæc nunc dicam? Nil aliud reponere queo, quam continuas vestras querelas; esse Doctori cuicunque peculiarem quandam res easdem tractandi methodum, non contingere discentibus omnibus eandem audita ex templo excerpendi promptitudinem, aberrare à dictorum mente per festinationem nimiam sæpe optimos, describentium erroribus magis fœdari dicta & divulgari fœdata, cum tempore mutari semper rationem Theologiæ tradendæ, quæstiones novas aut denuo renovatas agitari complures, utilissimum esse discentibus, quibus ob curtam librorum supellectilem & temporis angustias vasta volumina consulere non licet vulgo, ut brevi compendio rerum omnium ad Theologiæ constitutionem aut ornatum spectantium summam oculis subjectam videant, hanc denique laudem Doctoris esse summam, quod suum commodum bono publico postponat. His ego rationibus, cum à vobis iterato urgerentur, tandem ergo cessi, vobis nunc porro dicturus, quid

quid non tam præſtiterim, quam præſtare conatus fuerim; & quid vobis in Compendii hujus lectione incumbat. Fundamentum cum omnis ſolidæ cognitionis Theologicæ ſit brevis præcipuorum capitum, variis in locis Scripturæ ſparſim occurrentium, recenſio, & ſolida eorundem firmatio, quam Apoſtolus ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων dixit, hanc ante omnia dare mihi propoſui; atque ita plenam, ut nec ad nominis nec ad rei ſcientiam merito quidquam ulterius in ea requiri poſſet. Et cum Theologia non tantum credenda theoreticè tradat, ſed & agenda practicè magis inculcet, hæc prætermittenda eſſe neutiquam putavi, ſed latius etiam quam vulgò fieri ſolet declaranda, in Capitibus de *Cultu Dei & Lege*, de *Decalogo*, de *Sanctificatione & Bonis operibus*, de *Oratione* denique *& Connexis*. Qua in re mirari debui quorundam ſeu brevitatem ſeu negligentiam deſtinatam, qui explicandis Ceremoniis veteribus, quarum praxis dudum abolita, & quarum ratio in multis vix ſatis perſpecta eſt, omnem implent paginam. Non tamen ſecutus hic ſum methodum aliorum, qui unicuique Capiti Theologiæ ſuos Uſus Practicos ſubjicere ſolent, etiam ubi de rei creditæ Uſu controverſia nobis non movetur. Sicuti enim tunc plane neceſſum eſt illud, ut adverſantes obturentur, ita alias exigui id uſus eſſe putavi, ob generalem nimis Applicationem integrorum Capitum, quam unuſquiſque facili opera ipſe inſtituere poteſt, dum ſingulæ veritates illis compehenſæ peculiares uſus ſuppeditant, pro temporum & textuum circumſtantiis ſemper variandos, niſi eandem ſemper cantilenam repetendam ad faſtidium Auditorum quis velit. Cæterum, cum veritati ubique fere oppoſitos errores introduxerit Satanæ πανουργία, horum ἔλεγχος cum illius confirmatione connectendus fuit. Propoſui itaque Controverſias ſuis ſingulas locis, & hac quidem methodo, ut præmiſſa enucleatione veri diſcriminis ſententiarum, juxta Hæreſium veterum Paralleliſmum, & Hæreticorum Scopum, Argumenta ad pauca reduxerim capita ſumma, quæ utrinque proferuntur; quo ſimul memoriæ diſcentium ſuccurrerem, & vim iis adderem majorem, uti hæc diviſione & multiplicatione temerè quæſitâ haud parum minuitur ſæpe a Viris Doctiſſimis. Quamquam autem Inſtantias & Exceptiones omnes addi Compendii ratio non permitteret, ſæpe tamen illas indicavi ita, ut ſimul diluerem. Difficilis porro cum eſſet diſcretio Controverſiarum

non-

nonnullarum à Problematibus, uti illarum horumque tractationes, quæ leguntur passim, mixtæ declarant, imo cum perfecta rerum Theologicarum scientia absque his perspectis non concedatur, hæc etiam eadem methodo tractata addere volui. Nec illa tantum quæ stricte Theologica dicuntur, sed & quæ sub nomine Philologicorum, Exegeticorum, Casuisticorum, ac Historicorum, veniunt, ut ad hæc cognoscenda aditus monstraretur, nec facile secundum nostri seculi morem ignorata isthæc plane contemptos & turgidos simul discipulos redderent. Sic tandem negligere non potui Quæstiones, nuperius in Ecclesiis nostris ortas vel renovatas; quas cum Autoribus suis propterea diacritico nomine, inter docendum necessario, *Recentiores* vulgò dixi, absque ullo proposito, & ut puto specie, injuriæ apud cordatos; quo certè aliud quod minus offenderet, nullum ego apud me aut alios ullos reperire potui. Harum mirabitur forte quis numerum; sed eum minuere, mei quidem voti, non arbitrii fuit. Nihil sane hic cuiquam affingere volui, vulgo notatis Celeberrimorum Scriptorum verbis, atque addito leviori Quæstionis Momento, ubi λογομαχίαν inanem deprehendebam, & magis nimium suas Phrases & Glossas minus aptas omnibus obtrudendi conatum, quam mutatam doctrinæ substantiam reprehendebam. Uti vero dudum dolui, *in majus* disciplinæ nostræ damnum, quam unquam à mixtis Philosophematibus obscuris Antiquorum ei illatum est, hypotheses recentioris Sophiæ studiosè in eam ubique introductas, & tantum non basium instar à quibusdam positas esse, ita non nisi invitus plane de his quoque dicere debui, ne minus quandoque imbuta Philosophiæ studiis juventus inani hominum ævi nostri gloriatione abduceretur in periculosissimas Syrtes, vel inter legendum incauta latens quandoque imbiberet venenum, ad exemplum Virorum Doctissimorum, quos palliatarum & semel acceptarum sententiarum amor sic quasi fascinavit, ut periculum, evidens licet ex rei natura & eventu, vix unquam dein agnoscant. In omnibus vero his exponendis proposui mihi methodum æquabilem, ne mutata cum brevitate prolixitas redargui posset: servata tamen proportione justa inter res magis minusque ponderosas. Logicorum sic volui sequi regulas, ut iis tamen plane adstringi me non sim passus, ubi explicatio rei alio ordine naturali melius fluere videbatur; qua in re utique aliquid etiam seculi genio dandum erat. Terminos tantopere spretos

hodie, nec evitavi nimium, ubi apti videbantur, ut cum fructu legi adhuc possent scripta Decessorum nostrorum, ac adversantium sophismata excuti; nec tamen quæsivi eos sollicitè, cum sæpe barbaries aversionem pariat, & carere iis possimus. Stylus denique contractus à me adhibitus est, non ut studiose veritates obscurarem, aut quod clarius cogitata vasto volumine exprimere non possem, quale judicium non nisi ab indoctis aut malevolis exspecto; sed ut pro ratione Compendii paucis verbis multa complecterer, ac judicium & industriam auditorum meorum acuerem, qui ex domesticis prælectionibus annuis lucem uberiorem accipere facile possent, ac domi additis numeris literisque Græcis simul juvarentur. En, *Juvenes Optimi*, meum institutum; nunc vestrum discatis porrò velim. Est hoc Compendium tale, ut laborem à vobis exigat indefessum; absque quo per ejus lectionem levem non proficietis. Excerpenda sunt primum Scripturæ dicta, vel omnia, vel palmaria, atque illa sic legenda jugiter in Sacro contextu, ut uno obtutu suis locis obversentur vestris oculis. Hoc vos relevare onere non potui, ob rationem non interrupti styli, & voluminis minoris: dum tamen ex ipso citationis modo facilè intelligetis vim argumentorum ex locis adductis. Lectio subsequi debet, cum attentione ad verba singula, ex quibus haud facile multa admodum frustra posita reperietis; eaque repetita potius, quam nimium festinans aut protensa. Audire porrò vestrum erit avidè, quæ ad explicationem à me dicentur; & notare vel mox vel domi quæ lucem uberiorem dederint; & rogare, quæ non satis intellecta erunt; & respondere quæ didiceritis; & proponere in Disputationibus & Concionibus, quæ usum habebunt præsentem. Id unum adhuc addam, neutiquam me per hoc opusculum vestris manibus velle extorquere aliorum Scripta. Imo verò autor sum, & tyronibus, nisi feliciori fuerint instructi ingenio, tunc ad præcipuorum Capitum lectionem in hoc Compendio mox haud infeliciter accessuri, ut primum breviorem aliquam Theologiæ Epitomen, Synopsin, aut Medullam, potius legant; & magis provectis, ut pro ratione progressuum volvant etiam Systemata majora, Controversiarum & Problematum corpora integra, Philologorum labores, Historicorum monumenta, & potissimum Commentarios in Scripturam eruditos. Nostrum hic fuit tantum vobis dare brevius aliquod filum, ad quod Academica vestra studia fe-

feliciter instituere possetis. Quod ut fiat per jugem industriam vestram, ac implorandum semper à vobis Spiritus ductum, utique corde toto precor. Quo sic Theologiam Solidam & vere Pacificam alios suo tempore cum fructu doceatis, regnum Satanæ destruatis, & Ecclesiam Domini ædificetis, ad nostrum gaudium, vestram & vestrorum salutem, Deique gloriam. Ita agite & valete. Scribebam Groningæ Kall. Maj. A. Dion. MDCLXXXVI.

MONITIO ad LECTOREM.

Cum de Operis ipsius Instituto & Usu nihil habeam addendum ad ista olim scripta, monendus tamen es de hac ejus Editione. Debuisset illa ante multos admodum annos curari; dum & Compendium hoc ipsum Belgice prodiit, & brevior ejus Medulla Latine Belgiceque multis vicibus edita est, sed Latine llud non prostabat amplius. Nunc cum id fieret tandem, Errata plura Typographica annotata dedit & mecum communicavit Vir Reverendus & Doctissimus Herm. Wilh. Matthæus, *de vere erudito isthoc & per Germaniæ Utriusque Academias celeberrimo præ aliis stemmate Unus fere superstes, Pastor Hornanus; quæ lubenter ego correxi, non dubitans tamen quin alia nova quædam irrepserint. Levis etiam facta est in locis multis mutatio vocum & phrasium quarundam, ubi per hanc sensus videbatur clarior vel plenior fieri. Sed & fuerunt loca pauca, ubi de rebus ipsis aliter post diligentiorem inquisitionem nunc statuens, sententiam mutavi. Quin etiam jusserunt novi in Belgio orti Errores, ut de his aliquid suis locis insererem, ad communem usum Ecclesiæ. Ad quem perinde facturum existimavi, si post singulos Paragraphos annotarem illa in aliis Operibus meis retro editis Loca, quibus latius de illis ageretur seu textibus seu rebus, quæ heic leviter tanguntur modo pro hujus Operis ratione, ut & hæ illic plenius cum attentione à provectioribus legi possent. Urserunt quidem Viri Reverendi, ut Praxin ad dogmata adderem ubique; sed id consultum minus mihi visum fuit, ob rationes in Præfatione expressas. Et addiderat* Rev. Matthæus *Indiculum rerum Historicarum in Opere memoratarum; quem cum grata agnitione laboris ipsius apud me servavi, cum illæ heic expositæ non satis essent, nec aliquid ad inanem pompam heic comparere vellem. En, ut ex Citatione modo dicta Usus possit haberi decens,*

INDICULUS OPERUM

Aliorum à me Editorum, qui in hoc citantur.

I. HISTORIA PARADISI ILLUSTRATA, Libris Quatuor, quibus non tantum Loci istius plenior Descriptio exhibetur, sed & Hominis Integritas, Lapsus, ac prima Restitutio, declarantur, secundum Genesios Capita II. & III. Cum Oratione Academica de Propagati Christianismi Admirandis. In 4to. Amstel. 1705. pagg. 885.

II. In Præcipuas quasdam Partes PENTATEUCHI COMMENTARIUS, seu Ultimorum Jacobi, Reliquorum Bilhami, & Novissimorum Mosis, quæ leguntur Gen. XLVII.. XLIX. Num. XXII..XXIV. & Deut. XXIX.... XXXIII. Analysis Exegetica. Qua Hebræus Textus cum Versionibus Veteribus confertur, vocum & phrasium vis indagatur, rerum nexus monstratur, & in sensum genuinum cum examine variarum interpretationum inquiritur. In 4to. Lugd. Bat. 1713. pagg. 1095.

III. In CANTICUM SHELOMONIS COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica. Qua Hebræus Textus &c. Annexa est etiam Analysis Exegetica Psalmi XLV. In 4to. Amstel. 1703. pagg. 1014.

IV. In HOSEAM COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica &c. Diatribe annexa est singularis de Accipienda Uxore & Liberis Fornicationum. Et in Præfatione differitur de Autoribus ac Fautoribus Periodorum Septem Novi Test. pro Præfatione Apocalyptica, adversus Joh. Wajeni Sermonem Academicum. In 4to. Amstel. 1696. pagg. 739.

V. In JOELEM, HAMOSUM, HOBHADIAM, & JONAM, COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica, &c. In 4to. Amstel. 1698. pagg. 747.

VI. In MICHAM, NAHUMUM, HABHAKKUKUM, & TSEPHANJAM, COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica, &c. In 4to. Amstel. 1700. pagg. 996.

VII. In HAGGÆUM, ZECHARJAM, & MALACHJAM, COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica, &c. In 4to. 2. Vol. Amstel. 1701. pagg. 1504.

VIII. In APOCALYPSIN JOHANNIS COMMENTARIUS, seu Analysis Exegetica, qua Lectionum Varietas exhibetur, Vocum & Phrasium vis aperitur, Emblemata visa juxta eam pinguntur, Significatio mystica indagatur, & Celebrium Virorum Glossæ ad examen vocantur. Præfatio continet Narrationem & Examen breve Septem quæ celebrantur Periodorum Novi Test. In 4to. Amstel. 1689. pagg. 1050. Altera Editio emendatior & auctior, cum Animadversionibus quibusdam ad Censuram in Præfationem hanc à Joh. Wajeno editam. In 4to. 2. Vol. Traject. 1699. pagg. 1044.

IX. De SIBYLLINIS CARMINIBUS, Disputationes Academicæ Duodecim. Cum brevi Examine Dissertationis Gallicæ de Sibyllinis oraculis editæ Parisis à Joh. Crassetio Jesuita. In 8to. Franeq. 1682. pagg. 304.

X. EXERCITATIONES JUVENILES, sive Selectarum Disputationum Textualium, atque Orationum in Academia Franequerana olim habitarum, Fasciculus. In Præfatione repetitæ ineptiæ Joh. Crassetii, de Sibyllinis

ſimis Oraculis exploduntur. Sunt autem Diſputationes XXVI. atque Orationes Quatuor. In 8to. Groning. 1686. pagg. 683.

XI. ANALYSIS EXEGETICA CAPITIS LIII. JESAIÆ, in qua alia complura Vaticinia de Meſſia illuſtrantur. Accedit MANTISSA OBSERVATIONUM TEXTUALIUM ad Loca Quindecim, &c. In 8to. Gron. 1687. pagg. 476.

XII. NARRATIO APOLOGETICA Proteſtationis atque Oppoſitionis à ſe inſtitutæ contra nonnullas Joh. Braunii Theſes. Una cum Appendice, qua Defenſio hujus ad examen vocatur. In 8to. Groning. 1686. & 1687. pagg. 230.

XIII. EXERCITATIONES MISCELLANEÆ, ſive Selectarum Diſputationum atque Orationum in Academia Groningo-Omlandica habitarum Faſciculus. Diſputationes ſunt Septem Selectæ, harumque poſtrema ad Viginti Loca Veteris & Novi Teſt. Orationes autem Quinque, &c. In 8to. Amſtel. 1690. pagg. 501.

XIV. EXERCITATIONES TEXTUALES, ad Quinquaginta Selecta Loca Veteris & Novi Teſt. Argumenta quædam Præcipua de Unctionibus, Polygamia, Cultu Molech, Miraculoſa Cuſtodia Veſtium Iſraeliticarum, Capillitio Abhſhalomi, Damaſco Capite Syriæ, Dæmoniacis, &c. paulo latius tractantur. Cum Oratione Inaugurali de Debita Scripturarum S. Veneratione. In 4to. Amſtel. 1694. pagg. 497.

XV. Harum PARS SECUNDA, edita ſub nomine EXERCITATIONUM EXEGETICARUM, ad Quinquaginta Selecta Loca alia Vet. & Novi Teſt. Argumenta quædam præcipua, de Diluvii Univerſalis Modo, Tranſitu *Iſraelitarum* per Mare Miraculoſo, Teraphim, Propinquitate Igdicii, tempore *Apoſtolorum*, Dominio Angelorum, & Hominum in Eccleſiam Vet. Teſt. &c. paulo plenius exponuntur, & quorundam Textuum Analyſes Exegeticæ miſcentur. Cum Oratione Academica de Exſpectanda adhuc in Terris Eccleſiæ Felicitate. In 4to. Amſtel. 1697. pagg. 813.

XVI. Harum PARS TERTIA, edita ſub nomine EXERCITATIONUM BIBLICARUM, ad Quinquaginta Selecta Loca alia Vet. & Novi Teſt. Argumenta quædam præcipua de Ordine Nativitatis Filiorum Noachi, Anno Nativitatis Abrahami, hujus Nomine Mutato, Columna Nubis & Ignis, aliiſque pluribus Deſerti Miraculis, Deſcenſu Spiritus in Forma Columbæ ſuper Chriſtum, Nomine ΛΟΓΟΥ huic dato, Peccato in Spiritum S. Fundamento Unico, &c. paulo plenius exponuntur, & quorundam Textuum Analyſes Exegeticæ miſcentur. Cum Oratione Funebri in Obitum Cl. Triglandii. In 4to. 2. Vol. Amſtel. 1707. pagg. 1122.

XVII. Harum PARS QUARTA, edita ſub nomine EXERCITATIONUM SCRIPTURARIARUM, ad Quinque & Viginti Selecta Loca alia Veteris, Totidemque Novi Teſtamenti. Argumenta quædam, præcipua de Chami Culpa & Canahanis Maledictione, Heſavi Servitute ſub Jacobo, Bello Hamelekitico, Quarti Præcepti Natura, Serpentinorum Morſuum Sanatione mira, Jardenis Tranſitu Iſraelitico, Solis Lunæque Statione, Umbræ Solaris Regreſſu, Satana Jobum affligente, Nazoræi appellatione à Prophetis Meſ-

fiæ tributa, Minoris in Regno Cœlorum Magnitudine præ Johanne Baptista, Mandato Parentes Honorandi per Traditiones Judaicas Violato, Ignorantia Diei Judicii Universali & Durante, Obtenebratione Solis apud Christi Crucifixionem extraordinaria, Sex & Quadraginta Annis Ædificati Templi, Datione Vitæ à Patre facta Filio, Abrahamico Visu Diei Christi, Judæ Exclusione à Cœna Dominica, Jure Gladii à Judæis per Romanos Ablato, Itinere Sabbati inter Jerusalem & Montem Oliveti, Tempore & Loco Effusi super Apostolos Spiritus, &c. paulo latius exponuntur, & quorundam Textuum Analyses Exegeticæ miscentur. Præfatio habet quædam adv. Clericum, & ad Exod. XVI. de Sabbato. Cum Oratione Funebri in Obitum Cl. Witsii. In 4to. Amstel. 1709. pagg. 1173. & 1710. pagg. 736.

XVIII. Harum PARS QUINTA, edita sub nomine SYLLOGES DISSERTATIONUM PHILOL. THEOLOGICARUM, ad Selectos textus alios Viginti Quinque Veteris & Totidem Novi Test. Argumenta præcipua, de Shalem Melcitsedeciana, Circumcisione Tsipporica, Vestitu Annuo Pontificis, Hirco Hazazelis, Incestu Vetito, Divini Nominis Interdicto, Israeliticis Jubilæis, Synedrii Magni Originibus, Corachi historia, Propheta Simili Mosi, Divortiorum Lege, Jiphtachi Voto, Hendorica Pythonissa, Tempore Nati Christi, Literis Punctisque Hebræorum, Parabolis Euangelicis, Clavibus Regni Cœlorum, Ecclesia Audienda, Aquilis ad Cadaver congregandis, Doloribus & Clamoribus Christi patientis, Generatione Nova ex Spiritu Præexistentia Animæ Christi Conficta, Sabbatica Mosis Lectione in Synagogis, Typis, Traditione Satanæ, Christo Redivivo à Cepha & Paulo Viso, Θηριομαχίᾳ & Raptu Cœlesti Pauli, Anathemate MaranAtha, Allegorumenis, &c. paulo latius exponuntur, & quorundam Textuum Analyses Exegeticæ miscentur. Cum Oratione Academica de Mosaica Visione Dumeti Ardentis & non Consumpti. In 4to. 2. Vol. Lugd. Bat. 1717. pagg. 810. & Rotterod. 1721. pagg. 832.

XIX. Harum PARS SEXTA, ad Viginti Quinque itidem Selectos Textus alios Veteris, & Totidem Novi Test. adhuc prodibit, Deo volente.

INDEX CAPITUM,

hujus Compendii.

XX.


INDEX CAPITUM.

JOH.

JOHANNIS MARCKII *COMPENDIUM* THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ DIDACTICO-ELENCTICUM.

CAPUT PRIMUM.

De Theologiæ Voce, & Definitione.



St THEOLOGIÆ vox origine Græca; notatque, composita cum sit ex θεὸς & λόγος, *Dei Sermonem*. Quæ appellatio Doctrinæ huic nostræ merito tribuitur; quod α à Deo ipsa sit revelata, β agat dein de Deo, γ tendat quoque ad Dei gloriam, δ & ducat simul ad ejus communionem. Quarum rationum præcipua tamen est secunda; cum ab *Objecto* vulgò Disciplinæ aliæ etiam nomen accipiant. Nominis Etymologia & Ratio.

II. Usus vocis a Gentilibus fluxit: apud hos enim multiplex Theologia ab ævo celebris fuit. Nec legitur vox in Scriptura Sacra; cujus tamen Libro Postremo præposita est in Ecclesia Antiqua *Theologi* appellatio, quâ ipsum sic Johannem Apostolum, non alterum aliquem Seniorem Ephesinum, insigniverunt Patres, propter Divinam doctrinæ Sublimitatem, veræque Deitatis Christi contra *Ebionæos* & *Cerinthianos* assertionem solidam, à qua Ejus Usus primus.

 Euan-

Euangelium quoque auſpicatur, hinc per *Aquilam* à Veteribus aliisque paſſim repræſentatus, ad Animal Apocalypticum Quartum ſimul reſpicientibus.[1]

[1] *Vid. Comment. in Apocalypſin.*

Ejus Simplicia ἄγγραφα. Uti ſic eſt Sermo Dei Perſonalis.

III. Habemus hic interim voces Primitivas, λόγια τοῦ Θεοῦ, *Oracula Dei, Rom.* III. 2. *Hebr.* V. 12. I *Pet.* IV. 11. *&* Λόγον τοῦ Θεοῦ, *Sermonem Dei.* Quâ appellatione quandoque venit ipſe Dei Filius *Joh.* I. 1. 14. I. *Joh.* V. 7. *Apoc.* XIX. 13. etiam *Act.* X. 36.[2] *Hebr.* IV. 12.[3] *&c.* & in Vet. Teſtamento *Pſal.* XXXIII. 6. *Jeſ.* IX. 7.[4] *Hagg.* II. 6.[5] quod α ſimul unicus Autor ſit Verbi Divini, ut magnus ille Propheta, & Argumentum ejus omne: β imo præcipuè quod, ſicuti Verbum exprimit cogitata cordis, ita Chriſti Perſona ſit *character perſonæ Patris, & effulgentia gloriæ ejus, Hebr.* I. 3. Λόγον ἐνυπόστατον, etiam ἐνδιάθετον, dicunt hunc Theologi quidam; aliter licet vocabulum hoc poſterius intelligant Græci; imo aliter licet exponant idem Theologi alii, puta de Verbo quo Deus hominem intus per Spiritum alloquitur.

[2] *Exerc. Text.* XXXVI. P. III. [3] *Exerc. Text.* XXXVII. P. III. [4] *Exerc. Text.* XXXVI. P. III. [5] *Exerc. Text.* XXXVI. P. III. & *Comment. in Hagg.*

Et Προφορικός. Quare merito Theologiæ nomen retinetur.

IV. Sæpius verò *Sermo Dei* Verbum ab ipſo Prolatum ad homines notat, diciturque vulgo λόγος προφορικός *Luc.* VIII. 21. *Act.* IV. 31. I. *Theſſ.* II. 13. I *Pet.* I. 23. *&c.* Unde, α cum Primitivæ hæ voces in Scriptura adſint, ſenſu fere eodem, β & nomen Theologiæ antiquitus à Chriſtiana Eccleſia fuerit adhibitum, γ & ſit illud aptiſſimum ad Doctrinam hanc denotandam; ſuperſtitionis verius quam religionis eſt, illud, ut ἄγραφον, atque adhibitum ad Matæologiam Ethnicorum ſignificandam, proterve repudiare: Deo ipſo impura Ægyptiorum vaſa olim ad uſum Tabernaculi ſanctificante, nec ob impuritatem priorem rejiciente.

Ejus Synonyma plura.

V. Utatur nihilo minus, qui ſic omnino voluerit, Synonymis in Scriptura repertis, διδαχῆς Θεοῦ, vel Χριστοῦ, *Joh.* VII. 16. 17. 2 *Joh.* 9. διδασκαλίας καλῆς I *Tim.* IV. 6. ὑγιαινούσης *Tit.* I. 9. κατ' εὐσέβειαν I *Tim.* VI. 3. ἐπιγνώσεως ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν *Tit.* I. 1. θεοσοφίας, & σοφίας τοῦ Θεοῦ, ac ἐν μυστηρίῳ I *Cor.* II. 7.[6] τύπου διδαχῆς *Rom.* VI. 17. ὑποτυπώσεως ὑγιαινόντων λόγων 2 *Tim.* I. 13. μορφώσεως τῆς γνώσεως καὶ τῆς ἀληθείας *Rom.* II. 20. quin & μορφώσεως εὐσεβείας

βείας

ctus 2 *Tim.* III. 5. [7] quod rectius huc quam ad hypocriticam Pietatis Speciem refertur.

[6] *Exerc. Text.* XL. P. III. [7] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

VI. Theologiæ porrò nomen promiscuè tribuitur *Veræ* & *Falsæ* de Deo Doctrinæ. Hæc si adulterata tantum sit in quibusdam & paucioribus capitibus, *Æquivocè* sic dici traditur; sin verò in iis omnibus aut plurimis aberret, *Catachresis* hic manifesta observatur, quæ & in Scripturis legitur, ubi Diabolus *Deus* audit 2 *Cor.* IV. 4. Falsa autem Theologia innumeras ferè Divisiones admittit; & variè apud Autores illæ instituuntur, pro ratione variante, vel Principii, vel Objecti, vel Originis, vel Populorum, vel Tractuum terræ. Haud incommode fortè dixerimus, ad Quatuor species illam posse reduci; scilicet ad *Pseudo-Christianismum*, Pontificiorum, Socinianorum, ac aliorum Hæreticorum; ad *Muhammedanismum*, Turcarum, Arabum, Persarum &c. ad *Judaismum* hodiernum, recutitorum inde à rejecto Euangelio; & denique ad *Gentilismum*, Ethnicorum. Inter quos Græci & Romani iterum Theologiam μυθικὴν, sive *Fabulosam*, à Poëtis traditam, distinguebant à πολιτικῇ, sive *Civili*, quæ in Populo observabatur & à Sacerdotibus fovebatur, atque à φυσικῇ, sive *Naturali*, quæ Philosophorum erat ac in Scholis obtinebat. *Ut Platonis* Divisionem in συμβολικὴν sive μυστικὴν, & φιλοσοφικὴν sive ἀποδεικτικὴν, nunc mittam.

Ejus Homonymia; qua Theologia Falsa alia, eaque multiplex.

VII. Vera etiam Theologia, licet in se quoad rei substantiam summam Una sit, pro ratione Subjectorum, quibus tribuitur, multiplex dici solet. Etenim est, quæ *Archetypa* dicitur; definiturque à quibusdam *Dei de Se ipso Cognitio*, ab aliis melius, *Dei de Se ipso Cognitio, quam creaturæ manifestare decrevit*. Cujus Definitionis α primum membrum cum non possit negari, ob Dei perfectionem summam, & loca *Matt.* XI. 27. *Joh.* X. 15. I *Cor.* II. 10. 11. [8] cum β constet etiam alterum ex extensione Divinorum Decretorum ad omnia, & textu 1 *Cor.* 11. 7. [8] cum præterea γ nomen sit commodissimum ob relationem quam omnis Theologia nostra ad Divinam illam habet, & cum δ tandem Theologi ad Deum ut Sapientiæ omnis fontem non possint nimis frequenter, potissimum in tractationis suæ initio, ascendere; nescio, cur Archetypa Theologia hæc à quibusdam hodie ægre admittatur.

Alia Vera. Quæ iterum Archetypa.

[8] *Exerc. Text.* XL. *Part.* III.

Vel Ectypa. Et hæc triplex, Unionis scil.

VIII. Archetypam sequitur *Ectypa*; quæ iterum pro ratione Subjecti triplex est, Unionis, Visionis, & Stadii. Theologia *Unionis* Christo tribuitur secundum Humanam Naturam. Unde constat ratio appellationis hujus, inde petitæ scilicet quod ex Unione Personali cum Persona λόγυ fluat. Cum verò interveniat hic Spiritus Unctio, Theologia quoque *Unctionis* dicitur; minus emphaticè, cum Unctio fidelibus communis sit, gradu tantum excellentiori Christo concessa. Distinguenda omnino hæc Theologia Unionis ab infinita Dei Sapientia, quæ in naturam finitam non cadit. Distinguenda quoque ab aliarum Creaturarum Theologia, utpote gradu Perfectionis longe supra hanc excellens. Unde *Unctus* ille dicitur *præ Consortibus Psal.* XLV. 8. [1] & datus (supple ex contextu potius, *illi*, ut ratiocinio robur constet, quam ut aliunde ad sensus perfectionem necessariam intrudas vocem) *Spiritus ὐκ ἐκ μέτρυ, non ad mensuram*, h. e. copiosissime & abundanter, uti dare solent mensuram non adhibentes, *Joh.* III. 34. [2]

[1] *Vid. Exerc. Text.* XIII. P. I. [2] *Exerc. Text.* XXXIV. P. II.

Visionis.

IX. *Visionis* Theologia adscribitur Angelis, in cœlo intuentibus faciem cœlestis Patris jugiter *Matt.* XVIII. 10. & Beatis, uti piis promissa est Dei Visio in beatitate *Matt.* V. 8. atque hi propterea illam exspectant 1 *Cor.* XIII. 12. Notatur verò per illam Visionem, non Conspectus Corporalis Dei Incarnati, de quo alibi *Job.* XIX. 26. 27. [3] 1 *Joh.* III. 2. *&c.* neque Cognitio qualiscunque Dei Imperfecta, quæ *Visio per Speculum* apud Paulum dicitur, sed *Cognitio* & fruitio Perfecta, fidei opposita 2 *Cor.* V. 7. Dicitur autem *Visio*, & quidem *de Facie ad Faciem*; quoniam per hanc rerum corporalium curatissimam cognitionem assequimur. Vocatur etiam Theologia *Patriæ*, ob locum ubi obtinet.

[3] *Exerc. Text.* XII. P. I.

Et Stadii, seu Studii.

X. Theologia *Stadii* Hominibus in Terræ hujus stadio currentibus contingit, ac ob eandem rationem *Viatorum* dicitur; ut & *Studii*, quod hoc ordinarium ejus acquirendæ, augendæ, & conservandæ, medium sit. Quin & *Revelationis* Theologia hæc audit apud quosdam, nomen illud latius pro quacunque *Manifestatione*, sive res antea occulta fuerit sive non, usurpantes; ubi tamen Scriptura φανέρωσιν dicto modo ab ἀποκαλύψει distinguit, conformiter naturæ vocum. Hæc minus perfecta est quam illa *Visionis* in perfectissimis, etiamsi in Fidelibus Perfectio ei tribui debeat

Suf-

Sufficientiæ ad salutem 1 *Cor.* XIII. 9. 2 *Tim.* III. 15. 17. 1 *Joh.* II. 20. 21. ♦ Id quod *Scholastici*, *Comprehensionem* Christo tantum Viatori & Beatis tribuentes, significare voluerunt.

♦ *Exerc. Text.* XL. P. I.

XI. Theologiam Stadii *dari* aliquam, haud opus est, ut multis à priori probetur; ex Dei Bonitate sui Communicativa, ejus Fine in rerum Creatione & Conservatione, innato homini Felicitatis Desiderio, illiusque tum Dependentia, tum præsenti Miseria. Res enim hæc palam est in hominibus, non quibusdam, sed omnibus, aliquam Theologiam admittentibus, licet corruptissimam sæpe. Nullam autem Veram hic reperiri, à Deo ipso profectam, dicat licet *Atheus*, illam omnem refundens in vanam Traditionem, humanam Credulitatem, superstitiosum Metum, & Astum Politicum; haud persuaserit illud tamen cuiquam, simpliciter attendenti; α ad rei hujus Extensionem universalem, potentissimis Imperatoribus haud exceptis; β ad Fastum proprium, Metumque naturalem Numinis, qui ad omnem ejus abnegationem homines cæteroquin duceret; γ ad naturale Cordis Dictamen, per horrorem in latentibus sceleribus hominibusque imperterritis apparentem, & successum facilem fraudum politicarum, demonstratum; δ denique ad Argumenta validissima rei, in Natura & Scriptura palam reperta, nec ab Atheis hactenus omni conatu eversa. Quam dari, nec confictam esse, probatur.

XII. Petitur autem hæc Theologia Stadii ex Principio, vel communi, quæ *Naturalis*, vel speciali, quæ *Supernaturalis* & *Revelata* dicitur. Atque in Natura quidem duplex occurrit liber unde disci potest, *Cordis* proprii, & *Creaturarum* aliarum extra vel juxta ipsum hominem. Hinc Theologia Naturalis dicitur primum *Insita*, sive *Innata*, vel etiam *Subjectiva*, quæ scilicet ex innata mentis facultate & instinctu absque creaturarum ullarum contemplatione fluit cum rationis usu; dè qua α Paulus, quoad partem Theoreticam *Rom.* I. 19. τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ in hominibus h. e. eorum corde manifestum statuens ex Dei ipsius manifestatione, & quoad partem Practicam *Rom.* II. 14. 15. ubi neutiquam de Gentibus Conversis sub Euangelio, sed cæcis sub Vet. Test. agitur. Quæ etiam β constat ex cognitionis Divinæ Extensione generali ad omnes; atque γ ex cognitione propriæ Dependentiæ in humana mente; ac δ se exserit, tum in Metu ob scelera Est hæc primò Naturalis. Tam Innata.

lera occulta quoque, tum in Gaudio, ab hominibus licet remuneratio nulla exspectetur.

Quam Acquisita.

XIII. Est dein Naturalis Theologia *Objectiva*, & *Acquisita*, per discursum ex Creaturis, ex quibus singulis, atque etiam optimo ac constanti ordine inter se junctis, ut Effectis finitis & dependentibus, ad Causam primam ascendimus, via *Causalitatis*; ab hac Imperfectiones creaturarum excludimus, via *Negationis*; & ad hanc omnes Perfectiones, & plures ac majores, quam Creaturarum illas, referimus, via *Eminentiæ*; præeunte passim in argumentationis hisce modis Scriptura *Psal.* VIII. 4. [1] *Jes.* XL. 26. *&c.* Innatam Acquisita hæc juvat & perficit. Agitur de hac *Job.* XII. 7. 8. 9. 10. *Psal.* XIX. 2. 3. 4. 5. [2] *Act.* XIV. 17. XVII. 25. 27. *Rom.* I. 20. *&c.* Quibus in locis, α non de supernaturali gratia, sed dè Naturæ Effectis, β nec de cognitione tantum Existentiæ, sed & Perfectionum Divinarum, sermo est, quæ nostram sub Deo Subjectionem inferunt.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XVI. P. III. [2] *Exerc. Text.* XX. P. V.

Non est ad hanc acquirendam suadenda Dubitatio Universalis.

XIV. Qui ad Theologiæ hujus, omnisque porrò Veræ Sapientiæ, Certitudinem ac Perfectionem majorem, commendant *Dubitationem Universalem*, de omnibus Creaturis extra nos, de Nobis ipsis, & dè Creatoris tum Perfectionibus tum Existentia, (adeoque etiam, licet id aperte nolint plurimi, hujus Revelatione, cum à non existente non possit esse aut credi facta,) hi viam suadent. 1. *Inutilem*; cum α ex Dubitatione per se Deitas non probetur, β Argumenta adduci solita absque Dubitatione urgeri possint, γ nemo etiam *Scepticus*, qui omnium sensibilium existentiam cum sanâ mente neget, aut sit, δ aut hac via æque quam recepta alia ad agnitionem Deitatis adduci possit. 2. Dein via hæc, *Impossibile* est, ut ab homine vere pleneque teneatur; cum dè multis, atque etiam de Dei Existentia, certior sit, quam ut attendens dubitare possit 3. Tum summopere *Indecens* idem dici debet, vel ad Momentum, etiam in Finem Bonum, mentem à Deo illiusque agnitione per judicii suspensionem incredulam abalienare. 4. Tandem *Periculosa* est tentatu hæc via multis, vim argumentorum post Dubitationem non agnoscentibus, atque adeo vel nunquam vel difficulter ex illa emergentibus; declarante id in *Spinozistis* eventu. Et habemus pro convictæ mentis indiciis, quæ à Dubitationis patronis, vel α de Inquisitione per Dubitio-

tationem notata, vel β dè Scepticorum Persona repræsentata, vel γ de Dubitationis breviDuratione & Scopo, vel δ de Deitatis Argumentis tantum in dubium vocatis, vel ε dè Revelationis certa fide supponenda, adducuntur vulgo Effugia; α contra philosophandi inculcatam propriam Methodum, & β voces alias disertissimas, γ sibi invicem palam quoque contraria.

XV. Per *Ideam Dei*, tantopere decantatatam apud hos Philosophos, si nihil aliud intelligant, quam Cognitionem, ratione Principii & Facultatis Innatam, & cum rationis usu exserentem se, eousque ut homo tamen, qui post revelationem adhuc ex parte cognoscit, adæquatè plane & perfectè haudquaquam, sed qualicunque modo, Dei Existentiam ac Perfectiones assequatur, lubenter vocem hanc toleramus: sed eâ lege, ut non mittantur prorsus in exilium *Conceptus*, *Notionis*, *Cognitionis*, haud minus apta vocabula. Argumentum quoque pro Deitate ex generali hujus Cognitionis Extensione, in invitis sæpe hominibus, solidum desumi putamus. Cæteroquin si *Idea* notet aut repræsentationem aliquam Corpoream, aut innatam Actualem Cognitionem Dei, eamque ita claram distinctam & perfectam, ut adæquata sit, neutiquam eam admittimus. Quemadmodum nobis quoque non unicum aut præcipuum, ut perperam contendunt, sed *Infirmum* videtur Argumentum ab Idea hac in una mente mea petitum, ad probandam Deitatem. 1. Quod omnis Idea Objectum unde petita sit requirat; α mente nostra plures utique chimæras meras fingente, β nec convincendo unquam Sceptico dè Idea isthac sibi innata. 2. Item, quod Idea Entis Perfectissimi Existentiam, quæ inter Perfectiones est, includat; quo argumento, supposito Ente Perfectissimo, rectè ejus Necessitas in existendo, opposite ad omnem Contingentiam, non verò contra negantes plane Ens hoc ejus Existentia ipsa infertur.

Idea Dei in nobis quo sensu admittenda sit, & Argumentum pro Deitate ex ea quo pacto valeat & non valeat.

XVI. Theologiam Naturalem quandò Homini Lapso adhuc adscribimus, longe Perfectiorem meritò Primis Parentibus in Integritate tribuimus; utpote cum Imagine Dei veraque Sapientia, cujus modò rudera supersunt, creatis. Nec dubitamus, quin cognoverint præter specialem Revelationem, quæ recte tamen iis tribuitur, per Sapientiam hanc Naturalem, tum Legem omnem Moralem, ut obedientiæ suæ normam, tum Deum Triunum, cui obedientia præstanda erat: neque enim Vera Veri Dei

Theologia Naturalis in Adamo fuit magis Perfecta, & ad Trinitatem se extendit.

Dei Cognitio est absque cognitione Trinitatis; in α Redemptione quidem, sed non sola, se exserentis, dum per Filium & Spiritum res omnes à Patre primum creatæ quoque sunt; & β licet se non exsereret semper tamen ὁμουσίυ ac ἰσοτίμυ.

Socinianorum contra Theologiam Naturalem Objectiones solvuntur.

XVII. Contra Theologiam Naturalem, non jam dicam Hominis Integri, dè qua suo loco, sed Lapsi, se opponunt *Sociniani* plures, dum quidam cum *Remonstrantibus* quibusdam Innatam, alii etiam Acquisitam negant, voluntque à Revelatione & majorum Traditione, vel solum vel saltem demonstrative, pendere Deitatis cognitionem. An lateat Atheismi pejor anguis, hic non judicamus. Leves saltem sunt Objectiones. 1. Quod enim David narrat de *stulto dicente in corde suo*, *non esse Deum Ps.* XIV. 1. *coll. Ps.* X. 4. 11. LIII. 2. intelligendum est, α de Dei potissimum Providentia, β & Voto impii, & γ cogitationibus Temporariis, δ dictumque est de *Stulto*, qualis emphaticè non homo omnis naturalis, sed qui magis excæcatus & naturali etiam luce privatus est. 2. Neque tollit *Fides* Dei, & quidem α tanquam Remuneratoris in Christo *Hebr*. XI. 6. ejus Notitiam omnem Naturalem; cum β ex vario principio eadem res, γ magis minusque perfectè cognosci possit. 3. Exemplum *Infantium* non facit ad rem; cum Naturalem & Innatam dicamus Theologiam, *Facultatis* non actus respectu, uti ipsam rationem, loquelam, risum &c. 4. *Gentes* integras in Brasilia aut alibi omni Theologia carere; α constanti omnium Traditioni, & β Experientiæ etiam in *Toupinamboultiis* adversum paradoxon est, haud credendum γ ob unius aut alterius incertam fidem, qui etiam δ testari aliud nequeunt, quam sibi indicia religionis in gentibus his non patuisse, unde ipsa tamen non tollitur prorsus. 5. Tandem *Atheos* licet concedamus, α practicè tales, aut β professione externa, aut γ qui recepta Numina repudiarunt, δ aut à vero Deo alienos, imò licet concederemus qui ε Excæcationis Divinæ judicio persuasi potius fuissent non esse Deum quam esse eundem; non tamen sequitur, esse, qui intus, theoreticè, naturaliter, & quandoque, Numen non agnoscant ullum. *Aristotelis* Creationem vix agnoscentis error cum Atheismo ipso perperam à *Socino* confunditur. Quæ inter Scholasticos agitatur quæstio, an *per se notum* sit Deum esse, mera λογομαχία videtur.

XVIII.

Quid Theologia Naturalis doceat & non doceat.

XVIII. Per Theologiam hanc Naturalem, tum Insitam tum Acquisitam, cognoscit homo Dei Existentiam, Essentiam Spiritualem, Attributa, Opera Naturalia creationis & providentiæ, & ex parte tum Dei Legem, tum suam Miseriam; sed obscure omnia. Sunt hæc Paulo τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ, *cognoscibile Dei*, oppositè ad τὸ πιστὸν, sive id quod credi de eo debet. Ignorat vero hæc Theologia, & homo per eam, Personarum Trinitatem, Christum & opus Redemptionis per illum præstitum, Perfectam bene vivendi Regulam, Miseriæque suæ Magnitudinem. Quo refer loca *Matt.* XVI. 17. I. *Cor.* II. 14. *Eph.* IV. 18. V. 8. &c.

Est illa Insufficiens ad Salutem.

XIX. Unde sequitur, Insufficientem eam esse ad Salutem, etiam si homo plenè secundum illam se componeret. Non α enim tantum vera Deitas, sed & Verus Deus, Pater cum Filio, cognoscendus & colendus est ad salutem *Ioh.* XVII. 3. I. *Ioh.* II. 23. Et β Christus unus est salutis Autor *Act.* IV. 12. X. 43. *Ioh.* XIV. 6. *&c.* in quem qui non credit damnatur *Marc.* XVI. 16. *Ioh.* III. 36. Et γ describuntur Gentes hanc Theologiam habentes, ut ἄθεοι *absque Deo*, vero & fœderato, *& sine spe in mundo Eph.* II. 12. Et δ justitia ac salus nulla est ex Legis scriptæ Operibus, minus ex Legis Naturæ imperfectioris obedientia. Loquuntur ε tandem Cultuum & Opinionum monstra, quæ peperit in Gentibus Theologia naturalis, quam illa cæcis mortalibus ignorantiæ antiquo tempore sufficiens fuerit.

Objectiones pro ejus Sufficientia solutæ.

XX. Repugnant denuò, post *Veteres* quosdam ac *Pelagianos* maxime, Triplicem Salutis Viam, Legem Naturam & Euangelium, urgentes, *Libertini*, *Sociniani*, *Pontificii* plures, atque *Remonstrantes*, alii tectius, alii apertius, sive Communem Religionem paucissimorum capitum introducant, sive per Luminis Naturæ rectum usum homines ad Gratiam adduci credant; quibus *Zwinglius* noster à *Pontificiis* quibusdam perperam annumeratur, ejus licet locutionem de Gentilibus prorsus probare nolimus. I. Parum eos juvat Apostolus *Rom.* I. 19. dum τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Gentibus tribuit. Id enim Credendis ibi opponitur, ac mox de *Potentia* & *Divinitate* Creatoris exponitur. 2. Nec magis Ἀναπολογησία justa *Rom.* I. 20. Hæc enim per minimum Dei beneficium, & maximè per Legis non observatæ Notificationem producitur; nec Sufficientiam ad Salutem, quæ plus requirit, in homine sua culpa lapso infert; atque agitur hic propriè de ἀναπολογησίᾳ majori, cum

cum & absque hac illuminatione jam essent verè inexcusabiles. 3. *Benignitas Dei*, de qua *Rom.* 11. 4.[1] merito α dubitatur, an ad Gentes sit referenda; atque β dicitur illa quidem *impellere*, non tamen perducere, ad Resipiscentiam; vel γ *Resipiscentia* non est Euangelica & salutaris, sed Legalis & externa, dè qua agit illic Paulus. 4. *Cogitationes* habent Gentiles *excusantes*; sed non in totum, aut semper *Rom.* 11. 15. 5. Testimonium tandem, quod dè se Deus dedit Gentibus, est non sui de salute Consilii, sed α Existentiæ, & β Bonitatis suæ, poteștque per id γ inveniri haud alio sensu *Act.* XIV. 17. XVII. 27. Reliquæ objectiones alibi commodius proponentur, etiam *Cap.* XVII. §. 10.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XLIV. *P.* IV.

Theologia Naturalis in Abstracto cum Revelata non pugnat; sed in Concreto Revelatæ debet cedere.

XXI. Interim Theologia Naturalis, utut ab hominibus sæpe miris erroribus & superstitionibus miserè fuerit corrupta, in Abstracto tamen cum Revelata non pugnat, ad exemplum Luminis Minoris & Majoris. Verum α quippe vero consonat; & β est utraque ab eodem Luminum Patre; quod γ egregia Philisophorum dè Deo, Divinis Operibus, nostrisque Moribus, effata comprobant. Interim cum Thoelogia Naturalis nusquam abstractè reperiatur, humanâ corruptione ejus placitis se facilè immiscente, Revelata verò in Scriptura ab omni vitio defecata legatur; merito tenemus, illam cum omni humana Philosophia huic, ut α certiori, & β superiori, debere cedere, quandò contrarietas aliqua deprehenditur. Ob quam subjectionem, ususque quos præterea Theologiæ præstat Philosophia, rectè hæc illius *Ancilla* ab ævo in Christiana Ecclesia nuncupata est, ejicienda cum Agare, si se Saræ non submiserit; salva Philosophiæ in se consideratæ Dignitate.

Naturalis Theologiæ Finis.

XXII. Finis verò hujus Theologiæ licet non sit Salus, est tamen multiplex; α respectu *Dei* demonstratio Bonitatis ejus Infinitæ; β respectu hominum *Electorum* facilior ad Fidem Adductio, atque abundantior in ea Confirmatio; γ respectu denique *Reproborum*, tum illorum Coërcitio in externa disciplina, tum major ἀναπολογησία, ex ea fluens eventualiter, & à Deo sibi proposita finaliter, *coll. Rom.* 1. 20.

Theologia Revelata Necessaria est.

XXIII. Naturalem Theologiam excipit *Revelata*; cujus Necessitas ex prioris Insufficientia per se consequitur, atque ab Ethnicis in quæsitis Oraculorum responsis, ac fictis ab his & *Muham-*

hammdanis Revelationibus & Colloquiis cœlestibus satis fuit agnita. Uti verò Revelationis talis spem vagam concipere licet homini ex Dei Bonitate; ita illius Veritatem adstruimus iis argumentis, quibus Scripturarum Divina Origo & Autoritas suo loco asseruntur, *Cap.* II. §. 5. 6.

XXIV. Revelata hæc consideratur; vel prout inest homini *Habitualiter*, quæ & *Utens* dicitur; vel prout continetur in *Systematibus*, quæ audit *Docens*. Habitus autem potius est θεόσδοτος & *Supernaturalis*, quam Naturalis; quatenus α ex Principio revelato, & quiden β magistro Spiritu acquiritur, intercedente tamen vulgo propria industriâ. Cum itaque sit α extra ambitum Habituum Naturalium, à Philosophis traditorum, sit β habitus quoque *Compositus* potius quam Simplex, & γ promiscuè tandem Spiritus in Scriptura *Scientiæ*, *Sapientiæ*, *Prudentiæ*, vocabula adhibeat, 2. *Pet.* III. 18. *Jac.* III. 17. *Col.* III. 16. *Deut.* IV. 6. *&c.* inutilis λογομαχία est, an *Scientiæ* Genus ob certitudinem, an *Sapientiæ* ob sublimitatem, an *Prudentiæ* ob morum directionem, Theologiæ has utique omnes perfectiones habenti tribuendum sit. Multum autem Theologia hæc Habitualis in Adamo Integro, & homine Lapso, itemque in Fidelibus V. & N. T. tum in Objecti modo, tum in Perfectionis gradu, differt.

Quæ consideratur, vel Habitualiter.

XXV. Theologia *Systematicè* considerata strictius capitur à Patribus, illam *Oeconomiæ* sive doctrinæ dè Incarnatione & connexo Redemptionis beneficio opponentibus; hic vero ad omnem de Deo & Divinis doctrinam revelatam extendi debet. Dividitur autem respectu *partium*, in *Exegeticam*, *Didacticam*, *Elencticam* vel *Polemicam*, *Casuisticam*, *Patristicam*, *Problematicam*, *Historicam &c.* quæ tamen aliæ sub aliis comprehendi possunt. Iterum respectu *modi* tractationis in *Positivam* & *Scholasticam*. Cujus divisionis simplicissimè videtur hic esse sensus; ut illa notet rerum divinarum declarationem, sive secundum Scripturæ Sacræ, integræ, vel partis ejus, filum, sive aliter pro re nata, institutam absque certâ & ad regulas Logices magis adstrictâ methodo: hæc verò eandem ad certa capita secundum regulas illas in Scholarum Christianarum potissimum usum redactam. Quam Scholasticam Theologiæ tradendæ rationem, nostræ industriæ à Spiritu merito relictam, à Patriarcharum Catechesi, Prophetarum Scholis, Symbolorum Exegesibus, Patrum celeberrimorum

Vel Systematice, varieque dividitur etiam in Positivam & Scholasticam Quæ posterior non est spernenda.

Enchiridiis, Eclogis, Anthologiis, Expoſitionibus, quin & aliquo modo à Pauli, ad Romanos potiſſimum ſcribentis, ac Elementaria Capita fidei coram Hebræis recenſentis, exemplo derivant rectè Theologi: imò ut utiliſſimam ad diſtinctam rerum Theologicarum cognitionem tum acquirendam tum docendam, quin & deficientibus extraordinariis donis ob intellectus memoriæque noſtræ imbecillitatem ſatis neceſſariam ad felicem progreſſum, defendunt contra *Anabaptiſtas*, *Fanaticos*, alioſque, ſimplicem Scripturæ Lectionem ac Explicationem nimis ſæpe inculcantes.

Nomen Theologiæ Scholaſticæ ſequiori ſenſu vulgo accipitur. Quæ ſint in hac laudanda & culpanda.

XXVI. In ſequiorem ſenſum abiit tamen Theologiæ *Scholaſticæ* & *Scholaſticorum* nomen. Notat enim familiariſſimè Doctrinam dè Religione, quæ in Pontificiorum Scholis inde à Seculo Duodecimo obtinuit: primamque formationem *Petro Lombardo*, Pariſienſi tum Epiſcopo, Magiſtro Sententiarum, IV. Libris ex *Auguſtino* & Patribus comprehenſatum; augmentum majus *Alberto Magno*, Ratisbonenſi Seculo XIII. Epiſcopo, Ariſtotelem & Philoſophiam cum Patribus jungenti; complementum ferè ætati *Durandi*, Epiſcopi Meldenſis Seculo XIV. curioſitate & impuritate majori introductâ, debet; in innumeras porrò *Thomiſtarum*, *Scotiſtarum*, *Realium*, *Nominalium &c.* ſectas diviſa. Ac uti hæc placet multis, α ab βραχυλογίαν, β philoſophemata quædam acuta, γ veritatumque quarundam luculenta teſtimonia: diſplicet tamen omnibus, ob α *principium* ſuum, quod Patres magis & Philoſophi Gentiles quam Apoſtoli & Prophetæ, ob β *argumentum*, quod philoſophicum ſæpe, curioſum, inutile, vel falſum, ob γ *modum* tradendi, per terminos barbaros ac obſcuras diſtinctiones, atque diſceptationes in utramque partem, ob ejus denique δ *finem* ac effectum, qui veræ ac Scripturariæ Theologiæ obtenebratio atque populi excæcatio fuit. Unde licet ſit etiam diſcenda illa Theologia, potiſſimum πρὸς ἔλεγχον, non tamen imitanda eſt, in philoſophematis iiſdem aut recentioribus miſcendis, ac in curioſis quæſtionibus atque terminis adducendis præter neceſſitatem, nimiumque, ſive doctrina, ſive praxi.

Theologiæ Definitio.

XXVII. Theologiæ Definitionem verè paronymicam, per quam *Sermo Theologi* dicitur, hujus declaratione per obſcuriores quaſdam phraſes iterum addita, nos Autoribus ſuis linquimus. Definimus illam potius; *Doctrinam, quæ veram Religonem ex Dei Re-*

Revelatione homini peccatori tradit, ad hominis salutem Deique gloriam. Ubi habemus *Genus*, *Differentiamque*, petitam à *Principio* unde hauritur, *Objecto* quod tractat, *Subjecto* quod instruitur, *Fine* denique subordinato & supremo.

XXVIII. Generis loco Theologiam *Doctrinam* dicimus, sub quo nomine passim venit, dicta διδαχὴ *Ioh.* VII. 16. 17. *Tit.* I. 9. & διδασκαλία I *Tim.* IV. 6. VI. 3. &c. & merito quidem, cum α à Deo doceatur, & β ab Ecclesia discatur. Est autem Doctrina *Practica* potius quam *Theoretica*, secundum naturam α *Religionis* quam tradit, quæ quidem Cognitionem includit, sed præcipue Cultum Dei dicit, ad quem omnis cognitio refertur quoque *Ioh.* XIII. 17. *Iac.* I. 22. I *Tim.* I. 5. VI. 3. *Tit.* I. 1. 2. *&c.* β Idem ex Fine glorificationis Dei & salutis nostræ Practico liquet. Malè à *Thomistis* opponuntur. 1. Loca, quibus Cognitionis legitur commendatio *Ioh.* XVII. 3. *Ies.* LIII. 11. *&c.* Cum α Cognitio omnino necessaria sit, & β ducat ad Praxin cum ea jungenda I *Ioh.* II. 4. & γ Practica sæpe intelligatur. 2. Deum Disciplinæ hujus Objectum non esse πρακτόν τι, gratis etiam dicitur; cum sit Objectum, qua colendus atque agnoscendus est, atque hi Actus ab homine fieri possint. 3. Præstantia Disciplinæ salva est, imo hoc ipso magis constat, quod non sit simpliciter Theoretica. 4. Neque obstat Methodus Synthetica, qua traditur; cum α illa arbitraria sit in disciplinis tradendis, β multique etiam Analyticam cum *Catechesi Palatina* adhibeant. Interim *Theoretico-Practicam* sive quis dicat Theologiam, sive *Practicam*, rem eodem redire putamus.

Theologia Doctrina est Practica magis quam Theoretica.

XXIX. Est Theologia Disciplina quoque, non simpliciter *Noëtica*, sed & *Dianoëtica*; multiplici discursu, α Principium suum ex insitis illi Notis demonstrans, atque β ex Veritatibus ibidem simplici lectione apprehensis alias eliciens, γ oppositosque Errores confutans. Quod cum absque Consequentiis fieri non possit, has, legitimæ si fuerint ac innatæ non illatæ, in Theologia licitas, utiles, necessarias, atque veritates sic eductas divinitus revelatas esse, asserimus. Nitimur hic 1. *Exemplo* Christi *Matt.* XXII. 31. 32. & Euangelistarum ac Apostolorum perpetuo I *Cor.* XV. 12. *&c.* 2. *Mandatis* Scrutationis, à simplici lectione distinctæ *Dan.* XII. 4. *Ioh.* V. 39. 3. *Redargutionibus* ob neglectum rei *Mat.* XXII. 29. *Luc.* XXIV. 25. 26. 4. Denique *Rationibus*, à Dei sapientia,

Etiam Dianoëtica, unde decens Consequentiarum usus asseritur, & ab objectionibus vindicatur.

tia, Scripturæ amplitudine, & necessariis nec aliter obtinendis usibus, hominis haud frustra concessa aut illuminata ratione, verborum vi, Principii denique à Scientiæ inde petitæ Conclusionibus distinctione perpetua, petitis. Opponunt se quidem post *Arianos*, *Pneumatomachos*, *Eutychianos*, *Monothelitas*, Scripturæ Literam desiderantes omnes, imperiti *Anabaptistæ*; prætextu proscriptæ dudum à Paulo Philosophiæ & Rationis omnis 2 *Cor*. x. 5. *Col*. 11. 8. 1 *Tim*. vi. 20. Cum hic tamen α agatur tantum de Ratione ac Philosophia corrupta & corrumpente, & β hoc ipso Sana Ratio potius commendetur. Mirum verò, his hominibus in hypothesi quoad nostras Consequentias se jungere, Consequentiis dum ipsi utuntur, uti quoque egerunt & agunt priores omnes in rem suam, tum *Lutheranos* in causa Consubstantiationis, tum *Pontificios* recentiores: hos quidem, prætextu hypothesium nostrarum de Scripturæ Perfectione, Perspicuitate, atque Sufficientia, quas præter mentem nostram detorquent, ac dein Defectuum variorum in nostris Consequentiis, potissimum Autoritatis Interpretandi, quam Petrum privatis abstulisse 2 *Petr*. 1. 20. perperam contendunt, cum ibi de interpretatione *propria* humana, seu ex Scripturis non petita, tantum agatur.

Defectus nostris Consequentiis gratis adscripti.

XXX. Reliqui Defectus omnes nulla cum specie nostris magis, quam propriis ipsorum Consequentiis, tribuuntur; uti v. g. Consequentias nusquam revelatas esse, non legi in Scriptura, niti Principio Rationis, ex quo cum altera Præmissarum semper repetatur, Conclusio partem Debiliorem sequens ratione nixa & fallibilis erit. Ad quæ notasse sufficit; revelatas esse in Scripturis Consequentias implicitè & materialiter spectatas, & in nobis per rationis illuminationem; legi in Scripturis eas eodem modo: necti quidem Instrumento Rationis veritates ex verbis educentis, non tamen niti hoc Principio; esseque porrò Rationem illuminatam, Scripturæ ductum sequentem, nectentemque Consequentias proximas in æternis veritatibus fundatas, qua talem, meritò Infallibilem; Debilitatem tandem à Logicis ad quantitatem & qualitatem Propositionum referri, & secundum Philosophos majorem tribuendam illi propositioni, quæ nititur autoritate, estque licet certissima tamen inevidens, quam quæ nititur ratione. Rationis porro contra Consequentias objicitur in rebus fidei Cæcitas; sed illi Spiritus medetur, ejus cum illuminatione pugnam quoque tollens. Populi,

puli, qui tandem opponitur, captus minor absque Logicæ Artificialis usu ad consequentias proximas facile pertingit. Nec tollit hic usum abusus.

XXXI. Carpunt Theologi hic merito distinctionem *Scotisticam* Pontificiorum inter Conclusiones *Theologicas* & *Fidei*, has *Expressas*, illas *Deductas* vocantium, hasque autoritati Ecclesiæ, illas industriæ Privatorum tribuentium, ut rixas suas elevent in capitibus pluribus & gravioribus. Quamquam enim aliæ Veritates præ aliis magis fundamentales sint, tamen omnes legitimè eductæ ex Scripturis sunt dè Fide; nec ad pondus rei multum facit, an ab Ecclesia an à Privatis proferantur, & an mediatè magis an minus ex Scriptura eliciantur.

Distinctio Pontificia Conclusionum Theologicarum & Fidei rejicitur.

XXXII. Doctrinæ hujus Theologicæ *Principium Essendi*, uti vocant, Deus est; *Cognoscendi* ejus Revelatio. Unde hinc excluditur omne *Verbum Humanum*, qua tale, & Scripturarum autoritate destitutum. Quo refer etiam Synodorum Decreta, Symbola, & omnes Formulas Symbolicas; quæ tamen ob Doctorum reverentiam, ordinis & doctrinæ Unitatem servandam, agnitamque ab Ecclesiæ membris earum cum Scriptura convenientiam, contemni non debent. Excluditur à Principio Theologiæ quoque omnis *Patrum* aut *Philosophorum* autoritas; ex qua & aliis multis argumenta tamen Probabilia ad Hominem ex superabundanti peti possunt. Excluditur præ reliquis *Ratio* Humana, quæ quidem cum Philosophia sobria usum præstat multiplicem; scilicet *Illativum* in nectendis consequentiis, de quo §. XXIX. & XXX. *Collativum* in locis variis, doctrinæ capitibus, editionibus diversis, phrasibus similibus aut dissimilibus &c. inter se conferendis; *Illustrativum*, in luce majori rebus sacris per modò nominatam & ulteriorem bonarum Literarum & Historiarum collationem adductâ; quin & *Principalem* magis, in adstructione ulteriori Dogmatum, quæ ob revelationem Dei credita etiam ex natura cognoscuntur, vel refutatione Errorum naturæ pariter & revelationi contrariorum, vel demonstratione Possibilitatis aut Probabilitatis summorum Mysteriorum. Qui usus omnis contra *Fanaticos*, *Anabaptistas*, & *Lutheranos* varios in negotio Eucharistico, ex exemplo Virorum θεοπνεύστων, ex praxi Doctorum omnis ævi, ex pretioso rationis dono haud frustra dato, ex utilitate allata, quin & ex judicio & scrutatione mandata, facile ad-

Principium Theologiæ non est ullum Verbum Humanum.

Neque Ratio, quæ tamen Usum multiplicem præstat. Nec Sensuum testimonium.

adstruitur. Est autem Rationis ejusdem abusus haud levis, quo *Pseud-Apostoli*, Patres complures Platonicæ, Scholastici Peripateticæ, Theologi multi recentiori Philosophiæ addicti, & maxime *Sociniani*, vel Philosophiam omnem μεταβάσει εἰς ἄλλο γένος in Theologiam introduxerunt, vel erroribus Philosophorum eam fœdarunt, vel dogmata ejus ad Rationis nutum & placitum exegerunt. Contra Fidei naturam, quæ Verbo Dei nititur, & Rationem corruptam, cæcam, Euangelio adversam, promptè captivat, de Dei veritate magis quam de hominis clarissimam perceptionem sibi imaginantis infallibilitate persuasa. Idem de *Sensuum* testimonio dicendum est, quod ut serviens ingenerandæ fidei, quæ ex auditu est, quin & ex visu ac tactu *Rom.* x. 17. *Matt.* XXVIII. 6. *Luc.* XXIV. 39. nec in Theologia nec in Philosophia, ut in errores per se inducens, traduci debet: manet tamen semper Instrumentum, non Principium aut Fundamentum, Theologiæ.

Sed Revelatio Dei, quæ varie olim facta est, & à Prophetis atque Ecclesia bene dignosci potuit.

XXXIII. Ad hoc enim requiritur absoluta *Infallibilitas*, & *Autoritas* independens, quæ in sola Dei revelatione conspiciuntur; hinc eam ab ævo imitato Satana. Revelationem hanc Deus mediatè toti Ecclesiæ, immediatè Prophetis & Apostolis concessit, tum in rebus ignotis patefaciendis, tum in notis declarandis & confirmandis. Facta autem Revelatio πολυτρόπως, tum ante tum post Mosen, vel per Angelorum intercedens ministerium *Dan.* IX. 21. *Luc.* I. 30. *Matt.* II. 13. *&c.* vel per Apparitionem Corporalem *Gen.* XVIII. 17. vel per Sonoram Vocem 1 *Sam.* III. 10. vel per Visionem Ecstaticam 1 *Reg.* XXII. 19. vel per Somnium *Gen.* XXVIII. 12. vel per internam Mentis illuminationem 2 *Sam.* XXIII. 2. 3. [1] *Matt.* X. 19. nè de Urim & Thummim nunc dicam [2]. Uti autem Prophetæ ipsi Divinitatem talis Revelationis cognoverunt, partim ex Signis externis, partim ex Luce internâ, qua Deus se ipsis patefecit; ita tum Argmentum Doctrinæ revelatæ, tum Signa addita, tum Prophetarum etiam qualitates, fidem revelationi conciliarunt in Ecclesia. Omni hoc Revelationis modo nunc ordinariò cessante, Scripturam prò unico Verbo divinitus Revelato nos habemus.

[1] *Vid. Exerc. Text.* VIII. *P.* VI. [2] *Exerc. Text.* XXII. *P.* II.

Objectum Theologiæ Religio.

XXXIV. *Objectum* porrò Theologiæ est *Religio*, sive cognitio & cultus Dei sub spe remunerationis, illaque Vera, non Falsa. Hinc

Hinc si quis loco Religionis Deum voluerit nominare, scilicet uti se hic in Scriptura revelavit, & noster per gratiam Christi fit, non obloquimur. Cognitio autem Dei & Cultus cognitionem rerum divinarum, operumque, naturalium etiam, prout & ista in Scripturis non immeritò traditur, & cognitionem nostri ipsius, qui maximum Dei Opus & maximorum operum Finis & Objectum sumus, includit ut illuc ducentem. Objectum hoc docet nomen, & Scripturæ argumentum omne.

XXXV. Destinata autem Theologia est *Homini* erudiendo, quem alii quoque & merito Objectum ejus Secundarium ob rationem modò datam appellant. Neque aliter hic Hominem consideramus, quam ut Lapsum, cui ut ex lapsu resurgat, doctrina hæc data est, velut tabula post naufragium *Psal.* XIX. 8.[1] 2 *Tim.* III. 17. Quare Theologiam in Inscriptione diximus *Christianam*, quæ alias *Euangelica*; opposite ad *Legalem*, quam Adamo integro, vel etiam ob externam Oeconomiam Legalem Patribus V. T. tribuunt, quæque utraque in progressu suo loco exponenda erit. Subjectum Homo Lapsus.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XX. *P.* V.

XXXVI. *Finis* tandem, ad quem Theologia ducit, est Dei Gloria, quam sibi in omnibus quidem operibus, sed maxime in redemptione ejusque doctrina proposuit ipse *Prov.* XVI. 4. 1 *Pet.* II. 9. *Eph.* III. 10. *&c.* Dei gloriam perfectissimè sane declarante, per potentiæ, sapientiæ, libertatis, justitiæ, misericordiæ, constantiæ, aliarumque virtutum, demonstrationem. Quæ cum actualiter maxima sit in Glorificatione Electorum, maximeque tum demum agnoscatur, Deo tum glorioso futuro in sanctis & mirabili in credentibus 2 *Thess.* I. 10. hinc ad Salutem Electorum tendit quoque tota doctrina nostra *Joh.* VI. 68. XX. 31. *Rom.* I. 17. 2 *Tim.* III. 15. *Tit.* I. 2. *&c.* A *Principio* inchoantes, *Objecto* & *Subjecto* pertractato, in hoc *Fine* finem quoque Compendii hujus faciemus. Finis Theologiæ, gloria Dei. & salus hominis.

CAPUT SECUNDUM

De Principio Theologiæ, sive Sacra Scriptura.

Scripturæ Sacræ Etymologia, Synonymia, & Homonymia.

SCRIPTURA SACRA à *Scriptione*, & *Sanctitate*, tum α *Objecti*, & β *Finis*, quæ aliis ſcriptis communis apud Patres nomen hoc etiam communius quandoque fecit, tum potiſſimum γ *Originis*, & δ *Uſus* ſui, ſic dicitur. In Scriptura ipſa legimus voces γραφῆς, γραφῶν, & cum Epithetis, γραφῶν προφητικῶν, ἁγιῶν, γραμμάτων ἱερῶν, *Joh.* II. 22. 2 *Tim.* III. 16. *Ioh.* V. 39. *Rom.* XVI. 26. I. 2. 2 *Tim.* III. 15. *&c.* ne de appellationibus metonymicis nunc dicam, *Moſis*, *Moſis & Prophetarum*, *Prophetarum & Apoſtolorum &c.* Apud Hebræos dicitur, *Lex*, *Verbum*, *Teſtimonium Domini*, כתב / קרא / רשום / מקרשיה / ספרי הקדש / & מקרא / cujus poſtremæ vocis, ad actum legendi à multis relatæ, ſenſus *Neh.* VIII. 9. dubius eſt. Vulgaris appellatio eſt *Bibliorum*, quæ ob præſtantiam præ aliis *Libris* Scripturarum ſyntagmati data eſt. Nec fere opus, ut hic moneamus, ſumi Scripturam Sacram; α modò latius, ut ſupra, modò ſtrictius; β modò de ſcriptionis actu, modò de verbo ſcripto; γ modò prò parte hujus aliqua, modò prò toto ejus ſyntagmate.

Scripturæ Definitio.

II. Definimus Scripturam; *Verbum Dei*, *per Viros θεοπνεύςυς in Canonicis Vet. & N. Teſt. Libris Conſcriptum*, *& doctrinam veræ Religionis continens*, *ut hujus Norma perfecta & perpetua in Eccleſia eſſet*, *hominesque electi ſic ad veram ſalutem ac Dei gloriam ducerentur.*

Eſt Verbum Dei. Primo ſcriptum per Moſen.

III. *Verbum Dei* Generis vicem hic ſupplet; non quod alia pars Scripta, alia Non Scripta ſit, aut quod hodie poſt completum Canonem Verbum aliquod vigeat in Eccleſia Divinum Non Scriptum, uti viguit adhuc ſub V. T. in Prophetis: ſed quod idem Verbum, poſt tempora Moſis Scriptum, antea fuerit ἄγραφον. Licet enim Scriptionis uſum vulgarem temporibus ipſius Sethi & Adami lubenter tribuamus, atque illi etiam eam ad res ſacras ſuo arbitrio applicare potuerint, non tamen Verbum Dei ἔγγραφον ante Moſen reperimus ullum; *prophetante* quidem, non tamen ſcribente, *Enocho*, ac vaticinium per Traditionem aut publicas Tabulas ad poſteros propagatum conſignante ſerius *Juda vers.* 14. 15. Nec repugnarent, ſi vel veræ eſſent, fabellæ *Joſephi*, de Columnis Sethi, *Judæorum* quorundam, de *Libro Jezira* ab Abraha-

mo profecto, aut etiam *Sethianorum* aliorumque, de hujus Patriarchæ aliis Scriptis. Conservavit verò isthac ætate facilè Deus Verbum suum, per majorum Traditionem Oralem *Gen.* XVIII. 19. absque Scriptione; α dum Longævitas major obtinebat, β fidelium Numerus erat minor, pluribus ante & post diluvium à Deo deficientibus, γ Apparitiones Dei multiplicabantur, δ nec creverat usque adeo Satanæ in fingendis oraculis Astutia.

Ob rationes varias, & ex Dei mandato. Quod frustra negant Papistæ, qui cum aliis omnem etiam Necessitatem Scripturæ male tollunt.

IV. Tempore Mosis, & postea, imminutis vitæ annis, populum constituente semine Abrahami numerosum, apparitionibus magis restrictis, & crescente Cacodæmonis in Angelum lucis se transformantis πανουργίᾳ, Verbum suum consignari in bonum suorum voluit Deus. Dedit itaque. 1 *Mandatum scribendi* suis Amanuensibus, vel *Explicitum Exod.* XVII. 14.[1] XXXIV. 27. *Deut.* XXXI. 19.[2] *Jes.* VIII. 1. XXX. 8. *Jer.* XXX. 2. XXXVI. 2. *Ezech.* XLIII. 11. *Dan.* XII. 4. *Hab.* II. 2.[3] *Apoc.* I. 19.[4] *&c.* vel *Implicitum Jes.* VI. 9. *Matt.* XXVIII. 19. *&c.* quod tamen ad scribendum absque speciali magis determinatione non obligabat; omnibusque præterea Jussum, tum *Internum*, per impulsum Spiritus, tum *Externum*, per objectas Occasiones scribendi necessarias *Jud. vers.* 3. 1 *Cor.* I. 11. *Gal.* I. 6. *&c.* 2. *Mandatum legendi* populo suo, ad Lydium hunc lapidem inquisituro verborum omnium aliorum valorem *Deut.* XXXI. 11.[5] *Jes.* VIII. 20.[6] *Joh.* V. 39. Unde liquet *Pontificiorum* blasphemia; α cum mandata scribendi stultè restringentes, in reliquis Autoribus & Capitibus *Fortuitam Scriptionem* β ex observatis aptis *Occasionibus* stolidissimè eliciunt, & γ voluntariam *Lucæ* v. g. *Cap.* I. 3. sententiam Mandato Divino, quod forte *Lucas* ipse per vocem ἄνωθεν significavit, opponunt, & tandem δ aliam Scholasticam magis Methodum supposito hoc mandato sapientissimo Deo, qui aliquid nostræ voluit relinquere industriæ, præscribunt. Liquet præterea contra *Enthusiastas* & *Pontificios*, ridentes Theologiam *nigram* & *atramentariam*, *Necessitas*; non Divini *Verbi*, quæ semper obtinuit à lapsu, sed *Scripturæ*; non *Absoluta*, sed ex hypothesi Divinæ voluntatis fluens; non *Perpetua*, sed post Mosen, mutatâ magnopere rerum facie, & potissimum sub Novo T. ad Verbi Conservationem potentiorem, Propagationem latiorem, Uniformitatem denique & Puritatem majorem. Eò hic insaniæ prorumpunt *Pontificii* quidam, ut Utilitatem Scripturarum, à Paulo luculenter assertam 2 *Tim.* III.

 15.

15. 16. 17. cum ejus Necessitate evertant, commodius & consultius Ecclesiæ futurum fuisse judicantes, si nulla exstitisset unquam Scriptura. Nixi exemplo; tum α Ecclesiæ ante Mosen, cujus ex antea dictis multiplex alia fuit ratio; tum β Ætatis Apostolicæ ante Scriptum Euangelium, quando utique exstitit Scriptura V. T. tum γ singularium Fidelium, quibus si non lectu saltem auditu absolutè illa est hodiè necessaria; tum δ Gentium Barbararum apud *Irenæum*, quibus initio quidem mera prædicatione sed tamen ex Scripturis Euangelium fuit patefactum; tum & denique ε Traditionum supra Scripturas laudibus vanissimis, quas nemo sobrius admiserit.

[1] *Vid. Exerc. Text.* V. P. IV. [2] *Comment. in Pentat.* [3] *Comment. in h. l.* [4] *Comm. in loc.* [5] *Comment. in loc.* [6] *Exerc. Text.* XXIII. P. III.

Est Scriptura porro Divina Inspiratione scripta. Absque discrimine Personarum scribentium. Aut rerum scriptarum. Ut nequeant excipi Historiæ, vel harum antiquissima Genesis. Nec sint res hic leviores eximendæ cum Socinianis &c. Quin & inspirata Verba omnia.

V. Non modò respectu α *Mandati*, sed & β *Exempli Exod.* XXXI. 18. *Deut.* IX. 10. ac γ mirabilis *Conservationis*, in Babyloniorum, Syrorum, Romanorumque media vi, ac δ potissimum *Inspirationis* infallibilis ratione, Scriptura *Verbum Dei* audit 2. *Tim* III. 16. 2. *Pet.* I. 20. 21. Quæ Inspiratio referri debet. 1. Ad *Omnes Personas*, origine sapientia humana ac munere magis aut minus excellentes; α tum quæ scripserunt, tum β quæ ut per Spiritum actæ introducuntur, v. g. Zachariam, Mariam, Simeonem, Stephanum &c. Quibus tamen non annumerandus *Jobus*, ejusve *Amici*; α hi quidem à Deo ob sermones redarguti *Job.* XLII. 7. 8. cum β nihil legatur dè divina horum inspiratione, quæ α etiam nec ex citatione Paulina 1 *Cor.* III. 19. Poëticis Gentilium Scriptis communi, β nec ex Metrico & longiori illorum Sermone, à Spiritu Sancto per Prophetam aliquem postea exposito, colligi potest. 2. Ad *Res Omnes*, sive *Dogmaticas* sive *Historicas*, Scriptorum tempore vel antea gestas, cognitas quidem sæpè absque Spiritus impulsu, uti non immeritò *Grotius* ex Memoriæ vi & Testibus αὐτόπταις *Lucæ* colligit, non tamen absque illo, ut perperam contendit idem, credendas Fide Divina. Inter has Historias autem Inspiratas primo loco numeranda est Mosaica *Genesis*; cum α *Num.* XII. 7. 8. *Deut.* XXXIV. 10. hic ut Prophetarum maximus & fidelissimus proponatur; β ipsius narratio de prima Creatione à Deo debuerit esse patefacta; γ ab hac Historia pendeat fides omnis Creationis, Integritatis, Lapsus, Re-

Restitutionis; δ Revelatio Mosi neutiquam in solo monte facta sit; ε suspendi non debeat eadem ab explicita ejus in singulis Scripturæ partibus Narratione, aut Temporis perspecto momento; ϛ ac denique subsidia Patrum Historica, quæ ipsum quædam habuisse conjici tantum potest, Revelationem hic non magis quam in plurimis aliis Libris Sacris tollant [1]. Nullum hic discrimen quoque inter *Res Bonas* & *Malas*; cum narratio utrobique infallibilem *Authentiam Historiæ*, non tamen res mala authentiam *Normæ*, habeat; & in obscœnis narrandis phrases congruas prudenter abhibuerit Spiritus. Nullum discrimen tandem inter res *Graviores* & *Leviores*; quas dum infallibili Revelationi subtrahunt *Sociniani* & *Remonstrantes*, α obloquuntur generalibus dictis 2 *Tim.* III. 16. 2 *Pet.* I. 21. *Psal.* XII. 7. *&c.* β pondus comprehensorum in Scriptura temerè elevant, atque ab hominum vario arbitrio suspendunt, γ quin & in incredulitatem facilem circa reliqua omnia Christianos manifestè inducunt. Nec torqueri huc debet Pauli dictum 1 *Cor.* VII. 12. 25. ubi Sententiam Suam Mandato Domini Externo & Explicito, non Revelationi internæ assertæ etiam *vers* 40. opponit: aut negligi in δυσνοήτοις tractandis recepta hactenus regula, nos potius quam Scripturam accusandi, vias omnes veritatis demonstrativè aut probabiliter asserendæ quærendi, erratumque si aliquod forte est Librariis potius quam Scriptoribus tribuendi. 3. Ad res non tantum, sed & *Verba Omnia* 2 *Sam.* XXIII. 2.[2] *Mat.* X. 19. Quæ hinc rebus convenientia, Deoque semper digna, debent statui; non obstante Stylo & Phrasi diversa diversorum Scriptorum, quam mutare Deum per Spiritum, magis quam Sonum loquentium, opus non erat. Nec admittendum quoque ullum in Verbis erratum, quod agnoverit Paulus *Act.* XXIII. 5. ἐκ ᾔδειν ὅτι ἐςὶν ἀρχιερεύς; cum locutio illa non ad literam videatur intelligenda, sed salsam morum haud convenientium exprobrationem contineat, ex quibus ille Pontificem dignoscere non potuerat.

[1] *Vid. Exerc. Text.* I. P. VI. [2] *Exerc. Text.* VIII. P. VI.

VI. *Divinitas* hæc Scripturæ, & connexa *Autoritas in Se*, uti secundum saniores etiam *Pontificios*, non à Canonizatione Ecclesiæ, cujus circa Libros Pios non inspiratos instituendæ jus asseruit *Stapletonus* cum aliis, sed ab Inspiratione sola infallibili fluit; ita quoque Divinitatis hujus Fides, ac hinc fluens ejus *Autoritas quoad Nos*, pendet, α à Spiritu ut Magistro, β ab insitis Divi-

Divinitas Scripturarum agnoscitur, per illuminationem Spiritus, ex variis Divinitatis Criterijs,

Quæ distinctè recensentur. Ecclesia ministerialiter concurrente, ita ut propter ejus Testimonium solum aut præcipue Scripturis non credamus.

nitatis Notis ut Fundamento, γ ab Ecclesia, servante, annunciante, interpretante, defendente, ut Instrumento ordinario, in quam adeò, Ministerialiter se tantum habentem, fides nostra refundi non potest; quod exemplo mulieris Samaritanæ & Campanarum vulgò illustrari solet. 1. *Spiritum* illuminatione sua ut *Magistrum* hic debere considerari, liquet; α ex Hominis naturali Cæcitate, β & opere Illuminationis, ac Fidei, tum omnis, tum in specie quæ Scripturis habetur, ipsi tributo *Psal.* CXIX. 18. *Job.* XVI. 13. 2 *Cor.* IV. 13. 1 *Joh.* V. 6. *&c.* Quem ad modum cum se habeat Spiritus, concidit cavilla Pontificiorum de *Circulo* à nobis commisso. 2. *Criteria* insita Divinitatis *Fundamentum* esse Fidei, liquet ex α ratione Principii unici & ultimi, hinc aliunde non demonstrandi, quod Scriptura habet 2 *Pet.* I. 19. *Jes.* VIII. 20[1] *Luc.* XVI. 29. &c. Unde β ipsa consideratur tanquam *Fundamentum* Ecclesiæ quo nititur *Eph.* II. 20.[2] minus apte hic Fundamentum à Prophetis prædicatum, i. e. Christum, qui mox distinctè nominatur, intelligentibus aliis, contra *Apoc.* XXI. 14.[3] Accedit γ fidei nostræ immobilis Firmitas, quæ Verbo Dei, solum Infallibili, solum niti potest. Et tandem δ Autores alii si ex Scriptis suis optimè dignoscuntur, idem de Spiritu in Scripturis loquente magis dicendum est; ob sufficientiam qua sua distinguere potest, & commendationem verbi ejus, ut vivi, lucidi, efficacis 1 *Pet.* I. 23. 2 *Pet.* I. 19. *Jer.* XXIII. 29. *&c.* Sunt verò Criteria hæc, α in *Scribentibus*, sanctitas, ingenuitas, πληροφορία, animi fortitudo, status externi diversitas, quorundam naturalis ruditas, aliorum sublimis sapientia, &c. β in *Doctrina*, sublimitas, sanctitas, veritas, in ratiociniis ex Scriptura ipsa, in gestis rebus ex αὐτοψίᾳ ac testibus exoticis, in credendis & faciendis ex convenientia manifesta cum hominis statu & Dei gloria, in vaticiniis ex eventu constans; γ in *Modo Tradendi*, styli sancta simplicitas simul & majestas, & non obstantibus ἐναντιοφανίαις quibusdam mirabilis Harmonia, in tam multis, tam diverso tempore, tam diversa methodo, de rebus tam abditis, scribentibus; δ in *Effectis*, efficacia in hominis animum, mundique conversio absque vi ulla, imo contra vim omnem Satanæ; ε in *Adjunctis*, miracula quibus olim confirmata Scriptura, antiquitas humanis omnibus scriptis major, conservatio mirabilis &c. Quæ omnia Criteria ad Atheorum obturationem, & accedente Spiritus lumine ad fidem ingene-

nerandam, sufficiunt. 3. Tandem *Ecclesiæ* Testimonium *Ministeriale* hic tantum esse, patet; α cum Christus ab homine nullo, ne quidem Johanne ipso, aliud testimonium accipiat, Patris illud, Operum suorum, & Scripturæ S. urgens *Joh.* v. 34. 36. 37. 39. β Ecclesia à Scriptura robur suum habeat *Eph.* II. 20.[4] nullo hic committendo Circulo; γ sit ipsa fallibilis, careat vi ingenerandæ fidei, & autoritate omni apud infideles destituatur, & variarit olim circa quosdam Scripturæ libros; δ nunquam etiam Lex à Subditis autoritatem accipiat. Ne ε absurda nunc addam alias consecutura, Traditionis supra Scripturam extollendæ, absque hac Sufficientis futuræ, in omnibus reliquis pariter Accipiendæ, & Scripturæ absque Ecclesiæ Autoritate merito rejiciendæ, ante ejus determinationem dubiæ, parum præstituræ *Alcorano*, imo depressæ infra *Ciceronis* aliorumque scripta, quæ illorum ob solum hominum aliorum testimonium non creduntur.

[1] *Exerc. Text.* XXIII. P. III. [2] *Exerc. Text.* XLIII. P. III. [3] *Comment. in loc.* [4] *Exerc. Text.* XLIII. P. III.

VII. In alia omnia eunt *Pontificii*, Ecclesiæ, sive Veteris sive Hodiernæ, de quo litigant, Testimonium de Scripturarum Divinitate statuentes, vel unicum Fundamentum Autoritatis illarum, vel saltem Principale fidei Argumentum; uti durius Reformationis seculo quam hoc nostro locuti sunt. Unde fluxerunt bellæ illæ comparationes Scripturæ cum *Livio*, *Fabulis Æsopi*, *Alcorano &c.* absque Ecclesiæ Testimonio; omnes cum ipsa thesi directæ ad deprimendam Scripturam, & Autoritatem Ecclesiæ augendam. 1. Perperam contra *Spiritus Illuminationem* urgent; α Circulum hic committi, cum Spiritus nobis non Argumentum sed Autor fidei sit; β illum ad aliorum Convictionem non sufficere, quod, nisi illis quoque contingat, nos non asserimus; γ illum Enthusiastis esse relinquendum, cum de Spiritu omnibus Christianis concesso ut Magistro & Doctore gloriandum nobis sit, multumque ab illo differat Spiritus Enthusiasticus, tanquam singulis peculiaris, Scripturas spernens, atque in errores & impietates ducens. 2. Haud melius contra insitas *Notas* disputant; α eas hominem non posse convincere, quod multo minus potest nuda Ecclesiæ vox, & possunt illæ efficaciter, ubi accedit Spiritus illuminatio; β autoritatem neminem, adeoque nec Scripturam, sibi ipsi posse dare, cum partes v. g. N. T. id præstare possint aliis

Pontificiorum sententia opposita. Eorumque Objectiones contra Spiritus institutionem. Contra Notas insitas; Tandem pro Testimonio Ecclesiæ.

aliis V.T. & Testimonium non verbale sed Reale, quale hic urgemus, respectu sui ipsius semper sit solidissimum; γ Notas non arguere Scriptores, cum arguant Scriptorem Principalem, quod hic sufficit, & sæpe etiam ejus Ministrum. 3. Tandem pro Ecclesiæ Testimonio gratis pugnant; α ex ejus majori Antiquitate, quæ tantum de Scriptione & Ecclesia Antiqua concedenda, nec Autoritatem majorem infert, exemplo Israëlitarum & Legis Divinæ, Johannis & Christi &c. β ex dicto Paulino 1 *Tim*. III. 15.[1] cum στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας melius ad subjectam *vers*. 16. Euangelii Summam quam ad Ecclesiam referatur, & elogium illud ad Ecclesiam relatum vel intelligi possit de Firmitate, quam à veritate accipit, vel de Notificatione veritatis, quæ in Ecclesia tanquam Politica Columna cui affiguntur edicta legi potest, vel de Officio Ecclesiæ, veritatem scilicet, tum derivatam ex Scripturis tum etiam ipsarum Scripturarum, contra Hæreticorum & Infidelium insultus omni nisu muniendi; γ ex *Augustini* exemplo, qui *non crederet Euangelio*, *nisi* ipsum *Ecclesiæ Catholicæ autoritas moveret*, (legunt alii *moneret*,) cum *Augustini* exemplum nobis legem non figat, de sensu dicti inter se magnoperè pugnent Papistæ, atque illud commodissimè exponatur in plus quam perfecto de tempore conversionis, & dè Autoritate non præcipiente sed Objectiva Ecclesiæ totius, Scripturis credentis, quem effectum Conversionis mundi nos inter Notas Divinitatis ante retulimus quoque respectu fundamenti sui, & ut Primarium fidei Motivum considerari patimur.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XLIV. P. II.

Verbum Dei Authenticum est in Textu V. T. Hebræo, & N. T. Græco. Dum Euangelium Matthæi & Epistolam ad Hebræos, esse exarata primum Hebraice frustra traditur.

VIII. Cæterum Divinitas hæc & Autoritas, uti *quoad Res* est in omni Scripturæ Editione, ita *quoad Verba*, & aliunde *Independens*, tantum in Textu Hebræo Vet. & Græco Novi Test. reperitur; qui hinc *Authenticus* vulgò dicitur, & ad quem in sensu Spiritus indagando dubiisque occurrentibus semper recurrendum est. Hic α enim textus Antiquissimus est; β dein Originalis & ἀρχέτυπος; γ tandem solus à Deo per Spiritum infallibilem Inspiratus. Qui sub V.T. linguam *Hebræam* adhibuit ob populum Hebræum linguæ ejus peritum, cui verbum suum soli patefaciebat *Rom*. III. 2. *Psal*. CXLVII. 19. 20. ob eandem rationem in Hezra & Daniele circa tempus Captivitatis adhibitâ *Chaldaicâ* Dialecto; ac sub N. T. *Græcam*, utpote per Græcorum Imperium ac celebre

bre inter eos Sapientiæ studium hinc diffundendum tum maxime familiarem, quin & in ipsa urbe Roma in deliciis habitam. Interea Philologis inquisitionem relinquimus, in Punctorum Vocalium & Accentualium α Antiquitatem, Literis coævam an minus [2], in eorum β Originem Divinam ab Hezra aliisve an Humanam à Masorethis recentioribus [2], in eorum γ Autoritatem Infallibilem an fallibilem [2], uti & in δ Literarum ante Captivitatem Figuram, an Samariticam an Hodiernam Quadratam [3]; quorum omnium determinatio & demonstratio solida difficilior est. Rejicimus autem opiniones, de *Euangelio Matthæi & Epistola ad Hebræos* juxta *Primam Petri* Hebraice, *Euangelio* item *Marci & Epistola ad Romanos* Latinè, primum scriptis; utpote α incerta Traditione vel mera Conjectura nixas, & β adversas tum Hebræarum vocum interpretationibus Græcis apud *Matthæum* & *Paulum*, γ tum Providentiæ Dei & Ecclesiæ quæ ab interitu vindicasset originales hos textus, nec *Hieronymi* olim aut *Epiphanii* ætate nec hodie vere superstites, δ tum denique rationi manifestæ, quæ Scripta hæc docet exarata in usum Gentium omnium, Judæis etiam Palæstinis tum familiari satis factâ linguâ Græcâ.

[2] *Exerc. Text.* XXVIII. P. V. [3] *Exerc. Text.* XXVII. P. V.

IX. Non obstante sententiæ nostræ consonâ determinatione *Juris Canonici*, & Virorum inter *Pontificios* doctissimorum, ipsi tamen vulgò se opponunt, contra Authentiam Textuum horum, non antiquam, sed hodiernam; gratis causantes. 1. *Ignorantiam* harum Linguarum; α tum apud *Doctores*, quæ utique summopere indecens, nec fovenda, nec tanta nunc quanta olim, nec Authenticum aliorum Scriptorum textum mutat, nec in lingua Latina sæpe est exigua; β tum apud *Idiotas*, qui utique linguam *Latinam non* magis intelligunt, & fideli semper versione ut fidei instrumento non fundamento sunt juvandi; γ utramque, fidem nostram suspendentem à *Rabbinorum* incredulorum traditione, cum aliud sit simplex Vocum interpretatio, quam cur minus quam Scripturas ipsas à Judæis primum habeamus, aliud Sensus expositio, possitque dè illa adhuc ex Contextu & Parallelis satis judicari, quin & magis fundamentaliter hoc tempore Christiani quam Judæi Linguam Hebræam cognoscant. 2. Fontes hos *fontes esse contentionum*, ob α *Punctorum*, β *Lectionum*, γ *Interpretationumque*, varietatem; cum idem magna ex parte de textu Latino

Objectiones Pontificiorum præcipuæ solvuntur. Et qualis Fontium Corruptio concedenda & neganda sit, determinatur.

 dici

dici possit, fidem & industriam nostram meritò exercere voluerit Deus, collationes pacificæ utiles sint ad scientiæ augmentum, quin & contentiones ex Originalibus sæpius sopiantur 3. *Autographa* dudum esse *Deperdita*; cum Apographa in eadem lingua proximè ad Autographa accedant, nostra quoad Vet. T. à Salvatore & Apostolis, & quoad Novum Test. ab Ecclesia Antiqua sint authentizata, quin & Versiones omnes ex Apographis verius quam Autographis fluxerint. 4. *Corruptos* nunc esse *Fontes*, sive de industria à *Judæis* & *Hæreticis*, sive fortuitò, de quo ipsi disputant; tum α *Mutilatione* integrarum Periodorum & Historiarum *Exod.* II. 23. *Rom.* III. 10.... 18. &c. tum β *Mutatione* vocum quarundam *Psal.* XIX. 5.[1] XXII. 17.[2] *Jes.* IX. 6.[3] *&c.* Quam Corruptionem amplius probant ex Patribus Judæos accusantibus, & ex Scriptura ipsa idem agente *Jer.* VIII. 8. XXIII. 36. Verum Corruptionem licet concedamus, α Fortuitam, β quorundam Exemplarium, unde Variantes Lectiones, & Judæorum orta distinctio inter *Keri* & *Cetibh*, γ Puncti aut Literæ unius & alterius, δ tandem & ex Parallelis emendabilem: negamus tamen dè industria factam à Judæis, universalem, integri contextus, frequentem, atque irreparabilem. Nitimurque hic; α Dei Providentiâ; β Judæorum pro lege Zelo, in opera *Masorethica*, verâ Legis Sepe, satis demonstrato, & à Paulo agnito *Rom.* III. 2. γ Exemplarium ubique distractorum Multitudine; δ salvis præcipuis de Christo Vaticiniis, pariter in Textu & Paraphrasibus; ε nulla Christi aut Apostolorum Censura in Judæos hac in parte stricta; ϛ Scripturarum Veterum factâ ab iis commendatione; ζ denique probationum adductarum nullitate, uti ex illarum attenta consideratione, nostræque thesios collatione, liquere potest. Tandem concessa Corruptione textus Originalis, aliarum Editionum Integritas major gratis & falso supponitur.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XX. P. V. [2] *Exerc. Text.* XVI. P. II. *&* *Anal. Exeg. Jes.* LIII. §. LVI. LIX. [3] *Exerc. Text.* XIV. P. VI.

Frustra Authentia absoluta Vulgatæ Latinæ editioni à Papistis tribuitur.

X. Gloria saltem Authentiæ absque ulla specie *Vulgatæ* Latinæ Interpretationi tribuitur à *Tridentinis*, & quidem talis, *ut nemo eam rejicere quovis prætextu audeat vel præsumat.* Quem Canonem licet doctiores *Pontificii* mitigare voluerint, eum exponentes in oppositione non ad fontes, sed ad alias Versiones, absolute

te intelligendum esse ex verbis liquet, atque intellexerunt quoque *Pontificii* plures, Hebræos & Græcos Codices ex *Vulgato* corrigendos esse docentes, atque ineptas Similitudines ad id adducentes, illam v. g. Latronum Duorum cum Christo medio. Opponimus nos præter generalia §. VIII. adducta. 1. Versionis hujus Originem Incertam; consentientibus *Pontificiis* plurimis, illam non à temporibus *Tertulliani*, aut ab ipso *Hieronymo* totam, sed ex variis mixtam, à temporibus *Gregorii* tantum repetendam esse. 2. Nunquam eam prò Authentica habitam, ne quidem post *Tridentinum Conciliabulum*; uti docent, præter privatas Glossas, Sixtus V. & Clemens VIII. centenis aliquot ejus mutationibus. 3. Barbarismos & Solœcismos, in verbis, *pessimandi*, *implanandi*, *alleviandi &c.* ac syntaxi, *tradendi in manibus hostium*, *Regum dominantium eorum*, *faciendi per ter &c.* Quos *Sixtus* ipse diffiteri non potuit. 4. Menda innumera, Elliptica, Pleonastica, fontibus Obloquentia &c. in Chronographicis, Topographicis, Historicis, & quod pessimum est, Dogmaticis ipsis, uti *Gen.* III. 15. [4] *Luc.* II. 14. [5] *Hebr.* XIII. 16. *&c.* secundum maxime obium vocum sensum. Vanissime vero objicitur. 1. Longior Ecclesiæ Usus; qui utique cum illo Originalis Textus conferri non potest, & longe magis obtinet in Syriaca Versione, & veritati præjudicare nequit. 2. Felix Hæresium per Versionem eam Confutatio; quæ ex Versionibus corruptissimis, aliquid adhuc ex Originali habentibus, fieri potest, & sæpe à Scholasticis infelicissimè instituta fuit. 3. Latinæ Ecclesiæ Dignitas, Textum Authenticum in isthac lingua exigens; cum gloria creditorum olim Dei Eloquiorum Judæis sit relinquenda, & sufficiat Gentibus gratia Euangelii in linguis harum variis annunciata, cum concessis Fontibus Antiquis, ad quos industria propria se recipere possint. Nec Latinus, sed Italicus modò textus, ob Usum Romanum hodiernum Authenticus sic esse deberet.

Quomodo solvuntur objectiones pro ea.

[4] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* V. [5] *Exerc. Text.* XXXIII. P. IV.

XI. Haud aliter judicandum est; tum dè *Samaritano Pentateucho*, qui ex Gentis illius corruptissimæ pessimo statu facile æstimatur; tum dè *Versione Græca V. T.* LXX *virali* vulgo dictâ, & qualis hodiè ex Editione potissimum Quadruplici exstat, & qualis olim primò adornata est; ut prò hac tanquam infallibili, in præjudicium textus Hebræi & favorem Latini, perperam dispu-

Nec Pentateucho Samaritano, nec Versioni LXX virali tribui debet Authentia. Cujus Origo fabulosa &

vera exponitur. Uti & existimatio apud Judæos & Christianos. Uti eâ Apostoli quomodo, & cur.

putent *Pontificii* plures, illamque Textui Hebræo Hodierno præferendam esse, indoctè urgeant & Viri quidam alii Eruditi. 1. Quamquam enim Versio hæc sit omnium Antiquissima, non uno seculo ante Christum nata; non est tamen α *Divina*. cum Prophetia Malachiæ tempore exspiraverit; sed β *Humana*, etiam si Veterum narrationem sequamur, respectu *Principii*, suasionis sc. Demetrii & curiositatis Regis, respectu *Electionis Interpretum*, ab Eleazaro factæ, respectu *Subsidiorum* ἐμπειρίας τοῦ νόμου peritiæque in utraque lingua, respectu denique *Loci* solitarii hic quæsiti; quin & γ *Incerta*, ratione *Temporis* quo adornata, an sub Ptolomæo Lagi an sub Philadelpho, ratione primæ *Extensionis*, ad Scripturam omnem vel solam Legem, ratione *Interpretum* LXXII. ad Ptolomæum pari numero ex singulis tribubus missorum, cum omnibus Circumstantiis. Quæ ex *Pseudo-Aristeæ* narratione unica primum petita, fabulisque manifestis & sibi invicem contrariis à *Justino*, *Irenæo*, aliisque, uti est illa de Distinctis Cellulis, adaucta, non admittunt passim Eruditi, pluribus argumentis ex temporum historia moti. Credunt verò, *Judæos Hellenistas* in suum usum inde à Ptolomæi temporibus, successive Versionem hanc adornasse, atque ne vilesceret fabulas has commentos esse, ex Hebræi sermonis ignorantia avidè nimis à *Patribus* arreptas. 2. Quamquam ex hoc fundamento sit magnopere ab Hellenistis & Christianis Veteribus commendata; non tamen à *Judæis* promiscue prò Authentica agnita fuit, ejus adornationem cum μοσχοποιΐᾳ in *Talmude* conferentibus, Loca Mutata querentibus, & solenne Jejunium indicentibus; neque à *Christianis*, docente id satis *Origene* & *Hieronymo*. 3. Quamquam omnium manibus suo tempore tritam Græcè scribentes usurpaverint sæpe Apostoli; non α tamen perpetuo, uti liquet ex contrariis exemplis *Matt*. II. 15. IV. 15. 16. VIII. 17. XII. 18. &c. id egerunt; neque β ut Authentiam conciliarent illi, sed ut in sensu eodem ac re magis quam verbis adducta, aut verbis ad scopum non facientibus, se ad communem linguam & usum accommodarent. 4. Constant Errores copiosissimi hujus Versionis, in sensus minus commodâ expressione, additione, detractione, mutatione, per literarum malam lectionem, punctationem, vocumque tum significationem, tum constructionem inversam, &c.

XII.

XII. Porro in ſcribendo Verbo ſuo Deus *Amanuenſibus*, ſive ſcribentibus, ſive dictantibus, *Jer.* XXXVI. 4. *Rom.* XVI. 22. uſus eſt, ratione Donorum naturalium, & Status tum Communis tum Eccleſiaſtici, diverſis, ratione vero Infallibilis Inſpirationis æqualibus. *Prophetas* vulgò & *Apoſtolos* ex Paulo *Eph.* II. 20.[1] dicunt; à potiori appellatione ſumpta; vel *Apoſtoli* voce latius extenſâ. Nec immeritò, poſt Scriptionem exemplo ſuo in Legiſlatione primò ſanctificatam, illam poſtea Hominibus demandavit Deus omnem; ut α familiarius nobiſcum ageret, β ſuperſtitionem impediret, γ ſuamque majorem Dignitatem & Efficaciam in inſcriptione in corde exprimeret; ut fabuloſa ſint *Chriſti ad Abgarum*, itemque *ad Petrum & Paulum*, ſcripta. Uti verò Amanuenſium horum vitam omnem, ita & Nomina ſingula à nobis cognoſci, opus non eſt; cum α non ab iis ſed à Deo Autoritas pendeat; atque β hinc in plurimis Libris Hiſtoricis V. T. variiſque Pſalmis Autores lateant incerti. Tenendum tamen, eos, qui in Libris ipſis, aut in Scriptura N. T. ut Autores nominantur, tales revera eſſe; contra *Atheos* noſtri temporis, qui, ut Scripturam per cuniculos ſubvertant, Fragmenta tantum Veterum Scriptorum, ab Autore recentiori Judæo collecta, nos habere ſtatuunt. Quod contra apertam & repetitam Salvatoris vocem *Luc.* XVI. 29 *Joh.* V. 46. 47. *&c.* tradunt impiè de *Moſe* ipſo; quaſi α Scripta quædam Breviora in *Pentateucho* recenſita Scriptum majus excluderent; β Moſes de ſe in Tertia Perſona & cum qualicunque Exiſtimatione loqui non potuiſſet; γ &, ut alia mittam, Additamenta quædam vel Parenthetica vel ad Calcem à Propheta aliquo ſubſecuto Adjecta Principale Opus conſtituerent. Non dubitandum quoque, quin *Johannes Apoſtolus*, ſecundum α Inſcriptionem, & β Traditionem veterem, & γ convenientem Doctrinam pariter & Phraſin, ſit æque Autor Euangelii & Epiſtolarum Trium quam Apocalypſios; nihil utique obſtante, aut Nominis ſilentio, aut *Preſbyteri* appellatione. Tandem *Paulo* vindicamus *Epiſtolam ad Hebræos*; nixi α præcipuè loco Petrino 2 *Pet.* III. 15. 16. tum β Traditione conſtanti Græcorum à Latinorum multis probata, γ Affectu Pauli in Gentem ſuam, δ & pluribus porro inſitis Epiſtolæ Argumentis, quæ ſuppeditat Clauſula, Status ſcribentis, Locus ſcriptionis, mentio Timothei *Hebr.* XIII. 19. 23. 24. 25. Scopus doctrinæ &c. Quæ ra-

In exarando ſuo Verbo Hominum Miniſterio uſus eſt Deus, Et cur. Qui non omnes nominibus cogniti ſunt. At multi conſtant. Inter quos Moſes, ſcriptor Pentateuchi. Et Johannes Apocalypſios, Epiſtolarum trium, & Euangelii. Et Paulus Epiſtolæ ad Hebræos.

rationes eò magis ſtringunt, quò debiliora ſunt quæ opponuntur argumenta; α ex Styli Diverſitate, quæ major fingitur quam eſt, & ex diverſitate Materiæ oriri poteſt; β ex omiſſa Inſcriptione, quæ propter nominis odium ſapienter facta; β ex ἀνακοινώσει Rhetorica *Hebr.* II. 3. abſque qua admiſſa ſermo tamen ille de Paulò verus, utpote qui haud fuerat inter auditores Domini his in terris verſantis, & revera confirmatus fuit per collationem cum illis; denique δ ex incertis & mera conjectura nixis quorundam Latinorum Traditionibus. Et conſtat facilius Epiſtolæ Autoritas, ſi de Paulo ut Autore conſtiterit; quare magis hoc tenendum.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XLIII. P. III.

Conſtituitur Scriptura per Libros Canonicos V. & N. T. Quorum Numerus & Diviſio varia exhibetur.

XIII. Comprehenditur hoc Dei Verbum *Libris* ἐνδιαθήκοις & *Canonicis*, ſic dictis, α quod Canonem Fidei & Morum contineant, β & intra Canonem non tantum legendorum in Eccleſia, ſed etiam θεοπνεύςων, ab Eccleſia Vetere ſint redacti: appellationis qualicunque fundamento reperto *Phil.* III. 16. *Gal.* VI. 16. Libri alias diviſè dicuntur *Vet. & N. Teſt.* vel *Fœderis*, præeunte clarè ſatis Paulo, tum *Eph.* II. 20.[2] tum 2 *Cor.* III. 14. ob Duplicem Fœderis Gratiæ Oeconomiam, cui hæ partes accommodatæ ſunt. *Numerus* Librorum Vet. Teſt. *numerans* cum nullibi legatur, modo XXII. ſecundum literas Alphabeti Hebræi cum *Joſepho*, modo XXIV. cum Judæis vulgo, ſecundum Alphabetum in aliis Linguis, & apud Hebræos duobus Jod adauctum in ſcriptione antiqua nominis *Jehovah*, & Seniorum Apocalypticorum numerum, *Ruthæ* & *Lamentationum* libro ſeparatim conſiderato, modo XXVII. Duplicibus Libris diviſis ſecundum accedentem Finalium Literarum Quinque computationem, cum *Hieronymo* ponunt. Sunt autem, Prophetis XII. Minoribus ſingulis numeratis, omnino XXXIX. Libri. Qui dividuntur, α vel per Dichotomiam, in *Moſen*, ſeu *Legem*, *& Prophetas*, *Matth.* V. 17. *Luc.* XVI. 29. XXIV. 27. *Act.* XXVIII. 23. ſeu *Legem & Teſtimonium* *Jeſ.* VIII. 20.[3] &c. vel per β Trichotomiam, in *Moſen Prophetas & Pſalmos* *Luc.* XXIV. 44. haud abludentibus Judæis, qui primo loco ponunt תורה / *Legem*, tum נביאים / *Prophetas*, ראשונים / *Priores*, ob tempus & rem ante ipſos geſtam ſic dictos, *Joſue*, *Judicum*, *Samuelis*, *& Regum* Libros, ואחרונים / *& Poſteriores*, tres *Majores*, duodecim *Minores*, tandem כתובים / *Ha-*

Hagiographa secundum *Hieronymum*; quibus dum Danielem *Prophetam* vere magnum, & sic nominatum *Mat.* XXIV. 15. accensent, potius quam Prophetis, nulla nituntur justa ratione. Aliter *Greg. Nazianzenus*, in Historicos, Poëticos, & Propheticos; *Epiphanius* in Pentateuchos quatuor, & Binarium unum; *Scholastici* denique cum Theologorum nostrorum multis haud malè in *Legales*, *Historicos*, *Dogmaticos*, qui & *Poëtici*, & *Propheticos*, hos Libros distribuunt. In Novo Test. agnoscimus quosdam *Historicos*, IV. Euangelia sc. & Acta, alios *Dogmaticos*, Epistolas XIV. Pauli, unam Jacobi, duas Petri, tres Johannis, unam Judæ, unum tandem *Propheticum*, Apocalypsin. Ex quibus XXVII. Libris, licet olim in Ecclesia, atque etiam Reformationis Seculo, quidam fuerint ἀντιλεγόμενοι, id tamen absque ratione & contra plurimorum obloquentium traditionem contigisse dicendum est. Neque locus hic est confutandi; α *Samaritanos*, in Prophetarum præter Mosen rejectione, + *Sadducæis* absque fundamento tributa; aut β *Hæreticos* Veteres complures in singularium Vet. aut N. Test. Librorum repudiatione maligna; aut γ *Socinianos* quosdam, in *Cantici* præcipuè δ & *Epistolæ ad Hebræos* Autoritatem involantes.

α *Exerc. Text.* XLIII. P. III. β *Exerc. Text.* XXIII. P. III. γ *Exerc. Misc. Disp.* IV. δ *Præf. in Cant.*

XIV. Hi Libri omnes, Ecclesiæ traditi, hujus vigilantiâ in *Canonem* relati sunt. Ad quorum *Discretionem* ab ἀκανονίστοις concessit Deus Ordinaria Media, α fidorum Testium, β scriptionis vel subscriptionis Propriæ Manus *Gal.* VI. 11. 2 *Thess.* III. 17. atque gratiæ illuminantis ad insita Criteria Divinitatis agnoscenda; præterea etiam δ Extraordinarium donum Prophetiæ, quod indubiè *Hezræ* cum Prophetis contemporaneis, tradentibus Vet. Test. & *Johanni* Apostolo obsignanti Novum T. cum aliis illius ævi Doctoribus est tribuendum. Pariter Ecclesiæ est *Digestio* Librorum; quæ apud omnes haud eadem est, neque ab eodem Infallibili Spiritu fluere necessario debuit, estque modo non secundum scriptionis Tempus, quod conjicere in multis, non item demonstrare licet, sed secundum Rerum Ordinem, aut Voluminum Magnitudinum, aut Ecclesiarum Celebritatem, instituta. Librorum Nomina sive Inscriptiones, in Originali Textu & Versionibus variantes, Subscriptiones item Epistolarum quandoque er-

Hi quo pacto ab Ecclesia sint discreti ab aliis, in ordinem digesti, tandem in partes majores & minores distributi.

erroneæ, tandem Divisiones Capitum & Versuum secundum illa, omninò Humanæ, & hæ quidem uti eas hodiè habemus recentes admodum sunt. Notum quippe est Judæos ab ævo habuisse suas הפטרות / סדרים / פרשות / & פסוקים / seu *Pausas* secundum illas institutas; Græcos similiter suos τίτλυς & κεφάλαια, nostramque Divisionem non esse supra quingentos admodum annos antiquam, gloriâ operis hujus in Textu Latino *Hugoni dè S. Caro Cardinali* vulgò tributâ, & in Versiculis Græcis *Roberto Stephano*.

Libri hi nunquam perditi fuerunt, nec miraculose ab Hezra restituti sunt.

XV. Canonici hi Libri neutiquam, secundum fabulosam narrationem 4. *Ezr.* XIV. quâ ad Traditionum commendationem & Scripturæ elevationem, quamquam gratis omninò, abutuntur creduli quidam *Pontificii*, sanioribus obloquentibus, prorsus in Templi combustione *Deperditi* sunt, ut cœlesti revelatione & cura Hezræ post sumptam à Deo potionem quandam, quinque viris eos dictantis, restitui debuerint. Sufficit enim ad Fabulæ hujus confutationem; α exemplarium inter Judæos, tum Jerosolymitanos, tum in Assyria atque Babele antea hærentes, distractio; β Danielis in ipsa captivitate *Dan.* IX. 2. atque Hezræ mox post eam *Neh.* VIII. 2. 4. lectio; γ rei totius in Canonica Scriptura non tantum Silentium, sed & verisimilis Eversio, quando Vasa Templi pretiosa Babelem ablata dicuntur 2. *Chr.* XXXVI. 18. δ Dei & Ecclesiæ, in qua sancti tum Viri, Jeremias, Ezechiel, Daniel, Haggai, Zacharias &c. fidelis cura; ne ε incertas narrationes *Josephi* & *Theodoreti*, de ostensis Cyro Jesaiæ & Danielis Vaticiniis, aut ϛ Canonicam Pontificiis Fabulam de Arca cum aliis à Jeremia ex incendio servata ex 2 *Macch.* II. nunc addam. Non est interim in Scripturæ Conservatione, Collectione, atque Ordinatione, fidelis Hezræ opera, ab ævo celebris, propterea neganda; unde Fabula forte originem sumpsit.

Hodie etiam quidam eorum non sunt Amissi. Sed qui ut tales citantur, aut nunquam fuerunt, aut non sunt θεόπνευστοι, aut sub alio nomine ad-

XVI Sed neque ulli Libri Canonici in totum *perierunt*; uti volunt *Sociniani*, & *Pontificii* vulgo, hi quidem Imperfectionem Scriptnræ demonstraturi, atque aliqui plures quam Viginti ex solo V. T. numerantes. Subscripserunt, fatemur, Theologi ex nostris Celeberrimi, hypothesin tamen *Pontificiam* meritò negantes; quoniam Canonica Doctrina, per Dei bonitatem abundantem Libris pluribus comprehensa, in Libris Hodiernis certissime superstes est. Sed inconsequentiâ hac argumenti notatâ, neutiquam Assumptionem hanc de Libris Deperditis concedendam puta-

putamus, cum doctissimis quibusdam *Pontificiis*; ob α Dei Immutabilitatem in consiliis suis, collato Scripturarum Fine; β ejusdem providam Curam sub Vet. & Novo T. actu demonstratam; γ & iterata Promissa *Mat.* v. 18. *coll. Luc.* xxi. 33. 1 *Pet.* 1. 23. 25. tum etiam δ Ecclesiæ Christianæ, & Judaicæ, posteriori tempore nimiam fere & superstitiosam, vigilantiam. Quæ porrò objiciuntur in Sacris memorata Scripta; illa α vel nunquam scripta fortè fuerunt, uti *Prophetia Enochi*, Judæ demum ministerio consignata *vers.* 14. 15. *Epistola ad Laodicenses*, quæ planè conficta, Paulo memorante τὴν ἐκ Λαοδικείας *Laodiceâ* scriptam *Col.* iv. 16. Epistola *Altera ad Philippenses*, Paulo ad dicta sua & scripta in eadem Epistola respiciente *Phil.* iii. 1. Epistola *Tertia ad Corinthios*, Apostolo iterum eandem Epistolam notante, in qua quidem non verba, sed tamen sensus illorum prius legitur, 1 *Cor.* v. 9. *&c.* vel β non fuerunt Sacra, θεόπνευστα, & Canonica, licet à Viris quandoque θεοπνεύστοις profecta, uti multa Salomonis 1 *Reg.* iv. 33. & Libri Chronici, &c. vel γ sub alio nomine adhuc hodiè exstant, uti de Salomonis Proverbiis 3000. 1. *Reg.* iv. 32. Nathanis & Gadi Verbis 1 *Chron.* xxix. 29. vulgo, de Libro etiam Bellorum Domini & Justorum multi, *Num.* xxi. 14. *Jos.* x. 13. credunt. huc exstant.

XVII. Uti vero Libri Canonici ipsi non perierunt, ita nunquam in ipsis cessat ratio *Canonis*, quam Vet. T. Scripturis sub Novo T. auferunt *Sociniani* & *Anabaptistæ*, ex hypothesi de Fœderis V. & N. Discrimine Substantiali. Opponimus nos 1. Legis Veteris Durationem perpetuam, ex *Matt.* v. 17. 19. non utique frustraneam, cum ejus summam discipulis quoque ibidem inculcet Salvator. 2. Scripturarum omnium, & nominatim Veterum, Commendationem in & sub Novo Test. repetitam *Luc.* xvi. 29. *Joh.* v. 39. *Rom.* xv. 4. 2 *Tim.* iii. 15. 16. 17. 2 *Petr.* 1. 19. *Act.* xvii. 11. xxvi. 22. *&c.* 3. Prophetarum, Veterum scilicet, quorum maximè celebrium doctrina scripta in usum totius Ecclesiæ exstabat, non novorum, de quibus id haud verum, cum Apostolis Conjunctionem ubi Fundamentum Ecclesiæ memoratur *Eph.* ii. 20. 4. Fidem Creationis, Lapsus, Restitutionis, & Christi ipsius ut veri Messiæ, Obedientiam item Legi præstandam, nixam his Libris. Loca *Luc.* xvi. 16. *Joh.* 1. 17. *Rom.* vi. 14. x. 4. 2 *Cor.* iii. 3. 7. *Eph.* ii. 15. *&c.* quæ opponi solent, agunt; vel α de Promissionibus needum impletis ante Christum, nunc

Canonici Libri semper nos ad Fidem & Obsequium obligant, etiam illi V. Test. sub Novo. Oppositis locis & rationibus satisfit.

non amplius obtinentibus ut futuris; vel β de Legis Ceremonialis cessante non instructione sed observatione; vel γ de Legali & rigida Oeconomia tota, quæ per Euangelii gratius verbum sublata est. Quæ præterea urgetur *Oppositio* in Doctrina; α hanc in Fœdere Operum & Gratiæ ex parte concedimus; licet β nec usum Fœderis Operum tollat; at verò in γ Doctrina Vet. & Novo T. comprehensa, sive ratione credendorum, sive respectu faciendorum, negamus. Tandem *Sufficientia* Scriptorum N. T. quam adducunt; nec α concedi potest absque V. T. collatis Vaticiniis & Præceptis; nec β Dei gratiam, quâ ultra necessitatem nobis prospiciat, tollit.

[1] *Vid. Exer. Text.* XLIII. *P.* III.

Canonica Autoritas omnium Æqualis est. Unde male dividuntur in Protocanonicos & Deuterocanonicos.

XVIII. Quin & notandum est, omnes hos Libros ita esse *Canonicos*, ut *æqualiter* regulam nobis figant, nulla Dignitate majori his aut illis tribuenda; cum omnes in eundum finem à Deo Inspirati sint. Quod notandum 1. Contra *Socinianos*, Monita Prophetarum quandoque elevantes, ac si vim Præceptorum non habuissent aut haberent. Cum tamen, α neque Propositionis Modus, Deo ipso quandoque vovente, obtestante, invitante, &c. per mirabilem φιλανθρωπίαν, β neque Persona immediatè loquens, quandoque homo, etiam planè ignobilis, Verbi Divini Autoritatem mutet. 2. Contra *Pontificios* plures, Libros Sacros dividentes in *Protocanonicos* & *Deuterocanonicos*, ac inter hos numerantes tum *Apocryphos V. T.* tum cum *Marci Capite* XVI. *Initio Cap.* VIII. *Joh.* [2] *&c.* Epistolam ad Hebræos, Jacobi, 2. Petri, 2. & 3. Johannis, Judæ, ac Apocalypsin. Neque enim α quorundam de his injusta Dubitatio Autoritatem Divinam minuit; neque β extensa quandoque à Patribus *Canonis* appellatio ad illa quæ in Ecclesia legebantur ad præsentem Canonis significationem spectat.

[2] *Exerc. Text.* XXXVII. *P.* V.

Non pertinent ad hos Libros Sacros varii Pseudepigraphi. Nec Apocryphi qui V. Test. jungi solent, quique pro Canonicis à Ju-

XIX. Ab his Libris Canonicis merito excludimus, tum Scripta Apostolis aut Apostolicis Viris sive ex incertâ traditione sive fabulose prorsus sub N. T. attributa, qualia sunt *Canones & Constitutiones Apostolicæ*, *Pseudo-Euangelia*, *Acta*, *Epistolæ*, *Apocalypses*, *Liturgiæ*, *Symbolum Apostolicum*, *Hermæ Pastor &c.* tum præcipuè *Libros* integros cum *Additamentis* notis Vet. Testamento apud Græcos & Latinos annecti solitos, vulgò appellatos *Apocryphos*, inde ab *Hieronymo*; non ob incertos Autores, quod falsum

sum partim, partim Canonicis commune est, sed ob rejectam illorum Autoritatem, allusione in voce factâ, non tam ad Arcam Fœderis à qua exclusi, quam ad גניזה/ *Absconsionem* Judæorum sub terra, circa Libros Legis vitiose scriptos vel erroneos usurpatam. Atque habemus hic prò nobis. 1. *Judæorum Canonem*. A quo α & exclusos esse & fuisse hos semper, constat ex Obsignatione *Malachiæ Cap.* IV. 4. 5. [3] ex Lingua Græca, qua vel scripti primum vel posteris traditi, ex *Josephi*, tum calculo, tum distributione, tum exclusione manifesta, ex recentiorum Judæorum testimonio constanti, & *Pontificiorum* passiva confessione, non admittentium vulgo, nec in in ipsa Tridentinâ Synodo, *Genebrardi* de Adaucto successivè post Hezræ tempora Canone commentum. Hinc vero β argumentum solidum pro sententia nostra peti; liquet ex Judæorum antiquo privilegio *Rom.* III. 2. *Psal.* CXLVII. 19. 20. illo quo scripta hæc exarata sunt tempore; ex nota illorum fidelitate, & in Scripturis servatis inani etiam gloriatione; ex Canonis eorum Approbatione quoque Euangelica. Ut perperam hic omnino Fallibilitas Synagogæ, Jus Canonizationis Christianis competens, atque publicæ Lectionis apud Christianos alius Canon, opponantur. 2. Ipsam *Canonicam Scripturam*; quæ α nusquam, vel generatim vel speciatim, plures hos Libros, *Morales* & *Historicos*, citat vel laudat; & Scripturam β omnem *Propheticam* sive θεόπνευστον dicit 2 *Petr.* I. 21. Qualem non esse hanc Apocrypham liquet; α ex nexu Eliæ & Malachiæ *Mal.* IV. 4. 5. [4] β ex constanti Judæorum traditione de Malachia *Prophetarum Signaculo*, deque deficiente inter alia sub Templo Secundo *Spiritu Prophetico*; γ ex Antiquitatis Christianæ & Papistarum plurium consensu; δ denique ex ipsis Libris, ubi de Prophetarum defectu legitur 1 *Macc.* IX. 27. Autores se à Prophetis distinguunt *Sirac. Proœm vers.* 1. & 3. Interpretes & Abbreviatores se fatentur, de sudoribus & vigiliis suis queruntur, erratorum veniam petunt, *vers.* 5. 2 *Macc.* II. 24. 27. XV. 39. 3. *Notas*, non *Divinitatis*, sed *Humanitatis*, Libris his insitas; in falsitatibus, contradictionibus, superstitionibus, & impietatibus manifestis. Quas ut operosè ab his Libris, perinde ut à θεοπνεύστοις, amoliamur, ratio utique nulla suadet, & dissuadet rei impossibilitas. Specimina vide, in Libro *Tobiæ Cap.* III. 7. v. 6. 15. VI. 2. 5. 6. 9. 10. XII. 12. 15. XIV. 6. 13. *Judith Cap.* VIII. 1. IX. 2. 3.

dæis non sunt agniti, nec à Scriptoribus sacris agnoscuntur, sed multa Humanæ Originis indicia continent, hinc & à Christianis Veteribus constanter fuerunt rejecti.

xv. 11. xvi. 31. qui totus etiam Fabulosus esse ex multis circumstantiis evincitur, imprimis temporum, cum narrata res nec ante captivitatem, nec illa durante, nec post eam, fieri potuerit; *Sapientiæ Cap.* vii. 5. 17. viii. 21. ix. 7. 8. ubi Autor se Salomonem fingit, in ipso Libro non semel se prodens, & creditus antiquis vel *Siracides* vel *Philo Judæus*; *Ecclesiastici Cap.* xlvi. 23. xlviii. 10. *Maccabæorum Primo Cap.* i. 6. 7. viii. 15. 16. xii. 11. *Maccabæorum Secundo Cap.* ii. 5. xii. 43. 46. xiv. 37. *&c.* & similiter in *Adjectionibus ad Estheram*, *Jeremiam*, *& Danielem*, plurimum fabulosis; ut alia Volumina à Pontificiis quoque pro Canonicis non habita mittam. 4. Denique *Canonem* Veterum *Christianorum*; uti ex privatis testibus innumeris, Græcis, *Melitone*, *Origene*, *Eusebio*, *Athanasio*, *Cyrillo*, *Nazianzeno*, *Epiphanio*, *Amphilochio*, *&c.* ac Latinis, *Tertulliano*, *Ruffino*, *Philastrio*, *Hieronymo &c.* & *Concilio* integro *Laodiceno* à *Trullanis* confirmato, quin & ex *Constitutionibus* & *Cononibus* ψευδεπιγράφοις *Apostolicis*, id adeò clarum est, ut quoad integra Quatuor Prima Secula vix obloqui, aut aliquid pro se adferre, queant *Papistæ*.

[3] *Comment. in loc.* [4] *Comment. in loc. & Exercit. Juven. Disp.* XV. XVI.

Pontificii in Synodo Tridentina Sex ex iis frustra canonizarunt. Quorum inanes Prætextus excutiuntur.

XX. Determinarunt tamen illi in *Synodo Tridentina*, præsentibus lxxx. tantum personis, vel Italis vel Hispanis, multis ante Synodum & in illa obloquentibus, ex Libris his *Apocryphis* Sex modò nominatos cum iisdem *Additamentis* prò Sacris & Canonicis esse habendos, absque ratione additâ; ut potentiam Ecclesiæ in Scripturam ostenderent, atque errores quosdam suos ex illis magis stabilirent. In praxi subscribunt quidam *Anabaptistæ* aliique, ex Libris his argumenta probantia in Theologia petentes. Prætexitur 1 *Citatio* Librorum horum in Scripturis N. T. facta *Rom.* ii. 11. xi. 34. xiii. 1. *Hebr.* xi. 5. *Jac.* i. 11. 1 *Petr.* i. 24. *&c. ex Sap.* vi. 7. ix. 13. vi. 3. iv. 10. *Eccles.* xiv. 18. *&c.* Sed ea α ficta est; neque β facta authentiam inferret, ob Poëtica Gentilium quoque adducta, & varium Citationis Scopum. 2. Præter Tridentinum, *Florentini* Concilii habiti A. MCDXXXVII. Autoritas. Sed α hoc ut verè Anti-Christanum, & in fraudem alterius Basileensis ab Eugenio convocatum, nullius apud nos est autoritatis; β estque hujus Canon hic à Tridentinis ipsis ignoratus, & plane confictus. 3. Antiquæ Ecclesiæ Traditio. Quæ α Qua-

α Quatuor Primis Seculis gratis colligitur ex Patrum Citatione, ex nominibus Scripturæ Divinæ, Canonicæ, Sacræ, vel per errorem vel latiori sensu adhibitis, ex Prælectione in quibusdam Ecclesiis facta, quæ semper Scriptis non θεοπνεύστοις communis fuit, ex Approbatione Versionis LXXviralis, quæ Librorum horum sive tunc sive postea connexorum Canonizationem non infert, qualis per meram conjecturam *Nicænis* Patribus non debet affingi. Quæ β perperam quoque dè sequenti tempore adstruitur, ex *Augustino*, *Gelasio*, *Innocentio*, & *Concilii Carthaginensis III. Canone* XLVII. Cum α hi nomina *Sanctarum*, *Divinarum*, *Canonicarum*, Scripturarum latius etiam intelligant de Scrituris *Ecclesiasticis*; β ex iis ut particularibus Universalis Ecclesiæ consensus non constet; γ Canon ille in hoc Concilium sit intrusus; δ idem *Canone* XXVI. in appellatione *Principis Sacerdotum* Pontificiis sit adversum; & ε tandem nunquam horum Librorum Autoritas ab eo tempore in Ecclesia fuerit agnita; quod ex *Hieronymi Præfationibus* præfixis, *Gregorio M. Glossa Ordinaria*. itemque *Decretorum Gratiani*, & omni Doctorum choro, liquidum est.

XXI. Comprehensa Libris Canonicis Scriptura comprehendit veram *Religionem*, *Psal.* XIX 8.[1] CXIX. 9. *Luc.* XVI. 29. *Joh.* V. 39. XX. 31. 2 *Tim.* III. 15. 16. 17. *&c.* Quæ proponitur in ea; α *dogmaticè*, in ejus descriptione, confirmatione, & commendatione multiplici; β dein *Habitualiter*, in exemplis fidelium plurimis. Ad quam omnia reliqua etiam sunt referenda, quæ hic traduntur; α sive *Naturalia*, in quibus multiplex Dei cognoscendi & colendi gloria elucet; β sive *Historica*, quæ juxta Dei virtutes Ecclesiæ fata aperiunt; sive γ *Chronologica*, ex quibus temporum plenitudo disci potest; δ sive *Topographica*, *Genealogica*, & minima quæque, quæ usu multiplici, vel non caruerunt olim, vel etiam probè inspecta non carent hodie.

Argumentum Scripturæ vera est religio. Ad quam alia tamen plura referuntur.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XX. P. V.

XXII. Atque in his omnibus *Æqualis* omninò statuenda est Scripturæ *Veritas*, ex infallibili Spiritus veritatis inspiratione fluens. Ut hic excipi non debeant *Res Naturales*, quasi in his Errorem magis communem quam rei Veritatem secutus esset Spiritus; qui α utique res naturales optimè novit; β illis in religione tradenda non abuti sed uti voluit; γ nec ullius est erroris ma-

In quibus, etiam rebus Naturalibus, æque infallibilis est Scriptura.

gister; δ nec corrigendus cum ulla ſpecie à cæca noſtra ratione, etiam quando per conjecturas aut hypotheſes ſuas oculatiſſima vult videri; ne ε jam dicam, in rerum naturalium ambitum haud difficulter ſpiritualia omnia pertrahi poſſe, uti id multis dudum docuit eventus. Nec obſtant; α Locutiones Impropriæ, quas ſecundum literam non eſſe intelligendas ex contextu & uſu quotidiano conſtat; aut β appellationes narrationesque ſecundum Externam Apparentiam, cum illæ iterum ex rei natura & contextu vel parallelis ſemper dignoſci poſſint, haud ſint reſtrictæ ad naturalia, haud ſint ob majorem aliquam probabilitatem fingendæ pro lubitu, haud ſit etiam Spiritus ibi tum docens rerum illarum naturam; aut γ Principalis Finis Scripturæ, docendi veram Religionem, cum ad iſtum per errores non tendat, neque principalis minus principalem excludat.

Nulla ob Infallibilitatem Scripturæ vera eſt in illa Contradictio, licet ſint quædam ἐναντιοφανῆ.

XXIII. Eſt Scriptura quoque in omnibus quæ tradit ſibi planè *Conformis*; ob eandem cœleſtem inſpirationem, omnibus Scriptoribus communem. Quam Uniformitatem ut contra *Atheos*, *Infideles*, *Libertinos*, & *Socinianos*, tueamur, notandum eſt. 1. Apparentes ἐναντιολογίας, ſi ſcriptorum & modi ſcriptionis diverſitatem ſpectemus, eſſe pauciores; nec ferè occurrere niſi in rebus levioribus & minus neceſſariis. 2. Haud eſſe *Diverſitatem* pro Contrarietate habendam, cum unius narratio ex altero ſuppleri poſſit, & diverſæ circumſtantiæ ſæpe eidem rei conveniant: tum vero demum veram eſſe Contradictionem, quandò oppoſita *de eodem*, *ſecundum idem*, *ad idem*, *& eodem tempore*, dicuntur. 3. Diverſitates Deum merito voluiſſe ut in Scriptura eſſent; α tum ut omnis colluſionis arcanæ in ſcribendo ſuſpicio abeſſet; β tum ut induſtriæ & fidei noſtræ exercitium haberemus nos. 4. In textuum Conciliatione non eſſe neceſſum, ut *Poſitive* rem ſic ſe habere afferamus, aut *Demonſtrationes* adducamus, quod ob hiſtoriæ aliorumque requiſitorum defectum ſæpe fieri non poteſt: ſed ſufficere, ut rem ſe hoc aut illo modo *Poſſe* habere *conjiciamus*. In quo pia mens acquieſcere poteſt. 5. Si tandem nulla Conciliationis ratio reliqua eſt, accuſandi ſunt Librarii, non Scriptores. Quod aliquando, ſed raró, neceſſarium videtur, uti *Luc.* III. 36. 2. *Chron.* XXII. 2.[1] 1. *Reg.* VI. 1.[2] *&c.*

[1] *Vid. Exerc. Text.* XVIII. P. V. [2] *Anal. Exeg. Jeſ.* LIII. *Mant.* IV.

Scripturæ

XXIV. Eſt Scriptura amplius in traditionis modo *Perſpicua*; licet

licet *Res* ſublimes & *Obſcuras* tractet, variique ſint luminis *Gradus*, in variis α *Locis*, h. e. Libris, Capitibus, Verſibus, dein β etiam *Rebus*, vel *Dogmaticis*, iterum minus vel magis *Neceſſariis*, in quibus à fidelibus ſingulis adhibitâ induſtria intelligi poteſt, vel *Hiſtoricis* ac *Propheticis*, in quibus neque Eliæ ſolutione, aut alio Interprete infallibili, opus habemus. Quam Perſpicuitatem, vulgo & rectè, non obſtante Recentiorum quorundam cenſura vanâ, *Subjectivam* dictam, *Objectivè* malè extendunt, ex *Pelagiano* de hominis viribus principio, *Sociniani* & *Remonſtrantes* ad omnes homines *communi ſenſu & judicio præditos*, ut hi, *quantum ſatis eſt*, mentem ejus aſſequi poſſint, nec ſit admittenda ulla Spiritus Illuminatio interior. Qui liquidò refutantur. 1. Ex hominis naturali Cæcitate 1. *Cor*. II. 14. 2 *Cor*. III. 5. IV. 4. *Eph*. V. 8. *Apoc*. III. 17. *&c*. à piis agnita *Pſal*. CXXXIX. 6. *Prov*. XXX. 2. 3. *&c*. 2. Atque Illuminatione Spiritus; α à Sanctis petitâ *Pſal*. CXIX. 18. 27. 33. 34. *Eph*. I. 17. 18. β à Deo promiſſa *Jeſ*. LIX. 21. *Joh*. XVI. 12. 13. & γ ab ipſo gratioſe conceſſa *Pſal*. XXV. 9. *Luc*. XXIV. 45. *Act*. XVI. 14. 1 *Cor*. II. 10. 12. 2 *Cor*. IV. 6. 1 *Joh*. II. 27. Nec obſtant. 1. Vel Scripturæ Elogia; α quæ *Subjectivam* tantum lucem, non vero hominis Viſum inferunt, uti Solis ipſius lumen cæcis oculos non confert; & quæ β illi cum *Spiritus* gratia junctæ verè demum competunt. 2. Vel intelligendi & judicandi in homine Vires; quas eſſe modo integras, ut olim, & ad ſpiritualia ſe rite extendere, ſi homo ipſe iis modò utatur, *Pelagianiſmus* merus eſt, licet à nonnullis hodie temerè adoptetur, ſuo loco confutandus.

Perſpicuitas exponitur. Quæ Illuminationem Spiritus internam neutiquam excludit.

XXV. Perſpicuitatem verò ipſam, modò deſcriptam, probamus. 1. Apertiſſimis teſtimoniis *Deut*. XXX. 11. 12. 13. 2 *Cor*. IV. 2. 3. 4. *Rom*. XVI. 26. 2. Similitudine *Luminis* & *Lampadis*, ſub qua Scriptura ſimpliciter venit; addita ratione, ab inſtructione & illuminatione ipſorum ſimplicium, quæ lumen inſitum ſupponit, *Pſal*. XIX. 8. 9. CXIX. 105. 130. *Prov*. VI. 22. 2. *Pet*. I. 19. 3. Rationibus plurimis, petitis; α ab Autore Deo, ſapientiſſimo & optimo, qui potuerit adeo & voluerit loqui clare; β à partis geminæ, Legis & Euangelii, ſumma, ſatis perſpicua; γ à ſtylo humano intelligibili, & per συγκαταβάσεις, ſimilitudines, repetitiones, ad captum accommodato; δ à fine inſtructionis omnimodæ; ε à perſonis quibus deſtinata Scriptura, Chriſtianis omni-

Perſpicuitas eadem aſſeritur.

omnibus, etiam parvulis; ϛ à fructu sapientiæ veræ, quam parit; denique ζ ab omnium usu, Scripturam per Scripturam declarantium, ut hæc sibi ipsi lucem fœneretur.

Vid. [3] *Comment. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XX. P. V.

Contra Enthusiastas & Papistas, quorum objectiones solvuntur.

XXVI. Post *Gnosticos* veteres, atque ἀλληγορομανῦντας *Origenistas*, habemus hic hodie adversarios, tum *Enthusiastas*, tum maximè *Pontificios*, qui *ambiguas & obscurissimas* esse Scripturas clamant, ut à lectione plebem arceant, traditionum necessitatem asserant, atque interpretationi Ecclesiæ omnes subjiciant. Adducitur autem ab ipsis. 1. Farrago *Locorum* Scripturæ; quibus vel α judicium Excæcationis quorundam legitur *Jes.* XXIX. 11. 2 *Cor.* III. 15. Scripturæ lumen insitum minimè tollens; vel β necessitas Illuminationis asseritur, uti *Psal.* CXIX. 18. à nobis ipsis antea astructa; vel γ industria & mediorum usus commendatur, ut *Job.* V. 39. *Act.* VIII. 30. 31. quem & nos urgemus; vel δ Liber Divinæ Providentiæ circa futura nondum patefacta significatur, uti *Apoc.* V. 1. qui à Libro Scripturæ multum differt; vel ε denique Obscuritas expresse ponitur, uti 2 *Pet.* III. 16. sed restricta, α ad res quasdam, est enim ibi ἐν οἷς, non ἐν αἷς, vel β juxta lectionem aliam ad Epistolas Pauli sublimiores in rebus quibusdam, & γ ad personas indociles ac infirmos, neque tandem δ invincibilis, quod δυσνόητα vox docet. 2. Numerus *Exemplorum* magnus, in quibus aut mysterii sublimitas, aut verborum ambiguitas, aut orationis imperfectio, pugna, improprietas, ordo mutatus, sensum difficilem reddidit, ac Interpretes divisit. Quæ nos non feriunt, nisi probetur; α Scripturam totam, etiam in maximè necessariis, talem esse; β omnem Interpretum Dissensum sæpe nimis quæsitum obscuritatem supponere; & γ Difficultatem locorum plane esse insolubilem. Ipsa vero Obscuritatis Exempla exstare Deus voluit, ad manifestationem suæ sapientiæ, donorum distinctionem, verbi æstimationem, infidelium exitium, nostram humiliationem, fidei exercitium, ac assiduitatem in lectione & precibus. 3. Agmen *Rationum*; α à Mediorum usu necessario, quæ non excludimus nos, nec omnia necessitatis eundem gradum habent; β à Donorum Diversitate, quæ aliqua in omnibus ponit, & in cognitione ad gradus tantum referenda est; γ ab Obscuritatis Utilitate, quæ nulla plane est, si talis sit qualem volunt *Pontificii*, cæteroquin supra à nobis etiam asserta; δ ab Expositionum Necessitate, quam nos

nos nec in difficilioribus, nec in facilioribus ad intelligentiam magis expeditam & claram, negamus; ε denique à multiplici Scripturæ Sensu, de quo suo loco agemus.

Scripturæ Perfectio declaratur, & probatur. Solutis Objectionibus præcipuis.

XXVII. Est ultimo tenenda Scripturæ *Perfectio*; per quam integra hæc, non omnes res gestas, aut sermones Salvatoris & Apostolorum cunctos, aut ritus temporarios vel externos quosvis, sed omnia ad Salutem Necessaria, tum Creditu tum Factu, continet, sive explicitè, αὐτολεξεὶ, κατὰ τὸ ῥητόν, sive implicitè, κατ' ἰσοδυναμίαν, κατὰ διάνοιαν, vel κατὰ συνακολούθησιν: dum eo modo comprehensa verè Verbo Dei contineri, & per Consequentias inde debere educi, antea *Cap.* I. §. XXIX. asseruimus. Hanc Perfectionem 1. Asserit expressè Scriptura *Psal.* XIX. 8.[1] ubi de α tota Lege scripta, nec β ejus tantum Irreprehensibilitate, sed Integritate & Sufficientia ad salutares usus agitur, γ prò ratione Oeconomiæ istius. Unde, additis N. T. Libris, Scripturæ præsens Perfectio argumento à minori ad majus liquido astruitur. 2. Colligere debemus ex ratione *Canonis* unici, ad quem omnia alia probanda, & qui ex natura rei, observante etiam *Varino*, *Chrysostomus*, & aliis, nullam ablationem aut additionem admittit. 3. Deducimus ex Scripturæ *Fructibus*, sapientia salutari, fide in Christum, conversione animæ, perfectione ad omne opus bonum, conscientiæ exhilaratione, ipsa vita æterna, supra quos quid necessarium dici possit, ignoramus, *coll. Psal.* XIX. 8. 9.[1] *Joh.* V. 39. XX. 30. 31. *Rom.* XV. 4. 2 *Tim.* III. 16. *&c.* 4. Comprobat denique omnis *Additionis*, Humanæ scilicet & Oralis, ad Scripturam, sive in cognoscendis & credendis, sive in faciendis, interdictum severum, *Deut.* IV. 2. XII. 32. *Prov.* XXX. 5. 6. *Gal.* I. 8. 1 *Cor.* IV. 6. *Col.* II. 23. *Apoc.* XXII. 18. 19.[2] Nec evertit eam; α rerum multarum gestarum Silentium prudens, quod ex *Joh.* XX. 30. XXI. 25. *Luc.* XXIV. 27. 32. *Act.* I. 3. *&c.* merito colligunt, cum de Necessariis ad salutem hic tantum agatur; vel β brevium quarundum Epistolarum minor Sufficientia, quam lubentes concedimus, ad 2 *Joh.* 12. 3 *Joh.* 13. vel γ Librorum quorundam Interitus, qui gratis supponitur, nec suppositus Doctrinæ Defectum infert; vel δ tantopere decantatum Christi dictum, *se adhuc multa discipulis habere dicenda quæ nunc portare non poterant* *Joh.* XVI. 12. cum α dè una Concione Salvatoris, non integra Scriptura, nec β dè multis novis plane ac hactenus inauditis *Joh.* XV. 15.

XVII. 4. 6. 8. sed notis magis declarandis ibi agatur, γ atque quæ tum non docuit Salvator, postea didicerint discipuli à Spiritu *vers.* 13. XIV. 26. XV. 26. & à Christo suscitato *Act.* I. 3. atque docuerint in scriptis suis alios, *coll.* 1 *Joh.* II. 20 *&c.*

[1] *Vid. Exerc. Text.* XX. P. V. [2] *Comment. in loc.*

Papistarum de Traditionibus sententia narratur & impugnatur.

XXVIII. Adversantur primum *Pontificii*, qui *Judæorum*, *Millenariorum*, *Carpocratianorum*, *Artemonitarum*, *Valentinianorum*, *Eunomianorum*, atque *omnium insipientissimorum*, juxta *Augustini* phrasin, *Hæreticorum*, vestigia prementes, errorumque ac superstitionum suarum sufficiens fundamentum in Scripturis non reperientes, his Imperfectionem tribuunt, supplendam per *Traditiones*, non Humanas & Ecclesiasticas, ut dicunt, sed *Divinas* & *Apostolicas*, oraliter propagatas primum in Ecclesia, ut Alterum Fidei Principium, sive magis sive minus præstans, uti varii variè statuunt, sive *pari pietatis affectu & reverentia suscipiendum* in credendis & faciendis, uti vulgo cum *Tridentinis* asserunt. Sicut verò lubenter admittimus *Traditionis* vocem, doctrinæ scriptæ propagationem Oralem, Traditionesque, tum Historicas, tum Rituales, tum ex Scriptura fluentes, tum Scripturæ Originem declarantes; ita tamen Traditiones, prout à *Pontificiis* urgeri eas diximus, rejicimus. 1. Ob Scripturæ Perfectionem modò demonstratam. 2. Ob Additionem omnem, uti vidimus, Interdictam. 3. Ob rejectas disertè Traditiones *Jes.* XXIX. 13. *Matt.* V. 21. 22. XV. 6. [3] *Col.* II. 22. *&c.* in hypothesi quidem Judaicas & Hæreticas, sed tamen non adeo qua tales, aut adversas omnes Scripturæ, quam quidem sub ratione generali *Traditionum*, ut inane semper reddentium Dei mandatum, α tum quod exstat dè non addendô, β tum quod Deo soli gloriam Dominicam vindicat, γ tum omnia reliqua, à quorum observantia per additionem homines magis abducuntur. Ne similitudinem Traditionum Pontificiarum cum Judaicis illis addam. [4] 4. Ob Traditionum in genere, tum Incertam Originem, quam per Regulas suas discretivas, æquè incertas, non tollunt *Papistæ*, tum necessariam ad Scripturas Probationem 1 *Thess.* V. 21. 1 *Joh.* IV. 1. & in specie *Pontificiarum*, vel cum Scriptura pugnam, vel incertitudinem secundum proprias regulas illis non convenientes, vel in Scripturis factam declarationem.

[3] *Exerc. Text.* XXX. P. IV. [4] *Exerc. Misc. Orat.* II.

Argumenta

XXIX. Pugnant illi. 1. *Exemplo* Ecclesiæ Veteris, ante Mosen

sen & post eum, extra Israëlem & in Israële; docentibus id Locis *Exod.* XIII. 8. *Deut.* XXXII. 7. *Psal.* XLIV. 2. *&c.* & Capitibus ipsis, dè Scripturarum Divinitate, Remedio Peccati Originalis in Fœmellis, & Sacrificiorum Significatione spirituali. Sed α temporum ante-Mosaicorum aliam esse rationem constat; β post Mosen Ecclesiam in Gentibus non agnoscimus ullam; γ Israël Verbo Scripto alligatus fuit, licet res comprehensas, aliasque gestas, filiis inculcare, ipsumque Verbum explicare, Patrum tunc, uti nunc quoque est, esset officium; δ quæ allegantur Capita, ex Scripturis facilè cognoscebantur; ε & Perfectiorem tandem nunc Scripturam esse, quam olim, nemo diffiteri potest. 2. *Locis* Traditiones commendantibus 1 *Cor.* XI. 2. 23. 24. 1 *Tim.* VI. 20. 2 *Tim.* I. 13. II. 2. & maxime 2 *Thess.* II. 15. ubi diserte jubentur *tenere* fideles *Traditiones quas didicerant*, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι' ἐπιστολῆς. Sed, α ad Timotheum non meminit Paulus Traditionum, verum παρακαταθήκης, expositæ, vel dè grege, vel de donis Spiritus, vel de doctrina sana, quam ex Scripturis Timotheum docuerat Paulus, *coll. Act.* XXVI. 22. & quam in Epistolis quoque exponebat; β Traditionem, tum doctrinæ scriptæ oralem, tum ritualem, non negamus; γ atque *Traditio* in loco *ad Thessalonicenses* notat *Doctrinam* traditam, ex usu vocis hujus & similium, *dandi, accipiendi*, Hebræo, Græco, Latino, quam bifariam acceperant, sed eandem, licet plenius coram quam in isthac una Epistola. 3. *Dogmatibus* in Scriptura non traditis, quæ vel Septem, vel Octo, vel Duodecim, vel plura, volunt. Sed sunt hæc; α aut Falsa & Impia, ut Trans-substantiatio, Purgatorium, Invocatio Sanctorum, quæ refutans Scriptura sufficientiam suam ostendit; β aut Minus Certa & Necessaria, ut perpetua Virginitas *Mariæ*, Mixtura Calicis, Baptismi Formula, Symboli Origo, observatio Paschatis &c. γ aut in S. Scriptura sufficienter Comprehensa, ut Trinitas, Processio Spiritus à Filio, ὁμοούσια, Pædobaptismus &c. Præterquam δ quod omnia hæc Dogmata ex Scripturis probare nitantur Papistæ, ut in his ex propria hypothesi Traditio hinc non sit necessaria. 4 *Rationibus* variis, petitis; α à Gentium omnium Consuetudine, Legem quandam Non Scriptam habentium, quam in regni sui, plurimis modis diversi, administratione sapienter Deus sequi noluit; β à peculiari Ecclesiæ in possessione Divini Verbi Dignitate, quæ ad destinationem

pro Traditionibus enervantur.

nem primam, veritatum comprehensarum cognitionem, earumque fidem & praxin, manifestè est restringenda; γ à Mysteriorum, silentium apud quosdam exigentium 1 *Cor.* 11. 6. [2] præcellentia, quæ prædicationem, à Christo mandatam publicam, potius exigit, sed ad statum fidelium accommodatam, nullo hic scriptionis aut *locutionis* apud Paulum discrimine; δ à Traditionum Præstantia supra Scripturam, quas dum pro lubitu suo solo, ut *Lydium lapillum*, *Ajacis Clypeum*, *Fidei Fundamentum*, *Homericum* μῶλυ, commendant, & multis elogiis ornant, agyrtarum instar ridendos se verè præbent.

[1] *Vid. Comment. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XL. P. III.

Enthusiastarum de Spiritus interno & privato Lumine vana opinio. Quæ exploditur.

XXX. Res nobis porrò hic est cum *Enthusiastis*, quales olim *Cerinthiani*, *Basilidiani*, *Severiani*, *Elsecei*, *Montanistæ*, *Messaliani &c* superiori & nostra ætate *Swencfeldiani*, *Anabaptistæ* plures, *David-Joristæ*, *Paracelsistæ*, *Weigeliani*, *Quakeri*, qui omnes, ut propudiosa dogmata & mores suos teneant, Scripturis vilissimè habitis sive jungunt sive substituunt Verbum Internum & Privatas Spiritus Revelationes, secundum quas sit agendum & credendum. Quibus opponimus, præter superiora. 1. Voluntatem Dei ita plenè consignatam modò, ut, quamquam in privatos usus de privatis eventibus omnem Revelationem Extraordinariam negare prorsus nolimus, nullus tamen Spiritus generatim in Ecclesia sit audiendus *Gal.* 1. 8. 2 *Thess.* 11. 2. *Apoc.* XXII. 18. [3] 2. Incertitudinem harum Revelationum, ob humani Cordis & Diaboli fallaciam *Jer.* XVII. 9. 2 *Cor.* XI. 14. nisi demonstratio talis, qualis olim, & quidem potissimum ex Scriptura ad quam omnia probanda 1 *Joh.* IV. 1. accedat. 3. Prædictiones varias dè Pseudò-Prophetis sub N. T. surrecturis, sub ovium vestitu *Matt.* VII. 15. XXIV. 11. 24. 1. *Joh.* IV. 1. dum nulla Prophetarum propriè dictorum, in temporis ejus progressu, facta est promissio. 4. Testimonium Spiritus, in iis qui id urserunt, ex pugna cum Scripturis, atque etiam mutua ac propria, & impietatibus ac sceleribus, sufficienter falsitatis convictum. 5. Denique omnis in Ecclesia Ordinis eversionem, atque manifestam confusionem, per hoc Principium necessario introducendam, & semper introductam.

[3] *Comment. in loc.*

Diluitis eo-

XXXI. Objectiones quædam 1. Feriunt *Scripturam*, quæ scilicet

licet *ambidextra*, *litera mortua*, 2 *Cor.* III. 6. *&c.* Cum tamen α culpa omnis Obſcuritatis ſit in hominum cæcitate & torſione; β litera Legis ſola ſecundum Apoſtolum occidat, meris ſc. præceptis & minis; γ mortua & inefficax ſit Scriptura vitio ſolius hominis, in ſe viva & efficax 1 *Pet.* I. 23. *Jerem.* XXIII. 29. δ aliud denique Spiritus ut Magiſtri ex Scripturis & per eas ſit Doctrina, aliud nova Revelatio extra & contra eas. 2. Concernunt *Spiritum Enthuſiaſticum*; quem α volunt ſæpius promiſſum *Jeſ.* LIV. 13. *Jer.* XXXI. 33. 34. *Hoſ.* XII. 11. [4] *Joël.* II. 28. 29. [5] &c. in quibus locis non niſi ipſa Divina inſtitutio ſecundum Scripturam, copioſiſſima ſub N. T. futura, phraſibus ex Oeconomia iſthac V. T. petitis, vel ſi eas proprie intelligere velis, quorundam in naſcente Eccleſia Privilegium innuitur; β aſſertum in ipſo N. T. *Luc.* XVII. 21. 1 *Joh.* II. 20. 27. [6] *&c.* ubi tantum Regni Cœleſtis externa pompa negatur, & ſufficiens inſtructio fidelium ex Scripturis per Spiritum aſſeritur, oppoſitè ad novas doctrinas à Falſis Doctoribus allatas; γ commendatum frequenter *Rom.* VIII. 16. 1 *Joh.* V. 6. 1 *Cor.* XII. 10. XIV. 5. *Eph.* IV. 11. 1 *Theſſ.* V. 19. 20. *&c.* ubi vel de Illuminatione Spiritus ex Scripturis, vel de Dono Extraordinario, vel de Ordine Eccleſiaſtico Extraordinario quoque, vel de Prophetiarum Scriptarum intellectu ac exegeſi agitur; δ neceſſarium, ob Præſtantiam Eccleſiæ N. T. quæ in Prophetiis impletis & pleniſſimè conſignatis verè magis elucet. Ut alia vel ludicra vel confuſa prorſus eorum cogitata nunc mittam.

rum Objectionibus.

[4] *Vid. Comment. in Loc.* [5] *Comment. in Loc.* [6] *Exerc. Text.* XL. *Part.* I.

XXXII. Ex omni hoc modo, quo Religionem Veram continet Scriptura, liquet ſatis, illam in *Canonem*, *Normam*, *Regulam*, *Amuſſim*, *Gnomona*, *Stateram*, ut paſſim loquuntur *Veteres*, ejus certam à Deo eſſe datam. Quod multis modis juxta *Enthuſiaſtas* evertunt *Pontificii*, in gratiam hypotheſium jam confutatarum; modo Scripturam dicentes *gladium Delphicum*, *naſum cereum*, *regulam plumbeam*, *Leſbiam*, *imperfectam &c*, modo ejus datæ finem proprium non eſſe ſtatuentes, ut ſit Regula, ſed *Utile* tantum *Commonitorium*. Habemus hic prò nobis; α requiſita omnia normæ, infallibilem ſc. veritatem, perpetuam harmoniam, ſufficientem perſpicuitatem, & neceſſariam perfectionem; β Dei able-

Eſt Scriptura Canon Fidei & Morum noſtrorum. Quod contra Papiſtas aſſeritur & defenditur.

ablegationem ad Scripturas ut normam unicam *Jes.* VIII. 20. *Luc.* XVI. 29. 2 *Pet.* I. 19. γ Fidelium usum *Ps.* CXIX. 105. *Act.* XVII. 11. δ Religionis totius alias secuturam Incertitudinem, dum de Canone alio nobis prospectum non est. Nec juvat Pontificios; α *Utilitas* à Paulo memorata 2 *Tim.* III. 16. qualis omnino in Canone summa est, & cum Sufficientia ibidem jungitur; β aut Fortuita Scriptio absque Mandato, quam antea evertimus; γ aut Methodus varia, qua Scripturæ exaratæ, quæ in arbitrio Dei fuit, ac talis adhibita est, ut industriæ exercendæ nos occasionem habeamus; δ aut rerum Non Necessariarum immixtio, ac Necessariarum omissio, quam posteriorem tantum ipsi fingunt, & priorem Divinæ bonitati abundantius nobis prospecturæ nos tribuimus.

[1] *Exerc. Text.* XXIII. P. III.

Scripturam Vertendam esse in Linguas Vernaculas, contra eosdem docetur. Et Antiquæ Versiones celeberrimæ recensentur.

XXXIII. Ad Usum hujus Canonis dum transimus, præstrui debet Versionis in Linguas Vulgares tum Decentia tum Necessitas; cum absque hac usus canonicus cesset, quam omnem sublatam, ut *curiosum hæreticorum* εὕρημα, vellent utique tenebriones *Pontificii*, tyrannidem in conscientias facilius sic exercituri. Constat autem, præter α rationem modo datam, *coll.* 1. *Cor.* XIV. 9. 11. *&c* β ex Scriptione Prima facta in lingua, non eruditis quibusdam propria, sed maximè vulgari sub V. & N. T. ex γ Linguarum dono cum extensione Ecclesiæ ad Gentes mox concesso; δ ex singulari tandem Dei Providentia, qua cum orta Euangelii luce dè Vernaculis Versionibus citò satis prospexit Ægyptiis, Persis, Indis, Æthiopibus, Scythis, Armenis, Sauromatis, Gothis, omnibusque porrò populis, ex testimonio *Theodoreti*, *Chrysostomi*, & aliorum. Multiplicatæ in primis fuerunt Versiones Latinæ; inter quas celebris olim *Itala* sive *Communis* dicta, cujus aliquot partes habere adhuc *Vulgatum* volunt. Græcæ interpretationes sunt τῶν LXX. etiam *Senum* vocata, omnium antiquissima, dè qua antea, *Aquilæ* Pontici, sub Hadriano, *Theodotionis* Ephesii, sub Commodo, ex Christianis Proselytorum, *Symmachi* Samaritani ac Ebionitæ, sub Vero vel Severo; quas omnes cum *Hierichuntina* & *Nicopolitana* incerta, juxta textum Hebræum Literis Hebræis & Græcis scriptum, in *Octaplis* suis disposuerat olim *Origenes*, Fragmentis quibusdam præter illam τῶν LXX. tantum ad nos delatis. Celebres quoque *Targumin*, sive

ve Paraphrases Chaldaicæ, potissimum *Onkelosi* & *Jonathanis*. Quibus jungimus Versionem *Syriacam*, tum N. tum etiam Vet. T. antiquam valdè utramque. Nec est recentiorum in variis linguis numerus. Concidit ex dictis *Pontificiorum* temeraria assertio, detorto *Augustini* Testimonio nixa, Tribus tantum Linguis, Hebræa Græca & Latina, Scripturam per plura secula olim lectam esse. Atque non habuerunt Apostoli ipsi, ut volunt gratis, opus vertere in Linguas Vernaculas Scripturam; cum α magis necessariis distracti, β Scriptis in communissima lingua datis, γ id humana industria ab aliis præstari voluerint.

Versiones Publica Autoritate constitutæ non sunt contumeliose exagitandæ, nec tamen fontibus æquandæ.

XXXIV. Uti verò à piis Magistratibus simul ac Ecclesiarum Antistitibus cura gerenda est summa, ut dè fideli Versione per Viros Linguarum peritos Ecclesiæ publicè privatimque prospiciatur, ita intolerandæ petulantiæ atque ambitionis argumentum est, fidelem ejus modi & publicè stabilitam Versionem, qualis e. g. Belgica nostra, I. I. & P. P O. O. jussu ex Dordracenæ Synodi statuto curatissime adornata, omnium ferè etiam dissentientium consensu, sive in Concionibus, sive in Scriptis Belgicis, ex suo vel alterius privati arbitrio sollicite negligere, notare, corrigere, omnibusque modis suspectam reddere plebi. Unde non alii fructus, quam dubitationis, confusionis, vanæ admirationis, & perpetuæ mutationis, in Christianæ rei ludibrium provenire possunt. Absit interim, ut Versionem ullam, tanquam infallibilem, textui Authentico vel æquemus vel anteponamus, auferamusque Doctoribus, vel α *officium* decens vim originalium monstrandi, pluresque Versiones, vulgo in margine etiam notatas, conferendi, vel β *libertatem* dissensus, γ ejusque cum modestia & prudentia debita proponendi. Quod absque *Papistica* & *Anabaptisticâ imitatione* fieri non potest.

Translata Scriptura coram & ab omnibus est Legenda.

XXXV. Translata sic Scriptura promiscuè *Legenda* est, & coram Plebe, & à Plebe Christiana, absque ulla speciali hominum permissione; ut tamen in partibus Scripturæ maximè commodis ac utilibus legendis consilio Pastorum & magis Exercitatorum locus sit. Quod constat 1. Ex *Mandatis*, tum *implicitis*, in redargutione inscitiæ Scripturarum *Matt.* XXII. 29. & beatitudine meditantium prædicata *Psal.* 1. 1. 2. *Apoc.* 1. 3. [2] tum *explicitis Deut.* VI. 6. XI. 19. XVII. 18. 19. XXXI. 11. 12. [3] *Jer.* XXXVI. 6. *Joh.* V. 39. ubi α ad Judæos promiscue sermo *vers.* 14. 16. *&c.*
β il-

β illis ſive cum elogio tribuitur in Indicativo, ſive potius imperatur, non permittitur cum ſpeciali indulgentia, Scripturæ ſcrutinium, γ ratione addita ab argumento Euangelico, & Vita Æterna, ſecundum Judæorum non vanam opinionem ſed ſententiam certam, in iis reperta. 2 Ex *Praxi* Eccleſiæ perpetua; tum palam prælegentis *Neh.* VIII. 3. 4. 6. *Luc.* IV. 16. *Act.* XV. 21.[4] unde *Lectorum* Ordo in Eccleſia Chriſtiana natus; tum legentis privatim *Pſal.* CXIX. 24. *Act.* VIII. 28. 2 *Tim.* III. 15. *Act.* XVII. 11. ubi non dè magis generoſis ſive provectis inter Theſſalonicenſes, ſed de Berœenſibus, communiter commendatis ſupra illos ob Scripturæ ſcrutationem, agi, ex contextu & phraſi certiſſimum eſt. 3. *Rationibus* ſumptis, α à Divina Scripturæ deſtinatione in omnium uſum *Hab.* II. 2.[5] *Rom.* I. 7. *&c.* β à fine directionis, informationis, conſolationis, defenſionis, nutritionis, quem Scriptura habet, nec abſque Lectione præſtare poteſt; γ à ſtatu denique fidelium, qui Prophetæ ab ipſo Deo edocti omnes, Sacerdotes ad ſanctum admittendi, & omnium Judices ſecundum Divinam Legem.

[2] *Vid. Comment. in loc.* [3] *Comment. in loc.* [4] *Exerc. Text.* XLI. *P.* V. [5] *Comment. in loc.*

Peſſimè Lectionem hanc interdicunt Papiſtæ. Quorum Objectiones diluuntur.

XXXVI. Adverſantur potiſſimum, poſt *Gnoſimachos* veteres, *Papiſtæ*, prætextu Obſcuritatis Scripturæ, ſed revera ex conſcientia claritatis ejus in Errorum & Superſtitionum redargutione; abſque Epiſcoporum, Inquiſitorum, vel Superiorum permiſſu, quem poſteriores Papæ iterum limitarunt, Scripturæ Lectionem *noxiam*, *periculoſam*, *illicitam*, *peccaminoſam*, & *pernicioſam*, ſtatuentes, *& peccatorum Abſolutionem ante Biblia Ordinario reddita* negantes. A qua *Tridentinorum* ſententia recedere paululum, tum Praxin habitantium inter Reformatos, tum cordatiorum multorum doctrinam, haud diffitemur. Interim urgent illi fruſtra 1. Loca *Matt.* VII. 6. XIII. 11. *Hebr.* V. 14. cum α nec ratio nec Scripturæ conſuetudo permittat ſub nomine *Canum* & *Porcorum*, utpote impurorum, conculcantium, deglutientium, ſanctiſſimum & manſuetiſſimum Chriſti populum intelligere; nec β lectionem, ſed cognitionem interiorem, non fidelibus, quibus tribuitur, ſed infidelibus altero loco neget Salvator; nec γ tandem in Scriptura ſolum ſit *Solidus Cibus*, tum doctoribus, tum doctioribus in plebe utilis, ſed & *Lac* ſimpliciores nutriens

1 *Petr.*

1 *Petr*. II. 2. *Psal*. XIX. 8. *&c*. 2. *Praxin* Ecclesiæ, tum *Christianæ*, quam Tribus tantum Linguis Scripturas usurpasse, explosum antea figmentum est, tum *Judaicæ*; α quæ Hebræo textu, etiam si demus puncta non adfuisse, benè uti potuit; β nec oblita plane est Hebrææ Linguæ in Captivitate, vel ex *Nehem*. VIII. 3. 4. intelligendâ *vers*. 9. non adeo Translatione quam Expositione, atque constante palam Chaldaicæ, Syriacæ, & Hebaicæ, Linguæ convenientiâ magna, unde & commune nomen *Act*. XXI. 40. XXII. 2. XXVI. 14. γ nec Versionibus, tum Oralibus in Synagogis, tum & Scriptis privatim, posteriori tempore caruit; δ nec tandem deperdito Legis ad tempus Autographo 2 *Reg*. XXII. 8. Propheticis Oraculis & Apographis destituta fuit [6]. 3. *Rationes* sumptas; α à *Scriptura*, cujus Obscuritas gratis prætexitur, & argumentum potius præbet Lectionis intendendæ quam negligendæ, cujus Majestas non per absconsionem sed Lectionem patefit, quamque justam Scandali ullius, Hæresios, aut Profanationis occasionem cuiquam dare, perpetuis ipsius dehortationibus adversa blasphemia est; β à *Plebe*, quæ Voce viva non sola sed etiam scripta erudiri debet, & ex lectione Scripturæ in Curiositatem, Arrogantiam, Errorem, non nisi proprio vitio, non etiam magis quam ex auditu ejus, incidet; γ denique ab *Ecclesia* integra, cujus Unitas in una Scripturæ Lingua nec necessaria nec possibilis, & cujus Conventus publicos, ex hypothesi necessarios, ob Dei mandatum, preces communes, difficiliorum intelligentiam, excitationem mutuam, charitatem fovendam, Lectio Scripturæ privata non evertit, sed potius stabilit.

[6] *Exerc. Tex*. XLI. P. V.

Per Lectionem inquirendus Scripturæ Sensus, qui vel Simplex vel Compositus est, ex Literali & Mystico.

XXXVII. Lectio verò ut utilis sit, διανοίας, νοὸς, 1 *Cor*. II. 16. sive *Sensus* per verba significati *Intellectus* adesse debet. Hunc vulgò nostri *Unum* dicunt tantum; verum α *Simplicem* quandoque, dictum *Literalem*, *Grammaticum*, *Historicum*, sive *Propriis* verbis sive *Improprio* sermone efferatur, sive κατὰ τὸ ῥητὸν, sive κατὰ συνακολούθησιν textui insit; quandoque β *Compositum*, ex hoc Literali, per *Verba*, & Mystico sive Spirituali, per *Rem* typicam vel parabolicam significato; ad cujus rei illustrationem adduci solet Jonathanis verbum ad puerum dè sagittis quærendis 1 *Sam*. XX. 21. 22. uti ad ejus confirmationem, præter Parabolas, faciunt Typicarum Prædictionum exempla complura *Exod*. XII.

46. 2. *Sam.* VII. 13. 14.[1] *Hos.* XI. I.[2] &c. atque ἀλληγορουμένων vox à Paulo ipso adhibita *Gal.* IV 24.[3] Concedunt autem alii, ex nostris quoque, in iis locis Sensum *Duplicem*, Literalem & Mysticum sive Allegoricum, sed planè jungendum. Atque sic ab ævo ante Pontificios locuti sunt Patres, quin & Judæi distinguentes מדרש / sive *inquisitionem* mysticam, à משמע / *auditu*, & פשט / *simplicitate*, iterum quandoque distinctis. *Pontificii* autem, asserturi Obscuritatem Scripturæ ac Ecclesiasticum Interpretationis jus, admodum urgent Duplicem hunc Scripturæ Sensum; & Mysticum denuò dividunt, in *Allegoricum*, cum verba præter Literam Spirituale aliquid ad Christum & Ecclesiam pertinens significant, *Tropologicum*, cum ad mores referuntur *Deut.* XXV. 4. I *Cor.* IX. 9. 10. & *Anagogicum*, cum cœlestium significatus adest *Psal.* XCV. 11. *Hebr.* IV. 3. 9. Quæ distinctio posterior Veteribus incognita, & minus fortè curata est; à pluribus tamen admissa.

[1] *Vid. Exerc. Text.* VIII. P. VI. [2] *Comment. in loc. & Exerc. Text.* XX. P. I. [3] *Exerc Text.* L. P. V.

Sensus Literalis non est Multiplex, sed Unus. Allegoricus ubi debeat admitti? Tropologia & Anagoge Usus sunt. Kabbalæ Judaicæ speciebus sensus verus non educitur. Ex Citatione tandem N. T. Sensus Literalis aut Mysticus talis semper colligi non potest.

XXXVIII. Tenendum hic autem est distinctè. 1 Sensum *Literalem*, ubique repertum, nec cum *Fanaticis* & *Judæis*, ut דבר קטן / *rem parvam*, vilipendendum, propriè *Unum* tantum esse; quoniam α Unum & Verum convertuntur; β nec Deus per Sapientiam & Bonitatem in Obscuritate incerta ludere nobiscum voluit. Atque opponi perperam à *Pontificiis* aliisque, præter alienissima loca *Prov.* XXII. 20. *Ezech.* II. 10. I *Cor.* X. 6. 11.[4] I *Thess.* V. 23. *&c.* α Dei Sapientiam, qua sensus omnes ex verbis suis eliciendos ab hominibus licet præviderit, non tamen intendit aut intendere potuit; β Verbi Fœcunditatem & Amplitudinem, quæ in rerum mysterio ac nervoso complexu satis elucet; γ Synecdochicas locutiones, in quibus Improprietas, non tamen Multitudo Sensuum est; δ Interpretationum commodarum ejusdem loci Diversitatem, quæ utique sæpius inter se oppositæ jungi non possunt, & quarum aliqua semper magis probabilis est, accusandâ alias intellectus nostri cæcitate, ejusque judicio ad majorem illuminationem suspendendo; ε Cajaphæ vocem *Joh.* XI. 50. cujus sensum, alium licet cogitaret ipse, Unum tantum Verum Deus per Providentiam suam intendit; ς tandem Consequentiarum eductarum Multitudinem, cum Sensus sic educti Subordinati & ad unum referendi sint. 2. Sensum *Allegoricum*, qui magis

gis Principalis est, nec in omnibus locis, nec alibi, quam ubi Spiritus S. præit, admittendum esse, ne loco Divini verbi cum *Papistis* pluribus, *Origenistis*, & *Judæis*, cerebri nostri deliria sequamur; imo non extendendum ultra scopum & decorum, ut perfectiones Christi vel Ecclesiæ per Typi aut Parabolæ defectum lædantur. Hoc verò pacto Sensus Allegoricus firmam parit demonstrationem, & est etiam *Theologia Symbolica Argumentativa*. Interim spiritualia per humanas allegorias cum corporalibus conferri pie, non abnuimus; rei demonstratione aliunde tum petenda. 3. *Tropologiam*, & frequenter *Anagogen*, verius ad Scripturæ Usus quam Sensum referri, qui unus varios hos Usus admittit. 4. Carere omni solido fundamento Sensus, licet sæpe cum re significata convenientes, per *Kabbalam* Judæorum, ejusque triplicem præ reliquis celebrem modum, *Gematriam*, *Temurah*, & *Notaricon*, in Scripturam intrusos. Cujus rei ludicræ patrocinium nullo modo cum Viris quibusdam Doctis suscipiendum est, ex nominibus Abrahami, Saræ, Davidis [5] &c. Atque referenda huc plane sunt, quæ ad Literas *Majusculas*, *Minusculas*, *Suspensas*, *Inversas*, *Irregulares*, *Jes.* IX. 6. [6] *Neh.* II. 13. &c. finguntur. 5. Denique quamcunque vocum Vet. T. in N. Citationem aut Usurpationem non inferre Sensum eundem, sive Literalem, sive Allegoricum in V. T. Quod α constat ex exemplis clarissimis *Matt.* II. 18. *Jer.* XXXI. 15. [7] *Rom.* X. 6. 7. *Deut.* XXX. II. 12. [8] *Rom.* X. 18. *Psal.* XIX. 5. [9] *&c.* in quibus Prophetarum torsione nimia rem Christianam ludibrio exponere non debemus; dein β ex *Accommodationis* usu universali & decenti in Scripturæ verbis adhibendis inter Christianos omnes, *spiritualia cum spiritualibus conferentes* I *Cor.* II. 13. hinc neutiquam Scriptoribus S. indecenti. Non tamen huc semper aut absque necessitate magna recurrendum esse putamus

[4] *Exerc. Text.* XLII. P. V. [5] *Exerc. Text.* VII. P. III. [6] *Exerc. Text.* XIII. P. VI. [7] *Exerc. Text.* XX. P. I. [8] *Comm. in loc.* [9] *Exerc. Text.* XX. P. V.

XXXIX. Sensus perrò genuini Expositio, atque conjuncta falsitatum discretio, sub nomine *Interpretationis* & *Judicii Controversiarum* venit; de quo adhuc breviter. Atque hic quidem Judicium *Discretionis* & *Privatum* singulis Fidelibus per Spiritum illuminatis tribuimus; ob α mandata multiplicata *Joh.* V. 39. *Rom.* XIV. 5. I *Cor.* VII. 23. X. 15. *Phil.* I. 10. I. *Thess.* V. 21. I *Joh.* IV.

Judicium Discretionis Fidelibus singulis competit. Definitivum & Ministeriale Doctoribus.

IV. 1. *Gal.* I. 8. *&c.* β Praxin laudatam *Act.* XVII. 11. γ ac generalem Pauli assertionem 1 *Cor.* II. 15. 2. *Cor.* IV. 2. *Hebr.* V. 14. Quod Judicium omninò Liberum, & generaliter ad Omnia extensum est; nec à *Papistis* eversum α locis 1. *Cor.* XII. 10. 2 *Pet.* I. 20. 1 *Joh.* IV. 1. *&c.* cum donum extraordinarium majus non tollat ordinarium, gradu in variis varium quoque, Scripturæ ἰδία ἐπίλυσις non sit Privati Expositio, sed vel Prophetæ proprio motu prolata vox, vel potius Prophetiæ peculiaris pro lubitu extra Scripturam facta Expositio, ac denique Spirituum omnium probatio non soli Ecclesiæ sed singulis mandetur; aut β monitis Obedientiæ erga præpositos *Mat.* XXIII. 2. 3. [1] *Hebr.* XIII. 17. *&c.* cum illa ad vera & decentia sint restringenda, quin & in Discretione hac exerceatur; aut γ multorum Ruditate, quæ excutienda; aut δ Confusione secutura, quæ ex Privato Judicio solo nulla. Judicium autem *Ministeriale*, *Publicum*, & externè *Definitivum*, competit Ecclesiæ Præpositis, quibus incumbit Scripturæ expositio, & vigilia contra hæreses; α ex Mandato *Mal.* II. 7. [2] *Matt.* XXVIII. 19. 2. *Tim.* II. 15. IV. 2. *Act.* XX. 30. 31. 2. *Tim.* II. 16. *&c.* β Praxi *Neh.* VIII. 9. *Act.* II. 29. VIII. 35. XX. 17. 1 *Cor.* XV. 12. *&c.* & β ratione Muneris ac Donorum singularium 1 *Cor.* IV. 1. *Hebr.* V. 12. Ubi singulis iterum præpollent Plures, in publicis Conventibus, Classibus, Synodis, supra privatos Doctores & ab ipsis venerandis 1. *Cor.* XIV. 29. 32. 33. infra Deum tamen & Scripturam; in quibus indicendis, dirigendis, firmandis, defendendis, sua sunt piis Magistratibus jura, neglectu aut abusu impio haud violanda. Judicium tertiò *Normale* atque *Directivum* tribui debet Scripturæ ipsi, quæ suarum etiam interpretationum regula summa est. An vero & quis præterea *Judex Supremus*, *Absolutus*, *Infallibilis*, ἀνυπεύθυνος, hic sit in Ecclesia, respectu credendorum & faciendorum omnium, id magnopere controversum est.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XXVII. P. II. [2] *Comment. in loc.*

Judicium Supremum & Infallibile non competit vel Spiritui Enthusiastico, vel Rationi.

XL. Non admittendus est ad hanc dignitatem *Spiritus Enthusiasticus*, ob easdem quas supra contra hunc ut fidei Principium produximus rationes; cum quo *monitorem Zwinglii nocturnum* conferre non licet. Non etiam Ratio Humana aut Philosophia ulla, uti se statuere tum *Sociniani* tum *Philosophi* multi, sive praxi, in negatis Trinitatis, Incarnationis, Satisfactionis, &c. my-

mysteriis, aliisque quæ palam Scriptura tradit eversis, ostendunt, sive verbis quandoque falsi sunt. Nusquam α enim hæc Sana & Infallibilis existit in concreto; β est illa in spiritualibus, captum ejus excedentibus, cæca plane 1 *Cor.* II. 14. cæcitate in regenitis non plane sublatâ; γ est ea quoque à divina veritate aversa *Rom.* VIII. 7. unde ab ævo Philosophi *Hæreticorum Patriarchæ*, & nomine & re. Nec potest δ vel in re minima Judicium hoc dè quo agimus deferri Rationi aut Philosophiæ, quin hoc ipso Fidei Divinæ, verbo Dei ultimò nixæ, illa subtrahatur qua talis. Unde ne quidem Judicium *Particulare*, in *Revelatione Obscuriori*, qualem semper causari possunt Philosophi, admittunt in Locutione Sacramentali quidam imprudenter, adscribendum illi est. Omnia, quæ hic objiciuntur; vel pertinent α ad *Ministerium* Rationis multiplex, de quo *Cap.* I. §. XXXII. egimus; β vel ad res *Naturaliter* quoque cognitas, in quibus qua talibus Judicium Rationis, sed Scripturis revelantibus subjiciendum, lubenter admittimus; γ vel ad *Judicium Discretionis*, utique non infallibile, singulis proprium, atque in illuminatis qua talibus probatum à nobis.

XLI. Sed neque in hoc fastigio collocari patimur *Ecclesiam*, vel Electorum vel Vocatorum, vel Universam vel Repræsentativam, sive repræsentetur in Conciliis, sive in uno Pontifice Romano. Et habemus argumenta *generalia*. 1. A Judicio *Discretionis* libero, jam adstructo. 2. A Scripturæ *Regula*, quæ ut unica & ultima, & Ecclesiæ & singulis ejus membris, præscripta est *Deut.* V. 32. *Jes.* VIII. 20. 2 *Pet.* I. 19. 20. *&c.* 3. Ab Ecclesiæ *Fallibilitate*, tum *Electorum*, licet in necessariis finaliter hæc errare nequeat, tum *Vocatorum*, quorum & quibusdam in locis universales defectiones constant, tum *Antistitum*; qui α ut homines errori obnoxii *Rom.* III. 4. β infallibilis Spiritus promissum non habent, γ in objurgationibus & vaticiniis errori subjiciuntur *Jes.* LVI. 10. *Ezech.* VII. 26. *Matt.* XXIV. 24. δ ob Infallibilitatis præsumptionem damnantur *Jer.* XVIII. 18. ε atque in erroribus sæpius deprehensi sunt; exemplis V. T. in *Aharone*, *Uria*, *Cajapha*, *Pharisæis*, *Sadducæis*, Prophetarum & Seniorum *Conciliis* &c. Novi T. in *Samosateno*, *Photino*, *Ario*, *Macedonio*, *Nestorio*, *Dioscoro*, *Moggo*, *Gnapheo*, & *Conciliis* integris Hæreticis. Ad quæ accedunt *Specialia* contra Ecclesiam *Romanam*,

Vel Ecclesiæ, quod contra Papistas astruitur.

 quæ

quæ α Infallibilitatis promiſſo juxta cum aliis caret *Rom.* XI. 20. 21. 22. β tanquam Anti-Chriſti ſedes eſt deſcripta *Apoc.* XVII. 9. [2] γ Epiſcopos in fide errantes habuit plures, *Liberium*, *Vigilium*, *Honorium*, *Johannem* &c. ac ſecundum Jus Canonicum *à fide devios* habere poteſt, δ nunquam in Eccleſia prò Judice Univerſali, quidquid per fas & nefas urſerit, fuit agnita, ε in judicio dè graviſſimis capitibus variavit & variat adhuc, ς denique Apoſtaſiæ, Idololatriæ, Tyrannidis, affectatique injuſte Imperii omnis, dudum convicta eſt.

[1] *Vid. Exercit. Text.* XXIII. P. III. [2] *Comment. in Loc.*

Pontificiorum ſententia oppoſita vaga. Quorum Objectionibus ſatisfit.

XLII. Pugnant tamen Papiſtæ vehementer prò hoc Eccleſiæ ſuæ Jure, ſed Andabatarum inſtar, cum quid ſub nomine *Eccleſiæ* debeat intelligi, ipſis non conſtet; his *Pontificem*, illis *Concilium*, quod an illo ſuperius an inferius ſit iterum diſputant, aliis denique *Concilium à Pontifice Approbatum* urgentibus. Unde vaga eſt diſputatio ſe mutuò confodientium, & incerta fides Papiſtica primi hujus principii ſui reſpectu. Interim adducunt 1. *Exemplum* Eccleſiæ Veteris Judaicæ: ubi α tamen, nec *Exod.* XVIII. 26. [3] *Deut.* XVII. 8. [4] *&c.* 2 *Chr.* XIX. 10. [5] *&c. Eccl.* XII. 11. [6] *Hagg.* II. 12. [7] *Mal.* II. 7. [8] *&c.* nec *Matt.* XXIII. 2. 3. [9] *&c.* Pontifici aut Synedrio Judicium dè rebus ſacris Infallibile tribuitur, quod mandatum, non promiſſum, judicandi ſecundum Legem, ac multiplex experientia his ipſis locis notata, ſatis evertunt, nec Acquieſcentia externa in litium deciſione à Judice ſtatuto factâ evincit; neque præterea β à Judaica Eccleſia, minoribus donis vulgo inſtructa, Pontificemque divinitus nacta, ad Chriſtianam valet argumentum. 2. Conceſſam Novi T. Eccleſiæ, tum *Infallibilitatem Matt.* XVI. 18. 1 *Tim.* III. 15. [10] *Luc.* XXII. 32. *&c.* tum *Autoritatem* ſupremam *Matt.* XVI. 19. [11] XVIII. 17. [12] *&c.* Cum hinc tamen α ad Romanam non valeat argumentum; β Eccleſiæ Electorum Perſeverantia vocatorum infallibilitatem non inferat; γ Officium veritatem defendendi non ſemper præſtetur; δ Petri conſtantia ab Eccleſiæ omnis Infallibilitate multum differat; ε denique Eccleſiæ data Autoritas ſit tantum Miniſterialis, hinc in exercitio juſto ad Dei Verbum ſemper reſtricta. 3. *Judicis* in Eccleſia *Neceſſitatem.* Quam α lubenter concedimus; ſed β infallibilitatem humanam, aut cæcam conſcientiæ ſubjectionem ſub homine inferre, hic magis quam in Republica

publica ulla, non putamus; & quæ γ non mox ad Ecclesiam, minus Romanam, nos ducit. 4. *Praxin Ecclesiæ* perpetuam, inde ab Apostolis *Act.* xv. Synodicè scil decidentis Controversias. Unde Decisio α Infallibilis & ἀνυπεύθυνος, Patribus ipsis & experientiæ contraria, non sequitur; β Spiritus infallibili ductu Apostolis primisque temporibus relinquendo. 5. Romani Episcopi; tum Infallibilitatem ex Petri successione, quam restrictione sua ad res Fidei, ejus solas Conclusiones, Media legitimè adhibita, & *Loquelam*, nesciunt quam, *ex Cathedra*, satis ipsi evertunt, & fingi plane absque specie constat; tum Autoritatem ab ævo agnitam, sed vel à gnathonibus, vel à servire violenta oppressione coactis populis.

[3] *Exerc. Text.* XII. P. V. [4] *Ibidem.* [5] *Ibidem.* [6] *Exerc. Text.* XLI. P. V. [7] *Comment. in Loc.* [8] *Comment. in Loc..* [9] *Exerc. Text.* XXVII. P. II. [10] *Exerc. Text.* XLIV. P. II. [11] *Exerc. Text.* XXX. P. V. [12] *Exerc. Text.* XXXI. P. V.

Judicium Infallibile soli competit Spiritui.

XLIII. Vel ergo nullus est *Interpres* & *Judex* talis, vel est ille solus *Spiritus S.* sive infallibili Inspiratione, uti olim in Apostolis, sive in Verbo Scripto loquens, cui & *Judicium* propterea quandoque tribuitur *Jes.* 11. 3. 4. *Joh.* xii. 48. *&c.* Ac α uti hic requisita *Judicis*, infallibilitatem, animum προσωποληψίας expertem, autoritatem supremam, cognitionem suorum dictorum optimam, perspicuitatem in verbis sufficientem, vim ingenerandæ fidei insuperabilem, habet; ita β ad hunc continuò ablegamur; & γ ablegarunt nos quoque ipsi Apostoli *Act.* xv. 15. 28. Parum autem nos movent; α tum vitilitigationes, de *Judicis distinctione à Norma*, quæ qualiscunque à nobis data, nec sensu controverso in regno Christi vel ullo mundano necessaria est, & dè *Scriptura ipsa Controversa*, quæ tamen se ipsam ut alia scripta omnia declarare potest & debet; tum β hypotheses de *Scripturæ Obscuritate*, *Ambiguitate*, & *Defectu virtutis coactivæ* ad obsequium sententiæ, quas ex hominum cæcitate atque obfirmata contra lucem per Dei permissionem cordis duritie, qualis reperitur *Act.* vi. 10. 11. colligere non licet; tum γ *Silentium* de variis capitibus in Scriptura, quæ hoc ipso minus necessaria judicat; tum δ *Hæresium* non exspectandus *Finis*, quas semper esse in Ecclesia voluit Deus 1 *Cor.* xi. 19. ad demonstrationem suæ sapientiæ & potentiæ, ad fidelium probationem & exercitium, ad infidelium de-

detectionem & exitium majus, & quas per verè Enthusiasticum Pontificis & Gonciliorum Spiritum potius augendas quam minuendas fore, non est dubitandum.

Interpretatio ad totam Scripturam extendi debet. Quæ oporteat in Interpretatione Prophetiarum evitare.

XLIV. Est extendenda indubie Interpretatio ad *Totam Scripturam*, non restringenda ad *Pericopas* aliquot *Euangelicas* aut *Epistolares* in orbem redeuntes, per quas progressus docentium & attentio discentium minuitur, quibusque tenebrarum Papalium tempore introductis in luce Euangelii nos alligari non decet; contra α Pauli exemplum *Act*. XX. 27. & β Scripturarum omnium Finem *Rom*. XV. 4. γ ac Usum nobilem 2 *Tim*. III. 16. Quin & volvendæ sunt cum industria *Prophetiæ*; quò faciunt non adeò generalia loca *Luc*. XVI. 29. 1 *Thess*. V. 20. 2 *Pet*. I. 19. &c. quam specialia *Dan*. XII. 4. *Matt*. XXIV. 15. *Apoc*. I. 3. [1] juxta Apostolorum & Christianorum antiquam praxin, & ad quod nos quarundam Obscuritas magis impellere debet, utique non futura semper insuperabilis. Interim cura gerenda; ne α cum neglectu magis necessariorum coram plebe Christiana in Prophetiis simus toti; β aut Prophetias in simplici Historia, Oratione, Parabola, prò lubitu fingamus; γ aut Prophetias dudum ad literam sub Vet. T. impletas, licet historia forte desit, in opprobrium veterum temporum, fidelium, & Scripturarum ipsarum, ad nos & futuros adhuc eventus trahamus; δ aut ad Periodos quasdam sive confictas sive dubias omnia torqueamus; ε aut incerta & nimis Particulari ad singulares nostri temporis res, personas, regiones, urbes, applicatione Rempublicam & Ecclesiam turbemus; ς aut denique conjecturas omnes pro sapientissimis & irrefragabilibus demonstrationibus habendo, ludibrio nos justo exponamus. Quin & notamus, in magno nos undique cingentium, & novos insultus quotidie parantium, hostium numero, non debere temni aut negligi *Locorum Controversorum* industriam tractationem, quasi id foret actum minusque utile quid agere, contra Paulum *Phil*. III. 2. 2 *Tim*. II. 16. 25. *Tit*. I. 9. *&c*.

[1] *Vid. Comment. in loc.*

Media Interpretationis varia. Inter quæ attentio ad Analogiam fidei & Contextus.

XLV. Uti in hac omni Scripturæ Interpretatione primo recurrendum est per *Preces* ad Dei illuminationem *Psal*. CXIX. 18. *Eph*. I. 18. *Jac*. I. 5. 17. *&c*. tum adducendus *Animus* humilis, docilis, attentus, & pius, *Jac*. IV. 6. *Psal*. XXV. 9. 14. *Jes*. LXVI. 2. *Matt*. XI. 25. *Hos*. XIV. 10. [2] *&c*. dein adhibenda cum industria

ſtria ſubſidia variarum Interpretationum, etiam antiquarum, quin & *Judaicarum*, non fruſtra à Divina providentia in hac donorum varietate nobis relicta, uti & Literarum & Hiſtoriarum, quas ſpernunt ſtulte multi *Anabaptiſtæ*; ita potiſſimum attendendum eſt ad Scripturam ipſam, ut interpretationis omnis veræ Regulam, Cynoſuram, & Criterion unicum, cujuſque ſpiritualis meditatio vera *Scientiæ Clavis* eſt *Luc.* XI. 52.[3] Quemadmodum id liquet; α ex locis ſæpe adductis; β ſimili ſcriptorum humanorum; γ & requiſitis normæ, infallibilitate potiſſimum, obvio ejus uſu, & magis facili notitia; ne δ vexatum textum *Neh.* VIII. 9. addam. Pertinet ad hunc normalem Scripturæ uſum *Analogia Fidei*, per quam Paulus *Rom.* XII. 7. ſive *Menſuram fidei* ſingulis conceſſam, ſive Convenientiam cum certis & conſtanti traditione Scripturæ firmatis veritatibus, intellexit; uti hic capiunt vocem Theologi, ac ad hanc propter Uniformitatem Divini Verbi ante omnia attendi volunt. Sed ad hanc, ne quilibet ſenſus quibuſvis locis tribuatur, accedit *Analogia Contextus*, notans convenientiam cum phraſi integra, antecedentibus, conſequentibus, ſcopo dicentis, tempore & loco ſcriptionis &c. Adde duplici huic Analogiæ, Voces *Originales*, quibus ἔμφασις ſæpe & ἐνέργεια ſpecialis ineſt, tum etiam *Loca Parallela*, *Similia*, & *Diſſimilia*, ſive reſpectu rei ſive reſpectu phraſios, quæ lucem ſibi invicem paſſim affundunt haud exiguam.

[2] *Vid. Comment. in loc.* [3] *Exerc. Text.* XXXIII. P. II.

XLVI. Vulgo *Pontificii Infallibilem Viam optimumque Criterium* veræ Interpretationis concordem *Patrum* antiquorum *Expoſitionem* eſſe volunt, hinc ad adducta loca Patrum ſeriem integram vulgo oſtentant, noſtraſque interpretationes ut Patribus non viſas damnant; ut ſic Scripturæ tribunal declinent, errores magis tegant, interpretationemque ſibi rapiant, imitati plane *Phariſæos*, *Novatianos*, *Donatiſtas*, *Pelagianos*, *Arianos*, qui ad Patres vulgo provocarunt omnes. Verbo dicimus. 1. Damnare Scripturam Traditiones Exegeticas Majorum in Phariſæis *Matt.* V. 21. 22. *Marc.* VII. 9. 10. *&c.* non ergò ſemper veras eſſe eas & ſequendas. 2. Deeſſe hic Infallibilitatem, uſum publicum, extenſionem univerſalem, claritatem, cognitionem illâ Scripturæ ipſius faciliorem, & ſummatim omnia requiſita Criterii. 3. Eſſe Patrum Gloſſas haudquaquam omnes ad nos delatas, multas du-

Patrum Expoſitio non eſt Norma Interpretationis Infallibilis.

biæ originis, multis allegoriis & accommodationibus repletas, sæpius dissidentes, rarò convenientes, frequenter aberrantes, ex defectu cognitionis linguarum originalium, ex communi seculi errore, aut ex disputationis zelo, privato etiam nomine nec in regulam scriptas, denique à Pontificiis ipsis rejectas, quoties causæ non prosunt; quidquid dè *omnibus ad ultimum jota tenendis*, & *discessu* vel *transversi digiti nefario* alias vociferentur.

Quod straminecis argumentis probare conantur Papistæ.

XLVII. Vix operæ pretium est memorare 1. Objecta loca *Job*. VIII. 8. *Eccl*. XII. 11. 12. [1] *Rom*. XII. 7. 1 *Cor*. XIV. 32. 33. 36. Quibus; vel agitur α dè Senioribus ætate, sapientia vulgo præstantibus ac prudentiæ magistris; vel β dè ipsis Scripturæ verbis, à Deo ut Summo Pastore datis; vel γ regula fidei, non in Patribus, sed Scripturis quærenda, commendatur; vel δ Prophetarum viventium amica ac humilis collatio & subjectio urgetur. 2. Ratiocinia; α ex mente Ecclesiæ hinc constante, quod in omnibus haud verum, neque veritatis normam efficit; β ex mente Scriptorum per traditonem ipsis optimè nota, quæ oraliter facta esse gratis supponitur, & intercedente ævo non uno facilè adulterari potuit; γ ex illorum simul sumptorum Infallibilitate, quæ experientiâ liquidò refellitur; δ ex illorum Orthodoxia à nobis asserta, quæ multum ab Infallibilitate differt; ε denique ex præsentium Controversiarum in Patribus Ignorantia, quæ ipsos inidoneos potius quam idoneos Judices constituit, ob minorem attentionem, minusque prudentem sermonem, quem fluere ex hac ignorantia quæstionum Patres ipsi notarunt.

[1] *Exerc. Exeget*. XLI. P. V.

Regulæ Interpretandi præcipuæ.

XLVIII. Tenendæ adhuc sunt *Regulæ*, quas in Interpretatione Scripturæ apprimè observare decet. 1. Illam fieri debere potissimum ipsis *Scripturæ verbis* alibi repertis, sed quæ sint *Clariora* 1 *Cor*. II. 4. 13. Quamquam non sic illis sit inhærendum, ut ab iis, quæ apta quoque sunt ad rem notandam, & usus quotidianus notiora fecit, aut impietas hæreticorum in Scripturæ vocibus ludentium usurpare jussit, scrupulosè abstineamus; contra Scriptorum Novi T. & Patrum omnis ævi praxin. 2. *Proprietati Sermonis*, quantum fieri potest, esse inhærendum; quoniam ea significatio maximè ἔμφυτος est, neque ab ea Deus per bonitatem suam recessisse censeri debet, absque indicio sufficienti, vel in textu, vel in contextu, vel in parallelis. Quamquam denuo non

ita

ita τὸ ῥητὸν sit urgendum, ut vel contradictionem, vel fidei eversionem, vel absurditates manifestas, Spiritui tribuamus. Quo refer verba Eucharistica. 3. Similiter à *Sensu Literali ad Mysticum* non esse levi fundamento transeundum, nisi fidem nostram omnem in vanam opinionem convertere, & Scripturam ludibrio multiplici exponere lubeat; quo Allegorizandi studio ut nullum magis fertile, ita nec fortè magis facile est. Interim denuò carnales Judæos, veros literarum servos & syllabarum aucupes, in *Israelis*, *Tsionis*, *Templi*, *Sacrificiorum*, *Sacerdotum*, mentione, cæteroquin nimium passim allegorizantes, in Prophetarum & Apocalypsios expositione, ubi mysticus sensus frequens est, imitari minimè decet.

XLIX. Addimus tandem, *Vim Verborum & Phrasium* Scripturæ non esse temerè minuendam, aut præter necessitatem restringendam; uti fit non modo à *Socinianis* in negotio Deitatis, Incarnationis, Satisfactionis &c. sed à *Pontificiis* quoque, imò ab omnibus, quoties vel Hæresium vel Hypothesium ratio id exigere videtur. Sed plane; contra α amplitudinem Divini Verbi; & β Dei sapientiam, qui vocum vim & usum optimè noscens, eas non adhibuit sensu restricto & minori, nisi indicio sufficienti addito. Id si velint multi hodie, uti fatentur, qui valdè inculcant, *id omne verba in Scripturâ significare, quod significare possunt*; nihil α novi tantaque prædicatione dignum proferunt, β atque manifestè regulâ hac abutuntur in praxi, dum ex vocis significatione alibi reperta frequenter in aliis locis eandem inferunt, & significata sæpe toto cœlo diversa in eodem loco ponunt. Quod propter ea, quæ de Sensu & Interpretationis Norma supra dicta sunt, admitti non debet. Ut sit dicendum, id omne, quod ex intentione Dei & contextu ad unam vocis significationem spectat & referri potest, per illam significari.

Inter quas est tenenda Vocum & Phrasium Plenitudo.

L. Ex dictis omnibus satis clarum est, quam verè Scripturæ Finis statuatur *Salus* Electorum, præeunte Johanne *Joh.* xx. 31. coll. *Joh.* v. 39. 2 *Tim.* III. 15. *Jac.* I. 21. *Rom.* I. 16. &c. Cum α viam salutis monstret 2 *Tim.* I. 10. β ad eam calcandam hominem incitet *Ezech.* XVIII. 31. *Act.* XVII. 30. *Tit.* II. 12. &c. γ Deusque per Spiritum Scripturæ ut Instrumento Morali benedicat *Act.* XVI. 14. &c. Cui hic Effectus propterea non aliter competit; unde nec per prædicantium impietatem tollitur *Phil.* I. 15. 18. nec ad prædicationem semper sequitur *Jes.* LIII.

Finis Scripturæ Salus & Dei Gloria.

I. LXV. 2. *Act.* VII. 51. XIII. 46. 2 *Cor.* II. 16. Nunquam tamen non hinc elucet *Dei Gloria*, quæ uti in Scriptura est patefacta *Exod.* XXXIV. 6. 7. *Jes.* LX. 1. 2 *Cor.* III. 18. ita in Salute Electorum & damnatione incredulorum pariter patefit.

CAPUT TERTIUM.

De Religione.

Religionis Etymologia.

PEtita ex Scripturis Theologia RELIGIONEM tradit; quæ sic dicta creditur, vel à *relinquendo*, quod ipsa segregata sit, aut omnium derelictionem exigat, vel à *relegando*, ob rationes easdem, vel à *relegendo*, ob necessariam relectionem, vel a *re-eligendo*, ob repetitam Dei dilectionem, vel potius à *religando*, uti δέσμος à δέω, quod per eam α Deus homini gratiosa reconciliatione, β homo Deo amore vero, γ homo sibi temperantia & salutis cura, δ homo tandem proximo charitate syncerâ iterum devinciatur. Usurpatur autem vox passim apud Gentiles, & perindè apud Christianos Patres.

Ejus Synonyma varia.

II. Hebræi generaliora habent vocabula, *Cognitionis*, *Cultus*, *Amoris*, *Timoris*, *Invocationis &c. Dei*, præ quibus tamen omnibus celebris est appellatio *Viæ Dei*. Quâ quandoque Via à Deo calcata *Jes.* LV. 8. 9. *Ezech.* XVIII. 25. &c. sæpius Verò via homini calcanda venit *Gen.* XVIII. 19. *Psal.* XXV. 9. *Jes.* II. 3. *&c.* sic dicta, quod α sit inventa à Deo, β ab ipso præscripta, γ in ipso perfectissime expressa, δ ipsi grata, ε ac ad ipsum ducens. Habet ab hac appellatione originem *Legis* & *Doctoris* Hebraica denominatio. Græca vocabula sunt, ἐυσέβεια 1 *Tim.* III. 16. 2 *Pet.* I. 3. θεοσέβεια 1 *Tim.* II. 10. ἐυλάβεια *Luc.* II. 25. *Hebr* XII. 28. δεισιδαιμονία *Act.* XXVI. 22. XXV. 19. λατρεία *Rom.* IX. 4. θρησκεία *Act.* XXVI. 5. *Jac.* I. 26. 27. Quod nomen ultimum vel ab Hebræo דרש / *quærere*, vel ex θεῷ ἀρέσκειν, *Deo placere*, *coll. Hebr.* XI. 6. vel à *Thracibus* superstitiosis derivant. Adde τὴν πίστιν *Gal.* I. 22. & ex Patribus δόγμα, φιλοσοφίαν &c. sæpe cum epithetis *Christiani*, *Sacri*, *Superni*, *Novi &c.*

Ejus Homonymia.

III. Ad Homonymiam vocis spectat; quod α sæpe usurpetur prò qualicunque sedulâ observantia, & metu; β sæpe prò externis actibus & ritibus, quibus Religio demonstratur, unde loca

&

& tempora religiosa, atque *Religionis* & *Religiosorum* usurpatio de Vita Monastica; γ sæpe notet rationem Cognitionis & Cultus, illiusque tum Habitum tum Doctrinam, sive falsam sive veram, sive homini integro sive lapso præscriptam, iterumque vel naturaliter, vel supernaturaliter, uti hic vocem capimus.

IV. Definitur Religio; *Recta ratio Deum cognoscendi & colendi, ad hominis peccatoris salutem, Deique gloriam.* Quæ ferè petita sunt ex Paulo *Tit.* I. I. 2. & se invicem consequuntur; ducente Cognitione ad Cultum, Cultu ad Salutem, Salute ad Dei Gloriam; & exigente Gloria Dei Salutem, Salute Cultum, Cultu Cognitionem. Ejus Definitio.

V. Notandum verò *Actus* Religionis esse. 1. Vel *Elicitos*, qui ex natura religionis immediatè fluunt, & circa Deum solum versantur; vel *Imperatos*, qui mediate Divino mandato nituntur, & prò objecto habent etiam creaturas. Quo ducit duplex Legis Tabula, & Scriptura passim *Tit.* II. II. 12. *Jac.* I. 27. I *Joh.* III. 23. *&c.* 2. Utrosque vel *Internos*, uti est Amor, Timor &c. vel *Externos*, uti est Templorum structura, Sacrificatio, Eleemosynæ datio &c. vel *Mixtos*, uti est Invocatio, Auditus Divini Verbi, &c. Neque debent hi Actus omnes, licet simul tempore non exerceantur, atque Actus Eliciti & Interni primi sint, in vera religione à se invicem separari. Actus duplices.

VI. Plures hic dè *Cognitione* sunt quæstiones: quarum prima meritò, an sola *Observantia Mandatorum*, & *Spe Promissorum*, absolvatur Religio vera, ut nulla Dei, & Credendorum dogmatum quæ patefecit, *Cognitio* specialis aut Fides sit necessaria. Quod tenent *Sociniani* & *Remonstrantes*, ut Pelagianismum & religionis omnis Indifferentiam introducant. Negamus vero omnino nos. 1. Ob Revelationem Dei, quæ ultra Mandata & Promissa se extendit, ac Deum, Christum, Hominemque ipsum declarat; utique non frustra factam. 2. Ob commendationem Cognitionis & Fidei multifariam; in α Divinis Mandatis I *Tim.* II. 4. I *Joh.* III. 23. β promissis *Jer.* XXXI. 33. 34. γ Salute Annexa *Joh.* XVII. 3. 2 *Tim.* III. 15. δ Redargutionibus & Comminationibus ob inscitiam *Jes.* I. 3. 2 *Thess.* I. 8. ε Votis Scientiæ augendæ *Col.* I. 9. 10. ς denique religionis sive Appellatione sive Descriptione *Jes.* XI. 9. *Tit.* I. I. 2 *Pet.* I. 2. *&c.* 3. Ob Cognitionis & Fidei Necessitatem; tum ad α Observationem Mandatorum, inter quæ Fidei Cognitio est Necessarius Actus Religionis.

dei illud primum est 1 *Tim.* 1. 5. *Joh.* VI. 29. quæ ipsa distinctè sunt cognoscenda, quorumque obligatio multiplex ex Dei majestate & beneficiis est discenda; β tum ad Spem Promissorum, quæ Fidem in Deum ut Redemptorem per Christum necessario præsupponit. Neque sunt alicujus ponderis, quæ objiciuntur; α vel dè Cognitionis absque cultu Insufficientia, illiusque præ hoc minori præstantia, quam lubenter concedimus, sicut pars corporea in homine, nec sola sufficit, nec animæ æquatur, illi tamen essentialis est; β Vel de Justitiæ studio, Deo in omni gente grato, *Act.* X. 34. 35. quod Cognitionem Dei reverendi supponit, Christique, licet minus forte claram; γ vel de plurimorum hinc sequente Damnatione, quam omnes utique sunt promeriti, & gentibus ἀθέοις ipse Paulus tribuit.

Ad Cognitionem Dei & veri Cultus per Dubitationem Universalem de omni Religione non est contendendum.

VII. Ad Cognitionem hanc acquirendam, secundum Philosophiæ methodum huc facile à nonnullis traductam, pessime suadetur quandoque *Universalis de Religione* omni ejusque principio *Dubitatio*; per quam homo scilicet, non jam Infidelis aut Hæreticus, sed professione verè Christianus, ad justæ ætatis annos provectus, & religionis studiosus, ob multa absque sufficienti scrutatione admissa, de omnibus voluntaria Suspensione Judicii dubitare semel deberet, sic revera tunc in Christianismum non magis quam in Turcismum pronus. Quo pacto utique; α commendatur ipsa Infidelitas, nunquam ob breviorem durationem, aut finem bonum, bona; β Spiritui S. quem homini ad eam ætatem usque negare non possumus, prò tempore isthoc resistendum esse docetur; γ tenetur Satanæ apud homines primos via; δ eliminatur omnis puerorum Catechesis, ut inutilis, quin & noxia in ingenerandis præjudiciis; ε ac in Tentationem summoperè periculosam, quam fideles omnem rectè deprecantur, manifestè inducuntur singuli. Possuntque, si quæ hic temerè ineunte ætate admissa sunt absque sufficienti ex Scripturis demonstratione, Scripturarum facta collatione singula discerni, argumenta item rerum creditarum ponderari, absque hoc Dubitationis Universalis præcipitio; planè quemadmodum ad finem vitæ ob perpetuo manentem fallibilitatem, & fluentes hinc in perspicacissimis errores, agendum est.

Clara & Distincta Perceptio an in hac Cogni-

VIII. Est hic quoque ἀμφίβολος regula illa communior, de *Clara & Distincta Perceptione* necessaria, antequam aliquid in Religione admittatur, & vero omni quod ita percipitur.

tur. Aut enim illa intelligitur de Rebus ipsis, uti in prima origine sua apud Philosophos capitur, atque Judicium Perceptionem consequens hic quoque ad res refertur; quandò admitti neutiquam potest, propter Religionis Mysteria, quæ ob oculorum nostrorum præsentem caliginem, eorum sublimitatem, luminisque tam copiosi defectum, sic nunquam in hac vita percipere poterimus. Aut intelligitur dè facta à Deo Revelatione, cujus ex Scripturis Cognitio omnino necessaria est, ut Fides non sit humana sed Divina. Cæterum an illa semper *Clara & Distincta* debeat dici, admodum dubito, cum non omnia demonstrativè, sed quædam etiam probabiliter, ex Scriptura discantur; in moralibus Conscientiæ Dubitanti sic non satis consulatur; quin etiam ad claram distinctamque perceptionem Revelationis reduci semper possit, uti & à nonnullis palam fieri videmus, Subjecti & Prædicati ipsius perceptio similis, ut inde judicium petatur, num propriè an impropriè hæc in Scriptura accipiantur. Interim ad Claram Distinctamque Revelationis Perceptionem omni modo contendendum esse non abnuimus, atque vellemus omninò, regulam hanc ab iis etiam qui eam præ aliis videntur velle inculcare diligentius observari. tione sit necessaria?

IX. Distinguuntur *Articuli* Religionis in *Positivos* & *Negativos*, in *Theoreticos* & *Practicos*, in eos qui spectant *Principium* & *Conclusiones* inde eductas; potissimum autem in minus & magis *Necessarios*, sive ad *Ecclesiæ* alicujus visibilis, sive ad *Salutis* communionem, sive *Scitu*, sive *Creditu*, sive *Factu*, &c. Necessarii vulgò appellantur *Principales*, *Capitales*, *Elementares*, *Radicales*, & *Fundamentales*, præeunte cum Judæis Scriptura 1 *Cor.* III. 11. 12. [1] *Col.* II. 19. 1 *Tim.* III. 15. [2] *Hebr.* V. 12. VI. 1. 2.[3] vario & ipsâ sensu. Illi verò hic Nobis Necessarii potissimum dicuntur; *Quorum sive simplex Inscitia sive Rejectio, secundum revelatam Dei voluntatem, adultos à salute excludit.* Articulorum Religionis Divisio.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XLI. P. III. [2] *Exerc. Text.* XLIV. P. II. [3] *Exerc Text.* XLVI. P. III.

X. Sophistica recentiorum *Pontificiorum* fraus est, quod prætextu nostræ ab ipsis *Secessionis*, atque *Accusationis* contra ipsos institutæ, revera autem ut à Controvesiarum tractatione nos arceant & simpliciores difficultatibus irretiant, urgent; dè *Articulorum* inter nos & ipsos controversorum *Pondere* prius quam *Veritate* Articulorum Veritas ante eorum Pondus probari debet.

tate esse agendum. Quæ hypothesis facilè convellitur; ex *Ordine Rerum* naturali, juxta quem à Simplicioribus & Facilioribus ad composita & difficiliora est procedendum; β ex Praxi Christi, Apostolorum, & Doctorum omnis ævi; ex γ Veritate omni, quatenus hanc Deus à nobis teneri vult; δ denique ex omnium capitum minus aut magis necessariorum sufficienti Utilitate & Pondere *Rom.* xv. 4. Nec obstat; α vel in docendo quandoque Pondus prænotari, cum alia sit Disputationis ratio; β vel Utilitas major disputationis, ubi Necessitas fuerit monstrata, cum id secundo loco fieri possit, & Utilitas veritatis demonstratæ semper sit satis magna; γ vel Secessio aut Accusatio nobis adscripta, cum illam vicissim Pontificiis tribuamus, neque de Facto antiquo sed de Fide primaria nostra debeat esse disputatio.

Nobis solis Probatio contra Pontificios non incumbit sed & ipsis, ubi aliquid credi volunt.

XI. Eodem pertinet, quod *Pontificiorum Methodistæ* hi *Novi*, pariter in Veritatis & Necessitatis inquisitione, in Articulis tum Negativis tum Positivis, Probationis onus in nos devolvunt, se ipsos ab eo *stricto jure* eximentes; plane ut simpliciter negando errores suos facilius tegant. Quo ipso ostendunt. 1. Se adversari, uti monitis plurimis 2 *Tim.* II. 25. *Tit.* I. 9. *&c.* ita potissimum Petrino 1 *Pet.* III. 15. 16. ubi ἀπολογίαν ab ὁμολογίᾳ distinctam, & cum βεβαιώσει junctam, eamque promptam, coram omnibus exigentibus, cum lenitate animi, & cum metu, ab omnibus exigit, tanquam sanctificati cordis & bonæ conscientiæ testimonium. 2. Se negligere exemplum Domini, Apostolorum *Act.* IX. 22. XVII. 2. 3. 2 *Cor.* IV. 2. *&c.* & Patrum omnium. 3. Se ignorare Nostrum in *Negativis* Statum; qui hic propriè nihil credimus, aut docemus, & credere pariter ac docere possumus, fidem adversariorum vanam & rejiciendam esse, hoc uno argumento, quod ex Scripturis non probetur, quamdiu probationem declinant. 4. Se non attendere ad Conditionem Propriam; qui hic sunt asserentes, nobis haudquaquam imò nec sibi ipsis infallibiles, necessitatem fidei sub anathemate addentes, revocare ad se nos studentes &c. Quorum omnium intuitu Pontificiorum antiquiores Sophisticum hunc ludum ignorarunt. Cujus incrustamenta; α tum *Theologica*, à Romanæ Ecclesiæ Potestate & Infallibilitate, à nostra Secessione, à Negativo Christianismo inducendo, &c. β tum *Juridica*, à ratione Accusationis à nobis institutæ, & Præscriptionibus multis contra nos, ut inimicos, excommu-

municatos, rerum ignaros, instrumentorum corruptores, contra possessionem diuturnam insurgentes, &c. β tum *Scholastica*, quod nos simus Opponentes, illi Negantes sibi aliter constare, nos etiam non Discipuli, sed Hostes, negantes Principia &c. δ tum *Historica*, à *Tertulliani* & *Augustini*, à quo *Methodum Augustinianam* suam *Walenburgii* appellarunt, exemplis petita; sedulâ attentione tollere licet, & sustulerunt dudum nostri.

XII. *Criteria*, quibus Articuli Necessarii à non necessariis distinguuntur, à variis varia dantur. Neutiquam facimus cum iis; qui ex α *Universali* omnium Christianum nomen profitentium *Consensu*, qui vix in ullo capite reperietur, atque per Satanæ fraudem facile tolli posset, necessitatem æstimant; β aut ex re totidem *Literis in Scripturis* tradita, quod necessariis nec proprium nec omnibus commune; γ aut ex argumento *Practico*, cum non sola praxi religio absolvatur; δ aut ex *Symboli Apostolici* complexu, quod de Cultu Dei non agit, & Articulos omnes Fidei explicitè non continet, nec ab Apostolis sed ab Ecclesia Antiqua successive pro ratione crescentium Hæresium profectum est; ε aut ex mera Ecclesiæ Determinatione, uti fit in *Papatu*. Illi verò Necessarii sunt. 1. Absque quibus Salutis nostræ opus consistere non potest. 2. Quorum Necessitas expresse asseritur; sive denunciatione mortis facta non tenentibus eos, ut *Joh.* III. 36. *Gal.* V. 4. *&c.* sive salutis cum illis conjunctione, ut *Joh.* XVII. 3. *&c.*

Articulorum ad salutem Necessariorum Criteria falsa & vera.

XIII. Ex Criteriorum horum applicatione haud difficulter liquet, in *Necessariorum* ordinem debere referri 1. *Fidem* ipsius *Principii*, sc. Scripturæ S. ut θεοπνεύστου. Quamquam ratione singularum Partium, quales olim quædam dubiæ, si absit Hæretica pravitas in rejiciendis dogmatibus necessariis quæ ex aliis æque partibus quam his educuntur, parem Necessitatem statuere non ausim. 2. *Cognitionem Dei* Triunius, ut Perfectissimi, ac perfectiones suas declarantis, tum in operibus Creationis, Conservationis, & Redemptionis, tum in horum Proposito æterno; illiusque perfectionibus dignum ac convenientem *Cultum*. 3. *Hominis* ipsius *Miseriam*, quæ Peccatum & Pœnam in se continet, ad omnes extensam. 4. Denique *Cognitionem Christi* θεανθρώπου, perfecti Mediatoris, respectu Naturarum, Munerum, Statuum, & Beneficiorum.

Capita quædam ad quæ Articulos Fundamentales licet referre.

Numerus Fundamentalium Articulorum certus non est figendus.

XIV. Ad hæc aut alia similia Capita, quæ plura sub se semper complectuntur, reduci possunt Articuli Necessarii. Quos ad certum aliquem numerum restringi, uti à nobis postulant *Pontificii* recenriores, judicamus nos; *α haud necessarium*, non præeunte, nedum mandante Scriptura, aut etiam Ecclesia Antiqua; *β haud utile*, vel ad fidei propriæ confirmationem, vel ad errorum confutationem, vel ad pietatis promotionem; *γ haud possibile*, non, ut quidam, propter limites divinæ potentiæ & bonitati sic ponendos, (loquimur enim hic de ordinaria & revelata salutis via, atque idem contra singulos Articulos Necessarios objici posset,) sed propter Scripturæ ipsius in Numero Necessariorum variationem *Act.* VIII. 37. *Rom.* X. 9. 1 *Cor.* 11. 2. 1 *Joh.* IV. 2. *&c.* & Articuli unius in altero Comprehensionem perpetuam & multiplicem; *δ noxium* quoque, propter animi fidelis à rebus ad numeros abstractionem, impedimentum per hominis segnitiem progressui sic objectum, atque cavillandi materiam quam quærunt sic Pontificiis datam. Gratis hi nobis objiciunt; *α* tum exempla Theologorum determinantium, qui præcipua quædam Capita tantum enumerarunt; *β* tum usum in Schismatibus præveniendis, Hæresibus vitandis, & Infidelibus convertendis, qui omnis ex Cognitione Necessariorum absque Numeri determinatione satis obtinetur; *γ* tum hypotheses nostras, dè Scripturæ Perspicuitate & Sufficientia in Necessariis, quam de expositione reali, non de numero Arithmeticè proposito, nos intelligimus.

Articuli Fundamentales non sunt nimium Minuendi cum Socinianis.

XV. Interim, uti non facimus cum *Papistis*, in quivusvis Ecclesiæ placitis prò Capitibus Necessariis obtrudendis, ita detestanda est *Socinianorum*, *Remonstrantium*, aliorumque *Pelagianam* Religionis Indifferentiam urgentium, hypothesis, de Exiguo prorsus fundamentalium Numero; quemadmodum vulgò primi de *Deo Sex Necessaria* capita tradunt, illius *Existentiam*, *Unitatem*, *Æternitatem*, *Justitiam*, *Sapientiam*, *Potentiam*, ac dè Christi natura *Vix Quidquam*, & de eo in universum nihil aliud tenendum putant, quam quod ad *Voluntatis Dei* per Christum patefactæ *Cognitionem* pertinet *&* *Observationem* generatim. Haud felicius exploditur hæc sententia; quam si *α* Adversarios ipsos plura quandoque numerantes inter se committamus; *β* iisdem imò fortioribus quam ipsi utuntur argumentis probemus, esse necessariam Fidem Divinarum Personarum, & Perfectionum aliarum ab ipsis non

non nominatarum, tum Christi ut veri & sufficientis Mediatoris, tum Miseriæ, Justificationis, Sanctificationis, & Glorificationis humanæ; denique γ hæc ipsa capita, & in iis quæ ab ipsis numerantur, & in Symbolo contineri, doceamus.

XVI. Monendum etiam est, Religionis Articulos ibi non teneri verè, ubi externa eorum professio nuda est, sed aut verbis alius tribuitur sensus, aut additamentis falsissimis manifestissime illi evertuntur. Etenim verborum ambiguitate non decipitur Deus, qui fidem sinceram cordis postulat; nec exstruenda est sic in media Tsione Babel. Unde judicium fieri potest, de *Socinianis* non tantum, ac *Anabaptistis*, & *Remonstrantibus* plurimis, sed & *Pontificiis*, verè reis *Apostasiæ*; α secundum Pauli prædictionem 2 *Thess.* II. 3. β mandatum ab iis exitum *Apoc.* XVIII. 4. γ facilemque plurium capitum de Principio, Deo, Christo, Homineque, inductionem. Haud unquam contrarium fassis Nostris; nisi vel de verbali Professione; vel de speciali aliquo Capite; vel de multis qui ante Anathemata Tridentina in communione Ecclesiæ Romanæ cum periculo & animæ & corporis delituerunt. Si tamem Articulus unus aliquis Fundamentalis per alterum additum evertatur, nec cæca fide literis Scripturæ inhærens aliquis in utroque capite pugnam hanc vel videat vel admittat ullatenus, quale exemplum apud *Lutheranos* in veritate Humanæ Naturæ Christi illiusque in Eucharistia Præsentia locali, eversionem Articuli Fundamentalis homini illi, quamquam in re verè adsit, tribuere nolumus.

Articulorum horum Sensus genuinus si rejiciatur, illi non tenentur vere, uti ab Hæreticis, & nominatim Papistis.

XVII. Uti Religioni omni adversatur *Impietas* in defectu, & *Superstitio* in excessu, ita *Veræ* opponitur *Falsa*. Quæ si nomen ipsum Christianum non admittat, *Infidelitas* dicitur, tributa *Muhammedanis*, *Judæis*, non antiquis, (quibus Religio vera eadem in substantia nobiscum fuit, licet *Christianæ* nomen serius ortum sic strictius usurpari soleat,) sed hodiernis, & *Gentilibus*. Sin verò Religio Falsa nomen adhuc Christianum retineat, *Hæresis* appellatur, [1] à simplici *Schismate*, quod leviorem dissensum & Ecclesiæ unitatem ruptam tantum dicit, & ab *Errore* qualicunque, qui à Religione vera non plane excluditur, distincta; prò numero rursus & pondere Articulorum magis minusque exitialis. Refertur verò tum ad Infidelitatem, tum ad Hæresin, *Apostasia*, quando scilicet à Vera Religione ad has fit transitus, sive sin-

Religionis omnis, & speciatim veræ Opposita.

gularium personarum, sive populi & Ecclesiæ alicujus visibilis totius.

[1] *Vid. Exerc. Miscell. Disp.* I.

Generales Notæ religionis veræ.

XVIII. Dari hic vulgò solent *Notæ* ad Religionis veræ à falsa discretionem, tum *Generales* ad *Christianam*, tum *Speciales* ad *Reformatam* Religionem applicandæ, illæ ex natura Religionis, hæ quoque ex Scriptura petitæ; sed à variis variè numerantur & ordinantur. Priores sunt 1. Tradita *Cognitio Dei*, ipsius summæ *Perfectioni* ab omnibus agnitæ, maximè conveniens; eaque repetita ex *Principio*, quod *Divinæ Originis* argumenta solidissima in se habet. 2. *Cultus* ratione Actuum Elicitorum ad *Deum solum* directus, ab ipso ut sapientissimo & unico *Legislatore* repetitus, Immutabilitati & reliquis Dei *Perfectionibus*, nostroque *Statui misero*, maximè congruus. Qualis, non obstante Lege Ceremoniali, quæ α pars mandati minor, β ob aliud data, γ & abrogata secundum Dei voluntatem antea quoque patefactam, etiam Judaicus olim fuit. 3. Spes *Reconciliationis cum Deo*, quem iratum ex suis peccatis Deique judiciis, per quæsitos Mediatores & mactatas victimas, agnoverunt Gentiles, & *Salutis* obtinendæ cum Dei gloria salva, ad quam Religio omnis tendit, certissima, per Medium sufficiens suppeditatum.

Speciales Notæ veræ religionis.

XIX. *Speciales Notæ* iterum sunt 1. Cognitio Dei, ejusque Cultus, *Scripturis* maximè conformis, tanquam genuino Principio & Normæ 2 *Petr*. 1. 19. 20. 2. Efficacissima ad *Praxin Pietatis* incitatio *Jac*. 1. 22. 1 *Tim*. 1. 5. Quæ in Papistica Meriti doctrina, licet esse videatur, non est tamen; ob exclusam hoc pacto veram humilitatem, fidemque in Christum, & non agnitam homini ipsi suam impotentiam, quin & Mandata Humana Divinis prælata. 3. *Consolatio* afflictæ conscientiæ firmissima *Rom*. xv. 4. Quæ iterum, si rem bene putemus, neutiquam est in Papistica Doctrina, de Satisfactionibùs Humanis, Absolutione Sacerdotali, Sacramentorum numero, Sanctorum Intercessione, Purgatorio, Missis, &c. 4. Denique *Gloriæ Divinæ* prædicatio & agnitio in omnibus operibus maxima, cum creaturæ abnegatione, *Psal*. cxv. 1. *Prov*. xvi. 4. *&c.*

Religionis Veræ & falsæ nulla debet fieri Mixtura.

XX. Vera Religio, uti exigit *liberam*, *constantem*, atque *prudentem*, sui coram hominibus *Confessionem*, quod contra *Basilidianos*, *Priscillianistas*, ac *Libertinos*, ab una parte, ex *Matt*. v. 16.

X.

x. 32. 33. *Rom.* x. 9. 10. 2 *Tim.* II. 12. 1. *Petr.* III. 15. *Apoc.* II. 10. [1] *&c.* & contra *Fanaticos*, ac *Zelotas* imprudentiores, ab altera, ex *Matt.* VII. 6. x. 16. 23. 2 *Cor.* XI. 33. *&c.* tenendum est; ita neutiquam cum Falsa misceri debet, sive in iisdem Hominibus 1 *Reg.* XVIII. 22. *Matt.* VI. 24. XXII. 37. sive in eodem Ecclesiæ corpore *Deut.* VII. 3. 2 *Cor.* VI. 14. 15. 16. 17. *Phil.* III. 2. *Tit.* III. 10. 2 *Joh.* 10. [2] *Apoc.* II. 14. 15. 20. [3] *&c.* docente id quoque pia Praxi *Neh.* IX. 2. XIII. 3. 1. *Tim.* I. 20. [4] *&c.* & *Samaritanismi* damnatione 2 *Reg.* XVII. 33. [5] Unde *Syncretismus*, (quo nomine, à *Cretensibus* cum neglectu civilium contentionum communes hostes adorientibus sumpto, Fraterna in ejusdem Ecclesiæ communione Concordia, non obstantibus nonnullis dissensionibus sopitis & sopiendis, venit,) damnari debet; vel α *Universalis* omnium Christianam fidem profitentium; vel β cum iis qui aliquos errores Fundamentales tenent, ideoque magis cum *Socinianis* & *Pontificiis*; vel γ cum Errantibus quibuscunque, si veritati illiusve assertioni modestæ per σύγκρασιν sit renunciandum, aut error adoptandus, aut in verbis ambiguis hærendum. Cæteroquin Fraterna Concordia inter dissentientes in rebus levioribus, absque acrimonia tractandis licite tamen, necessaria & decens est, ex Paulina regula *Philip.* III. 15. 16. *Rom.* XIV. 1. *&c.* & Charitatis officio *Ps.* CXXXIII. 1. [6] *Eph.* IV. 15. & Schismatibus vitandis 1 *Cor.* I. 10. 11. 12. *&c.* Nec Probandus Syncretismus omnis.

[1] *Comment. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XLVII. P. I. [3] *Comment. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XLIV. P. V. [5] *Exerc. Misc. Disp.* IV. [6] *Exerc. Text.* XXIII. P. IV.

XXI. Multum differt à Syncretismo *Tolerantia*, quâ uti Deus utitur, ita & homines uti decet, circa *Hæreticos* pariter & *Infideles*, *Judæis* haudquaquam exceptis: *Privatos* quidem in amica cohabitatione, si etiam per initum, non tamen ineundum, conjugium domestica fuerit, absque oppressione, conviciis, aut odio: *Pastores* autem, in mansuetâ instructione, & conversionis indesinenti voto: *Magistratus* tandem in violentiæ omnis, sive subditi sive vicini fuerint, tum propriæ tum alienæ, tum apertæ tum opertæ, cohibitione, Conversionis per media decentia & utilia, à quibus vis omni absit semper, promovendæ sedulo studio, atque impedito erroris progressu, juxta errantium indurationem. Unde non extendenda hæc Tolerantia ad conceden- Licet Necessaria sit Hæreticorum apud Christianos Tolerantia, & Infidelium, etiam Judæorum. Quæ iterum suos habet limites.

da Religionis Exercitia, præcipuè Publica, & quæ cum Idololatria & Blasphemia sunt juncta; nisi aut absoluta Necessitas Prudentiæ Civili hic aliquid dandum esse suadeat, aut Juramenti, circa Hæreticos etiam servandi, Religio interveniat; aut Salus communis Ecclesiæ id flagitet. Neque ad Hæresiarchas Blasphemos ac Rempublicam turbantes, quos hoc omni nomine, juxta Mosaicæ legis exemplum, vindictæ Magistratuum graviori meritò subjicimus.

CAPUT QUARTUM.

De Deo, respectu Nominum, Essentiæ, & Attributorum.

Deo qua ratione Nomen competat.

DEI COGNITIO, uti rerum aliarum, à *Nomine* incipit. Quamvis enim Deus dici possit ἀνώνυμος, quatenus α maxime Singularis & per Se distinctus Nomine opus non habet, & β Nomen plene clareque ipsum exprimens nullum datur, quo faciunt, tum Loca *Gen.* XXXII. 29. *Jud.* XIII. 18 [1] *Prov.* XXX. 4. tum Nominis Dei cum Deo ipso, ipsiusque Attributis & Gloria, frequens synonymia: voluit tamen nobis in sui cognitione & cultu per assumpta quædam Nomina succurrere, quæ Essentiæ & Attributorum Divinorum sunt veluti totidem *notamina*, *noscimina*, vel *novimina*. Imitatusque est astutè Dei praxin Satanas in Gentilium Deis πολυωνύμοις.

[1] *Vid. Exerc. Text.* IV. P. VI.

Nominis Dei Origo & Significatio vera exponitur.

II. *Dei* nomen, quod ubique obvium est, verissimè derivatur à Græco Θεὸς, non à *dando*, aut *deesse*, aut *dies*, aut Græco δῖος, aut Æolico δεὺς, aut Hebræo די / uti alii voluerunt. Idem in prima notione sua, non *Officii* aut *Potestatis*, sed *Naturæ* nomen est; uti liquet, α ex Paulo nominante eos *qui Natura non sunt Dii Gal.* IV. 8. & Petro habente *Naturam Divinam* 2 *Pet.* I. 4. β paronymo *Deitatis Col.* II. 9 γ epithetis *Viventis* & *Veri* additis *Jer.* X. 10. II. 1 *Thess.* I. 9. δ ac Nominis hujus Deo absolutè competentis Æternitate *Psal.* XC. 2. Quod notandum contra *Anabaptistas*, & *Socinianos*, quibus post *Judæos* plures, in voce אלהים similiter insanientes, ob negatam Christi veram Deitatem, con-

contrarium placet; propter α *Usum* hujus vocis *Secundarium*, de Magistratibus, Angelis, Benefacientibus, quem non negamus; β atque Nomen hoc Deo vero quandoque tributum cum *Relatione*, vel ad homines ipsi *Fœderatos*, quæ Naturam Divinam optimam supponit, vel ad *Deos* per participationem aut abusum sic dictos, quæ sublimiorem iterum Naturam non tollit sed potius infert.

Nomina Græca θεὸς & κύριος.

III. Nomina alia vel *Græca*, vel *Hebræa* sunt; vel *Communicata* quandoque cum creaturis, hinc Deo cum ἐπεξηγήσει tributa *Exod.* III. 6. *Deut.* X. 17. *&c.* vel plane absque catachresi *Incommunicabilia*. Græca sunt, (ne de nomine dubio σεβάσματος 2 *Thess.* II. 4. nunc dicam, aut δεσπότου, δυνάστου, similibusque minus frequenter obviis,) Θεὸς, & Κύριος. Illud, si ἀπὸ τοῦ θέειν, perpetuam Dei *Operationem*, si à θεάομαι, omnium *Cognitionem*, si à τίθημι, omnium *Creationem*, si à θάω, omnium *Conservationem*, si à δέος derivetur, tremendam ejus *Majestatem* notat. Uti hoc ἀπὸ τοῦ κύρους, potius quam Poëtico & nexum cum Dominio non habente κύρω *sum*, deductum *Autoritatem* Dei supremam, & in omnia, & in Ecclesiam. Respondet autem frequentissime in N. T. ex Versione LXX virali τῷ יהוה / quod illud Græcis literis proferri nequeat, & in eodem summo Deo sive uno sive altero Nomine expresso passim receptam Versionem derelinquere Scriptores N. T. opus non haberent [2].

[2] *Exerc. Text.* X. P. V.

Nomina Dei Hebræa non sunt præcise Decem, nec inter illa est Tsebaóth.

IV. Hebraica post *Judæos*, & *Hieronymum*, vulgò *Decem* statuunt; aliis, sed immerito, addentibus, פלא, הוא / אף הוא / *&c.* ex *Jud.* XIII. 18. [3] 2 *Reg.* II. 14. [4] *&c.* Quamquam Numerus ille vix admitti possit; quod אלוה / in singulari & plurali bis in eo ponatur, & צבאות / licet in Græco textu Novi Test. *Rom.* IX. 29. & *Jac.* V. 4: vox retineatur hæc, & aliquando cum altero Dei nomine *Absoluto* elliptice jungatur, propriè non sit Nomen Dei, sed *Exercituum*, tum cœlestium, tum terrestrium, in quos Deus imperium habet, in & extra Ecclesiam suam. Horum autem Duorum Nominum loco alia metaphorica substituere non foret difficile.

[3] *Exerc. Text.* IV. P. VI. [4] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. §. 45.

Sed El, Eloah, Schaddai, Heljon, Adón, Jah, &c.

V. Plurima ad singularia Dei Attributa nos ducunt, uti אל / *El*, ab יאול / vel איל / derivatum & notans *fortitudinem*; אלוה / *Eloah*, vel ab יאל / eodem sensu, vel ab *Arabico* אלה / significatu *colendi*, vel ab *Hebræo* אלה / petitum, notans adeò eum, qui nos

in

in Fœdere adjurat, cui & per quem nos juramus viciſſim, uſurpatum porro ſæpiſſimè cum altero ארון/ Plurali Terminatione, manente Significatione Singulari, non per Ellipſin, aut ſingulare Myſterium, ſed familiarem in aliis quoque vocibus & linguis Hebraiſmum, hic commodiſſimum, ob Dei ſummam majeſtatem, potentiam, & efficaciam; שדי/ *Shaddai*, vel ab *Arabica* voce *robur* ſignificante, vel à שדד/ *vaſtando*, vel ab אשד/ *effuſione*, vel à שד/ *mammilla*, vel potius à די/ *ſufficientia* cum præfixo fluens, notans adeò vel *omnipotentiam*, vel *omniſufficientiam*; עליון/ *Heljon*, à עלה/ notans Dei *Celſitatem*, tum reſpectu Habitationis ſupernæ, tum Perfectionis ſupra creaturas omnes, tum Poteſtatis in has *Pſal.* XCVII. 9. unde idem forte על dictus 2 *Sam.* XXIII. 1. [1] *Hoſ.* VII. 16. [2] ארון/ *Adon*, ab ארן/ notans omnium in Orbe & Eccleſia *ſuſtentationem*, atque hinc fluens *dominium*, quod vulgò legitur in plurali cum *Kametz*, ſive ſit Affixum primæ perſonæ, ſive Terminatio irregularis; יה/ juxta plurimos vel decurtatum vel contractum ex יהוה/ ludentibus in Literarum Numero etiam Cabbaliſtis, juxta alios verò paucos ob conjunctionem cum יהוה/ *Jeſ.* XXVI. 4. *Pſal.* CXXX. 1. 2. 3. &c. deductum ex יאה/ notans adeo *pulcritudinem* & *decentiam* Dei; אהיה/ plenius אהיה אשר אהיה/ ab היה/ notans *Immutabilem* Dei *Æternitatem*, *Exod.* III. 14. *coll. Apoc.* I. 8. [3]

[1] *Vid. Exerc. Text.* IX. P. VI. [2] *Comment. in Loc.* [3] *Comment. in Loc.*

Et præcipue Tetragrammaton יהוה Quod cognitum fuit Patribus ante Moſen. Et pronunciari poteſt. Et melius pronunciatur per Jehovah quam Adonai.

VI. Præ his omnibus excellit, atque *Eſſentiam* Dei nobis declarat Nomen יהוה/ Judæis dictum שם העצם vel החויה/ *nomen ſubſtantiæ* vel *eſſentiæ*, המיוחד/ *proprium*, המפורש/ *expoſitum* ſeu *ſegregatum*, הנורא והנכבד/ *tremendum & glorioſum*, של ארבע אותיות/ τετραγράμματον, quin & κατ᾽ ἐξοχὴν השם/ *Nomen illud.* Fuit hoc indubiè *Cognitum Patribus ante Moſen*, qui α id in illorum hiſtoria non tantum uſurpat, β ſed & ab ipſis uſurpatum dicit *Gen.* IV. 1. XIV. 22. XV. 2. XXIV. 7. &c. γ imò divinitus revelatum *Gen.* XV. 7. XXVIII. 13. *&c.* Ut locus *Exod.* VI. 2. qui repugnare videtur, omninò ſit intelligendus, dè *Rei* per hoc nomen *ſignificatæ* clariori patefactione & illuſtriori demonſtratione. Fuit idem, ex uſu frequenti ante Moſen & poſt eum, etiam in Sacerdotali Benedictione *Num.* VI. 24. 25. 26. *Pronunciatum*; ut non debeat dici ἀνεκφώνητον, ἀφθεγκτον, ἀπόῤῥητον, ἄλεκτον, ἄφραστον, in ſe, ſed vel ob Judaicam ſuperſtitionem, vel ob defectum litera-

terarum quæ apud Græcos Hebræis hic respondeant. Pronunciari hanc vocem melius per Jehovah, quam Adonai, non dubitamus. Etiamsi enim Puncta forte non sint Genuina; non tamen propterea Literas novas genuinis substituere licet, atque sic simul Nominis hujus emphasin inter audiendum tollere. Sed cur *Puncta* hæc prò *Genuinis* non admittemus? cum α non abhorreant ab his Literis secundum genium linguæ; β per omnia non conveniant cum illis vocis *Adonai*; γ admittantur in compositis *Jehonathan*, *Jehojadah*, *Jehoschaphath &c.* quæ fluere ex Tetragrammato male negant Judæi quidam; δ Punctationisque, tum literarum servilium Præfixarum per *Patach*, tum sequentium *Dagessatarum*, tum Nominis ipsius, ubi cum *Adonai* junctum legitur Jehovih, Irregularitas haud dissimilis sit illi quæ in aliis sæpe etiam vocibus reperitur, & superstitioni Masorethärum videatur tribuenda, qui tamen הליהוה *Deut.* xxxii. 6. hic prætermiserunt. Ac uti non obstare *Versionem Græcam*, per κύριος, supra monuimus; ita inane hic est aliorum confugium ad *Terminationem in He cum Kametz* præcedente, quæ semper Fœmineum genus non infert. Superstitionis Judaicæ major hic est demonstratio in communi scriptione; ubi Consonis quoque mutatis ponunt, יוי / vel יי / prò quo olim triplex *Jod* cum *Kametz* Circulo inclusum eos posuisse, non absque mysterio multiplici volunt quidam.[1]

[1] *Vid. de hac re tota Exerc. Text.* X. *Part.* V.

VII. Cabbalisticis Literarum & Syllabarum nominis hujus significationibus, quæ apud *Galatinum* videri possunt, missis, notat vox; α Simplicissimam & Independentem Dei Essentiam; β Æternitatem ejus absolutam, *coll. Apoc.* 1. 8.[2] ac γ Immutabilem in promissis servandis Constantiam, quam intendit Deus potissimum *Exod.* vi. 2. Estque porrò extra Constructionem & Compositionem soli *Deo proprium*, nec juxta alia quædam cum creaturis per participationem communicatur. Quod liquet; α ex Significatione jam exposita; β Proprietatibus Nominis Proprii, quas habet, formatum per Jod Initiale, nec admittens, vel numerum Pluralem, vel *He* demonstrativum, vel Affixa, vel Formam constructam; γ ac locis clarissimis *Exod.* xv. 3. *Hos.* xii. 6.[3] *Jes.* xlii. 8. *Ps.* lxxxiii. 19. *&c.* Nec juvat *Socinianos*, *Arminianos*, *& Anabaptistas*, qui, vel ut Deitatem Christi

Nominis Jehovah Significatio. Ex qua aliisque argumentis probatur, illud soli Deo esse Proprium.

ſti tutius negent, vel ut negantibus blandiantur, contrarium tenent; α Nominis hujus cum *Angelo* uno ſingulari communicatio, *Gen.* XVI. 13. XVIII. 1. *Exod.* III. 4. [4] *Jud.* XIII. 19. [5] *Zach.* I. 20. III. 2. [6] *&c.* quem Increatum eſſe Archangelum ex locis his ipſis liquet; aut β *Altaris Exod.* XVII. 15. [7] *Jeroſolymæ* novæ *Ezech.* XLVIII. 35. & *Hominum*, ex hoc nomine tantum Compoſita Appellatio, quæ Nomen ipſum ſemper ad Deum refert; aut γ Jehovæ ipſius ad *Arcam Fœderis* facta Invocatio, quæ Arcæ perperam, etiam metonymicè à quibuſdam noſtris, tribuitur *Num.* X. 35. 36. 2 *Sam.* VI. 2. [8] *coll. Pſal.* XXIV. 7. 8. [9] XLVII. 6. [10] quæ loca poſteriora an ad Arcam typicè referri debeant, dubium quoque adhuc eſt; aut δ catachreſtica nominis hujus cum *Idolis* communicatio, quæ humani eſt facti, nec ex *Exod.* XXXII. 5. & *Jud.* XVII. 3. probatur tamen; aut ε Regum *in Legatis Repræſentatio*, qui nunquam eorum propterea Nomen Proprium & Glorioſum aſſumere abſque læſa majeſtate viſi ſunt.

[2] *Comment. in Loc.* [3] *Comment. in Loc.* [4] *Orat. poſt Exerc. Text.* P. V. [5] *Exerc. Text.* IV. P. VI. [6] *Comment. in Loc.* [7] *Exerc. Text.* V. P. IV. [8] *Exerc. Miſc. Diſp.* VII. [9] *Exerc. Text.* XVIII. P. IV. [10] *Exerc. Text.* XIX. P. IV.

Nominis hujus Abuſus notatur.

VIII. Uti hoc Dei Nomen cum aliis venerandum eſt, ob Eſſentiam Perfectiſſimam, quam declarat, ita nec Pronunciationem ejus oportunam negligere, nec Literis Honorem ſingularem deferre, aut Virtutem Magicam illi tribuere decet, quam in Moſe & Chriſto fuiſſe demonſtratam, intoleranda Judæorum blaſphemia eſt. Nè de Diaboli aſtu nunc dicam, per quem, uti alia Hebræa Dei nomina, ita & hoc ipſum ad Gentes tranſtulit, hinc indubie habentes ſuum JOVEM, non à ζεὺς, aut a juvando. [1]

[1] *Vid. Exerc. Text.* X. P. V.

Nominum Divinorum Communicatio Triplex.

IX. *Communicatio* Divinorum Nominum triplex eſt. 1. *Catachreſtica*; quæ locum habet in *Idolis Jer.* X. 11. (de quibus ſolis Paulum agere 1 *Cor.* VIII. 5. [2] ex contextu & ſcopo patet,) *Ventre Phil.* III. 18. & *Diabolo* 2 *Cor.* IV. 4. 2. *Analogica*; quæ deprehenditur in *Potentibus Exod.* XV. 11. *Magiſtratibus* potiſſimum & *Angelis*, ob Gloriæ Divinæ Participationem, & Divinæ voluntatis Exſecutionem *Pſal.* LXXXII. 6. [3] VIII. 6. [4] XCVII. 7. *&c.* Quod fundamentum appellationis utrumque cum hodie adhuc

adhuc obtineat, perperam illa ad *Israelitici populi Magistratum*, & *Oeconomiam Mosaicam*, à multis restringitur. 3. *Univoca*; per quam illa, etiam ipsum Jehovah, vulgò intellecta οὐσιωδῶς de *Deo Triuno*, ob Essentiæ communionem ὑποστατικῶς notant, vel *Patrem* 1 *Cor.* XII. 6. vel *Filium* 1 *Tim.* III. 16. vel *Spiritum S. Act.* v. 3. 4. *&c.*

[2] *Exerc. Miscell. Disp.* VII. [3] *Exerc. Text.* XVII. P. II. [4] *Exerc. Text.* XVI. P. III.

X. Dei, ut à nomine ad rem transeamus, *Existentia* verius hic supponitur, quam demonstratur. Nec demonstratione longa hic opus est; dum *Conscientiam* ut Magistrum domesticum omnibus Deus ipse concessit, cujus vocem qui audire non vult, is insano impetu adversus omnia externa argumenta in θεομαχίᾳ perget αὐτοκατάκριτος. Interim verè Dei Existentiam *Natura* docet; per Populorum & Hominum omnium Consensum; per Honesti & Turpis innatam qualemcumque Discretionem; per Conscientiæ Metum insitum; per Nostri ipsius & Rerum omnium Contingentem Dependentiam; per Creaturarum singularum Artificium; per earum Ordinem & Nexum sapientissimum; per Constantiam in media inconstantia summam; per rerum omnium ad Finem Eundem tensionem; per Justitiæ Divinæ memorabilia exercitia; per Fortuitorum, Malorum, Maximorumque, Directionem mirabilem; & quæ plura alia. Accedit *Scriptura*; in qua sui Existentiam Deus manifestat, per Verbi sui sapientiam, Ecclesiæ gubernationem, atque repetitas etiam Apparitiones, easque tum Privatas, tum Publicas. *Atheorum* effugia & objectiones, quæ & ad Providentiam magis quam Existentiam Dei spectant, heic mittimus, tanquam vanissimas omnes.

Argumenta pro Dei Existentia recensentur.

XI. Non potest *perfectè* Deus *definiri*; sive Logicas spectemus regulas, α cum à Creaturis infinita Transcendentiâ distans, *Genus Univocum* & *Differentiam Specificam* non habeat, β nec Simplicitas Partes constituentes admittat; sive ad Essentiæ Divinæ plenam Comprehensionem respiciamus, quam negat α Experientia, *Philosophorum* veterum censensu stabilita, β Dei Infinita Majestas, γ Intellectus nostri imbecillitas Finita, δ & Scriptura passim *Job.* XI. 7. XXXVII. 23. *Psal.* CXXXIX. 6. *Prov.* XXX. 2. 3. 4. *Job.* III. 13. 1 *Tim.* VI. 16. Ut hic non sint audiendi *Scholastici* quidam, *Sociniani*, & *Vorstius*, quibus vel ob subtilitates quasdam Logicas vel ob Finitos de Deo Conceptus contra-

Nulla Perfecta Dei datur Definitio.

trarium placet: neque etiam Theologi, qui Definitionem Dei, per quam *En Perfectissimum* dicitur, revera imperfectissimam & comparatam magis quam absolutam, nimium commendant.

Describi tamen potest, & fieri tum Trinitatis mentio debet.

XII. *Descriptio* Dei multiplex est, in Scriptura, & apud Theologos; pro *Attributorum* recensitorum varietate, & *Personarum* vel prætermissa vel facta mentione. Nos earum mentionem fieri debere omnino existimamus, cum Dei ut *Entis Singularis* cognitio ad Subsistentiam æque quam Naturam referatur, neque *Verum Deum* verè cognoscat, qui *Personas* ignorat. Potest etiam Dei Descriptio ad Personas Singulas applicari, non obstante Trinitatis in ea mentione; quoniam unaquæque est Deus ille Trinus, non tamen Trina. Dicimus itaque Deum esse; *Spiritum Infinitæ Perfectionis*, *Personis Trinum*.

Descriptio Dei ejus exponit Naturam; quæ vox merito hic adhibetur.

XIII. Habemus hic primo *Naturam* Dei, sive *Essentiam*. A quibus vocibus non est scrupulose abstinendum, cum antiquæ, aptæ, & Scripturis conformes sint; in quibus legitur τὸ θεῖον *Actor.* XVII. 29. θειότης *Rom.* I. 20. θεότης *Col.* II. 9. μορφὴ θεῦ *Phil.* II. 6. (quam tamen potius ad Similitudinem perfectam quam ad Formam Essentialem multi referunt [1]) φύσις, & φύσις θεῖα *Gal.* IV. 8. 2 *Pet.* I. 4. ὁ ὢν *Apoc.* I. 4. יהוה / אהיה / etiam תושיה / *Prov.* VIII. 14. quod veram *realitatem* vulgo notat. Atque hanc Naturam Dei potius exprimimus per vocem *Spiritus*, quam per illam *Entis*, aut *Substantiæ*; cum hæc generaliora, magis indefinita, & nomine Spiritus comprehensa sint. Quod autem disputant hodie quidam, *Spiritualitatem* potiu ad *Attributa* quam ad *Naturam* pertinere, & *Spiritus* vocem propriè esse *Corpoream*, inter quæsitas inanes λογομαχίας utrumque numeramus.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XLI. P. II.

Est autem quoad Naturam Spiritus, plane Incorporeus.

XIV. Deum *Spiritum* dicit Scriptura, non tantum hypostaticè, sed & essentialiter consideratum, *Joh.* IV. 24. probatque idem amplius; cum α Intellectum & Voluntatem illi tribuit; β ac Corpus, Visionem corporalem, & Effigiem omnem ab ipso removet, *Act.* XVII. 29. *Rom.* I. 23. *Joh.* I. 18. I *Tim.* I. 17. VI. 16. *Deut.* IV. 12. *Jes.* XL. 18. XLVI. 5. *&c.* Comprobat idem Ratio, à Dei summa Perfectione, quæ Extensionem Corpoream nequaquam admittit. Ut audiri hic non mereantur *Anthropomorphitæ*, sive veteres *Audiani*, (quibus non annumerandus *Tertullianus* tribuens Deo *Corpus Ineffigiatum*,) sive recentiorens, qualis the-

theoreticè *Vorstius*, practice plurimi alii; qui gratis prætexunt 1. *Membra Humana* Deo tributa; sed ἀνθρωπομορφῶς, utique explicanda θεοπρεπῶς, tum de illorum Perfectionibus, tum dè Operibus, ad quæ adhibentur, quomodo *Oculi* scientiam, *Manus* robur &c. notant. 2. *Imaginem Dei in Homine* Corporeo; quæ utique non consistit in lineamentis corporeis, nec similitudinem adæquatam infert. 3. *Visiones Dei*, vel factas, vel futuras, vel quæ fiunt. Cum α Visio quædam sit *Spiritualis*, per fidem & sanctas meditationes & plenam posthac cognitionem, *Psal.* XXXIV. 9. 1 *Cor.* XIII. 12. 2 *Cor.* III. 18. &c. β alia *Ecstatica* vel *Somniata*, γ alia amplius *Assumpti Corporis* Humani, aut *Emblematis* alicujus Divinæ præsentiæ gratiosæ, δ alia tandem *Dei Incarnati Job.* XIX.26.[2] 1.*Joh.*III.2.&c. nulla autem Corporalis Essentiæ Divinæ.

[2] *Vid. Exerc. Text.* XII. P. I.

XV. Concidit simul *Pontificiorum* opinio, qua, post *Jacobitas* Veteres Imagines Patris & Spiritus habentes, urgent *Imagines*, non quidem propriè & immediatè, sed Analogicè Dei *Essentiam* exprimentes, uti licitas & utiles; ac vulgo sub similitudine *Senis*, *Adolescentis*, & *Columbæ*, *Trinitatem* pingunt. Contra α naturam Essentiæ Spiritualis, & quidem Infinitæ; β inculcatam passim rei Fœditatem *Rom.* I. 23. 24. γ Interdicta expressa & perpetua *Deut.* IV. 15. 16. δ prudentiam Christianam, per quam tam facilis errorum & idololatriæ occasio populo dari non deberet; ε ac Christianorum Veterum, etiam ipsius *Concilii Nicæni* II. & *Johannis* XXII. sententiam. Nec obstat. 1. *Angelos* pingi; qui α licet Spiritus, non tamen Infiniti sunt, β nec proprie etiam pingi possunt, sed per Emblemata repræsentari tantum. 2. *Hominem* factum esse *ad Imaginem Dei*; cum α hæc non consistat in Corporeis lineamentis, β nec pingi queat Tota hominis Essentia, & γ quævis Imago hominis sic etiam Imago Dei foret. 3. *Membra* Deo tribui *Humana*; quod intelligendum θεοπρεπῶς. 4. *Apparuisse* Deum Visibili Forma; α cum illa non fuerit Imago Divinæ Essentiæ, β sæpe gratis supponatur, γ non factum Dei sed ejus Lex nobis sit regula, δ denique per istam Formam depictam non Deus, sed Res gesta tum repræsentetur, ad quam Historiarum plurium vel etiam Visionum cum his indecenti Confusione nihil tum addendum est.

Unde non licet ejus Essentiam Imagine aliqua exprimere.

XVI. *Spiritum* cum dicimus Deum, non tantum *Corpus* illi ne-

Spiritualitas.

docet, esse eum veram Substantiam nec meram Cogitationem. Competere illi quoque Vitam. Quin & Spirituales facultates Intellectus, Voluntatis, & Potentiæ Executivæ.

negamus, sed & hoc ipso asserimus. 1. Ipsum veram esse *Substantiam*; non quidem *quæ substet Accidentibus*, aut per omnia cum Substantia creata & *Prædicamentali*, vel *Prima* vel *Secunda*, debeat conferri, sed verè *per se subsistat*, ab altero ut subjecto independens. Unde sequitur, non debere Deum dici meram *Cogitationem*; α ubi Scriptura hanc à Deo cogitante distinguit *Ps.* XCII. 6. CXXXIX. 17. *Jes.* LV. 8. &c. β Attributa omnia sub Cogitatione nequaquam comprehenduntur, γ Actio in suo conceptu semper differt ab Agente. Nec aliud voluerunt *Scholastici*, Deum *Actum Purissimum* vocantes, quam Perfectionum omnium Præsentiam in Deo esse perpetuam absque Successione & *Potentia* Passiva. Neque aliud quidquam ex Simplicitate Dei sequitur, quam Attributa omnia, & Operationes internas, quæ singula formaliter & Definitionibus differunt, nequaquam adeo totam absolvunt Essentiam, in Deo Idem esse. Ubi ergo præ Justitia, Sapientia &c. Cogitatio nihil speciale habet. 2. Ipsi competere *Vitam*; quæ passim illi tribuitur, & à se *Deut.* XXXII. 40.[1] *Joh.* V. 26.[2] & ab aliis *Psal.* LXXXIV. 3. *Dan.* IV. 34. *Matt.* XVI. 16. *&c.* per quam ab Idolis distinguitur *Jer.* X. 10. 11. *Actor.* XIV. 14. 15. *&c.* quæ *Essentiam* illius *ex Se Actuosam* notat, quæque ut Independens, Æterna, ac Immutabilis, longè Perfectior est in Deo, quam in creaturis Vegetativis Sensitivis aut Rationalibus. 3. Ipsi tandem competere *Facultates* Spirituales. α *Intellectus*; explicite memorati *Psal.* CXXXIX. 2. CXLVII. 5. *&c.* in Scientia suppositi ac per Oculos, *Nares*, *Aures &c.* sæpe expressi. β *Voluntatis*; per quam sæpe notatur *Volitio* divina *Ps.* CXV. 3. *Apoc.* IV 11.[3] &c. sæpe *Res quam vult Matt.* VI. 10. *Jes.* XLVI. 10. &c. Quo posteriori sensu alia iterum Voluntas *Arcana* sive *Beneplaciti*, alia *Revelata* sive *Signi*, pro argumento, vel *Comminatorio*, vel *Promissorio*, vel *Præceptivo* varia, *coll. Deut.* XXIX 29.[4] Inter quam Duplicem Voluntatem licet sit Diversitas, atque hinc orta Apparens pugna, nulla tamén Vera est Oppositio, si modo Signum ad suum Beneplacitum referatur. γ *Potentiæ Operativæ ad Extra*; à qua Deus nomen habet *Jes.* I. 24. quæ ubique illi tribuitur *Matt.* VI. 13. *Eph.* I. 19. *&c.* (exclusa omni *Potentia Passiva*,) quæ venit sub emblemate *Manus*, *Dextræ*, *Brachii &c.* quæque tandem à Voluntate in Deo æque quam in Creaturis formaliter est distinguenda.

[1] *Vid. Comment. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XXXVII. P. IV. [3] *Comment. in Loc.* [4] *Comment in Ult. Mosis. & Exerc. Text.* X. P. II. XVII.

XVII. Naturæ huic Spirituali variæ præterea in Scriptura tribuuntur *Perfectiones*, *quibus se nobis infirmis Deus cognoscendum præbet*, *& à Creaturis distinguitur magis*. Vocantur *Attributa*, *Proprietates*, *Virtutes*, *Perfectiones &c.* sive appellatione ipsa promiscuè *Matt.* v. 48. 1 *Pet.* II. 9. *&c.* sive ejus fundamento in Scripturis reperto. Atque has spectasse potissimum videntur Judæi in suis אצילות *Emanationibus*, & ספירות *Numerationibus*; quas ad *Messiam* ipsos retulisse, ex sola illarum dum scribuntur ordinatione secundum Hominis Formam haud potest solidè colligi. Nec distinguuntur *Realiter*, vel ab ipsa Dei Essentia, vel inter Se, ut *Accidentia* quædam, aut *Qualitates* inhærentes, ob Perfectiones *Simplicitatis*, *Independentiæ*, *Immutabilitatis*, *&c.* adhuc asserendas; sed respectu, α *Objectorum*, β *Effectuum*, γ nostrique *Modi Concipiendi*, non quidem ex Errore, qui, ubi rem aliter se in Deo habere agnoscimus; nullus hic est, sed ex *Imbecillitate*, orti, secundum quam ipsæ rerum Definitiones à nobis recte attemperantur. Illam vero distinctionem *Rationis Ratiocinatæ*, *Formalem*, *Modalem*, vel etiam *Realem*, an quis appellare voluerit, parum curamus, si res ipsa jam exposita teneatur; cum semper in Divinis nobis sit balbutiendum.

Attributa Divina plura nec ab essentia nec inter se differunt realiter.

XVIII. Perfectionum harum omnium Complexus quidam est in *Infinitate*, uti negative, sive *Perfectione Summa*, uti positive dicitur; per quam quidquid Perfectionis aut est, aut concipi potest, Deo verè competit *Formaliter* vel *Eminenter*; quæque adeo in Deo non tantum est Comparata, Negativa, quoad Nos, sed *Absoluta* plane. Probatio hujus rei petitur, α ex singularum Perfectionum in Scripturis facta recensione, β Imperfectionum omnium exclusione, γ assertaque *Sufficientia Gen.* XVII. I. *Act.* XVII. 25. *Beatitate* I. *Tim.* I. II. VI. 15. *Gloria* & *Majestate Exod.* XXXIII. 18. *Psalm.* XIX. 2. *Matt.* VI. 13. *Job.* XXXVII. 22. *Bonitate Matt.* XIX. 17. *Magnitudine Ps.* CXLV. 3. CXLVII. 5. *Excelsitate Ps.* XCVII. 9. *Incomparabilitate Jes.* XL. 25. ac *Incomprehensibilitate Job.* XI. 7. 8. 9. XXXVII. 23. &c. quibus omnibus nominibus manifeste ad rem hanc eandem ducimur, δ tandem & ex *communi* omnium *notione*, dum dè Deo disserunt; etiam si practicè res creatas pro Diis habendo, vel perperam etiam theoretice Perfectionem hanc rebus Imperfectis tribuendo, seu Perfectiones quasdam negando aut detorquendo, multi hic aberrent.

Attributorum Complexus est Infinitas, seu Summa Perfectio Dei.

Nec

Nec obstant; α vel *Imperfectiones*, Deo Anthropophaticè & per συγκατάβασιν tributæ tantum; β vel Dei *Singularitas*, quæ omnium Complexum Eminentem non tollit; γ vel creaturarum *Inæqualis Perfectio*, quæ non tam ex comparatione cum Deo quam mutua inter se fluit. Extendit autem se hæc Infinitas, ad Essentiam, ad Facultates modo expositas, denique ad omnes Proprietates secuturas, & has singulas quoque.

Varia Attributorum Divisio. Præcipua in Communicabilia & Incommunicabilia.

XIX. Ut vero distinctius hæc Infinita Perfectio capi possit à nobis finitis hominibus, specialis singulorum Atributorum consideratio necessaria est. Dividuntur illa variè; α in *Propria*, & *Metaphorica*, ad quæ omnes *Affectus* Humani referri debent; β in *egativa*, & *Positiva*, in relatione non ad ipsa Attributa, uti sunt in Deo, sed ad nostrum Concipiendi Modum & Nomina quibus exprimuntur, facta; γ in *Absoluta*, & *Relativa*, quæ in prioribus semper fundantur, ac relationem ad creaturas secum inferunt; δ in *Interna*, & *Externa*, quæ Divisio minus nobis probatur, quod priora duo tantum constituantur *Intellectus* & *Voluntas*, cum hæc rectius ut Facultates, quam Attributa, considerentur, & Simplicitas, Æternitas, Immutabilitas, &c. neutiquam sint meræ *Denominationes externæ vel Relationes aut Negationes ad Essentiam Dei propriè non spectantes*, uti loquuntur; tandem in ε *Communicabilia*, & *Incommunicabilia*. Quæ Divisio nequaquam sic accipienda est, aut accepta à nostris, ut aliquæ Perfectiones, sive in Specie, sive in Individuo, cum ulla communicentur Creatura, quod in negotio Unionis Personalis volunt *Lutherani*, id enim est Finitæ & Infinitæ Naturæ plane adversum; sed intelligenda de *Communicatione Analogica*, per quam juxta Nomen communis aliquis Conceptus formari potest de Dei & Creaturarum his Attributis. Nec sugillanda recepta hæc Divisio, *ut incommoda, minus necessaria*, & *periculosa*; α cum fundata sit in Scriptura, memorante *Dei Imaginem*, *Similitudinem* cum eo, & *Communionem Naturæ* ipsius in sanctificatione *Gen.* I. 26.[1] I. *Joh.* III. 2. 2 *Pet.* I. 4. *&c.* β ac Discrimen inter illa sit evidens, dum reperitur Communicabilium Analogia in creaturis, Incommunicabilium verò planè Contrarium, illa hinc proponuntur Imitanda, hæc non, illa denique ad Essentiam Dei, hæc potius ad singulares Facultates referuntur.

[1] *Vid. Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

XX.

XX. *Incommunicabilia* Attributa *Quinque* fere numerantur, *Independentia*, *Simplicitas*, *Immutabilitas*, *Immensitas*, & *Æternitas*. Nempe *Independentiam* alii magis Positivo sed & magis Barbaro nomine *Aseitatis*, vel etiam *Primitatis*, exprimunt. Estque hæc; *Perfectio Dei, qua sibi Sufficiens omnium extra se Causa est suprema*. Adstruitur hoc Attributum locis. 1. Quæ Sufficientiam, Beatitatem, Suprematum, & Primatum Dei declarant *Gen*. XVII. 1. 1. *Actor*. XVII. 25. 1 *Tim*. I. II. VI. 15. *Jes*. LVII. 15. XLI. 4. XLIV. 6. XLVIII. 12. &c. 2. Quæ omnium ab ipso Dependentiam, per circulum non commutandam, exponunt *Neh*. IX. 6. *Actor*. XVII. 25. *Roman*. XI. 36. *Hebr*. I. 3. &c. Neque potuerunt Causæ Primæ hanc perfectionem negare Gentiles ipsi Philosophi. Quamvis autem hoc Attributum in Deo sit quam maxime Positivum, atque ex summa illius Perfectione sequatur Necessaria illius Existentia, absolutissima Essentia, & liberrima Operatio, possit adeo hoc respectu Deus à se dici & *Negativè* & *Positivè*; tamen posterior hæc phrasis non est magnopere urgenda, utpote quæ propriè sumpta Deum *Causam Sui Ipsius* ponit. Quod quam alienum sit, & ab ipsa Dei Independentia, & à communi firmissimaque Philosophorum de rebus etiam creatis regula, post imprudentiorem tamen *Hieronymum*, palam & temere quidam asserere, imo *Perfectissimum Causationis Modum* hic inculcare, non sunt veriti.

Inter Incommunicabilia primum est Independentia Dei.

XXI. Refertur autem *Independentia*, non tantum ad α *Existentiam*, quæ hinc necessaria est, sed etiam ad β *Essentiam* ac *Facultates Essentiales*, & γ hinc provenientes *Operationes*. Unde nec *Intellectus* aliunde instruitur, uti Scientiæ Mediæ patroni volunt; nec *Voluntas* aliqua *Antecedens* & *Conditionata*, quam eidem urgent, Deo competit; nec *Potentia* in se limites ullos veros agnoscit, verè Inexhausta *Jes*. XL. 28. LIX. 1. Irresistibilis *Jes*. XIV. 27. *Rom*. IX. 19 & ad Omnia extensa *Jer*. XXXII. 17. *Matt*. XIX. 26. *Luc*. I. 37. *Apoc*. I. 8 [2] sive fiant, modo ordinario vel extraordinario, juxta Dei voluntatem *Job*. XLII. 2 *Ps*. CXV. 3. quando *Actualis*, sive nunquam fiant vel sint futura *Matt*. III. 9. [3] XXVI. 53. quando *Absoluta* dicitur. Quæ extensio Divinæ Potentiæ neutiquam nititur *Decreto* aliquo *Possibilitatis*, quod Scripturæ & Rationi sanæ ignotum est; sed sufficientissimâ Dei Independentiâ, quæ cum rerum Ideis collata vera Possibilitatis

Ex illa fluit Potentiæ Divinæ extensio ad Omnia.

Radix est. Ex qua neutiquam etiam rei alicujus præsentem aut futuram Existentiam concludere licet, nisi de Voluntate Dei, seu ex ejus revelatione, seu ex ipso opere, nobis constiterit.

[2] *Comment. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XXVI. P. III.

Quæ Deus debeat dici Non posse tamen. Inter illa sunt Contradictoria.

XXII. Non obstante hac Potentiæ Independentia, in speciem limites aliqui illius observari solent; ut Deus, revera non ex defectu aliquo potentiæ, sed ex abundantia potius Perfectionis, *nequeat* illa *agere*. 1. Quæ *Consilio* ipsius *adversantur*; cum illud sit Immutabile *Ps.* XXXIII. 11. *Jes.* XLVI. 10.. 2. Quæ *Perfectionibus* ejus *repugnant*; cum *se ipsum abnegare nequeat* 2*Tim.* II. 13. Inter quas Perfectiones cum etiam sit Veritas, *non potest* Deus unquam *mentiri* vel *fallere*. Quod tamen *posse* ipsum, *si velit*, imo *posse* etiam quodammodo *velle*, tenent quidam pessimè; α contra Paulum *Hebr.* VI. 18. *Tit.* I. 2. *&c.* β manifestam Imperfectionem, quæ non modo, uti contendunt, in actuali fallacia, sed & in Potentiâ Fallendi est, γ quamque ingenii, quod in fallacia adest, acumen minimè tollit. 3. Quæ *Creaturæ Finitam* determinationem tollunt suo conceptu; ut sunt Mundi Æternitas, Independentia, Infinitas, &c. Per quæ manifestè etiam Unitas, adeoque Perfectio, Dei tolleretur. 4. Quæ *Contradictionem*, magis vel minus expressam, sed *veram* tamen, implicant; α cum hæc versetur inter Ens & Non Ens; β omnisque in re contradictio contradictionem etiam in Deo inferat; γ omnem tandem Possibilitatem à Dei Voluntate pendere, frustra, uti ante notatum est, asseratur. Quare prætextu *non Limitandæ Potentiæ* infinitæ urgeri non debet; vel Deum posse Contradictoria, si velit; vel non posse nos rem hanc determinare; quod in summâ eodem fere redit. Atque his omnibus, limitationibus Divinæ Potentiæ prætermissis, vel quibusdam omissis, non immerito Potentiam Dei Absolutam detestatus est *Calvinus* cum aliis.

Simplicitas Dei, ad quam spectat Unitas Essentiæ, asserta & defensa contra varios.

XXIII. Sequitur *Simplicitas*, cujus hoc nomen iterum magis *Negativum* quam Positivum est, & quæ definitur; *Divinæ Essentiæ & Attributorum ejus perfectissima Unitas, omnem Compositionem Realem excludens. Essentiæ Unitatem* declarat Scriptura, α *positive Deut.* VI. 4. I *Cor.* VIII. 6. *Eph.* IV. 6. I *Tim.* II. 5. *&c.* β & *negative*, plures rejiciens Deos *Deut.* IV. 35. *Jes.* XLIV. 6. *Joh.* XVII. 3. *&c.* Monstrat eandem ratio; *à priori*, ex Summa Perfectione, Independentia, Omnipotentia, &c. & *à posteriori*, ex

ex omnium Gubernatione Stabili, & ad Unum Finem Tensione, petita. Estque tam ex ratione, quam ex Scriptura clarum, *Unitatem* hanc non esse *Specificam*, sed *Numericam*; unde Deus & *Unus* & *Unicus* dicitur. Nec obstat; α Gentilium *Polytheismus*, qui à sapientioribus non admissus, Unum supremum Numen non excludit, ac ex Nominum, Attributorum, & Operum Divinorum, multitudine per imperitiam collectus, atque per cognitam homini suam miseriam ac hujus in bene meritos affectum fuit stabilitus; β vel *Personarum Trinitas*, quæ cum Essentiæ Unitate jungenda, ex 1 *Joh.* v. 7. si non etiam ex *Deut.* vi. 4. quod volunt aliqui. Interim dolendum est summopere, in Christianismo ipso everti hanc Dei Unitatem; α tum *practicè* à *Pontificiis*, aliisque; β tum *theoreticè*, & à *Tritheitis*, *Philopono*, *Valentino Gentili*, *Anabaptistis* pluribus; & à *Manichæis*, Duo Principia opposita boni & mali urgentibus; & à *Socinianis*, quando Christum verum sed tamen factum Deum, Essentia à Patre distinctissimum, volunt. Ut nihil addam de via ad Tritheismum novissime strata per negatam Essentiæ ejusdem Communicationem, aut de qualicunque Tritheismi, crassissimi erroris, extenuatione.

Per quam porro excluditur ab Una Essentia omnis Compositio Realis. Non tantum secundum Rationem sed & Scripturam.

XXIV. In hac porro Essentia Unica nulla est *Compositio Realis*, vel ex Natura & Attributis, vel ex Attributis inter Se; sive dicatur hæc *Physica*, qualis est ex Partibus Integrantibus, Materia item & Forma, sive *Logica*, ex Genere scilicet & Differentia, Subjecto & Accidente, sive *Metaphysica*, ex Actu & Potentia, Essentia & Existentia, &c. Quod constat contra *Socinianos* & *Vorstium*, omnesque quotquot Corporales & Finitos dè Deo Conceptus fovent; α ex Attributorum in Deo Unitate; β Dei Independentia, quæ per Partes componentes tollitur; γ Summa planè Perfectione, ad quam nulla adeo addi potest; δ denique ex Immortalitate & Immutabilitate prorsus Absoluta. Addi potest Specierum Compositionis recensio; ex quibus ne quidem subtilissima illa inter Essentiam & Existentiam hic locum habet, dum Dei ut Entis Necessarii Essentia Existentiam includit. Quin & tenendum est contra *Remonstrantes*, quæstionem de Simplicitate, ut *Socinianis* blandiantur, *Metaphysicam totam* vocantes, *dè qua ne jota quidem in Scriptura occurrat*, constare eam, præter rationes superiores Scripturæ conformes; ex α Attributis Deo in Abstracto passim & absque Hyperbole adscriptis 1 *Sam.*

xv. 29. *Jer.* x. 10. *Hamos* iv. 2. 1 *Joh.* i. 5. iv. 8. *&c. coll. Deut.* xxxii. 40. *&* *Hebr.* vi. 13. β atque ex nominibus *Jehova* ac *Ehjeh*, Simplicissimam Essentiam notantibus. Ac opponuntur hic perperam; α *Personæ* plures cum mutuis Relationibus, cum hæ non differant Realiter ab Essentia, ac Modi hi Subsistendi Infinitam Essentiam non componant sed tantum modificent; β *Operationes Externæ* Dei, quæ nullam novam Perfectionem in Deo, sed in Creaturis ponunt, Relatione extrinseca nihil quoque Deo addente; γ *Decreta Plura*, quæ talia tantum respectu Objecti, & sic à Deo sunt potius quam ipse Deus; δ *Attributa* tandem *Multa*, quæ prædicantur de Deo, non tamen illi Subjectivè inhærent, & in Deo unam eandemque Summam Perfectionem inadæquatè notantia, Præcisione mentis exclusiva separari neutiquam possunt, Definitione interim singulorum variâ, secundum varia Objecta & Effecta, nostramque Imbecillitatem, absque errore instituta. Et foret prorsus optandum, per nimiam Decreti à Deo ipso distinctionem non fuisse etiam nuperrime impetitam hanc Dei necessariam Simplicitatem.

Quæ Simplicitas tollit omnem Divisionem Dei, & Compositionem cum Creaturis.

XXV. Excludit quoque hæc Dei Simplicitas, ab una parte omnem Divinæ Essentiæ Partialem Communicationem, sive cum Creaturis omnibus secundum *Manichæos* & *Fanaticos* multos, sive cum Homine secundum *Philosophos* plures factam; α cum sic Divisio Actualis hic foret necessaria, β & Scriptura *omnia ex Deo* respectu productionis, non materiæ, nosque *illius genus*, respectu creationis secundum Similitudinem ejus tantum dicat, *Rom.* xi. 36. *Act.* xvii. 29. &c. Sed & arcet illa ab altera parte omnem *Compositionem*, quam cum Creatura ingrediatur Deus, ad constituendam Unam Substantiam Perfectiorem. Quæ nec in *Mundo* deprehenditur, cujus *Anima* & *Forma* impropriè tantum Deus dicitur; nec in Θεανθρώπῳ, ubi Assumptio, non autem Compositio obtinet, nec ulla Natura Tertia agnosci debet.

Immutabilitas Dei asseritur, & defenditur. Contra varios, qui Deo mutationem tribuunt.

XXVI. Ex Simplicitate fluit *Immutabilitas*, per quam notatur; *Perfectissima illa Dei Constantia, quâ omnis plane Mutationis expers est, tum Actualis tum Possibilis.* Asserit hanc luculenter Scriptura *Mal.* iii. 6.[1] *Jac.* i. 17. *&c.* & Ratio; α tum à Simplicitate, quæ partes excludens earum aliam & aliam constitutionem quoque tollit; β tum à Perfectione Suprema, quæ mutationem non admittit, *in melius* vel *in deterius*, *à se* vel *ab alio* factam

ctam. Ac uti hæc refertur ad *Existentiam* per Æternitatem, ita ad *Essentiam* quoque pertinet *Psal.* CII. 28. nec in *Creatione*, per quam res esse occœperunt, nihil autem novæ perfectionis Deus accepit, nec in *Incarnatione*, quam per Conversionem τῦ λόγυ factam somniant tantum *Anabaptistæ* quidam, nihilque iterum Perfectionis Divinæ Naturæ attulisse constat, ullatenus mutatam. Et cum ab Essentia non differant *Intellectus* & *Voluntas*, horum quoque eadem est ratio, suo loco latius adstruenda. Quam tamen pluribus modis convellunt cum *Jesuitis* & *Remonstrantibus*, Scientiam Mediam & Voluntatem Antecedentem Deo tribuentibus, *Vorstius* & *Sociniani*, in negata Præscientia Contingentium, in asserta perpetua Dei & rerum omnium Indifferentia, & fœdissimè in *Affectibus* animique *Commotionibus* Deo tributis, planc contra Independentiam, Beatitatemque Dei; quæ α nec per *Anthropopathicas* locutiones, in quibus *Affectus* de *Effectis* explicari debent, β nec per *Stoicismum*, Deo sic adscribi visum gratis, tolluntur. Imò refertur quoque hæc Immutabilitas ad *Verbum* omne Dei, tum Promissi, tum Comminationis, uti postea docebimus.

[1] *Vid. Comment. in Loc.*

Immensitas Dei exponitur & firmatur. Contra Socinianos Omnipræsentiam Dei negantes.

XXVII. Succedit *Immensitas*, ab *Omnipræsentia* sive *Ubiquitate* distincta, ut Attributum præ hac, α magis Absolutum, β ante Creationem Deo competens, γ nec ad creatam hanc Universitatem restrictum. Estque adeo illa; *Dei Perfectio*, *per quam nulla mensura rerum creatarum vel creabilium ipse continetur*, *omnibus creaturis Præsens*, *earumque limites Excedens*. Omnipræsentiam Dei probant loca *Jer.* XXIII. 23. 24. *Ps.* CXXXIX. 7. 8. 9. 10. *Act.* XVII. 27. quæ neutiquam ad solam Scientiam aut Operationem Dei, revera à Deo cognoscente & operante in ipso haud distinctam, nedum divisam, sunt restringenda, sed ad ipsam Essentiam referenda, uti unum ex alio in textibus illis elicitur. Ut perperam *Sociniani*, *Vorstius*, & *Remonstrantes* in illorum gratiam, & *Anabaptistæ* multi, contra Gentilium ipsorum & Judæorum, qui hinc Deum etiam מקום / *locum*, dicunt, confessionem, Deum Essentia sua Cœlis contineri fingant; prætextu 1. *Locorum*, quæ *in Cœlo Deum* constituunt, cum tamen α in iisdem Terra addatur *Jos.* II. 11. *Jes.* LXVI. 1. *&c.* β & Cœlum sæpius nominetur, potissimum in precibus *Matt.* VI. 9. *&c.* ob Dei Majestatem

clarius ibi patefactam, Beneficia inde in nos descendentia, & ad Corda nostra sursum Elevanda magis. 2. *Modorum* specialium *Præsentiæ*, α vel per *Gratiam*, quomodo propinquus Piis, β vel per *Gloriam*, quomodo adest Cœlitibus, γ vel per *Unionem Hypostaticam*, quomodo habitat in Christo, δ vel per *Judicia*, quomodo est in Inferno, & descendit ad vastationem Babelicæ turris, &c. Qui omnes Modi communem Præsentiam per Essentiam non magis, quam Providentiam, tollunt, imo potius confirmant. 3. *Absurdorum*; de α secutura *Dei Contaminatione* in locis fœtidis, quæ ob Spiritualem & Purissimam Dei naturam illi minus quam Soli metuenda est; item β dè *Rerum cum Deo* simultanea *Æqualitate*, & *Inæqualitate*, quæ ob Extensionem omnem à Deo remotam non potest ex Spirituali Præsentia somniari; tum γ dè Manichæa *Dei cum Rebus Commixtione*, & fluente hinc Atheismo, quæ ob Essentiam Dei Simplicissimam ac ab omni Compositione cum creaturis alienam sunt prorsus detestanda. Dum verius ex negata Essentiæ Divinæ Præsentia omnis Impietas consequitur, *coll. Ezech.* VIII. 12. IX. 9. *&c.*

Modus Omnipræsentiæ Divinæ declaratur, & asseritur contra recentiores.

XXVIII. Ad *Modum* hujus *Omnipræsentiæ* spectat, quod generatim difficilis sit intellectu; & speciatim non debeat constitui in quadam *Coëxtensione* aut *Diffusione* Divinæ Essentiæ, cum id nec competat Essentiæ Dei Spirituali, nec patiatur Corporum alia corpora ex eodem loco semper excludentium Natura. Neque probanda hic est Recentiorum doctrina Philosophica, qui α receptam dè Essentiæ Divinæ Ubiquitate sententiam passim cum *Remonstrantibus & Socinianis* odiosissime traducunt, ut per quam necessario ejus modi Extensio Corporea Deo affingatur; β ipsi autem Præsentiam ad Operationem referunt, & Deum ratione Essentiæ *nusquam* potius quam ubique dici volunt. Quibus opponimus; α declarationes à Theologis passim in explicanda Omnipræsentia adjectas; & β Scripturæ Phrasin manifestam, juxta Divinæ Operationis, si non solum Motum aut Opus Externum intelligunt, à Divina Essentia Inseparabilitatem. Interim Essentiæ Divinæ vera & propria Omnipræsentia si teneatur, ad phrasin Scholasticam, qua non *circumscriptive*, nec *definitivè*, sed *repletivè* Deum ubique illi ponunt, ut quæ in sensum incommodum trahi potest, neminem obligamus. Dum tamen hæc quoad Deum, à Gentilibus pariter & Sacris Scriptoribus usurpata, omnium poten-

tentissimam Penetrationem haud malè exprimit.

Omnipræsentia Soli Deo vindicatur.

XXIX. Non venit in hujus Omnipræsentiæ communionem ulla Creatura; quod volunt tamen *Ubiquitarii* in asserta Omnipræsentia Corporis Humani Christi, & *Pontificii* in gratiam Transubstantiationis Possibilem Creaturæ, etiam Corporeæ, Omnipræsentiam statuentes. Opponimus nos 1. Allegata Scripturæ loca, quæ Perfectionem hanc soli Deo vindicant aperte. 2. Naturam Corporis, quod *partes extra partes* positas habens, omnem πολυτοπίαν & Dimensionum Penetrationem excludit. Interim, α si quis *Mundum*, unum per aggregationem, suo sensu *ubique* statui posse *præsentem* dixerit, diversarum scilicet sui Partium respectu; β vel posse Deum per Potentiam suam *Corpus* subtilius, quod reliqua non penetraret sed *permearet*, creare; γ vel posse per Absolutam Dei Potentiam produci *Spiritum*, omni creato Spatio, quod semper finitum manet, *præsentem*; his obloqui multum nolumus, ad vitandam omnem λογομαχίαν.

Per Immensitatem Deus etiam existit in omni Spatio Possibili seu Imaginario.

XXX. Amplius verò per *Immensitatem* Deus omni *Spatio Possibili & Imaginario* coëxistit. Non α enim Mundi hujus limitibus extremis circumscribitur 1 *Reg*. VIII. 27. nec β circumscribi potest, nisi vel limites mundi impie negemus, vel Deum juxta Mundum Finitum dicamus, ipsiusque præterea vel Potentiam exhaustam, ut plura Spatia creare nequeat, vel Potentiæ ab Essentia in his creandis spatiis separationem, vel Essentiæ novam accessuram Perfectionem, somniemus. Sive verò Deum Extra Mundum, quem ad modum & ante mundum, *in Se Ipso* sibi absque Spatio Reali sufficientem asseramus existere, sive in *Spatiis Imaginariis*, quæ scilicet revera nunc non sunt, sed ut Possibilia per Dei potentiam nos tantum concipimus, vix quidquam differet; vereque ἀέρα δέρουσι, quotquot magnis sæpe animis Spatia hæc impugnant, si Mundum Finitum Deique Potentiam ad plura creabilia Extensam esse verè credunt. *Lutheranorum* autem calumniam, quasi Immensitas Dei à nobis everteretur, confutant ipsa, quæ *Menzerus* aliique proferunt, argumenta.

Æternitas Deo asseritur. Ejusque natura exponitur.

XXXI. Est tandem Deo *Æternitas* vindicanda, eaque Absolutissima, & ab omni, etiam longissimo, *Tempore* & *Ævo* distinctissima, licet hæc sæpe sub eodem *Æternitatis* nomine veniant. Arguit eam Dei Independentia ac Immutabilitas; & docet ubique Scriptura *Gen*. XXI. 33. *Jes*. XL. 28. LVII. 15. *Rom*. XVI. 26.

26. 1 *Tim*. I. 17. *&c.* in qua hoc etiam sensu נצח sive *Æternitas*, abstractè dici videtur 1 *Sam*. XV. 29. Est illa; *Dei Perfectio, per quam omnis Principii, Termini, & Successionis expers, Jugiter existit.* Cum quo convenit *Boëtii* illa Definitio, qua dicitur *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* Constat utique absque contradictione, Deum non habere *Principium*; utpote qui ante omnia fuit *Ps*. XC. 2. *Prov*. VIII. 22. 23. *&c.* & est absolute *Primus Jes*. XLI. 4. hinc illi tributâ *Antiquitate Deut*. XXXIII. 27. & *Annorum Numero imperscrutabili Iob*. XXXVI. 26. & à Philosophis negato omni Initio. Constat similiter, *Finis* ipsum expertem esse; utpote qui audit *Incorruptibilis, Immortalis, Ultimus, Progrediens diebus, Permanens in seculum, cujus anni non finientur*, 1 *Tim*. I. 17. VI. 16. *Jes*. XLIV. 6. *Dan*. VII. 9. *Psal*. CII. 13. 28. *&c.* Unde Gentilibus etiam dictus est ἀθάνατος & ἀκίνητος; ut qui, finem Deo *nec à se nec ab alio* inferri posse, facilè intelligerent.

Illa non tantum Principium & Finem, sed & Successionem omnem à Deo removet.

XXXII. Quamquam autem ulterius obloquantur, finita omnia dè Deo cogitantes, *Sociniani* & *Vorstius*, non minus clarum est, omnem *Successionem* à Deo per Æternitatem removeri. Sunt α quippe apud Deum, non videntur falso per minus tœdium uti Jacobo *Gen*. XXIX. 20. *Mille Anni & Unus Dies* haud differentia *Ps*. XC. 4. 2 *Pet*. III. 8. Hinc β proponitur nobis ut *Jehovah, Existens, Persistens, Idem, Jes*. XLIII. 10. *Joh*. VIII. 58. *Ps*. CII. 27. 28. *&c.* quibus convenit Inscriptio Templi Delphici ȣ εἶ, & multa Philosophorum de Præsenti Dei Existentia ratiocinia. Vere γ quoque Principio & Fine non careret, si per Successionem principium novum finem continuo exciperet. Et tandem δ Duratio Dei à Deo durante cum non differat, Mutatio sic continua in Deum ipsum caderet. Gratis objiciunt. 1. *Difficilem rei hujus Conceptum.* Qui α veritatem ex Scriptura & ratione claram non tollit, β magis est in modo omni quam in re ipsa, γ nec temere quæsitis subtilitatibus debet augeri. 2. *Temporum Differentias* Deo adscriptas *Apoc*. I. 4. 8. [1] Cum α hæ indivise Deo tribuantur, β ad tempus magis quam ad Deum sint referendæ, γ & per bonitatem suam Deus hic nobiscum balbutiat, qui aliter æternitatem vix capimus aut exprimimus. 3. *Coëxistentiam Dei cum Temporum Differentiis.* Quæ non est concipienda per modum Commensurationis, sed *Indivisibilis* & *Eminen-*

mentis Complexus; vulgò illustrati per similitudinem *Puncti Medii*, quod coëxistit omnibus punctis *Peripheriæ*, non tamen circumfertur. 4. *Temporis & Momentorum* ejus secuturam hinc *Confusionem*. Cum coëxistant illa Æternitati tantum *inadæquate*; & Convenientia duorum in uno Tertio non ultra illud Tertium debeat extendi.

[1] *Vid. Comment. in Loc.*

XXXIII. Est hæc Æternitas *soli Deo* relinquenda, ut non exstiterit juxta eum ab æterno, vel *Informis* aliqua mundi *Materia*, vel *Cœlum* quod inhabitarit, vel *Angelorum* ministrantium numerus; quæ omnia in *Universali Principio* Mosis initium existentiæ acceperunt, juxta cum Duratione Successiva & illius Mensura, quæ *Concreata* dicuntur. Imo nec aliquid extra se Deum ab æterno *potuisse* producere existimamus; cum id hoc ipso æternum, necessarium, & independens foret. Et est alia omnino ratio; α tum *Generationis Filii*, per quam nihil extra Deum ponitur, ac ipse quoque Filius independentem Essentiam accipit; β tum *Decretorum*, quæ respectu Actus vitalis à Deo non differunt, nec existentiam rerum decretarum aliam quam in tempore inferunt.

Nihil Deo Coæternum est, aut potuit esse.

XXXIV. Communicabilia sequuntur Attributa; quæ ad Tria fere reduci possunt, *Scientiam*, *Bonitatem*, & *Justitiam*, & ex quibus primum ad Intellectum, reliqua duo magis ad Voluntatem spectant. Missis inutilibus Recentiorum quorundam disputationibus dè Voluntate illiusque Attributis ante Scientiam exponendis, nos ab hac ut simpliciori & in conceptu absoluto priori meritò initium facimus. Passim illa Deo tribuitur sub hoc & alio nomine *Cognitionis*, *Intelligentiæ*, *Sapientiæ &c.* quin & sub similitudine à Sensibus humanis petita *Job.* XII. 13. *Dan.* II. 20. *Psal.* CXLVII. 5. I *Sam.* II. 3. [2] *Rom.* XI. 33. XVI. 27. *Psal.* XCIV. 9. *&c.* Fueruntque in *Sapientia* Deo vindicanda multi etiam Gentium Philosophi. Hic autem non respicimus notionem vocis *Personalem*, per quam Filio Dei tribuitur *Prov.* VIII. I. 12. *Matt.* XI. 19. *Luc.* XI. 49. [3] ob α communicatam illi, β expressam in eo, γ datam per illum Divinam Sapientiam; nec *Impropriam*, quæ Affectum & Curam dicit, *coll. Matt.* VII. 23. 2 *Tim.* II. 19. *&c.* sed *proprie* dictam, secundum quam definitur, *Perfectio Dei*, *per quam Uno Actu Æterno in Se Perfectissimè Omnia cognoscit.*

Inter Communicabilia Attributa primum est Scientia Dei.

[2] *Exerc. Text.* VI. P. VI. [3] *Exerc. Text.* XXX. P. III.

Qua intelligit unico Simplicissimo actu. Et quidem ab Æterno, per se ipsum quoque, Perfectissime tandem.

XXXV. Singula hæc facile patent, sive ad *Modum*, sive ad *Objectum* Scientiæ pertineant. 1. Etenim non per modum habitus, sed *Actus*, illiusque *Simplicissimi*, Scientiam Divinam debere considerari, illius summa *Perfectio* semper præsens, & *Immutabilitas* docent; ob quas nulli hic *Discursui* locus est, licet ἀνθρωποπαθῶς Deus quandoque, & ad docendum rerum nexum, sibi eum tribuat. Haud incongruum simile *Solis*, una radiorum dispersione omnia illustrantis. 2. Hinc *Æternitas* Cognitionis fluit, de qua legimus *Psal.* CXXXIX. 2. *Act.* XV. 18.[1] Quam iterum Locutio Anthropopathica *Gen.* XVIII. 21.[2] XXII. 12. *&c.* aut rerum antea futurarum Subsequens suo tempore Eventus, non tollit. 3. Fundamentum utriusque est, quod nihil ex rebus discat, sed omnia *Se Ipsum*, suamque tum Sufficientiam tum Perfectiones reliquas tum Voluntatem, intuendo cognoscat; planè & solus independens *Jes.* XL. 13. 14. 4. Atque hinc *Perfectissima* est illius Scientia; utpote α intime Penetrans ad res dictas omnes *nudas* καὶ τετραχηλισμένας *coram oculis ejus Hebr.* IV. 13.[3] 2 *Chron.* XVI. 9. *Psal.* CXXXIX. 11. 12. 1 *Cor.* II. 10. β Infallibilis, γ Adæquata, δ Immutabilis, & ε Præsentissima.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XLIII. P. IV. [2] *Exerc. Text.* II. P. VI. [3] *Exerc. Text.* XXXVII. P. III.

Omnia plane, quæ distinctè recensentur. Ac inter ea tum Mala Culpæ, tum Cogitata cordis, tum Futura Libera & Contingentia, quæ præ textibus vanis excipiunt Sociniani.

XXXVI. Extendit porrò se ad *Omnia Joh.* XXI. 17. *Act.* XV. 18.[1] *Hebr.* IV. 13.[2] 1 *Joh.* III. 20. *&c. &c.* & singulatim. 1. Ad *Deum* ipsum *Matt.* XI. 27. *Joh.* X. 15. 1 *Cor.* II. 10. 11. *&c.* quod & ad Beatitatem ejus necessarium est, & in sui Revelatione supponitur. 3. Ad res simpliciter *Possibiles* per ejus Omnisufficientiam, quas tamen facere non vult; cum id ex Cognitione Sui Ipsius necessario fluat. 3. Ad *Creaturas* omnes, tum *Singulares*, quas sustinet & gubernat, tum *Universales*, quas non abstractione mentali, sed in omnibus singularibus cognoscit. 4. Ad *Actiones* creaturarum, *Bonas* non solum sed & *Malas Prov.* V. 21. XV. 3. *Job.* XXXIV. 21. 22. *Psal.* LXIX. 6.[3] XC. 8. *Jer.* XVI. 17. XXXII. 19. *&c.* utpote quas dirigit sapienter, & de quibus judicabit justè. Permittit interim illas ad suam gloriam; pœnas differt ex longanimitate; nec intuetur cum delectatione & silentio perpetuo iniquitates *Hab.* I. 13.[4] 6. Ad abdita cordis etiam *Cogitata Gen.* VI. 5. 1 *Reg.* VIII. 39. *Psal.* CXXXIX. 1. 2. 3. 4. *Job.* II. 25. *Act.* I. 24. *Rom.* VIII. 27. *Apoc.* II. 23.[5] utpote in judicio

dicio

dicio non prætermittenda *Rom.* 11. 16. Quorum Cognitio Universalis, Certa, & Immediata, in his locis Deo quoque soli vindicatur. 7. Ad *Futura Libera & Contingentia*; quæ α à generali regula nusquam eximuntur; β in Eventu absque dependentia & mutatione Deo innotescere non possunt; γ expresse hic memorantur *Psal.* CXXXIX. 3. 4. *Jes.* XLI. 22. 23. *&c.* δ cognita esse Deo ex Prædictionibus multifariis irrefragabiliter liquet; ε & denique à Providentia ejus Æterna sunt determinata. Cui rei dum in gratiam independentiæ Humani Arbitrii se opponunt, Præscientiam hanc vel prorsus vel determinatam & infallibilem negantes, *Sociniani*, *Vorstius*, & dubitanter quidam *Remonstrantes*, Gentilium quorundam placita magis, quam Dei Verbum, sequuntur. Prætexunt tamen. 1. Scripturæ loca, quibus *Exspectatio*, *Pœnitentia*, vel *Cognitio Acquisita*, Deo tribuuntur, *Jes.* V. 4. *Gen.* VI. 6. 7. XXII. 12. *&c.* Quæ utique omnia בלשון בני אדם / seu *more humano* dicta, θεοπρεπῶς sunt exponenda. 2. *Indeterminatam* Contingentium & Liberorum *Veritatem.* Quæ tantum respectu α Rerum ipsarum, β & Causarum Secundarum, γ & Hominum, concedi potest; neutiquam respectu Dei & Decreti illius. 3. Secuturam hinc in rebus & Deo ipso *Absolutam Necessitatem.* Sed Necessitas Consequentiæ respectu Causæ Primæ modum existendi liberum vel contingentem, qui ad causas secundas refertur, non tollit; uti nec Dei immutabilis Constantia ejus summam Libertatem. Quod in iis, quæ à Deo decreta statuunt, ipsi Adversarii diffiteri equidem nequeunt.

[1] *Vid. Exerc. Text.* XLIII. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XXXVII. P. III. [3] *Exerc. Text.* XXIV. P. V. [4] *Comment. in Loc.* [5] *Comment. in Loc.*

Divisio Scientiæ Divinæ in Liberam & Naturalem.

XXXVIII. Ex Objectis his dicitur Scientia; vel *Visionis*, quæ ad Futura refertur, & ob Voluntatis placitum, quo nixa est, *Libera* dicitur; vel *Simplicis Intelligentiæ*, quæ circa Deum ipsum & merè Possibilia versatur, alias *Naturalis.* Quam postremam tollere vel arrodere non decet, hoc prætextu, quod *omnis Bonitas & Veritas à Divina Voluntate fluat.* Quæ regula adeò generaliter posita admitti non potest; α sive ad *Deum* illiusque *Attributa* respiciamus; β sive ad *Legis* magna parte ex Sanctitate Dei naturali fluentis *Naturam*; γ sive ad rerum *Essentias & Veritates* omnes *Æternas*; δ sive ad *Possibilitatem* vel *Non-Repugnantiam* ad existendum, quæ realitatem aliquam æternam extra Deum non

 ponit.

ponit. Certum interim est, omnia Bona & Vera extra Deum dependere à Deo ipso; nec aliquid actu fieri absque illius Voluntate.

Scientia Media Jesuitarum describitur, & refutatur.

XXXVIII. Præscientiam cum Contingentia & Libertate conciliaturi *Jesuitæ*, qui de inventionis gloria inter se pugnant, repugnantibus *Dominicanis*, *Arminiani* item, & *Sociniani* quidam, consentientibus in thesi ex parte imprudenter, non in hypothesi, quibusdam Nostris, ex *Pelagiano* principio introduxerunt *Scientiam* tertiam, dictam *Mediam*, *Conditionatam*, *Hypotheticam*; quæ habeat prò *Objecto* res Contingentes & Liberas, à Deo non decretas & suspensas à Conditionibus aç circumstantiis indeterminatis; prò *Fundamento* autem, vel Decretum Conditionatum, vel Infinitam intelligendi Virtutem, vel Perfectam Causæ Secundæ Comprehensionem. Opponimus nos. 1. Contra *Objectum* hoc; α omnium quocunque modo Futurorum à Divina voluntate Dependentiam, ut nihil possit concipi agere creatura, nedum hoc aut illo modo, absque Dei determinatione; β Dei vicissim Independentiam; γ Conditionis & Nexus Incertitudinem, unde omnis cognitio mera conjectura hic erit; δ denique Conditionem, vel Futuram, quando *Visionis*, vel Non futuram, quando *Simplicis Intelligentiæ* Scientia erit. 2. Contra *Fundamentum*; sic α vel Voluntatem Dependentem & Mutabilem in Deo, β vel Nexum interiorem arcanum ac fatalem in Causis Secundis statui, cui ipsum Deum *salvo munere Causæ Universalissimæ* subjici debere, thesis est hinc fluens *Jesuitica*.

Ad Objectiones pro Scientia Media respondetur.

XXXIX. Proferunt tamen. 1. Multa admodum *Loca*, quibus prædicti Effectus, non Possibiles, sed Futuri sub Conditione, non tamen decreti, cum non contigerint; tum in Præterito 2 *Reg.* XIII. 19. [1] *Ezech.* III. 6. 7. *Matt.* XI. 21. *&c.* tum in Futuro *Gen.* XI. 6. [2] *Exod.* XXXIV. 15. 16. 1 *Sam.* XXIII. 11. 12. *Matt.* XXIV. 22. XXVI. 53. *Act.* XXII. 18. *&c.* Ad quæ notandum; α quibusdam ex his nullam esse Prædictionem; β aliis Prædictionem rei non certò futuræ, sed Possibilis & Probabilis; γ aliis Prædictionem nixam, non Præscientiâ, sed vel Promissione Conditionatâ, vel Præsenti rerum Statu, vel Humana Conjectura, vel Hyperbolica Exaggeratione, vel Comparatione rei facilioris cum difficiliori; δ denique quæcunque in similibus Prædictionibus est Scientia, illam esse aut Simplicis Intelligentiæ, aut niti Decreto, vel

vel Generali ciendi creaturas ad motus naturæ congruentes, vel Contrario aliquo positivo, vel Nexus & concatenationis rerum. 2. *Ratiocinia*; α ex determinata Contradictoriorum Veritate; β Scientiæ Divinæ universali Extensione; γ Decretorum Divinorum Prudentia, quæ Mediorum sufficientium antecedentem cognitionem supponat; δ & potissimum rerum Libertate & Contingentia, alias tollenda. Sed α nulla est Determinata Veritas Contingentium Futurorum, etiam contradictoriè propositorum, ante Decretum Dei; β non sunt eadem quoque sub hac notione cognoscibilia; γ Mediorum omnis sufficientia oritur ex Dei potentia, quæ non dependet aliunde; δ & Libertatem ac Contingentiam in Indifferentiam absolutam perperam convertunt semper Adversarii.

[1] *Exerc. Text.* XIV. P. IV. [2] *Exerc. Text.* I. P. VI.

XL. Scientiam Dei observamus ultimò, formaliter consideratam, non esse Rerum Causam, ita ut *res sint*, *quia eas Deus scit*, quemadmodum ex *Augustino* Scholastici quidam aliique voluerunt. Quamquam enim Deus minimè à rebus extra se positis cognitionem accipiat, & sequatur quoque infallibiliter ad Dei præscientiam effectus, quod videntur velle sic loquentes; tamen *sunt res* propriè *per verbum & jussum Voluntatis*, & ut Futuræ per hujus Voluntatis Decretum spectantur, dum Deus eas ut tales cognoscit, quæ prius & per Naturalem Scientiam ipsi ut Possibiles obversantur.

Scientia Dei non est propriè rerum causa.

XLI. Sequitur *Bonitas*; hic non intelligenda dè summa illius *Perfectione* in se spectata; nec dè illius *Amabilitate*, vel præstantia respectu creaturarum, quarum ille unus *summum bonum* verè est *Psal.* IV. 7. 8. XXVII. I. XXXVI. 10. LXXIII. 25. 26. &c. uti habens hujus Boni omnia Requisita, gratis alibi quæsita; sed magis de illius *Benignitate*, per quam bene vult & facit, tum Creaturis omnibus generatim, tum Hominibus speciatim, & specialissimè Electis. Agitur de hac 2 *Chron.* XXX. 18. *Matt.* XIX. 17. *Psal.* CXLV. 7. 9. LXXIII 1. *&c.* Ac uti *Omne Bonum Sui Communicativum* dixerunt Philosophi; ita ex Gentilium sententia *Optimus* æque quam Maximus Deus est. Sunt autem hujus Bonitatis diversa, pro varia Consideratione & Effectis ac Objectis, Nomina. Pertinet enim huc *Amor*, propriè consideratus ut actus à Bonitate fluens; non *Naturalis*, qui in Personis Divinis ipsis termi-

Bonitas Dei exponitur. Ad quam pertinet Amor, qui est vel Benevolentiæ vel Complacentiæ.

natur *Prov.* VIII. 30. *Matt.* III. 17. *Joh.* III. 35. V. 20. & sed *Voluntarius*, qui tendit in Creaturas, tum Omnes, tum Rationales, tum Electas, sed inæqualiter respectu Effectuum, *Psal.* XXXVI. 7. *Matt.* V. 45. *Act.* XIV. 17. *Joh.* III. 16. *Rom.* V. 8. 1 *Joh.* III. 1. IV. 8. 10. *&c.* ad monstrandam Dei Libertatem; & Pulcritudinem Universi augendam. Atque hic ipse Amor respectu actuum rectè alius dicitur *Benevolentiæ*, tum Æternæ, tum Temporalis, quæ est ipsa *Beneficentia*; alius *Complacentiæ*, quæ benevolentiam nec ab æterno nec in tempore præcedit, sed sequitur, atque illi commensuratur. Ut loca *Prov.* VIII. 17. *Joh.* XIV. 21. XVI. 27. *&c.* quæ opponuntur, sint intelligenda, α de Personis dilectis, quæ sint, non quare tales, β nec Causaliter, sed Consecutivè & Demonstrativè.

Gratia item, quæ est vel Gratis Dans, vel Gratis Data &c. Male autem dividitur in Sufficientem & Efficacem.

XLII. Pariter ad Bonitatem Dei referimus ejus *Gratiam*, *Misericordiam*, *&* *Patientiam*. Intelligitur autem hic *Gratia*, non tam *Gratis Data*, per quam beneficia & dona ex favore Dei fluentia notantur 1 *Cor.* XV. 10. 2 *Cor.* XIII. 13. 2 *Petr* III. 18. *&c.* quam *Gratis Dans*, quæ est Dei favor, quo creaturam ex se haud dignam prosequitur, *Rom.* III. 24. IV. 4. XI. 6. *Eph.* I. 6. 2 *Tim.* I. 9. *&c.* & quæ sola quoque juxta Christi Meritum dici potest *Gratum Faciens*, dum est talis nulla extra Deum in homine naturali. Ac uti *Gratia* generatim sumpta à statu Adami Integri non excluditur, ita ob communem hominum lapsum vulgò ad Peccatorem, sic magis Indignum, refertur, atque etiam *Naturæ* & Naturali Beneficentiæ opponitur, à Pelagianis perperam confusa. Ac uti amplius probamus Divisiones Gratiæ, in *Internam* & *Externam*, in *Communem* & *Salutarem*, in *Prævenientem*, *Cooperantem*, & *Subsequentem*, in *Illuminantem*, *Sanctificantem*, & *Consolantem*, *&c.* quæ potissimum ad Gratis Datam omnes referuntur; ita improbamus prorsus *Gratiam Sufficientem*, vere scilicet ad salutem in homine lapso, quæ tamen non sit *Efficax*, per adversum hominis arbitrium, quamque urgent, ex *Pelagiana* dè Hominis Independentia & Viribus ad Bonum hypothesi, *Jesuitæ*, *Remonstrantes*, & haud obscurè *Lutherani* complures. Contra α vim vocis *Sufficientis*, qualis si verè Gratia est, supplemento opus non habet; β Effectus cum Gratia Sufficiente in Scriptura connexionem; & γ contrariam planè hominis Naturalis, ut viribus & spe destituti, descriptionem. Sic rejicienda etiam est *Gratia Universa-*

salis, vel Electionis, vel Redemptionis, vel Vocationis, uti à quibusdam ex Nostris hæc quoque inculcata fuit. Quæ suis locis magis adstruenda & vindicanda erunt.

XLIII. A Gratia vix aliter differt *Misericordia*, quam quod hæc Objecti circa quod versatur Miseriam includat, quamquam apud Hebræos vocabula sæpe permutentur. Lege de hac *Exod.* XXXIV. 6. *Luc.* VI. 36. 2 *Cor.* I. 3. *Eph.* II. 4. 1 *Petr.* I. 3. *&c.* & confer similia *Pastoris* summo cum affectu curantis oves, *Patris* amantissimi, *Matris* tenerrimæ, *Jes.* XL. 11. *Psalm.* CIII. 13. *Jes.* XLIX. 15. *Jer.* XXXI. 20. *Hos.* XI. 8. 9.[1] *&c.* Est autem Miseria neutiquam Affectus Divini Causa, sed sola ejus Bonitas *Rom.* IX. 15. 18. Unde haud æqualiter miseretur, sed maximè Electorum *Rom.* IX. 23. licet Misericordiæ temperamentum in omni justitiæ exercitio ferè adsit. Misericordia etiam.

[1] *Vid. Comment. in Loc.*

XLIV. Nomen tandem *Patientiæ* accipit Dei Bonitas, vel *Tolerantiæ*, vel *Longanimitatis*, etiam apud Græcos & Hebræos, quando pœnam justè inferendam mox ad delictum non immittit *Exod.* XXXIV. 6. *Rom.* II. 4. 2 *Petr.* III. 9. *&c.* Illam demonstravit sub Oeconomia V. T. tota, Justitiâ propter peccata fidelium in Christo needum exercitâ *Rom.* III. 25. 26.[2] & demonstrat hodieque, tum ergo *Electos*, ut ad resipiscentiam ac salutem ducantur, tum erga *Reprobos*, ut sint ἀναπολόγητοι. Nec evertit Patientia Justitiam; non enim dilatio ablationem, sed potius spreta aggravationem, infert pœnæ. Tandem Patientia.

[2] *Exer. Text.* XXXIX. P. III.

XLV. Post Bonitatem consideranda est *Justitia*, multiplici sensu tributa Deo. Vulgo rectè Triplex dicitur, *Divina*, *Dominica*, & *Judiciaria*; notaturque prior duplex nomine Justitiæ *Universalis*, uti postrema *Particularis* audit. *Divina* Justitia ipsius est naturalis *Sanctitas*, per quam ipse ab omni vitio purissimus se ac suæ voluntatis placitum amat perfectissimè. De hac Sanctitate agitur *Lev.* XI. 45. *Jes.* VI. 3.[3] 1 *Petr.* I. 15. 16. etiam sub emblemate *Lucis* purissimæ 1 *Joh.* I. 5. Atque venit illa sub nomine *Justitiæ Joh.* XVII. 25. *coll. vers* 11. *Dominica* autem naturalis hujus sanctitatis demonstrationem in Verbis & Factis omnibus notat. Ut ad illam referri debeat *Veritas*, non scilicet Divinæ Essentiæ & Perfectionis, sed Verborum ab illo revelatorum, quæ alias

Justitia Dei declaratur, quæ est vel Divina, vel Dominica, in verbis omnibus, promissis, minis, præceptis, dein etiam factis declarata.

alias *Veracitas Rom.* III. 4. *Tit.* I. 2. inferens omninò Verbi ab ipſo revelati Infallibilitatem; neutiquam vero hanc tribuens Humanæ Rationi aut Perceptioni, quæ equidem à Deo eſt, ſed ut in ipſa creatione animæ pœnam propter peccatum Adami inferente, nec reſpectu actus abſque Hominis corrupti Cooperatione exſeritur. Pertinet huc quoque *Conſtantia*, in verbis tum comminationis tum promiſſionis confirmandis; quæ poſteriori reſpectu potiſſimum *Fides* & *Fidelitas* dicitur quoque. Agitur α de iſthac Conſtantia *Neh.* IX. 8. *Pſal.* XXXI. 2. *Rom.* III. 3. 1 *Joh.* I. 9. *&c.* β comprobant eam Dei ipſius Immutabilitas *Mal.* III. 6. [4] Pœnitentia, ipſi anthropopathicè tributa quidem, ſed revera negata *Num.* XXIII. 19. [5] 1 *Sam.* XV. 29. nomen *Jehovah* & *Dei Amen Jeſ.* LXV. 16. & Juramenta verbis frequenter addita *Hebr.* VI. 17. γ patet tandem illa ex Eventu, qui Comminationes & Promiſſiones confirmat, licet ſæpe ſapienter differatur, vel ob conditionem explicitam aut implicitam ſæpe non ſequatur, uti in Promiſſionibus Corporalibus Pietatis 1 *Tim.* IV. 8. & Judiciis Ninivæ aliiſque denunciatis, *coll. Jer.* XVIII. 8. Imo quoad Verba Juſtitia Dei ſe quoque manifeſtat in ejus *Præceptis*, quæ naturali ſanctitati ac officiis inde fluentibus adverſari nunquam poſſunt: licet de aliis, quæ libera voluntate ſtatuit, ſeu ad tempus ſeu in perpetuum diſpenſare ipſe poſſit, & diſpenſaverit, v. g. in Abrahamo juſſo offerre filium, ac Iſraëlitis auferentibus Ægyptiorum bona, *&c.* nihil ſic tamen præcipiens quod indecens erat. Præterea *Juſtitia* Dei in Operibus omnibus, tum Creationis tum Providentiæ & Gratiæ, elucefcit *Deut.* XXXII. 4. [6] ut nihil hic jure carpi poſſit, ſi rerum omnium connexionem & ordinationem ad ſuos fines intueamur, licet primo obtutu ſæpe aliter videatur.

[3] *Exerc. Text.* XIV. P. VI. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Pentat.* [6] *Comm. in Pent.*

Vel Judiciaria, quæ eſt tum Remunerativa, non permittens Punitionem Creaturæ plane Innocentis & Sanctæ.

XLVI. Potiſſimum hic conſiderari debet Juſtitia *Judiciaria*; quæ ad *Diſtributivam* magis quam *Commutativam* accedit. Per hanc Deus in Judicio ſuum unicuique tribuit, vel *Secundum Opera* rependit, *Qualitate & Quantitate* eorum ſpectata *Rom.* II. 6. Generali hac notione de *Juſtitia Dei* legitur *Gen.* XVIII. 25. *Pſal.* IX. 5. 9. XI. 7. 2 *Theſſ.* I. 6. 7. &c. Exſerit adeò ſe non tantum in Pœnis, ſed & in Præmiis, horum reſpectu *Remunerativa*

rativa dicta. Cum verò Duplex Fœdus Deus cum Homine inierit, atque adeò duplici via Jus Præmii hic obtinere potuerit, hinc *Duplex* exercendæ Justitiæ hujus ratio fluit. *Una*, cum *Resipiscentibus & Credentibus* in Christum, ob hujus Perfectissimum Meritum suamque Liberalissimam Promissionem, sui Communionem concedit, 2 *Tim.* IV. 8. *&c.* nec negare potest, aut negat unquam verè, id licet fieri videatur sæpius externe in malis hujus vitæ & momentaneis derelictionibus *Jes.* XLIX. 14. 15. LIV. 7. 8. *&c.* *Altera*, cum *Legem* perfecte & constanter in Propria Persona *Implentibus* præmium se dignum & promissum confert. Unde consequitur; α Justitiæ æque, quam β Sanctitati, & γ Bonitati Divinæ, repugnare, quod quidam contendunt, posse Deum *creaturam plane Innocentem & Sanctam* Præmio non tantum privare, sed & Malis & Cruciatibus æternis *affligere.* Qui hic gratis prætendunt; α Loca *Exod.* XX. 5. *Ezech.* XXI. 3. *Job.* IX. 3. *&c.* in quibus de Pœna Temporali, & hominibus Communi Peccato involutis, licet ab iisdem cum aliis quibusdam aut gravioribus delictis immunibus, agitur; β æternam hominum *Reprobationem*, quæ Peccatum ante pœnam & inflictam & destinatam in homine ponit; γ Punitionem transgressionis *Adami in Posteris*, qui utique vi Fœderis & Sanguinis communi reatu tenentur, atque *Electorum in Christo*, qui iterum voluntariâ Sponsione reus factus est; δ *Jus Dei Absolutissimum*, ad creaturas omnes, ut ab ipso dependentes, pro lubitu tractandas, annihilandas, hinc & damnandas, cujus utique exercitium per ipsas Divinas Perfectiones restringi potest & debet, plane sicut Dominium inter Homines respectu Servorum ac Jumentorum, quod exemplum gratis objicitur.

XLVII. Quatenus autem Justitia se exserit in Pœnis, *Vindicativa*, *Ultrix*, *Puniens &c.* etiam anthropopathicè *Ira*, *Odium*, *Zelus*, *Severitas*, *Excandescentia &c.* dici solet. Quam esse Deo ita *Naturalem*, *ut peccatum prorsus impunitum dimittere nequeat*, constat; α ex *Locis* expressis *Exod.* XXXIV. 7. *Psal.* V. 5. 6. 7. IX. 4. XI. 5. 6. 7. *Nah.* I. 2. 3. [1] ubi omnino de Attributis maximè Essentialibus, quæ abnegare nequit Deus, mentio est; β ex *Sanctitate Dei*, quæ aversionem à peccato actu demonstrandam infert *Jos.* XXIV. 19. *Psalm.* L. 21. *Hab.* I. 13. [2] *&c.* γ ex communi *Conscientiæ* testimonio *Rom.* I. 32. II. 15. 16. *Act.* XXVIII. 4. ver-

Tum Vindicativa, quam probatur esse Deo Naturalem, ut Peccatum Impunitum dimittere nequeat. Refutatis Socinianorum Objectionibus.

4. verbis & factis, potissimum in Sacrificiis à Gentilibus ipsis declarato; δ denique ex ipso Dei Opere, quando, post præfigurantes Umbras omnes, in quibus Victimæ ad Expiationem erant prorsus necessariò mactandæ, ad Peccatores liberandos *Justitiam* hanc in *Filio* intimè dilecto exercuit *Luc.* XXIV. 26. *Rom.* III. 25. 26. ³ 2 *Cor.* V. 21. Quod mysterium solidumque Christianæ consolationis omnis fundamentum nequiter evertere studentes *Sociniani*, post *Judæos* & veteres *Coluthianos*, sequentibus eos *Arminianis*, statuunt, *Punitionem* peccati esse *Effectum Liberæ ac Vertibilis Voluntatis, quod velle aut nolle potest, ut mundum creare & non creare, pluere & non pluere.* Atque accedunt nimis prope illi ex *Nostris*, qui Punitionis Necessitatem non ex Naturali Dei Perfectione, sed *ex Decreto Æterno* tantum repetunt, atque uti iisdem argumentis confutantur, ita & ipsi iisdem ferè cum Adversariis utuntur. Omnia levia sunt. 1. Quod enim urgent Dei *Libertatem* in omnibus Operibus Externis; α hæc per Necessitatem à nobis assertam non magis tollitur, quam per necessariam in omnibus operibus externis & internis Sanctitatem; β in *Indifferentia* præcedentium actionum, Creationis & Permissionis Peccati, hic quoque conspici potest; γ uti ab ea porro fluit *Modus* omnis pœnæ, respectu temporis, gradus, personarum. 2. Minus huc facit Dei *Potentia*; cum per hanc omnia possit vera & decentia, non quæ suis Perfectionibus adversantur. 3. Non evertit etiam Justitiam *Bonitas*, sive sub *Misericordiæ*, sive *Patientiæ* nomine, veniat. Neutrâ enim Pœna omnis *aufertur*, sed vel α *transfertur* in Sponsorem, β vel *mitigatur*, γ vel *differtur*. 4. Non repugnat *Absolutum Dei Dominium*, quo illa Deum posse putant, quæ possunt homines, de jure suo frequenter & recte remittentes. Cum α Dominii exercitium Divinis perfectionibus semper debeat esse conveniens; β neque homines Judices, sub qua ratione hic Deus spectatur, de Jure vel ullo vel Publico & Naturali licite remittere possint. 5. Ex quibus observationibus concidunt porro objecta Scripturæ dicta plurima *Eph.* I. 7. *Ezech.* XVIII. 23. &c. quibus α vel *Remissio* Deo tribuitur gratiosa, ad Redemptionem Christi utique referenda; β vel Deus *Pœna non delectari* dicitur, quod verum de malo in se spectato, comparativè, & restrictè ad resipiscentes. Justitiæ verò *Vindicativæ* exercitium aliud esse ad *Compensationem* læsæ suæ Majestatis,

ſtatis, aliud ad *Correctionem*; aliud *Perdens*, aliud cum ſalutari *Miſericordia* junctum; aliud *in Peccatorem*, aliud *in Peccatum*; aliud ſtricte *Punitivum*, aliud *Arbitrarium* & *OEconomicum*; alibi docetur.

[1] *Vid. Comment. in Loc.* [2] *Comment. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XXXIX. P. III.

XLVIII. Omnium harum & ſingularum Perfectionum Dei comparatio porro cum creaturis ὑπεροχὴν ſeu *Exſuperantiam* ejus in aprico ponit; in quam ultimò videtur reſolvi *Jus*, quod in omnia ab ipſo dependentia habet, & ſub *Poteſtatis*, *Dominii*, *Majeſtatis*, *&c.* nomine venit *Jer.* x. 6. 7. xviii. 6. *Pſ.* xcv. 3. 4. 5. 6. 7. *Eph.* iv. 6. 1 *Tim.* vi. 15. *&c.* Eſt autem non ſolum Univerſale, ſed & Abſolutiſſimum, ἀυτεξόσιον, ἀνυπεύθυνον, Illimitatum, Summum, Legibuſque omnibus à creatura ponendis Solutum *Job.* ix. 12. xxxiii. 12. 13. *Dan.* iv. 34. 35. *Jeſ.* xlv. 9. *Matt.* xx. 15. *Rom.* ix. 18. 20. 21. *&c.* Quo non obſtante, Poteſtatis hujus Determinationem agnoſcimus duplicem; α *Naturalem*, β & *Voluntariam*. Prior fluit ex Perfectionibus propriis, per quam neque facere neque præcipere poteſt, quæ Sanctitati aliiſve ſuis Attributis adverſantur; uti in Prædeſtinatione & Providentia univerſa nihil etiam tale reperimus. Poſterior derivatur ex Conſilio Divinæ Voluntatis in Verbo revelatæ; per quam *Jus Abſolutum* cum reſtringitur, *Ordinatum* dici ſolet, quod pro ratione Divinæ Voluntatis vel Perpetuum vel Temporarium eſt. Interim per *Jus* hoc *Univerſale* non tollimus *Particulare*, quod ex ſpeciali Beneficio, Fœdere, Peccato &c. oritur *Exod.* xx. 2. *Rom.* iii. 19. &c. quale etiam Chriſtus in Eccleſiam habet, prius illud Univerſale ſupponens & demonſtrans. Reliquæ Juris Divini Diviſiones ad Legis ſignificatum fere pertinent.

Dei in Perfectionibus ſuis ὑπεροχὴ, atque hinc fluens Jus Supremum exponitur.

CAPUT QUINTUM.

De Perſonarum Trinitate.

Acturi de Trinitate Personarum, utramque hanc vocem primò conſiderabimus. Atque ſic dicta eſt *Trinitas*, quaſi

Trinitatis Nomen declaratur.

quasi *Trium Unitas*; voce non quidem in hac compositione, sed in simplicibus suis, tradita in Scripturis 1 *Joh.* v. 7. Græci dixerunt minus plenè τριάδα, per Epitheta addita ἁγίας, θείας, προσκυνητῆς, ὁμοουσίου &c. vocem magis restringentes & declarantes; item τρισσὴν μονάδα, & τριαυγὲς τῆς μιᾶς θεότητος. Apud *Belgas* veteres, aliosque in Lingua vernacula, usurpatur vox *Triplicitatis*, quæ minus apta est, ob Compositionem quam notat, absque Unitatis indicio ullo. Interim Trinitas latius quandoque usurpata pro Numero distributivo Ternario, vulgo ad Pluralitatem Personarum in Unitate Essentiæ applicatur.

Alterumque Personæ, pro quo Paulus ὑπόστασιν dixit.

II. *Personæ* vox Latina quoque est, varia allusione derivata, vel à Chaldæo פרסא / *velamine*, aut פרש / *dividere*, vel à Græco περιζωννύω, aut πρόσωπον, aut περὶ σῶμα, vel Latine à *per se una*, aut *per se sonans*, aut simpliciter à *personando*. Usus ejus ex scena translatus, & à *Tertulliano* primum introductus creditur in Theologiam. Pro eo Græci dicunt πρόσωπον, τρόπον ὑπάρξεως, ὑφιστάμενον, ὑπόστασιν; voce hac reperta *Hebr.* 1. 3. & simplicissime, missis *sigilli* aliisque quæsitis similitudinibus, expositi de *Persona* Patris, quem non quidem Subsistentiæ sed tamen Essentiæ respectu perfectissime Filius refert. Quamquam sæpe Græci ὑπόστασιν dè *Essentia* seu *Substantia* intellexerint, Unam eam, non Tres esse asserentes; uti Latini iterum Personam quandoque *Substantiam* dixerunt. Solent huc quoque referri Hebræorum פנים *faciès*, & מדות / *modi* vel *mensuræ*. Notat autem Persona hic, non Larvam histrionicam, aut Faciem hominis naturalem, aut Qualitatem ex ejus statu, sed veram *Substantiam Intelligentem Individuam ac Incommunicabilem*. Quando iterum consideratur, vel *concrete* cum Essentia, vel *abstractè* cum hujus præcisione.

Personalitas neque est Ens metaphysicum, neque mera Negatio, sed Modus ultimo terminans naturam substantialem.

III. Metaphysicis hic lubenter linquimus *Essentiæ*, *Existentiæ*, *Subsistentiæ*, *Suppositi* item, *Personæ*, ac *Personalitatis*, explicationem; dum modò intuitu præsentis mysterii nostri, atque alterius de Incarnatione, neutiquam ab homuncionibus profanandi, liquerint nobis. 1. *Personalitatem* non esse verum aliquod & *Reale Ens*, suam habens Essentiam; ne sic, in Deum Quadruplex Essentia, una Divina, & triplex trium Personarum, inferatur. 2. Non esse eandem meram *Negationem Communicationis Actualis*, sive merum nihil; ne omne Personarum ab Essentia Divi-

Divina & inter se discrimen, cum Characteristicis Proprietatibus, quæ non Essentiæ sed Personarum sunt, tollatur, & Persona τȣ λόγȣ in Incarnatione Personalitate sua æterna destituatur. Quæ consectaria prorsus necessariò hinc fluunt. 3. Recte hactenus mediam institisse viam Theologos, cum Personalitatem *Modum* dixerunt, *ultimo terminantem ac complentem naturam substantialem ac illi dantem incommunicabilitatem.* Cujus rei planior explicatio si desideretur, imbecillitas intellectus & eloquii nostri potius declaranda, quam cum periculo fundamentalium veritatum res certissima neganda erit. [1]

[1] *Vid. Narr. Apol. c. Br. cum Appendice.*

IV. Vox utraque quousque ἄγραφος vel ἔγγραφος dici debeat, ex superioribus constat. Nos uti probamus *Calvini* votum, de Fide Trinitatis ipsius illæsa, Nominibus verò sepultis, quod pessimè torquent *Pontificii* & *Lutherani*; ita simul asserimus, *Nominum horum* in præsenti Ecclesiæ statu *Usum licitum*, *utilem*, & *necessarium esse*, ad veritatis ab Errore discretionem, dum *similia loquentes* Hæretici *dissimillima sapiunt*. Nec α ulla hic vel ἑτεροδιδασκαλία, vel βέβηλος καινοφωνία, à Paulo damnata 1 *Tim.* VI. 3. 20. ubi in sancta doctrina, ab Apostolis tradita, vocibus aptis & communi Ecclesiæ consensu dudum stabilitis nos utimur Et β quædam si hinc oriantur jurgia, illa vel necessaria sunt ad Hæresin avertendam, vel hinc per accidens fluunt. Unde imprudentiæ gravis manifestè sunt rei, qui *Socinianis* ac *Socinianizantibus* ex nimia in Scholarum terminos odio tantum cedunt, ut voces has in exilium mittant, ac *Mysterii Patris Filii & Spiritus S.* heic tantum meminerint.

Voces Trinitatis & Personarum neutiquam sunt in exilium mittendæ.

V. Dogma nunc ipsum Explicandum, Confirmandum, & Commendandum venit. *Explicatio* fieri potest Quatuor Positionibus. 1. Esse *in Deo Unicam* prorsus Simplicissimam & Singularissimam *Essentiam.* Quod *Capite* IV. probatum, hic potissimum tenendum est adversus *Triformianos*, & *Tritheitas*, veteres & recentes. 2. Esse præterea *Tres Personas* veras, quæ sint abstracte *Essentiæ Divinæ Subsistendi Modi Incommunicabiles*, relativè & terminativè ad Essentiam Absolutam magis & Latiorem quodammodo se habentes. Quam distinctionem inter Personas & Essentiam, variis terminis Metaphysicis exponi solitam, nos *Rationis Ratiocinatæ*, *Formalem*, *Modalem*, vix autem *Realem*, nisi *veritas* nuda

Dogma Trinitatis dicit Unam Essentiam & Tres veros Subsistendi modos. Per quos constitutæ Personæ conveniunt in Una Essentia, Æquali etiam Dignitate & Honore, tan-

dem Mutua Inexistentia.

da in oppositione ad fictionem notetur, dici patimur; dum modò notiones hæ in rigore non vexentur, aut rerum finitarum imperfectiones huc applicentur. Tenenda autem hæc assertio contra *Servetum*, *Sabellium*, *Noetum*, *Praxeam*, *Patripassianos* omnes, & *Simonianos* ipsos, à quibus primum isthæc invecta fuit hæresis, Personas *Nuda* esse *Nomina* varia unius Divinæ Essentiæ. 3. Personas has *convenire* inter se. α In *Una Essentia*; quod à *Nicænis* prudenter expressum fuit termino ὁμοουσίῳ, oppositè ad τὸ ὁμοιούσιον, ἑτερούσιον, συνούσιον, ταυτοούσιον, μονοούσιον, ἐνούσιον &c. Ac ita quidem, ut *Eadem numero Essentia* absque Divisione aut Multiplicatione ulla competat Tribus, vereque de iis prædicetur *in Quid*, non tamen per modum *Generis*, aut *Speciei*, sed *Analogicè*, quod per Infinitatem fieri credendum est. Hinc non improbandâ phrasi, quæ in Natura Divina concretè considerata ponit Personas, aut in Personis Naturam. β Tum in ἰσότητι, seu *Æquali participatione Dignitatis & Honoris*, ex una Natura suprema fluentis; ut nulla hic etiam Personalis debeat statui ὑπεροχὴ Patris qua talis, temerè à quibusdam ex Nostris admissa, licet in Oeconomia Redemptionis à Filio susceptæ ratione Muneris illa admitti possit & debeat. γ Tandem in ἐμπεριχωρήσει, *Mutua Inexistentia*, de qua ex Unitate Essentiæ fluente, & in simultanea cognitione supposita, legimus *Joh.* x. 38. xiv. 11. distincta ab omni μεταςγισμῷ. Est autem tertia hæc positio tenenda contra hostes omnes antiquos & recentes Deitatis veræ Filii & Spiritus Sancti.

Ita ut differant Personæ hæ Nomine, Ordine, Modo Operandi, Operibus ad Extra, & Proprietatibus potissimum Characteristicis.

VI. Tandem 4. *Distingui* simul *Personas* has inter se, quocunque termino Metaphysico, *Realis*, *Modalis*, *Rationis*, *Personalis &c.* hic uti volueris, (dè eo enim, ubi in sensu convenit, frustra litigatur,) Quinque Modis. α *Nomine*, Patris, Filii, & Spiritus, *Matt.* xxviii. 19. quod fundamentum exponit mutuæ Relationis, non componentis sed distinguentis tantum in Deo. Interim nomina *Patris* & *Spiritus* extra relationem hanc Personalem absolute *Essentiam* quoque alias notant. β *Ordine*, ex Modo habendi Essentiam fluente 1 *Joh.* v. 7. licet ex textus circumstantiis & scopo sæpe ille sit arbitrarius 2 *Cor.* xiii. 13. *Apoc.* 1. 4. 5.[1] *&c.* γ *Modo Operandi*, qui Ordinem sequitur; Patre à se per Filium & Spiritum agente *Joh.* 1. 3. v. 19. xv. 26. *&c.* δ *Operibus ad Extra*; quæ quidem respectu Principii Operantis indivisa sunt Trinitati, sed secundum Ordinem Personarum & specialem OEcono-

nomiam terminativè appropriantur ſingulis Perſonis 1 *Cor*. VIII. 6. *Act*. XX. 28. 1 *Cor*. VI. 11. *&c*. ε Denique & potiſſimum *Proprietatibus*, *Notionibus*, ſive *Operationibus Perſonalibus*, quas vocant *Characteriſticas*, *Diacriticas*, *Gnoriſticas*; quæ pertinent non ad Eſſentiam aut Perſonas in Abſtracto, ſed ad has in Concreto, neque ſunt Perfectiones Abſolutæ ſed Relativæ, ut tantum Perfectionis Realis ponant in una quam in altera Perſona, etiamſi vocibus paſſivis exponantur.

[1] *Vid Comm. in Loc.*

VII. Hunc in modum *Patris* Proprietas eſt ἀγεννησία, dicta quoque αὐτογεννησία, per quam ipſe Subſiſtentiæ reſpectu non eſt ab alia Perſona, ſed Filius & Spiritus ab ipſo. Id vult locus *Job*. v. 26. [2] & *Patris* nomen, huc tamen vix reſpiciente Paulo, ſed potius ad Creaturas, cum *omnem Familiam cœleſtem & terreſtrem ex eo nominari* dicit *Eph*. III. 15. Quin & id voluere Veteres, cum Patrem dixerunt *Cauſam*, *Principium*, *Fontem*, *Originem*, *Totius Deitatis*; quæ verba tamen duriora eſſe, cum Deitas plane ſit independens, totamque Deitatem ipſe etiam Pater habeat, dudum notatum eſt à Viris Doctis.

Proprietas Patris eſt ἀγεννησία cum Productione Filii & Spiritus.

[2] *Exerc. Text*. XXXVII. P. IV.

VIII. Filio competit, juxta Spiritus Productionem, *Generatio* à *Patre*, phraſis non rei reſpectu *Paſſiva*; de qua α explicitè legitur *Pſal*. II. 7. [3] & ſub nomine communiori *Exitus Mich*. v. 1. [4] β quæque fundamentum eſt unicum, cur *Filius Dei* dicatur *Matt*. XVI. 16. & quidem *Dilectus Matt*. III. 17. XVII. 5. *Proprius Job*. v. 18. *Rom*. VIII. 32. & *Unigenitus Job*. I. 14. 18. III. 16. 18. 1 *Job*. IV. 9. Eſt autem illa 1. *Æterna* & perpetua; in præſenti ob rem ipſam, in præterito ob noſtrum intelligendi modum rectè propoſita, *Pſal*. II. 7. [3] *Prov*. VIII. 22. 24. 30. [5] *Mich*. v. 1. [4] *Job*. XVII. 5. Eſt 2 *Hyperphyſica*; non Phyſica, ut omnis hinc ſit removenda Imperfectio, Dependentia, Succeſſio, Mutatio, Diviſio, Multiplicatio, &c. quas perperam ex Generatione hac eliciunt vulgo veritatis hoſtes. Eſt tamen 3. *Propria*; non Metaphorica, quatenus Filiatio ipſa hinc fluens vera eſt, ut ipſe ſit vere *Vitam* Patris *habens in ſe*, *Imago Dei Inviſibilis*, *Effulgentia Gloriæ*, *& Character Perſonæ Patris*, ἐν μορφῇ θεοῦ ὑπάρχων, Patri Æqualis, Deitatis particeps, *Job*. v. 26. [6] *Col*. I. 15. *Hebr*. I. 3. *Phil*. II. 6. [7] *Job*. v. 18. *Col*. II. 9. &c. Deſcribi

Filii vero Generatio à Patre, quæ qualis ſit, monſtratur.

bi itaque potest; ut *Æterna ac Incomprehensibilis Ejusdem numero Divinæ Essentiæ Communicatio, à Patre facta Filio.*

[3] *Exerc. Text.* XV. P. II. & III. [4] *Comment. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XIII P. I. [6] *Exerc. Text.* XXXVII. P. IV. [7] *Exerc. Text.* XLI. & XLII. P. II.

Quæque ab Arianis, & Socinianis impie torquetur, uti & nuper ab aliis temere Philosophantibus.

IX. Pessime verò istam Generationem evertunt. 1. *Ariani* veteres, in nomina & sectas varias iterum scissi; qui *Creatum* Filium voluerunt ἐκ μὴ ὄντων, *ante* reliquarum rerum per eum ut *Instrumentum* factarum primordia, detorto huc textu Græco *Prov.* VIII. 22. ubi κτίζειν LXX. Interpretes generalius usurparunt, & locis *Col.* I. 15. *Apoc.* III. 14. [1] ubi ut *Prius Genitus*, vel etiam Princeps, & Creator, à creaturis manifestè distinguitur. 2. *Sociniani* hodierni; qui Generationem jam assertam planè ridentes, ei substituunt, α Nativitatem ex Virgine per operationem Spiritus S. β Sanctificationem ad Munus Mediatoris, γ Suscitationem à mortuis, δ & Exaltationem ad dextram Patris; nec Æternam illam nisi destinatione agnoscunt. Prætextu præcipuè locorum *Luc.* I. 35. *Joh.* X. 34. 35. 36. [2] *Act.* XIII. 32. 33. [3] *Rom.* I. 4. *Hebr.* I. 4. 5. V. 5. [3] *&c.* quibus vel simpliciter de Persona Genita aliud quid prædicatur, vel Generationis Indicium & Argumentum aliquod consequens proponitur, non illius Ratio Formalis. 3. Quin & lædunt mysterium hoc haud leviter *Remonstrantes*; qui cum veteribus *Adoptianis Filium Dei* Christum dici volunt, non ob solam Generationem, sed & ob Rationes Socinianas modò datas, phrasin licet *Adoptionis* rejiciant. Si qui Patres aut superioris ævi Theologi *Remonstrantibus* hic præluxerint, eorum incommodam phrasin nostram non facimus. 4. Nec prætermitti heic absque gravissima censura potest aut debet Philosophans nuper in Belgio Theologus; qui impetum primo faciens in hanc *Generationem*, tanquam sic *impropriè* dictam; deinde eam constituit in *Coëxistentia Æterna* cum Patre, quæ tamen Spiritui non genito est communis, nec minus recte Patri ipsi quam Filio tribuitur, imo nihil in se habet quod Generationi respondeat; sed tandem ad *Socinianas Filiationis Causas* confugit, Incarnationem scil. Mediatorisque Munus & Gloriam, negata cum illis & exsibilata vera & æterna Generatione, dum tamen Filii Deitatem Æternam concedebat. Quo pacto evertitur palam Scriptura, Christum ponens vere & reapse Dei Filium ante Incarnationem & Munus; atque

atque Mysterium Trinitatis necessario exit, vel in *Tritheismum*, si scil. non in Modo habendi Essentiam sed in ipsa Essentia Personarum discrimen constituitur, vel in *Sabellianismum*, si nec in Essentia nec in Subsistentia per illam communicatam sit heic discrimen, quando nil nisi Nomen distinctum relinquitur. Quod cum non minus etiam ad Spiritum pertineat, qui à Patre & Filio habet Essentiam, quam ad Filium, liquet maximum hujus Erroris fœdi Pondus omnibus rite attendentibus, & Synodorum Belgicarum cura adversus illum summopere laudari & diligenter observari debet. [4]

[1] *Vid. Comm. in Loc.* [2] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. *Mant.* VIII. [3] *Exerc. Text.* XV. P. II. [4] *Exerc. Text.* XV. P. II. & XXXVII. P. IV.

X. Notandum est porrò, non obstare hanc *Filii Generationem*, quo minus ipse cum Spiritu dicatur αὐτόθεος, imo potius id inferre; non sensu propriæ Sui Causalitatis, sed α Veritatis, β Eminentiæ, γ atque Independentiæ Essentialis & Externæ. *Veritatem* Deitatis Filii docet Spiritus 1 *Joh.* v. 20. *Eminentiam* ejus *Rom.* IX. 5. *Tit.* II. 13. *Independentiam* ejusdem *Joh.* v. 26. [5] *Apoc.* I. 8. 11. [6] *&c.* Neque Verus esset Deus, Idem cum Patre, & Æternus, nisi *Deus à Se* foret. Ut malè post *Origenem*, *Valentinus Gentilis*, *Arminius*, *Lutherani* varii, & maxime *Pontificii*, qui ex nostra sententia hæresin *Autotheanorum* exstruunt, & cæteroquin omnes Veram Christi Deitatem tueri volunt, id negent; prætextu locorum *Matt.* XI. 27. *Joh.* v. 26. VII. 29. XVII. 8. *&c.* quibus, vel α dè Missione, Exitu, & Datione in tempore facta, mentio est; β vel Deitas Independens ipsi à Patre per Generationem data asseritur, unde nihil amplius sequitur quam non esse illum *Filium à Se*, & differre Modum habendi Deitatem apud ipsum ac Patrem, non hanc ipsam. Quod etiam voluerunt *Nicæni*, Christum *Deum de Deo*, & *Lumen de Lumine*, vocantes.

Non obstante Generatione Filius est αὐτόθεος.

[5] *Exerc. Text.* XXXVII. P. IV. [6] *Comm. in Loc.*

XI. Tribuitur tandem *Spiritui S.* tum ἐκπόρευσις, *Processio*, *Joh.* XV. 26. à Missione ibidem distincta; tum *Spiratio*, ducente huc α nomine *Spiritus*, β additione *oris Domini Psal.* XXXIII. 6. γ & symbolo externo *Joh.* XX. 22. Neque procedit aut spiratur solum à *Patre*, sed & à *Filio*; hic tamen Patri potius subordinando,

Spiritus Proprietas Characteristica est Spiratio, quæ fit à Patre Filioque.

do, quam coordinando, uti & alia omnia *per Filium* ille operatur. Quo ducit; α appellatio *Spiritus Filii*, æque quam *Christi*, *Gal.* IV. 6. *Rom.* VIII. 9. & Dei Patris *Matt.* x. 20. β Missio ejus à Filio facta *Joh.* XIV. 26. XV. 26. γ omnium quæ tradit Spiritus à Filio Acceptio *Joh.* XVI. 13. 14. 15. δ tandem & Personarum Ordo Naturalis. Unde improbanda est *Græcorum* seu Orientalium opinio de *Spiritu procedente à Solo Patre*, pro qua adversus *Latinos* disputarunt fervidè inde à Seculo VII. Licet illis occasio litis ab his, per additionem vocis *Filioque* ad Symbolum OEcumenicum Constantinopolitanum, non ineptam quidem, sed tamen propriâ autoritate imprudenter factam, data esse videatur; ipsaque lis nimio imperio & zelo etiam continuata, cum in phrasi aliquoties hærere visa fuit, Græcis Processionem *à Patre per Filium* concedentibus, & conjunctione Filii cum Patre per eandem phrasin in Scriptura nusquam reperta. Quod tamen argumentum ex *Joh.* xv. 26. ad excludendum à Spiratione Filium minimè valet.

Differentia inter Generationem & Spirationem qualis sit.

XII. Esse Differentiam inter *Generationem & Processionem* cum *Augustino* novimus, sed quia utraque inenarrabilis est, distinguere nescimus; nisi dicere placeat, præter α qualemcunque *Nominis* differentiam, *Exitu* quidem sed *Generatione* nusquam Spiritui tributa, β discrimen hic esse in *Principio*, quod in Generatione solus Pater, in Processione non item, γ in *Persona* cui tribuitur, δ & in virtute ulterius *Communicandi Essentiam*, quæ in Generatione datur, non autem in Processione. Quod addunt cum *Scholasticis* Theologi multi Celebres, *Generationem* videri procedere ab *Intellectu* Patris, unde Filius *Sapientia* & Λόγος dicatur, *Processionem* à *Voluntate*, unde hic sub nomine *Amoris* veniat, puto; α solido carere fundamento; β rem etiam magis implicare, cum intelligere & velle Actus sint potius Essentiales quam Personales; γ atque falsa niti hypothesi, quasi Spiritus *Amor* usquam diceretur, qui tantum ejus apud hominem est Index, & quasi ratio alia sufficiens & multiplex non esset appellationum adductarum Filii, quas antea nos etiam dedimus.

Trinitas Personarum confirmatur ex illis Vet. T. Locis quibus de Se Pluraliter

XIII. Explicatum sic dogma *Confirmaturi*, mittimus *Traditionem*, ad quam perperam quandoque confugiunt hic *Papistæ*; producimusque potius in *prima* acie illa *Vet. Testamenti*, (quod minus quidem, sed tamen pro isthac œconomia satis, clare mysterium hoc continet,) *Loca*, quibus Unicæ Divinæ Essentiæ

Plu-

Plures indefinitè Personæ tribuuntur, non pro lubito nostro, ut vellent *Anti-Trinitarii* moderni, multiplicandæ, verum alibi ad Ternarium numerum redactæ. Sunt autem isthæc Loca. 1. Quibus Deus *de Se in Prima Persona Pluraliter* loquitur *Gen.* I. 26.[1] III. 22.[2] XI. 7.[3] *&c.* Ubi; α nec potest dici Deus loqui ad *Angelos*, propter Creationis opus Deo proprium, memoratam Dei Imaginem, affectatam majorem cum Deo Similitudinem, aliasque textuum circumstantias; β nec *Amplitudinis & Majestatis* causa Pluralis numerus adhibetur, cum id in Prima Persona non ita agant Orientales, etiam potentissimi, *coll. Gen.* XX. 15. 16. XLI. 15. 2 *Chron.* XXXVI. 23. *Hezr.* VI. 8. VII. 13. *Dan* II. 3. *&c.* haud obstantibus locis in contrarium adduci solitis, quibus ad Plures Personas potius respicitur, 2 *Sam.* XVI. 20. *Job.* XVIII. 2. 3. *Dan.* II. 36. *Cant.* I. 4.[4] *&c.* cumque Deus id in Legislatione magnificentissima non agat, imo Plures Personas *Gen.* III. 22.[2] manifestè ponat. 2. Quibus *Personæ Plures distinctè* nominantur, uti *Gen.* XIX. 24.[5] *Ps.* XLV. 8.[6] CX. 1.[7] *Hos.* I. 7.[8] *&c. coll. Heb.* I. 8. 9. *Matt.* XXII. 42. 43. Ubi non reperitur simpliciter *Nomen* pro *Pronomine*, sensu reciproco, sed distinguuntur Jehovah Loto præsens à Patre in cœlis existente, Ungens ab Uncto, Jubens à Jusso sedere, salutem Destinans & Producens, &c. uti in locis ipsis videri potest.

In Prima Persona Deus loquitur. Et quibus Plures Personæ distinctè nominantur.

[1] *Vid. Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II. [2] *Lib.* III. *Cap.* XII. [3] *Exerc. Text.* I. P. VI. [4] *Comment. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* II. P. VI. [6] *Anal. Exeg. post Canticum Sal. & Exerc. Text.* XII. P. I. [7] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [8] *Comment. in Loc. & Diatribe.*

XIV. Non audemus, juxta Theologos maximos, huc referre nomen plurale אלהים / *Elohim*, cum aliis pluralibus *Adonim*, *Baalim*, *Factorum*, *Creatorum*, *Sanctorum*, *&c* quorum eadem plane est ratio; ac si Terminatio Pluralis nos duceret ad Plures Personas, & Constructio frequens cum Singulari Verbo aut Adjectivo ad Unam Essentiam. Quod argumentum, à *Veteribus* ignoratum, à *Scholasticis* inventum, Magnis placuit placetque etiamnum Viris. Sed notamus nos cum aliis; α familiare esse Hebræis, Pluralem adhibere Numerum ad Excellentiam exprimendam, *coll. Job* XL. 10. *Prov.* I. 20. *&c.* potissimum in Dignitatis & Dominii nominibus, *coll. Gen.* XL. 1. XLII. 30. *Jes.* XIX. 4. *&c.* Constructione tum promiscue vel secundum Terminationem vel

Vix probari potest Argumentum ex Plurali Terminatione nominis Elohim, &c.

ſecundum Significationem factâ *Exod.* XXI. 4. 29. plane uti hic fit *Gen.* I. I. [1] XX. 13. 2 *Sam.* VII. 23. 1 *Chron.* XVII. 21. *&c.* β eodem modo de Falſis Diis nomen *Elohîm* uſurpari *Exod.* XX. 3. *Jud.* XVI. 23. 1. *Reg.* XI. 33. *&c.* & dè uno Moſe *Exod.* IV. 16. VII. 1. γ tribui illud Uni Perſonæ, quando ab altera diſtinguitur *Gen.* 1.2. *Pſal.* XLV. 8. [2] *Hoſ.* 1. 7. [3] *&c.* ubi ad ἐμπεριχώρησιν gratis confugitur; δ denique Pluralem non poſſe habere Significationem hæc Nomina, quin Pluraliter ſint vertenda, atque adeò agnoſcendi plures *Dii* & *Domini*, facili ſic in Tritheiſmum lapſu. Uti vero argumentum hoc ſpeciem habet, ita magis ludicrum eſt, quod ex aliis Dei Nominibus, ipſoque nomine *Jehovah*, peti dicitur; dum interim Nomine miſſo ad opus Redemptionis, noſtraſque circa hoc Hypotheſes, reſpicitur.

[1] *Vid. Exerc. Text.* I.P.V. [2] *Anal. Exeg. p. Cant. Sal.* [3] *Comm. in Loc.*

Probationes aliæ Trinitatis ex Trina Nominis Jehovah & Sancti mentione. Et ex distincta Trium Perſonarum recenſione.

XV. *Secundò* producimus nos illa Vet. Teſt. Effata, quibus *Perſonarum Trinitas determinate* notatur. Quo pertinent. 1. Loca, quibus *Trina* ſive *Divini Nominis*, ſive *Attributi* Eſſentialis, legitur appellatio; non omnia forte quæ allegari ſolent, uti *Dan.* IX. 19. *Zach.* I. 3. [1] *&c.* ubi aliâ repetitionis poteſt eſſe ratio, ſed illa, quibus contextus nos ad Diſtinctas Perſonas ipſe ducit; uti *Num.* VI. 24. 25. 26. dum Autor Gratiæ monſtratur, planè uti 2 *Cor.* XIII. 13. & zelus Nominis juxta Verba addita repetitionem ulteriorem potius exigeret; *Jeſ.* XXXIII. 22. dum Dominus agnoſcitur ut Salvator; & maximè *Ieſ.* VI. 3. [2] ubi ille cui Triſagium accinitur Pluraliter de Se loquitur *verſ.* 8. & declaratur eſſe juxta Patrem Filius *Joh.* XII. 41. ac Spiritus S. *Act.* XXVIII. 25. Unde quæ alibi rerum variarum ſimplices ſunt repetitiones ter factæ, uti *Templi*, *Terræ*, *Everſionis*, *&c.* *Jer.* VII. 4. XXII. 29. *Ezech.* XXI. 27. *&c.* argumentum noſtrum neutiquam enervant. 2. Loca, quibus *Tres Perſonæ* diſtinctè memorantur; uti *Pſ.* XXXIII. 6. ſubjectâ Verbi προφορικοῦ demum mentione *verſ.* 9. item *Jeſ.* LXI. 1. ubi *Unctus* ad Divinum munus, *Ungens* Pater, Spirituſque quo *Unctus* ille; *Jeſ.* LXIII. 7. 9. 10. 10. 11. 12. 14. ubi præter Jehovam Patrem, *Angelus* faciem Patris referens, ſervans, liberans, portans, & *Spiritus* peccatis læſus, Iſraelitis præſens, quietem dans; *Hag.* II. 5. 6. [3] ubi cum *Jehovah* jungitur *Spiritus*, & *Verbum*, in quo & per quod Fœdus initum, quodque verè Filius, Fœderis Angelus & Media-

diator. Ut alia complura similia mittam, ex quibus licet non agnoscant Mysterinm hoc Judæi degeneres, agnoscere tamen possunt id, & agnoverunt olim, ex Patrum suorum fidelium pariter & infidelium testimoniis ἀυτοκατάκριτοι.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [3] *Comm. in Loc.*

Apparitio Trium Personarum Divinarum non contigit tamen Abrahamo, sed Unius cum duobus Angelis.

XVI. Quam huc retulerunt pio zelo Patres plures, referuntque hodie pari instituto Theologi Celebres, *Apparitionem Abrahamo* factam *Gen.* XVIII. 1. 2. sub Trium Virorum forma, nos potius prætermittimus, persuasi cum aliis, fuisse visum ibi *Filium cum Duobus Angelis Creatis.* Quo nos ducit; α Unius, qui sub nomine *Jehovah* venit, clara à reliquis distinctio *vers.* 13. 14. *&c.* β Duorum, qui *Viri* & *Angeli* dicuntur, servile Ministerium *vers.* 22. XIX. 1. *&c.* γ Pauli *Angelos* memorantis *Hebr.* XIII. 2. autoritas, quod nomen vix Spiritui, utique non Patri competit; δ Apparitionis Divinæ in Humana forma Mysterium, ad Incarnationem, quæ Filii solius est, respicere non male visæ. Nec obstat; α *Trium Virorum* mox post memoratam *Jehovæ* Apparitionem mentio, cum sic modus notetur, ad quem quoque pertinent hujus satellites; β aut *Honor* ipsis delatus, quem fuisse mox ab initio *Divinum*, vel *Æqualem* respectu Trium, gratis dicitur; γ aut numerus *Singularis cum Plurali* sæpius commutatus, cum id ex Sodalitio & Unius excellentia, cui hinc soli Divina tribuuntur verba, oriatur; δ aut *Jehovæ in Historia Loti*, ad quem duo tantum venerant Angeli, repetita mentio *Gen.* XIX. 18. 25. [1] cum mutata loquendi ratio omnis, effectus ipse, & declaratum ante coram Abrahamo Dei consilium *Gen.* XVIII. 20. 21. doceant, licet explicitè id non narret Moses, Personam Tertiam seu Jehovah post exitum èx Sodoma iterum ad Angelos accessisse. Interim gemini Angeli à Christo adsciti rationem si quis dixerit *Trinitatis Adumbrationem* qualemcunque, non multum repugnamus.

[1] *Vid. Exerc. Text.* II. P. VI.

Præcipua Trinitatis probatio ex Clarissimis Locis Nov. Test.

XVII. Clarissima sequuntur *tertio* Testimonia Novi T. Ubi memorabilis est *Historia Baptismi Christi Matt.* III. 16. 17. [1] *Arianis* olim objecta; dum *Pater*, de *Filio* Dilecto, in quo plane sibi complaceret, testimonium dat, & *Spiritus* in specie Columbæ gratiæ Autorem se declarat, utriusque adeo Deitas juxta illam Patris clare *videtur.* Memoranda quoque *Baptismi nostri Institutio Matt.* XXVIII. 19. ubi eodem modo, α ex Autoritate, β in Obsequi-

ſequium, & γ in Fidem, Trium baptizari jubemur, horum memorato uno *Nomine*; quod multum differt à ſimplici Conjunctione, aut Baptiſmo εἰς τ̃ Μωσῆν, ſive *per Moſen* ſive *in ejus doctrinam* interpretari volueris, *Exod.* XIV. 31. 1 *Cor.* X. 2. *coll.* 1 *Cor.* I. 13. Haud prætermittenda *Chriſti dicta*, quibus de Patre, Se, & Spiritu, ut Alio, ſed Divinæ Poteſtatis participe ſecum, loquitur, *Joh.* XIV. 16. 17. XV. 26. XVI. 13. 15. Haud negligendum *Votum*; tum *Pauli* 2 *Cor.* XIII. 13. ubi Chriſto Deum Patrem & Spiritum ſubjicit, nec minus hunc quam illos ut Activum ſuæ Communionis Autorem conſiderat, *coll.* 1 *Cor.* XII. 11. tum *Johannis Apoc.* I. 5. 6. [2] ubi in gratiæ imploratione poſt Deum Patrem nominat, & *Jeſum Chriſtum*, & ante hunc *Septem Spiritus*, non utique plures creatos intelligens *Angelos*, qui ſub hoc nomine veniunt *Apoc.* VIII. 2. [3] uti perperam quidam etiam ex Noſtris voluerunt, α contra Honoris Divini Incommunicabilitatem, β Dei in gratia danda ſupra omnes ἐξοχὴν, γ atque Ordinem à Johanne ſervatum, qui Angelos Domino non præpoſuiſſet, δ dum nulla eſt convenientia niſi Numeri; ſed unum Spiritum S. ob α Bonorum ſuorum variorum Perfectionem, β Sufficientiam reſpectu Eccleſiæ totius, γ & Emblematicam Johannis Viſionem *Apoc.* IV. 5. V. 6. [4] ut ſeptuplicem hic conſideratum.

[1] *Exerc. Text.* XXVII. P. III. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comment. in Loc.* [3] *Comment. in Loc.*

Inter quos excellit textus 1 Joh. V. 7. cujus Vis & Authentia oſtenditur.

XVIII. Præ his tamen omnibus eminet locus 1 *Ioh.* V. 7. in quo cum Tres Perſonæ Nominibus ſuis diſtinguantur, & *Tres* ſimul non εἰς τὸ ἓν uti teſtes terreſtres *verſ.* 1. ſed ἓν *Unum* eſſe abſolute dicantur, bifariam cauſam ſuam deſperatam produnt Adverſarii. 1. Confugientes hic ad meram *Unitatem Conſenſus* & *Teſtimonii*; cum tamen, α phraſis differentia in utroque Verſu hanc reſtrictionem non patiatur, β eam ulterius extendens ad Potentiam aliaque Attributa aliter explicet Salvator *Joh.* X. 29. 30. γ Unitas Teſtimonii Authentici & Infallibilis plane Unam Deitatem inferat, quod ſuppoſuerunt Noſtri de *Conſenſu* dictum hoc exponentes, δ nec tandem *Unitas Fidelium* inter ſe & cum Deo cum hac Unitate confundatur, ſed comparetur tantum aliqua ratione *Joh.* XVII. 21. *Act.* IV. 32. 1 *Cor.* VI. 17. uti & eorum Perfectio & Sanctitas *Matt.* V. 48. 1 *Petr.* I. 15. *&c.* 2. Locum hunc ut *Suppoſitium*, non quidem eradentes, ſed tamen traducentes.

tes. Cum tamen; α nihil hic sit in Doctrina aut Phrasi à Johanne abhorrens; β Oppositio inter Testes Versum hunc plane necessarium faciat; γ plurimi & antiquissimi Codices, Græci & Latini, eum habeant; δ legerint eum *Fulgentius*, *Hieronymus*, & ante Arii tempora *Cyprianus*, ne *Hygini* conficta aut *Athanasii* dubia scripta addam; ε non intruserint *Arianorum* adversarii *Nicæni*, iisve coævi, utpote qui non usi sunt hoc loco, vel variè vel non lecto ab ipsis; ς liqueat denique ex defectu multorum exemplarium, & varia in variis orationis hujus partibus lectione, eum ab Hæreticis vel Luxatum esse vel Corruptum, tanquam ipsis adversum. Quæ Corruptio defensa quidem servata & propagata fuisse videtur ab *Arianis*, non tamen ab his, ut Orthodoxorum latissime diffusa exemplaria in potestate sua non habentibus, nec accusatis hac dè re à coævis, facta, sed potius ab anterioribus inimicis Deitatis Christi, *Artemone*, *Theodoto Coriario*, *Asclepiodoto*, *Theodoto Trapezita*, vel antiquioribus adhuc apud *Dionysium* laudatum ab *Eusebio*, qui Scripturas sibi adversas sub nomine *correctionis* corrupisse, & in *Epistola* hac ipsa *Johannis* fraudem hanc tentasse leguntur.

Objecta à Socinianis Loca declarantur.

XIX. Objiciunt frustra *Sociniani*, qui potissimum hodiè *Judæorum* & veterum *Anti-Trinitariorum* vestigia premunt, [1] atque ad finitas suas cogitationes Infinitum Deum nefariè metiuntur, multa Loca 1. Quibus *Dei Unitas* inculcatur, *Deut*. VI. 4. 1 *Cor*. VIII. 4. 5. 6. *Eph*. IV. 6. 1 *Tim*. II. 5. *&c*. Quæ ad *Essentiæ Unitatem* pertinent, hinc & secundum multos Tribus Personis per Tria Divina Nomina, *Jehovæ*, *Dei nostri*, *Jehovæ*, simul significatis in *Deuteronomio*, & alibi tributa in contextu Gloria Divina Christo quoque. 2. Quæ, præter allegata, *Patrem Solum Deum* dicere videntur, *Joh*. V. 44. XVII. 3. 1 *Cor*. XII. 4. 5. 6. *Jud*. *vers*. 4. *&c*. Quæ tamen; α non omnia dè Patre agunt, sed vel dè Deo οὐσιωδῶς considerato, vel etiam dè Christo ipso; β & *Solius* epitheton non ad *Subjectum* Patrem, sed *Prædicatum*, Deum sc. referunt, ut non excludantur Plures Personæ ejusdem Deitatis participes, sed Plures Dii, Personâ ipsa Christi à Doctis, quibusdam in locis, ad Subjectum quoque relata. 3. Quæ *Attributa Divina Patri* vindicant, ut Æternitatem *Dan*. VII. 9. supremam Majestatem *Apoc*. IV. 2. [2] Sapientiam *Rom*. XVI. 27. 1 *Tim*. I. 17. Bonitatem *Matt*. XIX. 17. Independentiam *Joh*. V. 26. [3] 1 *Cor*. VIII. 6. *&c*.

6. *&c.* Sed α eadem Attributa vel aliis vel his ipsis locis Filio quoque tribuuntur; β & rursus exclusio ad Prædicatum relata est intelligenda, non de Personis, sed de aliis Diis; γ aut Attributa non sunt Essentialia, sed Personalia. 4. Quæ *Nomen* ipsum *ad Patrem* restringunt, dum *Filius* & *Spiritus*, *Dei* & *Domini*, à *Deo* & *Domino* distinguuntur. Verum α alibi his nomina hæc quoque *in Casu Recto* tribuuntur; β & Nomina hæc hypostaticè accepta, etiam quandoque de Filio & Spiritu, significatum Essentialem non perdunt.

[1] *Exerc. Misc. Orat.* IV. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XXXVII. P. IV.

Ratiocinia illorum diluuntur.

XX. Ratiocinia, quæ addunt, modò α à rerum Creatarum exemplo, *Essentiam* Individualiter juxta *Subsistentiam multiplicari*, β modò ex Unitate Personarum Essentiali, *Discrimen* omne *Sublatum* fore inter eas, γ modo ex Personalitate ab Essentia distincta, *Quatuor Infinitas* fore *Essentias*, δ modo ex perfecta in singulis Deitatis possessione, *Singulas* fore *Trinas*, &c. concludentes; ratiocinia hæc, inquam, α sæpe peccant in Forma Syllogistica, β semper in Materia, dum vel Deus infinitus in finitarum creaturarum ordinem redigitur, vel doctrina nostra præter mentem nostram torquetur. Hinc uti non difficulter ex Revelationis Divinæ fide solvuntur, solutis simul Contradictionibus, quas ex doctrina hac temere nectunt, & vix solvi posse alii imprudenter concedunt; ita muniendus adversus illa est animus fidelis, per Dei Autoritatem, revelantis τὸ ὅτι & rem, non τὸ διότι & modum omnem, præcipientisque Abnegationem pravorum ratiociniorum, curiositatis nimiæ vitationem, & fidei obsequium, suæ *Infinitatis* & *Veritatis* intuitu.

Speciatim astruitur Filii Vera Deitas. 1 Ex Nominibu. 2 Ex Attributis. 3 Ex Operibus. 4 Ex Honore & Cultu.

XXI. Contra Filii & Spiritus Deitatem cum præcipue se opponant *Anti-Trinitarii*, operæ pretium erit novis amplius Argumentis hanc distinctius adstruxisse. Sic probatur vulgo & meritò *Filii Deitas*. 1. Ex *Divinis Nominibus*; α non rarò, sed *passim* & perpetuò; β non prædicative tantum, sed & *subjectivè*, *Mal.* III. I. [1] *Act.* XX. 28. I *Tim.* III. 16. γ cum *Articulo* æquè quam absque illo, *Joh.* XX. 28. *Hebr.* I. 8. 9. δ non nude tantum sed & cum Epithetis, *Fortis*, *Magni*, *Veri*, *Supra Omnia Benedicti in secula*, *Gloriæ*, *Jes.* IX. 5. *Tit.* II. 13. I *Joh.* V. 20. *Rom.* IX. 5. I *Cor.* II. 8. *&c.* ε non quibusdam sed Omnibus, etiam plane Incommunicabili

cabili *Jehovah* *Jes.* VI. 5. XXV. 9. XL. 3. *Jer.* XXIII. 6. *&c.* ipsi tributis. Quæ cum gloriosa Dei sint Novimina, ejus Essentiam quoque in Filio ponunt, *coll. Exod.* XXIII. 21. Nec moramur vanas Exceptiones, α de Patre in his locis quibusdam notato, β vel Nominibus Christo ut Patris Legato tributis; quæ tum ex dictis, tum ex Contextu, tum ex Legatorum usu ac jure, concidunt. 2. Ex *Divinis Attributis*; tum α *Personalibus*, *Mich.* V. 1.[2] *Joh.* XVI. 14. *Hebr.* I. 3. β tum *Officialibus*, quo pertinet Munus Propheticum *Deut.* XVIII. 18.[3] *Matt.* XVII. 5. *Joh.* I. 18 Sacerdotale *Psal.* CX. 4.[4] *Dan.* IX. 24. *Hebr.* VII. 25. 26. 27. Regium *Psal.* II. 6. 8.[5] ac Mediatorium omne, Deitatem omninò inferens; γ tum *Essentialibus*, uti est Æternitas *Prov.* VIII. 22. *&c.*[6] *Jes.* IX. 5.[7] *Mich.* V. 1.[8] *Joh.* I. 1. VIII. 58. XVII. 5. *Apoc.* I. 8.[9] Omnipræsentia *Matt.* XVIII. 26. XXVIII. 20.[10] *Joh.* III. 13. Independentia *Joh.* V. 26.[11] Immutabilitas *Psal.* CII. 27. 28. *Hebr.* I. 12. XIII. 8. Omniscientia, adeoque καρδιογνωσία, *Joh.* XXI. 17. *Matt.* XI. 27. *Joh.* II. 24. 25. *Apoc.* II. 23.[12] Omnipotentia *Jes.* IX. 5.[13] *Apoc.* I. 8. *&c.*[14] Quæ cum ab Essentia Divina non divellantur, imo nec in Deo differant, hanc omnino inferunt; expressius etiam ei tributam sub nomine *Deitatis* *Col.* II. 9. & *Formæ Dei*, ac *Æqualitatis* cum eo, *Phil.* II. 6.[15] & *Unitatis* cum Patre *Joh.* X. 30. 3. Ex *Divinis Operibus*; tam α *Æternis* quam Temporalibus *Prov.* VIII. 22. 30. *Gen.* I. 26.[16] *Apoc.* XIII. 8.[17] Tum β *Naturæ*, uti est Creatio *Gen.* I. 26.[18] *Psal.* XXXIII. 6. *Joh.* I. 3. *Col.* I. 16. *Hebr.* I. 2. 10. intelligenda hic ubique Prima, nec Causam Instrumentalem agnoscens, ut *per* heic Causam Principalem & Ordinem operandi notet, Conservatio *Joh.* V. 17. 19. *Col.* I. 17. *Hebr.* I. 3. patratio Miraculorum *Matt.* XI. 5. *Joh.* V. 21. 36. XXI. 25. ab ipso ut Causa Principali virtute propria *Luc.* VI. 19. VIII. 46. ab Apostolis ut Instrumentis Moralibus ipsius virtute facta *Luc.* X. 9. 19. *Act.* III. 6. IV. 10. IX. 34. Tum γ *Gratiæ*, ut est Redemptio *Hos.* I. 7.[18] *Act.* XX. 28. Vocatio *Joh.* V. 25. X. 16. XV. 16. Justificatio *Matt.* IX. 6. Sanctificatio *Eph* V. 26. *Hebr.* II. 11. Missio Spiritus *Joh.* XV. 26. XVI. 7. Datio Ministrorum *Eph.* IV. 11. Conservatio *Joh.* X. 28. Resuscitatio *Joh.* V. 28. & Judicium Universale *Joh.* V. 22. *Act.* XVII. 31. Quæ omnia Perfectiones Divinas supponunt, & Gloriam similem inferunt. 4. Denique ex *Divino Cultu*, ipsi etiam quidem ut Mediatori, verum semper intuitu Deitatis in hoc Munere suppositæ, delato & deferendo. Quo refer

ſer Honorem *Ioh.* v. 23. Invocationem *Hebr.* I. 6. *Phil.* II. 9. 10. *Act.* VII. 59. I *Cor.* I. 2. *Apoc.* v 13.[19] Obſequium *Pſal.* II. 9. 10. 12.[20] XLV. 12.[21] *Matt.* XVII. 5. Fidem *Ioh.* XIV. I. XVII. 3. I *Petr.* I. 21. *Pſal.* II. 12.[22] Amorem I *Cor.* XVI. 22.[23] Spem *Rom.* XV. 12. Baptiſmum in nomen ejus *Matt.* XXVIII. 19. *&c.* Cultum vero hunc non accepiſſe Chriſtum, ex Dignitate ob Meritum paſſionum ipſi à Patre collata, aut ut Patris Legatum, qui hinc dicendus ſit *Inferior*, & ſub *Invocationis* potius quam *Adorationis* nomine debeat venire; ex α Divina prærequiſita ſufficientia, β Dei pro gloria ſua zelo *Jeſ.* XLII. 8. γ ejus circa Creaturas interdicto univerſali *Jer.* XVII. 5. *Matt.* IV. 10. *Apoc.* XIX. 10.[24] δ & Legatorum à Principe Legante manente ſemper diſtinctione, agnoverunt ipſi Adverſarii, *Franciſcum Davidis* ſequentes, quos infeliciter aggreſſus eſt *Socinus*, quamquam illi infeliciſſime Chriſtum Honore Divino privaverint, ob negatam hujus Deitatem.

[1] *Vid. Comm. in Loc.* [2] *Comment. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XIV. P. V. [4] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [5] *Exerc. Text.* XV. P. III. [6] *Exerc. Text.* XIII. P. I. *&* XXX. P. III. [7] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [8] *Comm. in Loc.* [9] *Comm. in Loc.* [10] *Exerc. Text.* XXX. P. II. [11] *Exerc. Text.* XXXVII. P. IV. [12] *Comm. in Loc.* [13] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [14] *Comm. in Loc.* [15] *Exerc. Text.* XLI. *&* XLII. P. II. [16] *Hiſt. Parad. Lib.* II. *Cap.* II. [17] *Comm. in Loc.* [18] *Comm. in Loc.* [19] *Comm. in Loc.* [20] *Exerc. Text.* XV. P. III. [21] *Anal. Exeg. poſt Cant.* [22] *Exerc. Text.* XV. P. III. [23] *Exerc. Text.* XLVIII. P. V. [24] *Comm. in Loc.*

Objectiones contra Filii Deitatem diluuntur.

XXII. Miſſis nunc *Arianis*, de quibus ſupra, poſt *Ebionitas*, *Cerinthianos*, *Artemonitas*, *Samoſatenianos* ſeu *Pauliniſtas*, *Photinianos*, *&c.* tenent hodie *Sociniani*, ex mera Corruptæ ſuæ Rationis incredulitate, Chriſtum *Nudum* eſſe *Hominem*, licet cæteris longe ſuperiorem, quoad Munus, Dona, & Gloriam. Objiciuntque nobis. I. *Loca*, quibus; α à *Deo* hypoſtaticè *diſtinguitur* *Matt.* XVI 16. *Col.* I. 15. *&c.* quæ Eandem Naturam magis inferunt quam evertunt; β *Homo*, & *Mediator*, dicitur *Rom.* v. 15. I *Tim.* II. 5. ubi tamen Humanitas Deitatem non tollit, & Chriſti Hominis Excellentia I *Cor.* XV. 47. juxta Munus argumentum Deitatis certum præbet; γ *Chariſmata* ipſi collata leguntur *Matt.* III. 16.[1] *Joh.* III. 34.[2] quæ ad Humanam Naturam pertinent, & ex Unione fluunt; δ ἡττήματα ipſi tribui videntur, uti Sapientiæ *Marc.* XIII. 32.[3] *Joh.* VII. 16. Bonitatis *Matt.* XIX. 17.

17. Potentiæ *Joh.* v. 19. xi. 41. Poteſtatis æternæ & abſolutæ *Matt.* xx. 23. xxvi. 39. xxviii. 18. *Joh.* xiv. 28. 1 *Cor.* xi. 3. xv. 28. *&c.* Quæ omnia; α vel mala interpretatione præter mentem Spiritus ad Defectum torquentur; β vel merum Perſonarum Ordinem arguunt; γ vel ad Munus Mediatorium voluntariè ſuſceptum ſpectant; δ vel ad Humanitatem debent reſtringi; ε vel Declarationem rei novam dicunt. 2. *Ratiocinia* plura; α contra Generationem Æternam, β Unionem Naturarum Duarum Perſonalem, γ Munerisque Mediatorii cum Natura Divina conjunctionem; quæ ſunt alibi diluta aut diluenda.

[3] *Vid. Exerc. Text.* XXVII. P. III. [2] *Exerc. Text.* XXXIV. P. II. [4] *Exerc. Text.* XXXII. P. IV.

Spiritus S. Vera Perſonalitas aſſeritur, & defenditur contra Socinianos.

XXIII. Dè *Spiritu Sancto* cum magis variet Hæreſis antiqua & recens, diſtinctè eſt tenendum. *Primo*, eum *Veram* eſſe *Perſonam*, quod liquet; α ex *Nominibus*, hinc etiam πνεύματι in Genere Neutro ſubjecto Pronomine Generis Maſculini, *Joh.* xiv. 16. 17. xv. 26. xvi. 13. 14. *Eph.* i. 13. 14. β ex *Attributis*, Intellectus, Voluntatis, Doloris, 1 *Cor.* ii. 10. xii. 11. *Eph.* iv. 30. γ ex *Operationibus* Perſonlibus *ll. aa.* δ atque ex *Emblematibus Matt.* iii. 16[5] *Act.* ii. 3. 4. [6]In quibus omnibus ad meram *Proſopopœiam* confugere privato arbitrio & continuò non licet. Id verò negant *Sociniani*, qui Spiritum hunc Dei *Virtutem*, *Potentiam*, *Donum*, *Efficaciam*, *Afflatum*, *Qualitatem*, *Medium inter Deum & Creaturam*, *&c.* variè dicunt; ac infeliciter pugnant. 1. Locis illis, quibus Spiritus per *Virtutem* aut *Potentiam* videtur explicari; ut *Luc.* i. 35. xxiv. 49. 1 *Cor.* ii. 4. *&c.* Cum tamen; α *Virtus* poſſit dici Spiritus æquè *Perſonalis*, qum Filius *Sapientia*; β Virtuſque his in locis potius Spiritui tribuatur, ut per quam ille efficax eſt, quam Spiritus eſſe aſſeratur, *coll. Rom.* xv. 13. 19. *&c.* 2. Locis, quibus illi tribuitur *Miſſio*, *Donatio*, *Partitio &c. Joh.* xiv. 16. *Act.* ii. 17. 1 *Joh.* iv. 13. &c. Quæ α partim Filio communia *Jeſ.* ix. 5. [7] *Joh.* xvii. 3. *&c.* Perſonalitatem non tollunt; β partim *Metonymicè* ad Dona & Operationes Spiritus, arctiſſimè cum eo unitas, debent referri, ab iiſdem Spiritu ut datore alibi diſtincto. Quomodò & *Spiritus Mundi* diverſimode capitur, *coll.* 1 *Cor.* ii. 12. *&c.*

[5] *Exerc. Text.* XXVII. P. III. [6] *Exerc. Text.* XXXVI. P. II. [7] *Exerc. Text.* XVI. P. VI.

XXIV. *Secundo* credendum eſt, eum eſſe *Perſonam à Patre &*

Spiritum Personam esse à Patre & Filio Distinctam, docetur.

Filio Distinctam; α propter Nomen distinctum *Spiritus Sancti*, ipsi ob Spirationem arcanam, & Sanctitatem tum propriam tum communicatam, non quidem semper, uti *Rom.* I. 3. sed vulgo peculiari; β Distinctam Recensionem, *Matt.* XXVIII. 19. 1 *Cor.* XII. 4. 5. 6. 1 *Joh.* V. 7. γ ejusque Discriminationem Personalem, tum *Alius* facta mentione, tum Proprietate Characteristica additâ *Joh.* XIV. 16. XV. 26. *&c.* Nec juvat *Socinianos*, qui, plane ut olim *Macedoniani*, in angustias redacti, ipsum à *Deo*, *cujus est Spiritus*, *non esse distinctum*, quandoque somniant; α vel nomen *Spiritus* aliquando ὑσιωδῶς sumi; β vel *Opera* eadem cum *Patre* illi tribui, quod Unitatem Essentiæ tantum docet; γ vel negligi aliquoties *Spiritus* mentionem, quæ utique alibi sæpius fit, nec neglecta ipsius existentiam tollit, & neglecta tum credi debet ob locorum contextum, scriptionemque peculiariter à Spiritu ut Autore profectam; ne de Triplici OEconomia, ac futura adhuc illâ Spiritus, aliorum subtilia sed minus solida cogitata addam.

Esse Spiritum Personam Unam, monstratur.

XXV. *Tertio* & id observandum est, Spiritum *Personam* esse *Unam* Singularem; α ex usu Nominis Singulari continuo, si exceperis locum *Apocalypticum Cap.* I. 4. cujus specialis est ratio supra data; β & expressâ Unitatis inculcatione 1 *Cor.* XII. 4. 11. 13. *Eph.* II. 18. IV. 4. & γ *Trium* modo *Testantium* mentione 1. *Joh.* V. 7. Contra id quod somniavit superiori seculo *Sandius* Paradoxi *Problematis Autor*, Spiritum Sanctum notare *Multitudinem Bonorum Angelorum* collectivè, à qua tamen ille ut Creator discernitur *Psal.* XXXIII. 6. Probans scilicet primò, sed frustra, eos *Spiritus* & *Sanctos* vocari, & Nomina sæpe Singulariter Collectivo sensu usurpari; ac dein id hic fieri arguens levissimè, duplici potissimum argumento. 1. Quod aliquoties *Angelorum* fiat mentio, prætermisso Spiritu, *Marc.* XIII. 32.[1] 1 *Tim.* V. 21. *Apoc.* III. 5.[2] *&c.* Quasi α non alibi Spiritus memoraretur, β & Pater ipse quoque non omitteretur *Luc.* XII. 8. *coll. Matt.* X. 32. Ut hic modum loquendi Deo præscribere non possimus. 2. Quod quædam Angelis tributa, alibi tribuantur Spiritui Opera. Quasi Ministri Dominum excluderent, & non idem Effectus Causæ Principali & Instrumentali tribui posset.

[1] *Exerc.* XXXII. P. IV. [2] *Comm. in Loc.*

Tandem Vera illius Deitas astrui.

XXVI. Tandem *quarto* asserendum est, contra omnes *Pneumatomachos* veteres, quales potissimum *Macedoniani*, ac recentes,

qua-

quales *Sociniani*, ac *Bidellus*, qui eum *Dei Virtutem*, vel *Ministrum Creatum*, vel *Angelorum Supremum Principem*, statuunt, illum esse *Personam* verè *Divinam*, quadruplici iterum argumento. 1. A *Nominibus*, Jehovah *Exod.* XVII. 7. [1] *Deut.* XXXII. 12. [2] *coll. Jes.* LXIII. 10. 13. 14. *Num.* XII. 6. *coll. Hebr.* III. 7. 2 *Petr.* I. 21. *Jes.* VI. 9. [3] *coll. Act.* XXVIII. 25. *Ier.* XXXI. 31. *coll. Hebr.* X. 15. Dei Israëlis 2 *Sam.* XXIII. 2. 3. [4] Dei absolute 1 *Cor.* III. 16. & *Act.* V. 3. 4. *coll. vers.* 9. ubi *Spiritus* omnino notat, non Motum animi quem mentiebatur Ananias, sed Personam cui, & ψεύσασθαι cum Accusativo sensum *decipiendi* ac τοῦ πειρᾶσαι habet; tum & Domini 2 *Cor.* III. 17. 18. 2. Ab *Attributis*, Æternitatis *Gen.* I. 1. 2. (Deitate Christi per *Spiritum Æternum Hebr.* IX. 14. potius intelligendâ quam Persona hac Tertia,) Immensitatis *Psal.* CXXXIX. 7. 1 *Cor.* VI. 19. Independentiæ 1 *Cor.* XII. 8. 9. 11. Omniscientiæ 1 *Cor.* II. 10. 11. *Joh.* XVI. 13. à quâ fluit ejus Institutio *Joh.* XIV. 26. & Prædictio *Act.* XX. 23. 1 *Tim.* IV. 1. *&c.* Sanctitatis *Jes.* LXIII. 10. 11. Bonitatis *Psal.* CXLIII. 10. Potentiæ *Jes.* XI. 2. [5] *&c.* 3. Ab *Operibus*; tum *Naturæ*, quale est Creatio *Gen.* I. 1. *coll. Deut.* XXXII. 11. [6] *Psal.* XXXIII. 6. *Job.* XXVI. 13. XXXIII. 4. Conservatio *Psal.* CIV. 30. Miraculorum etiam patratio *Matt.* XII. 28. 1 *Cor.* XII. 4...11. *Luc.* I. 35. tum *Gratiæ*, quale est Unctio Christi *Ies.* LXI. I. 2. Missio Ministrorum *Act.* VII. 51. 52. XIII. 2. XX. 28. Regeneratio *Ioh.* III. 5. [7] Illuminatio *Ioh.* XVI. 13. *Eph.* I. 17. 18. Justificatio 1 *Cor.* VI. 11. Sanctificatio *Tit.* III. 5. Consolatio *Ioh.* XIV. 26. Conservatio *Eph.* I. 13. 14. IV. 30. 2 *Cor.* I. 22. &c. quin & Resuscitatio, juxta multos *Rom.* VIII. 11. [8] 4. A *Cultu* Divino, Baptismi in nomen ejus *Matt.* XXVIII. 19. Consecrationis nostri ipsius 1 *Cor.* III. 16. VI. 19. 20. Obedientiæ *Ies.* LXIII. 10. *Matt.* XII. 32. [9] *Eph.* IV. 30. *Hebr.* X. 29. [10] *&c.* Invocationis 2 *Cor.* XIII. 13. *Apoc.* I. 4. [11] *&c.* ab Ecclesia Vetere cum pio zelo continuatæ. Dè qua cum *Remonstrantes* in Scriptura *ne hilum quidem occurrere*, nec *ullum ejus Mandatum*, *Exemplum*, *aut Indicium manifestum*, exstare dicunt, in nimium causæ præsentis præjudicium, obloquuntur, & α Exemplis datis, & β Mandato, quod tum generale & implicitum exstat, tum ex Praxi hac pia & Cultu alio Præcepto elicitur, tum observant aliqui legi *Matt.* IX. 38. *coll. Actor.* XIII. 2. Interim ratio, cur in-

tur. 1. Ex Nominibus. 2. Ex Attributis. 3. Ex Operibus. 4. Ex Honore denique & Cultu. Qui in Scripturis omnino inculcatur.

invocandus non tam frequenter proponatur Spiritus, prætermissa Triplici OEconomiâ, est, quod Precum ipse sit Autor *Zach.* XII. 10.[12] *Rom.* VIII. 15. 26. *Gal.* IV. 6.

[1] *Exerc. Text.* XII. P. III. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XIII. P. VI. [4] *Exerc. Text.* VIII. P. VI. [5] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [8] *Exerc. Text.* XXXIX. P. I. [9] *Exerc. Text.* XXXI. P. III. [10] *Exerc. Text.* XLIX. P. III. [11] *Comm. in Loc.* [12] *Comm. in Loc.*

Objectiones reliquæ solvuntur.

XXVII. Objectiones vix ullæ supersunt, non solutæ. Nisi hic considerare velimus ἰτλήματα Æternitatis *Joh.* VII. 39. 1 *Thess.* V. 19. Omnipræsentiæ *Matt.* III. 16. Independentiæ *Joh.* XVI. 14. 15. Sapientiæ *Matt.* XI. 27. &c. Spiritui adscribi visa. Sed visa tantum; cum α *non fuisse* olim ratione copiosæ & visibilis Effusionis, & *exstingui* dicatur ratione Operationum suarum in nobis illarumque Sensus; β *Descensus* tantum fuerit Emblematicus; γ *Modus* Personalis *habendi Essentiam* per Processionem hujus Independentiam non tollat; δ & à Cognitione Dei non Spiritum sed Creaturas tantum excludat Salvator. Alia, quæ communiter contra Filium & Spiritum moventur, mittimus.

Non cognoscitur Trinitas ex Naturali Ratione.

XXVIII. Expositum probatumque dogma ulterius tandem *Commendamus*, à Sublimitate, Necessitate, & Utilitate. *Sublime* illud dicimus, quatenus Rationem Hominis, non Integri, de quo *Cap.* I. §. XVI. sed lapsi & corrupti, superat, rectæ rationi in abstracto tamen neutiquam contrarium. Sublimitas illa patet; α ex Locis *Matt.* XI. 27. XVI. 16. 17. *Joh.* I. 18. 1 *Cor.* II. 14. *Eph.* IV. 18. *Col.* II. 2. 1 *Tim.* III. 16. 1 *Ioh.* V. 20. *&c.* partim generalibus, partim specialibus magis; β *Experientia* omnis ævi, dum ipsi externè illuminati continuò multi repugnarunt; γ denique *Rationum* adductarum *Imbecillitate*, & *Similium Dissimilitudine*. Quæ autem à *Scholasticis* & Nostris quibusdam in contrarium adducuntur. 1. Loca *Gen.* I. 26. [1] *Iob.* XXXV. 10. *Ioh.* I. 9. [2] *Rom.* I. 19. *&c.* invalida sunt. Cum α *Imago Dei* Triunius non sit Imago Trinitatis qua talis, non etiam perinde, ut in Adamo fuit, hodie superstes; β nomen אלהים ad Trinitatem respicere gratis supponatur, uti quoque non agitur illic, vel de homine revelatione destituto, vel de cognitione Dei, sed neglecto ejus Cultu; γ Christus qua Deus, non qua Filius præcise, illuminet, nec omnes cognitione huc usque extensa, nisi ἐρχόμενον

εἰς

εἰς τὸν κόσμον, quod nobis etiam maxime placet, ad τὸ φῶς referamus, ut tempus adventus hujus notetur; δ Trinitas denique non pertineat ad τὸ γνωςὸν, sed ad τὸ πιςὸν. 2. Autoritates *Herm. Trismegisti*, *Sibyllarum*, [3] *Platonis*, *&c.* concidunt, si consideremus; aut α Scripta sub iis nominibus esse Conficta; β aut Sensum illorum verbis affingi hunc; γ aut cognovisse illa ex Traditione homines hos. 3. Rationes, ex Intellectu, Voluntate, Potentia, Bonitate, Beatitate Dei; Similia item Trianguli, Trinæ Dimensionis, Animæ, Lucis, Iridis, Arboris &c. multis modis fallunt. Cum α præsupponant modo revelationem; β mille exceptionibus possint eludi; γ similia alias tantum illustrantia, non probantia, hic magis obscurent, ob dissimilitudinem majorem, & nimis etiam quædam conquisita sint apud *Augustinum* ipsum; δ nec auferant scrupulos objectos. Interim uti hæc proferri non abnuimuus pio zelo à quibusdam Nostris & non absque omni fructu; ita vellemus, non tantopere Ratiocinia hæc Demonstrationum instar fuisse commendata, ut inde occasionem nos calumniandi *Lutherani*, alii vero ipsum Mysterium ridendi sumpsissent.

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II. [2] *Exerc. Text.* XXXIV. P. III. [3] *Disp. Acad. de Sibyll. Carm.*

Trinitas est inter Articulos Creditu Necessarios.

XXIX. *Necessarium* quoque dogma hoc, juxta vulgatum sub nomine *Athanasii Symbolum*, statuimus, rei non terminorum omnium respectu, ut absque salutis dispendio negari nequeat, credi vero & sciri etiam satis explicitè debeat. Id liquet; α ex locis, quibus *Christi Filii Dei Cognitio* juxta illam Patris ut planè necessaria proponitur *Joh.* III. 18 v. 23. VIII. 23. 24. XVII. 3. 1 *Joh.* II. 23. *Eph.* II. 12. *&c.* Patris & Filii cognitione *Spiritus* cognitionem omninò includente; β ex præcipuis Articulis, Trinitatem supponentibus, Incarnatione sc. Satisfactione, Justificatione, Sanctificatione, &c. γ ex Officiis præscriptis, Fidei, Cultus, Invocationis; δ tandem etiam ex Cura Dei, qui jugiter sub V. & N. T. eam revelavit, & Satanæ, cujus perpetua ad illam obscurandam fuere molimina. Nec obstat aut juvat adversantes hic, in *Socinianorum* gratiam, *Remonstrantes* ac *Anabaptistas*. 1. *Professio* quandoque *generalior* *Act.* VIII. 37. *Rom.* X. 9. 1 *Joh.* IV. 15. &c. exacta; utpote in qua plura implicite, Filii Deitas adeoque Trinitas satis explicitè, comprehenduntur; ex cujus quoque professione antiquissima in Baptismo *Symbolum Apo-*

sto-

stolicum originem dixit. 2. *Revelatio Obscurior* sub V. imo & sub Novo T. cum hac OEconomiæ Ecclesiæ prudenter accommodata, & satis clare utrobique, licet non totidem terminis, proposita sit, uti ex Cognitione ipsa & Cultu fidelium Patrum patet. 3. *Rei* ipsius *Obscuritas*; quæ spectat ad τὸ διότι, non ad τὸ ὅτι, quod nudè traditum, simpliciter etiam credendum à nobis est, sicuti alia omnia mysteria.

Trinitas quoque magnum ad veram Pietatem Usum habet.

XXX. Denique adversus aliam *Remonstrantium* criminationem tenemus, dogma hoc *Utilissimum* esse ad veræ *Pietatis* praxin. Missis enim Accommodationibus aliis, de fugienda Solitudine, mutua Communicatione, &c. liquet nos duci per illud; α ad Divinæ Majestatis Incomprehensibilitatem, nostræque Sapientiæ Imperfectionem, cognoscendam & humiliter agnoscendam; β ad Veri Dei Verum & decentem Cultum; γ tum etiam ad Fidei & Spei πληροφορίαν, salutem non modò destinante Deo, sed & acquirente eodem in Filio, & applicante in Spiritu. Quare magis detestamur *Socinianorum* blasphemias, quando Trinitatem non formidant vocare *Anti-Christi Idolum*, *Geryonem*, *Cerberum &c.* Dolemusque simul, Ecclesiis nostris id imputare *Pontificios* nonnullos, quod hæc hominum monstra ex iis prodierint; imò torqueri quorundam ex Nostris innocua dicta, vel glossas solidiores, ac si tantas Hæreses, quas ex intimo pectore anathematizamus ut Christianam religionem evertentes, stabilirent. Retorsiones plures, easque facillimas, hic non memoramus.

CAPUT SEXTUM.

De Decretis Divinis.

A Deo ad ejus Opera seu Actiones fit transitus.

DEus tum Attributorum tum Personarum respectu magis nobis patefit ex *Operibus*; quæ hic non *Res* à Deo productas, uti *Rom.* I. 20. *Hebr.* I. 10. II. 7. *&c.* sed ipsas Dei *Operationes* sive *Actionis* notant, uti *Luc.* XXIV. 19. *Act.* XV. 18. [1] *&c.* Sunt autem hæ, vel *Transeuntes*, Externæ, & Temporales, vel *Immanentes*, Internæ, & Æternæ; quæ iterum *Personales* & ad Intra, Generatio sc. & Spiratio, vel *Essentiales* & ad Extra, de quibus hic

hic agendum. Et præmittitur earum tractatio meritò ante Actiones Externas, cum Deo magis ſint Eſſentiales, præcedantque, tum Natura, tum Actu.

[1] *Exerc. Text.* XLIII. P. IV.

II. Veniunt vulgo ſub nomine Decretorum, quod à *decernendo* dicitur, & legitur *Dan.* IV. 17. 24. Illi reſpondent voces Hebrææ חוק / מחשבות / יצר / רצון / חפץ / עצה / שאלתא / גזרה Grææcæ βουλῆς, ὡρισμένης βουλῆς, τοῦ ὡρισμένου, προορισμοῦ, προθέσεως, εὐδοκίας, προβλέψεως &c. Latinæ *Voluntatis*, *Statuti*, *Prædeſtinationis*, *Propoſiti*, *Beneplaciti*, *Providentiæ Æternæ*, & maximè *Conſilii*, quæ leguntur *Dan.* IV. 17. [2] *Jeſ.* XLVI. 10. 11. LV. 9. *Pſal.* II. 7. [3] *Luc.* XXII. 22. *Act.* II. 23. *Rom.* IX. 11. *Eph.* I. 9. *Hebr.* VI. 17. XI. 40. *&c.* Eſt autem vox *Conſilii* una cum reliquis hic ita intelligenda; ut quæ in Humanis Conſiliis adſunt Imperfectiones, α *Inſcitiæ*, β *Dubitationis*, & γ *Sapientiæ* aliunde *acceptæ*, hinc plane excludantur; ac notetur tantum Perfectio in iis reperta, α *Voluntatis* opus *Præcedentis*, β *Sapientiæ* ſummæ, γ ac *Immutabilitatis.* Quâ monitione præmiſſa, in vocem hanc Scripturis comprehenſam, ut *impiam*, cum *Scaligero* invehi non decet; in aliis vocibus humano more ſumptis facilè aliqua imperfectione quoque inveniendâ. Sumuntur vero hæc Nomina, vel omnia vel quædam; α quandoque pro *Præceptis Divinis*, & impropriè *Pſal.* CXLVIII. 6. & propriè dictis *Pſal.* L. 16. & ſpeciatim *Ceremonialibus Eph.* II. 15. β quandoque pro ſingulari *Delectatione & Complacentia Dei*; quandoque prò *Re Decreta*; δ quandoque pro *Actu* Decernendi, qui Unus quidem in Deo, ſed juxta Objecta & Effecta varia ob noſtri intellectus imbecillitatem quaſi multiplicari ſolet, hinc Nominibus his quandoque reſtrictis ad ſolam *Prædeſtinationem*, quandoque communiter acceptis & pluraliter propoſitis, uti hic.

Actionum Immanentium ad Extra ſeu Decretorum Etymologia, Synonymia, & Homonymia.

[2] *Exerc. Text.* XXI. P. I. [3] *Exerc. Text* XV. P. III.

III. Decretorum *Exiſtentiam* ſupponit ubique Scriptura, ac docet facilè Ratio; ſive *Dei* Libertatem, perpetuam Actuoſitatem, Perfectionem ſummam, Immutabilitatem omnimodam, ſive *Rerum* Futuritionem certam, ac Præſcientiam apud Deum infallibilem ſpectemus, quæ priora Decretum inferunt, poſteriora autem illud ſupponunt.

Decreta neceſſarium eſt Dari aliqua Divina.

IV. Definiuntur; *Æterna*, *Liberrima*, *Sapientiſſima*, *Abſoluta*,

Eorum Definitio.

ta, *& Immutabilia Dei Statuta*, *de rebus Omnibus & Singulis in tempore Futuris*, *vel Efficiendis vel Permittendis*, *ac utrisque ad suam gloriam & electorum salutem Dirigendis.*

Non sunt Accidentia à Deo distincta. Nec nudæ rerum Ideæ. Nec Voluntas Divina formaliter spectata, sed ejus Actus.

V. Missis operosis *Scholasticorum* disputationibus, tenendum quoad generalem Decretorum naturam. 1. Ea non esse *Accidentia*, uti vellent *Sociniani*, juxta *Vorstium*, ab Essentia realiter distincta; propter summam ejus Simplicitatem & Immutabilem Perfectionem. Quamquam, α verè ob intellectus & eloquii nostri imperfectionem de Deo prædicentur, perinde uti etiam Attributa, β sintque *Plura* & *Libera* respectu Objecti & Determinationis, non in Deo & respectu Existentiæ Absolutæ, quæ ex ipsa natura Spirituali & Infinita omninò necessario fluit. 2. Ea non esse *Ideas* rerum; sive *Extra Divinam Essentiam* ab æterno existentes, quales in *Platonicis*, an verè non inquirimus, sæpe damnantur, & revera absque contradictione admitti non possunt; sive *In ipsa Dei Essentia*, uti illa repræsentari potest in creaturis, quæ ad omnia Possibilia extenduntur, nec futuritionem inferunt. 3. Ea non esse ipsam Divinam *Voluntatem*, in se, formaliter, absolutè, & abstractè consideratam; quoniam ex hac res sequi non possunt. 4. Esse vero eadem *Actus Divinæ Voluntatis*, tendentis ad rerum ex ideis intellectarum existentiam, in tempore futuram, justosque earum fines, sive ipsam Voluntatem huc tendentem.

Unde liquet Decreta esse Æterna.

VI. Ex hac Decretorum natura omnes recensitæ eorum *Proprietates* mox fluunt. Quarum *prima* est *Æternitas* absoluta, liquens; α ex reali Identitate eorum cum Deo ipso, perfectissimo ac immutabili; β Præscientiæ Dei Æternitate *Act.* xv. 18. [1] Decretum supponentis; γ & exemplo Electionis, ac Consilii de manifestando Euangelio, 1 *Cor.* 11. 7. [2] *Eph.* 1. 4. 2 *Tim.* 1. 9. [3] *Tit.* 1. 2. &c. ex quo ob Decretorum in Deo Unitatem, omniumque relationem ad Electionem, dè reliquis debet fieri judicium. Ut pessimè *Sociniani* hic divellant *Decreta* pauca *Generalia*, de Mundo creando & regendo, Christo mittendo & offerendo, ac Salute credentibus promittenda & præstanda, à reliquis Particularibus, illa statuentes Æterna, hæc verò aut prorsus negantes, aut Temporaria plane pro oblato eventu vario fingentes, ut scilicet Libertatem & Contingentiam tueantur. Nec juvat hos. 1. *Deum ut Causam Decretis esse priorem.* Cum is Canon in creaturis ipsis, nedum in Deo, admitti non possit, respectu Temporis, sed tantum

tum Ordinis, nec Deus propriè hic sit Causa. 2. *Deliberatio prævia*; necessaria non in Deo, sed hominibus. 3. *Locutio Anthropopathica*; ubi Deus Decretum suum revelans vel exsecuturus, tanquam decernens more humano, introducitur *Gen.* I. 26. [4] VI. 6. 7. XI. 6. 7. [5] *Num.* XIV. 27. 28. *Jes.* XLVI. 11. *Jer.* XVIII. 11. *&c.* 4. *Ordo inter ipsa Decreta*; qui tantum respectu Objectorum, Effectuum, nostrique Modi intelligendi, non verò ratione Dei ipsius est admittendus. Extendit autem se hæc Æternitas etiam à posteriori, licet Effectus post exsecutionem non amplius ut futurus spectetur. Et incurrunt revera in Æternitatem non modo sed & in alias plures Dei Perfectiones, qui insanissime hodie Decreta quidem ponunt Mundo Priora, sed Deo Coæterna verè negant. [6]

[1] *Exerc. Text.* XLIII. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XL. P. III. [3] *Exerc. Text.* XLIII. P. I. [4] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II. [5] *Exerc. Text.* I. P. VI. [6] *Exerc. Text.* XLIII. P. IV.

VII. *Secundo* competit Decretis, ut à Deo non distinctis, respectu suæ Determinationis *Libertas* summa & ἀνυπεύθυνος, tum circa Rerum *Futuritionem*, tum *Naturas*, tum *Qualitates*; quam α passim inculcat Scriptura *Jer.* XVIII. 6. *Matt.* XI. 26. *Rom.* IX. 20. 21. *Eph.* I. 5. 9. 11. *&c.* & β docet Dei Spiritualis & Independens natura. Non tamen debet hæc Libertas; α ad *Actum* ipsum decernendi, quasi is abesse potuisset, referri; β aut in omnibus *Contradictionis* statui, ut actum decernere potuisset vel non, quod quidem in prima Creatione & Conservatione, non tamen in Gubernatione, Punitione Peccati, &c. obtinet; γ aut iterum ubique dici *Contrarietatis*, v. g. in *Attributis Essentialibus*, & *Qualitatibus* Deo decentibus creaturarum, ut Hominis Rationalitate ac Bonitate; δ aut cum *Indifferentia* perpetua, etiam post Decretum factum, quæ summa foret imperfectio, confundi; ε aut ad exclusionem omnis *Finis* trahi, qui quidem non *Operantis*, sed *Operis*, nec *Ultimus* extra Deum, sed in ipso Deo, illi tribui debet. Dicit summatim ergo; *Dei Lubentiam & Spontaneitatem supremam, quæ nullam causam, seu naturaliter ducentem, seu impellentem quoque modo, extra Deum admittit.*

Et Liberrima plane.

VIII. *Tertiò*, quia ipse est *Sapientissimus*, talia quoque sunt illius Decreta, uti docet; α Admiratio Pauli *Rom.* XI. 33. 34. β & intuitus omnium Operum Gratiæ & Naturæ, in quibus Causæ Secundæ inter se, & Media cum Fine tam eleganter jungun-

Et Sapientissima.

 tur,

tur, ut omnes πολυποίκιλον Dei Sapientiam agnoscere heic debeant; coll. *Ps*. CXLVII. 5. *Eph*. III. 10. *&c*. Quam nec *Apparens* sæpe minus Finem observantibus *Confusio*, nec *Contrarium* sæpe hominis carnalis & stulti *Judicium* tollit; neque per *Velleitatem*, *Desideria Irrita*, & *Decreta Inefficacia*, tollere cum *Pelagianizantibus* decet.

Et Independentia ab omni Conditione Antecedente.

IX. *Quartò*, cum Deus sit *Independens*, tale quoque est Decretum ejus; non admittens *Conditionem* aliquam, *Antecedentem* scilicet & à Deo *Indeterminatam*, licet multa à Deo decernantur una cum Conditione, manente tum Decreto ipso *Absoluto* & *Certo*; quæ Conditio, utpote decreta, respectu Dei & rei tunc potius *Medium* dici debet, respectu hominis verò eventum ignorantis dici potest *Conditio*. Constat id; α ex Rerum & Eventuum omnium ab uno Independente Deo Dependentia; β ac Immutabili Decretorum omnium Efficacia. Nec evertitur, uti vellent omnes *Pelagiani*, *Jesuitæ*, *Sociniani*, *Arminiani*, in *Liberi Arbitrii* gratiam; α per *Verba* Dei *Conditionata*, in Promissis & Minis, quæ tantum *Mediorum* cum *Fine* Nexum à Deo decretum esse docent, & absque hoc Decreto Conditionato sunt verissima, dum Conditio nihil ponit in esse; β aut per *Locutiones Anthropopathicas Psal*. LXXXI. 14 *Jes*. XLVIII. 18. *&c*. quibus non tam Decretum, quam Approbatio, Applausus, & Complacentia exprimitur, quæ à Decreto in Judice humano etiam sæpissimè differt; γ aut per *Rerum omnium Necessitatem*, sic introduci visam, etiam *Malarum*, quæ talis est, ut Libertas aut Contingentia non auferatur ullatenus. Si Nostrorum aliqui *Voluntatis Conditionatæ*, *Antecedentis &c*. meminerint, sano & diverso inter se sensu, horum tamen, cum respectu ad Voluntatem Beneplaciti, phrasin non probamus.

Tandem prorsus Immutabilia.

X. *Quintò* tandem, quia Deus *Immutabilis* est, talia quoque sunt ejus Decreta. Quod docent; α generalia Loca *Mal*. III. 6. [1] *Jac*. I. 17. β & specialia *Jes*. XLVI. 10. *Psal*. XXXIII. 11. CXV. 3. *Prov*. XIX. 21. *Num*. XXIII. 19. [2] 1 *Sam*. XV. 29. *Hebr*. VI. 17. *&c*. & γ remotæ à Deo omnes *Mutandi Consilii Causæ*, uti sunt Impotentia ad exsequendum propositum, Inscitia, & Perversitas, dum ipse est potentissimus *Prov*. XXI. 30. *Jes*. XIV. 27. *Rom*. IX. 19. sapientissimus *Rom*. XI. 33. & sanctissimus *Jes*. VI. 3. &c. Contrarium & explicite & implicitè statuunt, propter *Pelagianas* hypotheses, non tantum *Jesuitæ*, & *Sociniani*, sed & cum *Vor-*

Vorstio Remonstrantes; urgentes *Decretum* aliquod Voluntatis *Antecedens*, *Generale*, *Inefficax*, *Non-Peremptorium &c.* quod per aliud Consequens, à Deo *Compulso* & *Dolente*, revera, licet vocem sæpe vitent Adversarii, *mutetur*. Quibus hic non favent; α Impropriæ Locutiones dè Dei *Pœnitentia Gen.* VI. 6. 1 *Sam.* XV. 11. *&c.* quæ consequentem Operis, non autem Consilii, Mutationem in Deo notat; β *Verbi* Divini sive *Non-Exsecutio* in Promissis, quæ tum Conditionata sunt, aut alio modo & tempore implentur, sive *Mutatio* in Præceptis, tum singularibus, quale Abrahamo datum est dè immolando Filio, tum universalibus, qualia Ceremonialia cuncta, quæ, cum vel ad explorationem, vel ad tempus, Deus dare decreverit, nullam in Consilium Dei Mutationem inferunt; γ loca quæ de *Voluntate Præcepti*, aut *Complacentiæ Divinæ*, agunt *Ezech.* XVIII. 32. *Matt.* XXIII. 37. 1 *Tim.* II. 4. *&c.* quæ ad Decretum trahi neutiquam debent, dum v. g. Christus de Voluntate repetita, Judæis cognita, simili illi Gallinæ, cui Prophetas rejiciendo restiterant, agit, nec tamen minus serio de Deo debent intelligi; δ *Precum & Mediorum Usus*, quibus iterum non Divini Consilii, utpote nobis incogniti, Mutatio, aut intenditur, aut intendi licite potest, sed tantum Operis Externi, quam ad intervenientes labores & preces Deus si instituit, etiam decrevit, *coll. Jes.* XXXVII. 4. *&c.*

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Pentat.* [3] *Exerc. Text.* XIV. P. VI.

XI. Extenduntur hæc Dei Statuta ad *Omnia*, *quæ fiunt in tempore*, per Creationem & Providentiam Actualem, in quibus Decreti est Exsecutio, & quæ noscuntur ab æterno, utique per Decretum voluntatis qua fiunt, *Act.* XV. 18. [1] XVII. 26. *Eph.* I. 11. *Apoc.* IV. 11. [2] Sive sint Res, sive Actiones; sive Universalia, sive Particularia; sive Magna, sive Parva; sive Necessaria, sive *Libera & Contingentia*. Quæ postrema dum generatim tantum & indeterminatè Decreto subjiciunt, & Præscita tantum urgent, vel omnia vel quædam, post veteres *Philosophos* multos & *Pelagianos*, plures *Pontificii*, *Sociniani*, & *Arminiani*, temere se opponunt; α *Generalibus* fundamentis & assertionibus allegatis, β expressis *Locis Gen.* L. 20. 24. *Jes.* XLVI. 10. 11. *Act.* IV. 28. *&c.* & γ non tantum Deo *Independentiam ac Immutabilitatem* sacrilege auferunt, sed & præter Independentiam absolutam, intrinsecam Necessitatem, quam verbis tantopere amoliuntur, rebus omni-

Dei Decretum extenditur ad Omnia quæ in tempore fiunt.

omnibus omninò tribuunt. Atque opponuntur frustra. 1. Loca *Jer.* XXVI. 3. *Luc.* XX. 13. *&c.* ubi α cum agatur de Præcognitis & Certò Determinatis, ex *Rom.* IX. 18. *Act.* IV. 28. β probabilis Exspectatio, uti *Jes.* XXXVII. 4. *Hamos* V. 15. [3] *&c.* Deo anthropopathicè tribuitur, notans & Complacentiam Dei & rei Decentiam; γ nec Incertitudo ad Deum, sed ad Rem, & ad Homines, uti *Joël.* II. 14. [4] *&c* est referenda. 2 Natura *Contingentiæ* & *Libertatis*; quæ neutra consistit in absoluta Indifferentia, aut Causæ Supremæ Determinationem tollit. Non illa; ob α Contingentium disjunctive Determinatam Veritatem; & β necessariam Causam aliquam Determinantem. Non hæc; α ob absolutam Potestatem Deo soli competentem *Dan.* IV. 34. 35. & creaturis ablatam *Jes.* X. 15. *Act.* XVII. 28. β Voluntatem Dei per proprias Perfectiones, Christi per illam Patris, & Sanctorum cœlitum per Legem, ad bonum determinatam; γ imo Voluntatem omnem Creatam per Judicium Intellectus determinari solitam. Dum ergò Contingentia in *Non-Necessario Nexu Causarum Secundarum*, & Libertas in *Lubentia Rationali* consistit, per has excluditur quidem *Necessitas Consequentis*, *Absoluta*, *Subjectiva*, *Coactionis*, *Rei*, *Intrinsecæ Determinationis*, non vero alia Omnis plane, argumento locorum quoque *Matt.* XVIII. 7. *Luc.* XXII. 22. XXIV. 26. 1 *Cor.* IX. 16. 17. XI. 19. *Jud.* 3. 5. *&c.* scilicet quæ *Consequentiæ*, *Hypothetica*, *Objectiva*, *Præcepti*, *Infallibilitatis*, *&c.* dici solet. 3. Absurda; α *Precum Cessaturarum*, quæ licet frustraneæ, non tamen negligendæ, ob Dei Mandatum, Majestatem, Glorificationem, nostrique Humiliationem, &c. nec frustraneæ, ob eventum homini incognitum, ac ad preces tantum secuturum, nisi hæ meliori modo sint exaudiendæ; β *Mediorum omnium Negligendorum*, quæ juxta Finem à Deo decreta, hinc necessario adhibenda, *Gen.* XV. 18. *coll.* *Deut.* VII. 2. *Luc.* XII. 32. *coll.* XIII. 24. *Act.* XXIII. 11. *coll.* XXVII. 24. 31. *&c.* γ introducendi denique *Fati*, de quo in Capite de *Providentia*.

[1] *Exerc. Text.* XLIII. P. IV. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.*

Inter hæc quoque est Determinatus Finis Vitæ Humanæ.

XII. Pertinet huc speciatim *Universa Hominis Vita*, cum omnibus suis *Casibus* minimis & maximis, *Psal.* CXXXIX. 16. *Act.* XVII. 26. *&c.* ejusque *Terminus*, certò & immutabiliter singulis à Deo statutus, dè quo speciatim controversiam movent Adversarii

sarii eidem. Clara α hic sunt *Testimonia*, præter jam data, *Psal.* XXXI. 16. XXXIX. 6. *Eccl.* III. 1. 2. V. 17. IX. 12. *Job.* VII. 1. XIV. 5. 6. *&c.* ubi non tantum de Brevitate, sed & Determinatione brevis vitæ agitur, in definitis *Diebus*, certo *Mensium Numero*, statutis *Limitibus non Transeundis.* Accedunt β *Exempla* specialia, *Casu* pereuntium *Exod.* XXI. 13. *Deut.* XIX. 4. 5. 6. in *Bello* occisorum *Jes.* LXV. 12. Davidis *Act.* XIII. 36. Pauli 2 *Tim.* IV. 7. Petri 2 *Petr.* I. 14. & Salvatoris *Joh.* VII. 30. VIII. 20. ubi Effectus Contingentes & Liberi plures concurrerunt. Denique γ *Rationibus* id constat, petitis; tum à certa Prædictione; tum ab Animalium & Capillorum exemplo minori longè *Matt.* X. 29. 30. tum à Judiciis Dei in Morte exercitis; tum a Salute universa hinc pendente. Nec obstant. 1. Loca, quibus *Prolongatio* vel *Multiplicatio* dierum memoratur, Deo vel homini tributa, 1 *Reg.* III. 14. *Exod.* XX. 12. *Deut.* IV. 40. XXX. 18. *Prov.* X. 27. *&c.* item *Abruptio*, *Abbreviatio*, ac *Imminutio*, *Job.* XV. 32. XVII. 1. *Psal.* LV. 24. CII. 25. *Prov.* X. 27. *Eccl.* VII. 17. *&c.* Quippe; α aut sunt hæ locutiones *Absolute* absque comparatione ad Terminum aliquem intelligendæ, *coll. Eph.* VI. 3. aut β *Terminus* respicitur, non à Deo Statutus, sed *Communis* Hominum plurimorum *Psal.* XC. 10. vel ad quem *Naturale Robur* absque alio casu hominem perducere potuisset, vel quem ipse *Sibi pollicebatur*; γ aut *Preces & Admonitiones* sunt, quæ rem in eventu Dei respectu possibilem esse non arguunt, uti *Psal.* CII. & *Eccl.* VII. 2. *Exemplum Hizkiæ Jes.* XXXVIII. 1. 5. In quo, α aut agnoscenda ab initio *Comminatio Conditionata*, ac nihilominus seria, uti *Jon.* III. 4. *&c.* β aut facta tum potius *Morbi*, naturaliter *Lethalis*, declaratio, intelligente Hizkia ipso per Preces Dei hic Potentiam superiorem, quæ nunciato Dei Decreto impiæ fuissent. 3. *Rationes*; quæ generales ab usu Mediorum, Precum &c. generaliter quoque modò solutæ sunt.

XIII. Extenditur etiam Dei Decretum; tum ad *Bona*, sive *naturaliter* & *metaphysicè*, sive *moraliter* talia, diciturque tunc *Effectivum*; tum ad *Mala*, tam *Pœnæ*, quorum aliqua *Naturæ* etiam vocantur, quam *Culpæ*, spectata & materialiter & formaliter, non tantum generatim in principiis & causis, sed & in certa futuritione ac speciatim, diciturque *Permissivum*. Quò facit iterum, præter generalia; α *Exemplum Josephi & Christi* male tractati, in Etiam Mala Culpæ decrevit Deus.

in quo ad patientem Perpessionem mali, aut Bonum inde resultans, Dei Decretum non restringitur; β *Decretum* multiplex, in quo peccatum futurum *supponitur*; γ Actualis in malis *Providentia*, quæ regit atque ordinat, sæpe etiam in pœnam, tum eorundem tum aliorum hominum; δ tandem omnium *Actionum Humanarum Vitium*, quæ sic pariter Decreto forent subtrahendæ. Nec juvant Adversarios, qui hic eidem denuo sunt, juxta recentiores *Lutheranos*, quique *Præcognita* illa volunt. 1. Vel loca *Psal.* v. 5. 6. *Jer.* XIX. 5. *Ezech.* XVIII. 23. *Hab.* I. 13.[1] 1 *Thess.* IV. 3. *&c.* quæ de Voluntate *Præcepti* & *Complacentiæ*, diversa hic à Voluntate Beneplaciti, non tamen adversa, agunt 2. Vel ratiocinia; α de *Deo* futuro sic *Autore Peccati*, β *Homine* verò à peccato *Excusando*, γ vel *ad Peccatum Coacto*. Quæ solvuntur facile, si notemus; α Deum decernere hic Permissionem, neutiquam malam, nec obligari ad Peccatum impediendum, & Gratiam primo homini destinasse Sufficientem, omnibusque etiam adhuc supra meritum abundantem; β Normam Actionum nostrarum esse non Arcanam sed Revelatam Voluntatem, nec peccare homines, ut illi pareant, sed potius suis desideriis; γ Necessitatem hic quidem adesse peccandi in homine, quæ etiam ex Præscientia certa fluit, non tamen Coactionem, dum homo spontaneè, nullam attendens necessitatem, peccat. Uti verò Decretum hoc est *Permissivum*, respectu Mali qua talis, ita tamen simul est *Effectivum*, respectu virium & actionis substratæ; ac utrobique *Efficax* omnino, ut peccatum in tempore certo sequatur. Imò uti extenditur ad Mala omnia *Actualia*, ita extendi debet quam maximè ad Malum *Originale*, ipsumque adeo *Protoplastorum Lapsum* primum [2].

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* IV.

Decretum cum Unum sit, de Ordine non est litigandum.

XIV. De Decretorum vero horum omnium *Ordine* haud multum putamus esse litigandum; cum constet in Deo non esse nisi Unum. Ut hic & *Decretum de Fine* possimus præmittere in tractatione *Decreto de Mediis*; & secundum *Operum* in tempore mutuam *Consecutionem Decreta* simplicissime sibi invicem subordinare pariter.

Versatur etiam Decretum Dei circa Rerum Nexus.

XV. Sed præter Res ac Operationes, Decretum quoque tribuere Deo debemus, de harum inter se *Nexu*; licet illæ futuræ non sint, aut locum habituræ in omnibus subjectis. Quo pacto cer-

certissimus à Deo decretus est Nexus inter *Salutem* & *Fidem*, quem ipsis Reprobis applicare, præeunte verissime Euangelio, licet; quamquam nec ad fidem nec ad salutem hi sint destinati, sed ad utramque soli Electi. Quin & conceditur hic à multis *Decretum de Nexu Rerum* nunquam vel nusquam futurarum, sed tantum *conditionate revelandarum*; quale ex prædictione v. g. 2 *Reg.* XIII. 19.[3] elicitur, & revera à Decreto Conditionato, in quo ipsum Finem Deus velit, multum differt; cujus tum Finis dici debeat Revelationis Divinæ, ad hominis convictionem futuræ, Veritas.

[3] *Exerc. Text.* XIV. P. IV.

XVI. Quin & dicitur Decretum Dei versari circa *Res Possibiles Non Futuras*; non solum ut loquuntur *negative*, qui vocis inanis lusus est, sed & *positivè*, dum hæ non sic demum fiunt Possibiles, quales sunt per præviam Dei Sufficientiam, sed à futuris segregantur, ut certò sint Non Futuræ & ut tales proponi queant, quod antecedenter ad Decretum fieri nequit. Quin & tandem aliquatenus circa Possibilia Non Futura.

XVII. *Finis* tandem, quem Deus in decernendo sibi præstituit, non potest alius esse, quam ipsis Operibus Externis tribuit Scriptura, & quam in Deo ipso, propria scilicet *Gloria Prov.* XVI. 4. *Rom.* XI. 36. *&c Justitiæ* in primis *& Misericordiæ*, *Rom.* IX. 22. 23. *Eph.* I. 6. *&c.* Cujus Demonstratio & Agnitio cum sit præcipuè in Electis, ad horum *Salutem* Opera omnia, adeoque & Decreta ordinantur *Rom.* VIII. 28. 1 *Cor.* III. 22. 2 *Petr.* III. 9. &c. Quod & inductione universali facilè comprobari potest. Finis Decretorum omnium Ultimus & Subordinatus.

CAPUT SEPTIMUM.

De Prædestinatione Hominum ad Salutem vel Damnationem.

SAlutem Electorum cum in omnibus Decretis Deus sibi ut Finem proponat, meritò nunc de PRÆDESTINATIONE agimus, ut Decreto α Principali, ϐ atque ad Fideles maximè spectante. Dicitur nomen hoc à *præ*, & *destinando*; ratione habitâ non Dei, an- Transitus ad Prædestinationem; cujus Etymologia & Synonymia datur.

ante quem nihil eſt, ſed exiſtentiæ Rei, & Perſonæ ipſius deſtinatæ, quin & Creationis mundi. Nec *abſtractè* legitur in Scriptura, ubi tamen frequens eſt *prædeſtinandi* verbum; ſed apud *Auguſtinum* & Patres alios Anti-Pelagianos, qui detorta peſſimè ipſorum ſententia *Prædeſtinatorum* ſeu *Prædeſtinatianorum* nomine infamati etiam fuiſſe videntur. Synonyma partim Generalia magis ſunt *Capite* VI. data, partim magis Propria, vel Uſu vel Significatione, uti προορισμὸς, τάξις, *ordinatio*, *Act*. XIII. 48. θέσις, *poſitio*, 1 *Theſſ*. V. 9. πρόθεσις, *propoſitum*, *Eph*. I. 11. προγραφὴ, *præſcriptio*, *Jud. verſ*. 4. εὐδοκία *beneplacitum Matt*. XI. 26. Eleganter *Syrus* dixit רשם/ & רשם קדם quod ſimul & *deſignationem* & *obſignationem ante* factam notat.

Prædeſtinationis varia Significatio, & Extenſio juſta ad Reprobationem.

II. Eſt porrò nomen *Prædeſtinationis* variè uſurpatum. 1. *Latius*, pro omni Dei, in primis de homine, *Decreto Act*. IV. 28. XVII. 26. 1 *Cor*. II. 7.[1] 2. *Strictius*, prò ſola *Electione*, quo modo in Scriptura vulgò ponitur, & apud Patres *Sanctis* ſæpe applicatur, & Salutis terminus verè præſtantior eſt. 3. Senſu *medio* prò *Conſilio Dei* de ſtatu Æternæ tam *Damnationis* quam *Salutis* Creaturarum Rationalium. Quo ſenſu uti *Patres* ab ævo vocem uſurparunt plures, ita merito quoque uſurpari eam contendimus; α ob originem & notationem generalem, β uſum ejus de malis ad damnationem ducentibus *Act*. IV. 28. γ & ſynonymorum, *præſcriptionis*, *poſitionis*, *beneplaciti &c.* in locis adductis generalem acceptionem. Atque opponunt ſe gratis, poſt *Godeſchalci* Adverſarios, quidam *Pontificii*, *Lutherani*, quin & *Reformati*, ſive ex prava hypotheſi de Reprobis tantum *Præſcitis*, ſive ex affectata quadam in verbis ἀκριβείᾳ majori. Neque enim α Scriptura, ad cujus Uſum in vocibus per ſe mediis unicè etiam non ſumus alligati, abſolute uſquam *Prædeſtinationem* prò Electione ponit, ſed tum addit, *ad Adoptionem*, *Hæreditatem*, *Conformationem cum Chriſto*, *Eph*. I. 5. 11. *Rom*. VIII. 29. Neque β dicit Prædeſtinatio præciſe deſtinationem *ad Finem Bonum*, ſed ad Terminum quemcunque Certum, qui ſemper eſt etiam reſpectu Divinæ Gloriæ bonus. Neque tandem γ *pugnant* aliter *Electio & Reprobatio*, quam Finis Subordinati & Mediorum reſpectu, quod idem Genus, proximum quoque, non tollit.

[1] *Exerc. Text*. XL. P. III.

III. Notandum eſt porrò, cum Creaturæ Beatitatis & Damnationis

tionis per rationem capaces sint duplices, *Angeli* & *Homines*, ad illos priores quoque extendi *Prædestinationem*; quæ α etiam in Scripturis traditur, quoad *Electionem* 1 *Tim*. v. 21. sive *nominaliter* sive *participialiter* capiatur vox ἐκλεκτῶν, & quoad *Reprobationem Matt*. xxv. 41. 2 *Petr*. II. 4. *Jud. vers*. 6. quæque β ex eventu & statu vario certò colligitur. Discrimen interim hic observari potest ab Hominum Prædestinatione, potissimum triplex. 1. In *Objecti Statu*; quem alii *Imparem*, quibusdam lapsis aliis perseverantibus, dum homines pariter lapsi, alii verò *Parem* quidem, sed tantum *Labilitatis*, non lapsus uti in homine, dicunt. 2. In *Modo* Exsecutionis; dum Angeli non prædestinati in Christo ut Mediatore ad salutem, neque per Incredulitatem positivam aut negativam ad damnationem. 3. In *Fine*; qui hic quidem Justitiæ, non tamen Misericordiæ, strictè dictæ, demonstratio est, uti in Homine. Hic autem de *Prædestinatione Hominum* nos agimus.

Prædestinatio etiam est Angelorum gemina, quæ tamen ab Hominum Prædestinatione varie distinguitur.

IV. Hanc non fingi, sed *verè dari* apud Deum, probat; α Decretorum generalis Extensio; β Salutis & Damnationis maximum momentum; γ Finis necessaria apud Deum consideratio; δ denique ejus in Scripturis facta Declaratio, etiam in Individuis certis. Nec est, qui ex professo & aperte negare sustineat, quidquid arrodant & re ipsa tollant plures.

Prædestinationis Veritas generatim probatur.

V. Est autem *Prædestinatio* nobis; *Decretum Dei dè Hominibus in tempore Lapsuris, partim per Christum fidemque in eum Liberandis & Salvandis ad gratiæ ac misericordiæ suæ gloriam, partim in Miseria relinquendis & Damnandis ad justitiæ suæ demonstrationem*.

Ejus Definitio.

VI. Decretis eam cum annumeramus, ponimus. 1. Esse eam *Dei Actionem*, *coll. Rom*. VIII. 29. *&c*. qui solus est æternus, liberrimus, sapientissimus, independens, & immutabilis omnium Dominus; & quidem *Trinitati* communem, *coll. Joh*. XIII. 18. XV. 16. 19. *Hebr*. IX. 16. *&c*. licet per specialem œconomiam Primum hoc gratiæ Opus Primæ Personæ, consilium hoc Filio proponenti, sæpe tribuatur *Matt*. XI. 26. *Eph*. I. 3. 5. *&c*. 2. Esse eam haudquaquam operationem *solius Intellectus* Divini, aut hujus *præcipue* & *magis formaliter*. Quod tenent *Pontificii*, ob hypotheses suas *Pelagianas*; contra α generalem Decretorum naturam, & β Voluntatis hic expressissimè factam mentionem *Eph*. I. 5.

Est Actio Dei. Et quidem Voluntatis ejus.

1. 5. 9. *Rom.* IX. 18. & γ vocum ipsarum, *Prædestinationis*, *Præordinationis*, *Propositi*, quidquid cavillentur, vim. Quamquam fateamur; α Intellectum cum Voluntate hic concurrere antecedenter & consequenter; β & *Præcognitionis* voce theoretica, sed sensu practico ubique obvio, hic quandoque uti Scripturam, *coll. Actor.* II. 23. I. *Petr.* I. 20.

Ex generali Decretorum natura est illa plane Æterna.

VII. Amplius hinc mox fluunt omnes enumeratæ *Cap.* VI. Decretorum *Proprietates*, de quibus plurima controversia movetur. Quarum prima *Æternitas* est, *Joh.* XVII. 24. *Rom.* VIII. 29. IX. 11. *Eph.* I. 4. 2 *Tim.* I. 9. [1] *Tit.* I. 2. *Apoc.* XIII. 8. [2] *&c.* vel clarius vel obscurius his locis notata, atque etiam significata Paulo per ἀπ' ἀρχῆς 2 *Thess.* II. 13. ubi nec *initium* prædicati Euangelii, ob adversantem historiam, nec vocatio temporalis, memorata demum *vers.* 14. intelligi potest. Istam verò Æternitatem convellunt *Sociniani*, & *Remonstrantes* quidam, non tantum de voce *Electionis* causantes, hanc Beneficium Temporale notare, sed & Electionem *Certam*, *Firmam*, ac *Peremptoriam*, cui opposita altera gratis fingitur, suspendentes ab Actuali Fide & Perseverantia hominum. Nec liberant se hi ab Hæresi gravissima per generalis Prædestinationis, de Salvandis Credituris, Æternitatem.

[1] *Exerc. Text.* XLIII. P. I. [2] *Comment. in Loc.*

Et Liberrima; Deo hic non spectando ut Judice sed ut Domino absolutissimo. Unde nec Peccatum Reprobationis, nec Satisfactio Christi Electionis est Causa.

VIII. Est secundo Prædestinatio, uti Decreta alia omnia, *Liberrima*; non considerando hic etiam Deo ut Judice, sed ut *Domino Absolutissimo*, qui statuit lubentissime, & mere prò lubitu, absque ulla extra se causa quacunque ratione impellente, quamquam necessum, supposito Creandi hominis Decreto, aliquid de illius Statu Æterno decerni. Hanc ἀνυπεύθυνον *Libertatem*; α inculcat Paulus *Rom.* IX. 15. 18. 20. 21. 22. 23. β & docet *Æternitas*, quà aliquid Temporarium prius ponere non possumus, nedum illam determinans. Ut hic non debeat adeò admitti; α vel *Peccatum* Causam esse *Prædestinationis ad Mortem*, licet causa sit Mortis, & Exsecutionem cum Consilio confundentes quidam ex Nostris id concesserint de *Actu Absoluto* & *Positivo*, non item *Comparato* & *Negativo*, uti loquuntur; β vel *Satisfactionem* Christi esse Causam *Prædestinationis ad Vitam*, perinde uti *Vitæ* ipsius, quod præter *Arminianos* volunt etiam *Lutherani* plurimi, cum hæc tamen ex Prædestinatione ut fructus Divini amoris sequatur, *Joh.* III. 16. *Rom.* V. 8. VIII. 32. I *Joh.* IV. 9. *&c.* definita sit

ex

ex intentione Dei prima mox ad Electos, nec aliter dicat Paulus *Eph.* I. 4. nos *Electos in Christo*, quam quatenus decrevit illud Pater, α per ipsum ut Filium, sicuti omnia alia, & β proposuit Decretum hoc exsequi per Filium ut Mediatorem, ac γ per Communionem cum ipso nobis υἱοθεσίαν atque omnes spirituales benedictiones *vers.* 5. & 3. secundum Electionis typum conferre, quæ ipsa propriè non Benedictio, nisi latius dicta, sed ejus destinatio est, ac ita hic consideratur. Ut sit Christus *fundamentum* 1 *Cor.* III. 11.[3] *salutis destinatæ*, non tamen *destinationis*. Interim per Libertatem Deus hic α non lædit suas Perfectiones alias, aut *Bonitatis*, dum solis merentibus pœnam inferre, aut *Justitiæ*, dum per Christum solum salutem dare sibi proposuit; β nec προσωποληψία hic ulla damnabilis obtinet, cum Gratia quibusdam destinata prorsus sit Immerita, & nemini, dum omnes sunt peccatores, fiat Injuria.

[3] *Exerc. Text.* XLI. P. III.

IX. Competit tertio eadem, quæ reliquis Decretis, summa *Sapientia* Prædestinationi; ad α quam potissimum respexit Paulus *Rom.* XI. 33. 34. & β quæ in hujus exsecutione patefit, dum verè mirandum hic est temperamentum Justitiæ & Bonitatis, tam Electorum quam Reproborum respectu, & arctissima Mediorum, sæpe in speciem adversorum, cum Fine connexio. Labefactant eam autem omnino temere Prædestinationis *Indefinitæ*, *Incompletæ*, & *Revocabilis*, Patroni; quæ dum frustranea prorsus est, utique stolida censeri debet, vel inscitiam supponit.

Est Prædestinatio quoque Sapientissima.

X. Quarto tenenda hic est Prædestinationis, cum reliquis Decretis æqualis, *Independentia*; per quam *Absoluta* illa est, nec ullam *Causam* aut *Conditionem* in hominis arbitrio positam, & priorem Decreto, licet talis sit respectu Rei Decretæ, & à Deo determinata, admittit. Id docet Scriptura; α liberum *Dei Placitum* ut unicam & ultimam rationem hic urgens *Matt.* XI. 25. 26. *Luc.* XII. 32 *Rom.* VIII. 28. IX. 11. 15. 18. XI. 5. *Eph.* I. 5. 9. 11. 2 *Tim.* I. 9. *&c.* quod quidem ab operibus externis Conditiones non excludit & consequentes, sed omnino à Decretis & antecedentes; β *omnem Discriminationem* Sui hominibus, pariter ad bonum *impotentibus*, ita auferens, ut *speciem* hinc quandam *injustitiæ* in Deo fingere possit homo, *perditissimique* sæpe *ad salutem* destinati esse in eventu comperiantur 1 *Cor.* IV. 7. *Joh.* XV. 16. 2 *Cor.* III.

Absoluta adhuc & Independens ab omni Conditione Antecedente, tum Fidei & Resipiscentiæ, tum Incredulitatis & Impœnitentiæ.

III. 5. 1. *Joh.* IV. 10. *Rom.* IX. 14. *Act.* IX. 13. 15. *&c.* γ omne *Bonum Prævisum* in homine excludens *Rom.* IX. 11. 12. 16. 2 *Tim.* I. 9. perinde ut in populi Judaici Assumptione *Deut.* VII. 7. *Ezech.* XVI. 4. 5. δ repetensque à Prædestinatione, ut *Consequens*, omne tum *Bonum*, *Fidei Joh.* VI. 37. *Tit.* I. 1. *Act.* XIII. 48. [1] ubi τάξις neutiquam *dispositionem internam* bonam, sed *externam Dei* notat, uti *Act.* XXII. 10. XXVIII. 23. *&c.* ex phrasi integra & natura rei, *Sanctitatis Joh.* XV. 16. *Rom.* VIII. 29. 30. ubi ad solam Crucem non respicitur, sed præcipue ad id quod *Vocatio* operatur, *Eph.* I. 4. ubi inchoata æque quam consummata Sanctificatio intenditur, *Perseverantiæ Matt.* XXIV. 24. 2 *Tim.* II. 19. [2] 1 *Petr.* I. 5. & quodcunque heic adest in homine *Phil.* II. 13. tum *Malum*, *Incredulitatis* & *Impœnitentiæ Psal.* LXIX. 28. 29. [3] *Joh.* X. 26. 1 *Pet.* II. 8. *Apoc.* XIII. 8. [4] *&c.* quod nude *consequitur* ad decretum, non per hoc efficitur. Non memoramus verò hic Exceptiones quorundam generales sed vanas; α de *Prædestinatione ad Gratiam*, non ad Gloriam, gratuita; β de *Prædestinatione quorundam*, ut Apostolorum & Mariæ, absoluta; γ dè *Excluso* tantum *Merito*; δ de Consequentia Fidei & Incredulitatis non ad Prædestinationem sed ad Prævisionem &c. Quæ ex locis adductis facile confutantur.

[1] *Exerc. Text.* XXXVIII. P. III. [2] *Exerc. Text.* XLIV. P. III. [3] *Exerc. Text.* XXIV. P. V. [4] *Comm. in Loc.*

Opposita variorum Hæreticorum sententia exponitur.

XI. Opponunt se hic post *Origenistas*, Animarum in Cœlis existentium ante Unionem cum corpore Prævisa Opera inculcantes, *Pelagiani*, hominum Prævisa Merita palam urgentes, & *Semi-Pelagiani Massilienses*, Gratiam quidem Dei Communiorem homini concedentes, ut emollirent crudum dogma, sed à Progressu Boni & Fide aut Infidelitate Prævisa, etiam in Infantibus hac ætate morientibus, discrimen omne Consilii Divini repetentes. Horum verò vel illorum premunt hodiè vestigia *Pontificii* plurimi, *Scotistæ* potissimum, *Franciscani*, & *Jesuitæ*, aliis, *Thomistis* scilicet, *Dominicanis*, & *Jansenistis*, nec paucis *maximæ celebritatis Theologis*, secundum *Suavem* in ipso *Concilio Tridentino*, se opponentibus, quod hinc generalibus in hac re terminis usum est; quamquam omnes à sententia nostra, apud ipsos fœdè detorta, velint videri dissentire. Cum Pontificiis, *Opera Prævisa* urgentibus, jungunt se ex parte *Sociniani*, qui tamen nec *Prævisio-*

visionem nec *Fidem* veram tenent, *Arminiani* & *Anabaptistæ*, qui *Fidem* & *Perseverantiam* ac ab altera parte *Incredulitatem* solam inculcant, denique & *Lutherani* recentiores, potissimum inde à *Colloquio Montisbelligartensi* A. MDLXXXVI. Quamquam hi, negata Hominis propria Discretione, agnitaque Gratiæ Efficacia & Electionis Certitudine, haud parum sibi obloquantur, ac phrasi sæpe magis & affectu quam re & sententia à nobis diffideant. Non moramur hic autem *Salmuriensium* inter Nostros phrasin, in speciem similem & incommodam, qui tamen in hypothesi ab Adversariis multum differunt.

XII. Facilè solvuntur Objectiones. 1. Petitæ ex locis, quæ memorant *Præscientiam*, ante Prædestinationem, & quidem *Conformitatis cum Christo*, *Rom.* VIII. 29. XI. 2. 1 *Petr.* I. 2. Si quidem, α *Scientia* in Scripturis sæpe est *Practica*, non tantum simpliciter volens *Act.* II. 23. sed & approbans *Psal.* I. 6. & *benè volens*, *Exod.* XXXIII. 12. *Jer.* I. 5. *Hamos* III. 2. [1] *Matt.* VII. 23. *Joh.* X. 14. 27. 2 *Tim.* II. 19. [2] *&c.* β & non potest hic intelligi *Theoretica*, quod ad Personas referatur, Impiis denegetur, ac Propositum vocetur; γ sed debet intelligi *Practica*, vel simpliciter *Amoris*, ut effecta docent, vel ipsius *Electionis*, à quâ Prædestinatio tum distinguitur per additum terminum ad quem *Conformitatis* cum Christo, quam præcognitam Paulus neutiquam dixit, sed prædefinitam à Deo, ut debeat ante συμμόρφους subintelligi εἰς τὸ εἶναι; δ ne jam addam Præcognitionem theoreticam, si admittatur, ex *Proposito* jam *vers.* 8. memorato fluere 2. Ex descriptione Electorum, ut *Credentium*, & *in Christo* existentium, & *Sanctorum*, *Eph.* I. 4. *Col.* III. 12. 2 *Thess.* II. 13. *Jac.* II. 5. 1 *Petr.* I. 2. *Apoc.* XVII. 14. [3] &c. Cum α libenter concedamus, solos Credentes & Sanctos in tempore esse ab æterno Electos, negemus vero Fidem Electione esse Priorem; β atque in locis adductis quibusdam manifestè innuatur, Fidem esse Medium Exsequendæ Electionis ejusque Terminum, uti 1 *Petr.* I. 2. & *Jac.* II. 5. ubi *Regni Hæreditas* eodem halitu additur, quæ nobis antecedenter ad Electionem utique non competit. Similis est ratio *Reproborum*, qui ex eventu, non antecedenter, *Increduli*. 3. Ex *Amore* Dei in Electione, qui Fidem supponat *Hebr.* XI. 6. & *Odio* in Reprobatione, *Rom.* IX. 13. Cum hic α actus *Benevolentiæ* Complacentiam præcedat, & Apostolus de *Complacentia* in tempore

Objectiones horum præcipuæ refelluntur.

pore loquatur; β & *Odium* justum sit propter Commune Peccatum, quod Deus permittere decernit. ς. Ex *Eventu*, dum Credentes & Sancti salvantur *Joh*. III. 16. *Hebr*. XII. 14. *&c*. Increduli verò damnantur *Joh*. III. 36. *&c*. Cum hanc Divinam ordinationem non negemus, sed hæc, uti Media sunt in Exsecutione, ita etiam in Decreto statuta tantum ut talia dicamus; atque prorsus *Absolutam*, quam nobis cum veteribus *Prædestinatis* affingunt, *Prædestinationem*, per quam omnis Fidei & Infidelitatis consideratio hinc foret exclusa, & ex qua injustitia in Deo, ac secura impietas in homine sequeretur, ex animo detestemur. Et favet nobis omnino Antiquitatis Christianæ sententia, quam ex *Augustino* nos posse certò discere, dat *Bellarminus*, atque propugnarunt iterum Seculo IX. fervidissimè *Godeschalci* Fautores Anti-Pelagiani.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XLIV. P. III. [3] *Comm. in Loc.*

Est tandem Prædestinatio Immutabilis prorsus.

XIII. Uti Independens, ita porro, non minus quam reliqua Decreta, *Immutabilis* est Prædestinatio; ut neque Electi plane deficere, neque Reprobi actu servari possint. Præit Scriptura; α huc applicans τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς, *Immutabilitatem Consilii Hebr*. VI. 17. & *Propositum* hoc *manere* pronuncians *Rom*. IX. 11. β atque multis docens Immutabilitatem Electionis, cujus non alia quam Reprobationis hic potest esse ratio, tum *explicitè Matt*. XXIV. 24. (ubi Conditio Impossibilitatem notat ex contextu, quod idem etiam de locis opponi solitis *Matt*. XXVI. 39. *Rom*. XII. 18. *Gal*. IV. 15. dici potest,) *Joh*. VI. 37. X. 29. 2 *Tim*. II. 19. [4] (sive Electionem sive Electos, sive etiam Christum ipsum per *Fundamentum* intellexeris,) *Rom*. VIII. 29. 30. XI. 7. 29. 1 *Petr*. I. 5. *&c*. tum *implicitè*, dum velut *Testamenti* scripti & *Libri Vitæ* hic meminit *Luc*. X. 20. *Rom*. VIII. 17. *Phil*. IV. 3. *Hebr*. XII. 23. *Apoc*. XIII. 8.[5] *&c*. Accedit γ *Ratio*, veluti *à Priori*, ex Dei & Mediorum Electis destinatorum Sufficientia ad actualem salutem, ac Impiorum absque Divina gratia, ipsis utique non destinata, omnimoda Impotentia; item *à Posteriori*, ex Certitudine, Tranquillitate, & Gloriatione Fidelium læta *Rom*. VIII. 31... 38. &c. Certaque aliorum Damnatione 2 *Petr*. II. 3. 1 *Joh*. V. 17. *Jud. vers*. 4. *Joh*. XVII. 12. 2 *Thess*. II. 3. *Rom*. IX. 17. 22. *&c*.

[4] *Exerc. Text*. XLIV. P. III. [5] *Comm. in Loc.*

XIV.

XIV. Eidem hic ferè sunt Adversarii, præcipue autem *Arminiani* & *Anabaptistæ*, ex priori hypothesi; mirè simul sanctam doctrinam nostram blasphemantes. Pugnant autem frustra. 1. Ex *Admonitionibus*, ad *Curam* debitam, *Timorem*, aut *Confirmationem* Electionis, 1 *Cor.* x. 12. *Phil.* II. 12. 2 *Pet.* I. 10. III. 17. *&c.* Cum hæ α Officium nostrum declarantes, Beneficium Dei non excludant; β neque Media justa à Fine sint segreganda; γ neque Timor Filialis cum Servili debeat confundi; δ Confirmatio denique intelligatur respectu nostræ Scientiæ, vel dè actuali Impletione sed certa Consilii Divini. 2. Ex *Comminationibus Apoc.* XXII. 19.[1] quæ per *Vota Mosis & Pauli* seria de se videntur firmari *Exod.* XXXII. 32.[2] *Rom.* IX. 3.[3] Cum α Comminatio, ut Medium Conservationis adhibita, non semper Effectum Possibilem ponat; β *Deletio ex Libro Vitæ* non debeat intelligi de litura veræ Inscriptionis à Deo ipso factæ ab æterno, *coll. Apoc.* III. 5. 12. XXI. 27.[4] *&c.* sed de Declaratione Inscriptionis sic nunquam factæ, *coll. Psal.* LXIX. 29.[5] *&c.* & Ablatione Partis, quam homo sibi aliisque professione sua persuaserat; γ *Mosis* porrò *Votum*, in quo *Libri Dei* simplex est mentio, vel respiciat ad Vitam Præsentem, vel, uti & illud *Pauli*, plane Conditionate sit intelligendum, nihil aliud inferens, quam intensissimum Divinæ Gloriæ cum sui abnegatione amorem. 3. Ex *Exemplis*, tum Pereuntium *Joh.* XVII. 12. tum Metuentium reprobationem 1 *Cor.* IX. 27. Cum α illo loco priori, vel agatur de *Datione* non ad salutem sed ad Apostolatum, vel potius εἰ μὴ ex contextu atque usu in aliis locis multis obvio *Matt.* XII. 4. *Luc.* IV. 26. 27. *Gal.* I. 7. II. 16. 1 *Cor.* VII. 17. *Apoc.* XXI. 27.[6] *&c.* & nota Judæ Reprobatione *Joh.* VI. 70. XIII. 18. sit *Adversative*, non Exceptive, intelligendum; β atque hoc loco Paulus non de Reprobatione sed de *Reprobabilitate* agat, tam apud Homines scilicet quibus prædicabat, quam apud Deum, quamquam nec Reprobationis vitandæ studium hanc possibilem esse inferat. 4. Ex *Absurdis* secuturis; α tum *Securitatis Carnalis Electorum*, quæ propter Fidei & Salutis nexum hic non est metuenda, homine utique nequaquam Electionem suam intelligente nisi ex fructibus Fidei & Sanctitatis; tum *Excusabilitatis* & *Desperationis* Reproborum, cum ex adverso constet, illos & peccare contra Legem latam, & id agere voluntariò, nec dè Prædestinatione ad mortem usque

Objectiones Adversantium præcipuæ solvuntur.

durante vita sua ordinario posse esse certos, quod in Desperatione supponitur.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* V. P. V. [3] *Exerc. Text.* XLVIII. P. V. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exexc. Text.* XXIV. P. V. [6] *Comm. in Loc.*

Prædestinatio est ad ipsum Christum extendenda, licet hæc à nostra differat. Quando ut præcedens, vel sequens potest spectari illa.

XV. Versatur porro hoc Dei Decretum circa *Homines*, & quidem *Omnes*; ne ipso *Christo* excepto. Quamquam alia plane hujus quam reliquorum sit prædestinatio, respectu α *Felicitatis* destinatæ, β *Miseriæ* præviæ, γ & *Modi* exsecutionis. Hinc dicitur α Salvator προεγνωσμένος 1 *Petr.* I. 20. & *Electus Dei Jes.* XLII. I. *Luc.* XXIII. 35. β ac prædestinata ea quæ Christo contigerunt, ideò necessaria, *Act.* IV. 28. *Luc.* XXIV. 26. γ imo nos prædestinati *in eo*, ac *per eum*, *Eph.* I. 4. 5. Dici vero potest, Christi Prædestinationem; α nostram *Præcedere*, si spectemus *Dignitatem* gloriæ destinatæ, vel ipsum ut Ducem salutis, cui nos damur redimendi à Patre; & β *Sequi*, si consideretur ut destinatus ad exsecutionem salutis nobis destinatæ. Qui posterior considerandi modus magis receptus est, tutiorque ad vitandam Universalem omnem indefinitam & inefficacem Christi Mediatoris Destinationem; quam hinc statuminare, licet imperitè, volunt Adversarii *Universalistæ*.

Prædestinatio est Singulorum Hominum ad suum Terminum.

XVI. Non tantum Omnes prædestinantur, sed & *Singuli* ad Certum Terminum. Quod constat; α ex restrictione *Electionis ad Quosdam*, aliis exclusis, *Matt.* XX. 16. *Joh.* X. 26. XIII. 18. *Act.* XVIII. 10. *&c.* β *Personarum* ubique, non Qualitatum, facta mentione *Rom.* VIII. 29. 30. 2 *Tim.* II. 19.[1] *Joh.* X. 3. *&c.* γ Datione & Inscriptione distincta & certa, quæ arguit Individuas Personas, hic memoratâ; δ Exemplis *Discipulorum Luc.* X. 20. *Cooperariorum* Pauli *Phil.* IV. 3. ac præcipue, tum *Pharaonis*, tum *Jacobi & Hesavi Rom.* IX. 13.[2] per quos duos eorum *Posteritatem* solum aut maxime notari cum diversa Corporali Sorte, intoleranda textus παρερμηνεία est. Ne ε jam addam, omnem sic Dei Prædestinationem tolli, nihilque præter Hominis Arbitrium varium in tempore agnosci. Sic tamen statuunt, cum *Socinianis* & *Anabaptistis*, *Remonstrantes*, Credentes scilicet in communi ad Vitam, Incredulos ad Mortem destinatos, atque, esse *hoc Totum & Integrum Prædestinationis Decretum*, urgentes. Qui in eo parum adjuvantur. 1. Synonymiâ *Electorum* & *Credentium*. Cum hi nihilomi-

minus æquè determinati possint esse ab æterno, quam in tempore. 2. *Voluntate* dè quibuscunque *Credentibus Vitam habituris* in Euangelio revelata *Joh.* VI. 40. *&c.* Quæ Prædestinationem, coram hominibus aliis latentem, non absolvit, sed Euangelii summam omnibus patefactam. 3. *Admonitionibus*, *Redargutionibus*, *& Promissionibus*, communibus. Quæ seriæ & veræ ac utiles sunt, vel ad Salutem vel ad Convictionem, non obstante certa Personarum & æterna Determinatione.

[1] *Exerc. Text.* XLIV. P. III. [2] *Exerc. Text.* IV. P. IV.

Quæstio de objecto Prædestinationis, an sit Labilis an Lapsus homo, minus est momentosa & realis.

XVII. De *Hominum* verò *Statu*, in quo Deo Prædestinanti sint obversati, multa XVII. Seculo ex *Arminianismi* occasione disputatio exstitit, nec *Synodice* à Dordracenis decisa; dum *α* hi Decretum de Creatione, & Permissione Lapsus, ad potentiæ & sapientiæ & libertatis Divinæ gloriam, Decreto de Salute vel Damnatione præmittendum duxerunt, dicti *Sublapsarii*; illi verò omnia hæc Dei Opera uno Decreto complectentes, ac ad unum Finem Ultimum justitiæ & misericordiæ Divinæ referentes, antecedenter ad hoc Decretum homines tantum *Creabiles* & *Labiles* dixerunt, dicti *Supralapsarii*: alii etiam mediam quandam viam tenuerunt, decreto Creationis mox Prædestinationem subjungentes. Nos controversiam hanc minus momentosam judicamus, cum constet utrinque. 1. *Decretum Dei Unicum esse & Simplicissimum*, per quod omnia Dei Opera sapientissimè in tempore sint connexa. 2. *Decretum Dei esse Liberrimum & Independens*, procul omni conditione varia creaturarum, & dignitate majori vel minori, quæ antecedenter ad hoc Decretum Deum moverint. 3. *Decretum Dei esse Sanctissimum*, ut Pœnam non nisi Merentibus, & Gratiam non nisi Indigentibus ordinaverit. Disputatio adeo omnis est de *Methodo*, quæ *diversa*, non adversa est, ac utraque Scripturam sequitur; dum hæc, *α* vel magis ad captum popularem secundum Opera Externa horumque Ordinem Decreta ordinat, nominaque Prædestinationis ac Electionis, strictius sumpta, per Dei *Commiserationem* in Christo exponit *Rom.* IX. 15. 16. *Eph.* I. 4. 5. *β* vel cogitata nostra prius ad Finem Divinæ Justitiæ & Bonitatis quam ad mediam Creationem, ex massa ad ignominiam & gloriam æquè apta, ducit *Rom.* IX. 21. 22. 23. *&c.*

XVIII. Verbo itaque dicimus, Vitanda hic esse Extrema Duo, ad

Missis quibusdam Extremis Utrumque sano sensu dici potest; præstat vero Hominem Lapsum vel Lapsurum nominare.

ad quæ nimius disputantium zelus Viros Doctos abripuit; dum 1. Hi dixerunt, *Nullum*, seu antecedentem seu comitantem, *Peccati Respectum* in Prædestinatione, absolute spectata, ad salutem pariter & damnationem, *esse Necessarium*; ut Innocentibus etiam Pœnam destinare potuerit Deus, quod antea refutatum *Cap.* IV. §. XLVI. 2. Illi vero negarunt, *Creationem & Permissionem Lapsus esse Media*, ad Finem prædestinationis sive salutem & damnationem ex intentione Dei ducentia. Quasi Deus à nobis concipi deberet, ut de Fine Ultimo in primo opere non cogitans, & consilium ad singula opera in arena novum sumens. Interim cum, α vocabula *Prædestinationis & Electionis* strictius in Scriptura usurpentur, β id nomen Decretum nudum de illustranda Justitia & Misericordia vix ferre possit, γ *Sublapsariorum* methodus infirmo captui humano magis accommodetur, δ neque tandem dubitari possit, quin Media ad Finem Ultimum ducentia, & revera coordinata, ita sibi invicem tempore & nostro conceptu subordinentur, ut non possimus de Derelictione in miseria vel Ereptione ex illa cogitare, nisi & Miseriam & Subjectum miserum supponamus; rectius Hominem *Lapsum* aut *Lapsurum*, quam *Labilem*, prædestinari dicemus.

Prædestinatio vel est ad Salutem, vel ad Exitium.

XIX. Ad *Finem* & *Terminum* Prædestinationis transimus, qui alius *Dei*, alius *Hominum* respectu, priori subordinatus. Prior communius dici potest demonstratio *Divinæ Gloriæ Prov.* XVI. 4. *Rom.* XI. 36. & potissimum quidem Libertatis, Sapientiæ, Potentiæ, Justitiæ, & Bonitatis, quæ omnis tam in Reprobatione quam in Electione elucescit. Magis tamen in exercitio *Bonitatis* cum hæc, & *Justitiæ* cum illa terminetur, hic distinctus utriusque *Finis* vulgo dicitur, ex *Eph.* I. 6. *Rom.* IX. 22. 23. Cui jam in Homine subordinatur ab una parte *Salus*, ab altera *Exitium*, uti eventus docet diversus. Atque hinc fluit Prædestinationis in *Electionem & Reprobationem* divisio recepta, de quâ utraque adhuc paucis.

Illa dicitur Electio; cujus Etymologia exponitur. Homonymia item multiplex. Ex qua negari

XX. Nomen *Electionis*, ab *eligendo* dictum, Unius præ Altero Assumptionem notat, legiturque passim cum Paronymis in Scriptura. Alias audit *Propositum Rom.* VIII. 28. *Propositum secundum Electionem Rom.* IX. 11. *Propositum & Gratia* 2 *Tim.* I. 9. forte & *Præcognitio Rom.* VIII. 29. *Ordinatio ad Vitam Æternam Act.* XIII. 48. *Prædestinatio ad Conformitatem Imaginis Filii*

lii Rom. VIII. 29. *ad υἱοθεσίαν Eph.* I. 5. *Positio ad Salutem* 1 *Thess.* V. 9. *Inscriptio in Libro Vitæ Phil.* IV. 3. *Dilectio Rom.* IX. 13. *αἵρεσις εἰς σωτηρίαν* 2 *Thess.* II. 13. *Datio Christo* facta *Joh.* VI 37. *προχειρισμός Act.* XXII. 14. *Præparatio ad Gloriam Rom.* IX. 23. *Paratio Regni Matt.* XXV. 34. *&c.* Quæ nomina nonnulla quidam scrupulosius inter se distinguunt. Cum verò Electio refertur non ad homines eligentes, sed ad Deum, notat. α Vel metonymice *Personas Electas*, uti *Rom.* XI. 7. *coll. Rom.* II. 26. β Vel rei aut personæ alicujus inhærentem *Præstantiam.* Quo & referuntur non incommodè loca, quæ tamen alium quoque sensum admittunt, *Act.* IX. 15. 1 *Petr.* II. 9. 2 *Joh.* I. *&c.* γ Vel *Actum* Dei, sive *Vocantis* ad aliquod *Munus*, Politicum vel Ecclesiasticum, 1 *Sam.* X. 24. *Joh.* VI. 70. sive *Segregantis* per specialia privilegia ab aliis *Deut.* IV. 37. VII. 6. 7. sive *Trahentis* ad sui communionem ex mundo, uti volunt vulgo ex *Joh.* XV. 16. 19. 1 *Cor.* I. 26. 27. 1 *Petr.* I. 2. *&c.* quamquam nec incommodè forte in iis locis Consilium Æternum, secundum quod vocat in tempore, intelligatur; sive denique *Prædestinantis* ab æterno ad salutem & gratiam *Matt.* XX. 16. *Rom.* XI. 5. *Eph.* I. 4. &c. Ut hic omnino à vera crisi aberrent *Remonstrantes*, dum voci *Electionis*, indifferenti in se ad actionem temporalem & æternam, posteriorem significationem vel prorsus vel saltem propriè auferunt, *Metonymiam* hoc casu inculcantes. Quod α ex ipsa Nominis notatione; β Locis adductis; γ oppositis verò male, ut notatum, intellectis vel applicatis; denique ex scopo pessimo Æternitatem Electionis Personalis evertendi, concidit.

nequit, illam etiam exprimere Æternum Propositum.

XXI. Est itaque Electio; *Prædestinatio Gratiosa quorundam, numero pauciorum, & ut plurimum statu despectiorum, ex lapsuro genere humano, ad Salutem in Christo per Fidem & Resipiscentiam certo obtinendam, demonstrandamque in iis Divinæ gratiæ laudem.*

Electionis Definitio.

XXII. *Fontem* hic, uti generalius supra notatum est, non alium agnoscimus, quam Liberrimum & Absolutum *Dei Beneplacitum*, quod hic ob Effectum gratum *Gratiosum* dici debet. Unde Electi *Vasa Misericordiæ* dicuntur *Rom.* IX. 23. & *Gratia* hic cum *Proposito* jungitur 2 *Tim.* I. 9. Atque hanc, utpote intra Deum, *Causam Impulsivam*, vel *Finalem*, uti consideratur *Eph.* I. 6. dici patimur. Quo ipso *Odium Dei* contra *Peccatum* non tollitur; dum Affectus tendit in Personas, nec effectum vel con-

Fluit unicè ex Dei Gratia.

fert vel destinat extra Christum prò peccatis satisfacturum.

Habet prò Objecto non Omnes, sed Quosdam.

XXIII. Electi sunt *Aliqui* tantum, non *Omnes* & *Singuli*. Sive Universalitas hæc urgeatur *Absolutè*, etiam respectu Eventus, dè *Omnibus*, absque Fidei aut Infidelitatis discrimine, quod voluisse videtur, post *Pelagianos* Triplicem salutis Viam statuentes, ex Lutheranis *Huberus*, vel de *Singulis* salvandis tandem, ex *Origeniano* delirio; sive *Conditionate*, Fidei conditione vel ab homine implenda ac incerta, quod *Pelagianos* & *Semi-Pelagianos* omnes velle ex prioribus liquet, vel à Deo præstandâ, quo *Universalis Gratiæ* in Vocatione Redemptione ac Electione *Patroni* ex Nostris tendunt. Uti enim Decretum Dei α nullum hoc sensu Conditionatum est, β & Conditio nulla, cujus contrarium Deus ipse vult, γ & Fides ad Salutem Necessaria; ita omnem Universalitatis talis suspicionem exclusit Deus, α per ipsam vocem *Electionis*, quæ quorundam discretionem notat, β per determinationem ad *Quosdam* ubique obviam, γ atque per *Eventum*, dum nec Media salutis, nec Salus ipsa Omnibus contingit. Nec repugnant. 1. Loca, quibus; α vel Amor Dei *ad Mundum* extenditur, ut *Joh.* III. 16. illic sive indefinitè de *Hominibus* in oppositione ad Angelos, sive definite de *Electis*, tanquam potiori parte Mundi, ubique per Mundum dispersa, ac Mundo simili, intelligendum; β vel *Omnium* mentio est, quorum *misereatur* Deus *Rom.* XI. 32. quosque *velit servari* 1 *Tim.* II. 4. ubi tum Omnes gratiæ participes, tum Omnis generis homines, ex contextu intelliguntur antecedenti & consequenti, tum etiam de Voluntate Præcepti agitur; γ vel Deus dicitur *non velle mortem peccatoris Ezech.* XXXIII. II. aut *ullius ex nobis*, 2 *Petr.* III. 9. ubi dè Complacentia Dei, & Morte in se spectata, & de Credentibus ac Resipiscentibus agitur. 2. Rationes; α tum à Dei φιλανθρωπίᾳ *Tit.* III. 4. quæ utique se non erga omnes æqualiter necessariò exserit; β tum à Vocatione Externa per Conditionatam salutis Promissionem, quæ nec Universalis est, nec aliud Decretum quam futuræ talis Vocationis infert.

Sunt electi Pauciores reprobis.

XXIV. Sunt autem hi Aliqui respectu numeri *Pauciores* reliquis; α ex Locis *Matt.* XX. 16. XXII. 14. *&c.* & β Eventu *Matt.* VII. 14. *Luc.* XII. 32. *&c.* Sunt interim in se Multi *Matt.* VIII. II. *Hebr.* XII. 23. *Apoc.* VII. 9. [1] *&c.* non admittendâ tamen fabulosâ eorum Paritate cum Lapsis Angelis, in quorum locum denuo

nuo assumpti sint. Nemo autem hinc colligat *Defectum*; aut *Potentiæ* in Deo, quæ in unius Salute magis quam in omnium perditione elucescit; aut *Bonitatis*, cum hæc tanto magis demonstretur, quò Bonum destinatum majus, certius, & minus commune est, revera autem annihiletur per Adversarios, qui salvatos & damnatos aut prorsus aut fere pariter à Deo amari contendunt.

¹ *Comm. in Loc.*

XXV. Quamquam nullus Status Externus ex hoc numero hominem excludat, constat tamen ex Scriptura & Experientia, *Electos* potissimum esse ex *Ignobili* plebe, minusque sapientia, potentia, divitiis, & gloria, instructos *Matt.* XI. 25. 1 *Cor.* I. 26. *&c.* *Jac.* II. 5. *&c.* Sapienter sic statuente Deo; α ad agnitionem faciliorem & majorem suæ Gloriæ 1 *Cor.* I. 27. 28. 29. 31. β ad Conformationem electorum cum capite Christo in Cruce æque quam sanctitate & gaudio; γ ad impedimenta salutis auferenda; δ ad Præstantiam denique Electorum præ corporali omni palam demonstrandam. Plurimi Ignobiles & Rudes in mundo.

XXVI. *Bonum* porro in Electione destinatum homini geminum est, *Gloriæ* & *Gratiæ* nomine vulgo veniens. Per *Gloriam* Salus intelligitur Cœlestis & Æterna; quæ sub hoc nomine utroque, ac aliis *Regni*, *Adoptionis* consummatæ, *&c.* proponitur *Rom.* VIII. 30. IX. 23. 1 *Thess.* V. 9. *Jac.* II. 5. *Eph.* I. 5. *&c.* Per *Gratiam* Beneficia notantur & Dona ad Salutem ducentia ex Dei consilio & certo eventu; uti sunt Datio Christi Mediatoris, Vocatio Interna, Justificatio, Sanctificatio, Conservatio, Fides, Resipiscentia, quæ destinata juxta Salutem esse colligas ex *Joh.* III. 16. *Rom.* VIII. 29. 30. *Eph.* I. 4. *Jac.* II. 5. 2 *Thess.* II. 13. *&c.* Quamquam autem hæc duo ut Bonum *Ultimum* & *Medium* commodè distingui possint & debeant, non tamen separari queunt, dum Gloria Gratiam certò sequitur, & hæc illam necessario antecedit. (Quod Adversarii sæpius nominati in hac doctrina perperam negant; ob α *Gratiam* communiorem Vocationis Externæ, Illuminationis, Fidei Temporalis, Honestatis Civilis, &c. ex Dei longanimi bonitate reprobis quoque concessam, quæ tamen omnis à Gratia Salutari multum differt; & β *Universales de Gratia locutiones* antea adductas, quas perperam huc torquent. Imo dum præmisso fundamento geminæ *Electionis ad Gloriam* & *ad Gratiam*, multas inter utramque fingunt differentias, Electio est ad Gloriam & Gratiam pariter; qui Termini distinguendi quidem, non tamen divellendi sunt.

tias, has omnes facilè evertimus, negata isthac Divisione, cum Scriptura non nisi unam Electionem ad Terminum Utrumque, Finem scilicet & Media, agnoscat.

Ex quo Nexu Gratiæ & Gloriæ fluit Certitudo Electionis, tum Objectiva, tum Subjectiva.

XXVII. Fluit hinc *Certitudo* Electionis; tum *Objectiva*, quæ est ipsa ejus *Immutabilitas*, antea asserta; tum *Subjectiva*, per quam non quidem à priori, sed *ex consequentibus* amoris divini fructibus, his ipsis scilicet Gratiæ beneficiis & donis ἀμεταμελήτοις, verè *Fideles de Electione sua*, infallibili *Divina fide*, non morali conjectura tantum, æque quam de Salute & Vocatione, *Certi esse possunt*, *sunt sæpe*, *& esse debent*, illuc jugiter contendendo. Quod confirmatur ulterius; α monitione Petri 2 *Pet.* I. 10. ubi officium, *confirmandi suam Electionem*, æternam nempe juxta Vocationem, commendat instar Motivi, & cum Promisso addito; β generalibus effatis *Rom.* VIII. 16. *Eph.* I. 4. 5. I *Thess.* V. 9. *&c.* ubi neutiquam ad solos Apostolos, aut ad Extraordinariam Revelationem, respicitur; atque tum *Consolatione* & Fiducia Electorum, quæ absque hac Certitudine nulla est, tum *Glorificatione Dei* necessaria, quæ iterum Benevolentiæ Divinæ cognitionem supponit, à Paulo generaliter inculcatam, I *Cor.* II. 12.

Opponitur Papistarum & Remonstrantium sententia. Quorum Objectiones præcipuæ refelluntur.

XXVIII. Damnant tamen, ut *Præsumptionem Damnabilem*, hanc Certitudinem *Papistæ Tridentini*, & Dubitationem ut utilem laudant *Remonstrantes*, ex *Pelagianis* utrique de Libero Arbitrio, Gratia Universali, & Sanctorum Apostasia, hypothesibus; ad quos per Perseverantiam & Certitudinem ad Conditiones quasdam, utique vel certas vel non certas, adstrictam, nimis propè accedunt *Lutherani*, hinc *timidius* idem nobiscum docere dicti *Bellarmino*. Horum *Objectiones* præcipuæ petuntur. I. Ab *Exemplis Dubitantium* de Gratia Dei erga se. Sed α Dubitatione hac aliquandò Certitudinem pelli non negamus, Satana per Legis minas, immissa à Deo mala, & commissa peccata, id urgente, Deoque ob rationes varias sapienter permittente; β ad eam pessime torquentur loca multa *Job.* IX. 20. 21. *Psal.* XIX. 13.[1] I *Cor.* IV. 4. *&c.* ubi modo vel Peccati vel Bonæ Conscientiæ est professio; γ eamque ut Imperfectionem proponit Spiritus, non ad imitationem, sed ad consolationem & cautelam. 2. Ab *Exemplis Decipientium se.* Cum α Deceptio oriatur ex Cognitionis veræ Gratiæ & Sui ipsius Defectu, & minori attentione; β hinc aliorum Certitudinem post justum scrutinium non tollat, uti somnium veritatem rei à vigilan-

lante visæ non tollit. 3. Ex Locis, quibus Consilium Dei *Impervestigabile* dicitur, hominesque *nescire an amore vel odio digni sint*, dum *omnia in futurum servantur incerta Rom.* XI 33. 34. 1 *Cor.* II. 11. *Eccl.* IX. 1. 2. [2] Sed α Consiliorum *Imperscrutabilitas* à Paulo asserta respicit ad summam eorum sapientiam, causas occultas sæpe, & cognitionem à priori ante Divinam revelationem verbo vel opere factam, qualem agnoscit ibidem Paulus, qualisque revera hic sit in Scriptura & corde hominis; β multum abit citata *Versio Vulgata* ab Hebræo textu Salomonis, in quo legitur גם אהבה גם שנאה אין יודע האדם הכל לפניהם / *etiam amorem, etiam odium non novit homo*, per *omnia quæ coram ipsis*; γ Incertitudo Amoris ibi asseritur itaque tantum ex Bonis aut Malis Externis; præter quam, δ Incertitudinem quoque temporariam, & dè aliis præter nos fidelibus, lubenter concedimus. 4. Ab *Absurdis*; tollendi *Metus*, quem tamen commendat Scriptura *Prov.* XXVIII. 14. *Rom.* XI. 20. 1 *Cor.* X. 12. *&c.* atque adducendæ *Superbiæ* ac *Securitatis* Carnalis. Sed α *Metum Servilem* tollit tantum hæc Certitudo, quem & Deus damnat, Filialem verò reverentiam & curam Deo placendi potius parit ac auget; β neque hinc *Superbia* aut *Securitas* possunt justè deduci, cum Gratia non nisi humili Salutis Cura probari possit ac agnosci, sed tantum *Gloriatio* ac *Tranquillitas Spiritualis*, ubique probata. Hypotheses de *Gratia Universali* ac *Apostasia* hic mittimus.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XVI. P. I.

XXIX. *Reprobatio*, à *reprobando* dicta, notat Rejectionem animique Aversionem; & leguntur in Scriptura huic respondentes voces ἀδοκίμου, & ἀποδοκιμάζειν, posterior maximè de Christo, ex & cum odio à Judæis rejecto, *Matt.* XXI. 42. *Luc.* XVII. 25 1 *Petr.* II. 4. 7. *&c.* Hoc nostro sensu vix quidem in Scriptura, sed tamen apud Patres, nominatim in causa *Godeschalciana*, reperitur. Convenit cum Hebræo מאס / & זנח / quæ tamen dè corporali *Rejectione* vulgò etiam usurpantur. In Scriptura dicitur alias *Odium Rom.* IX. 13 *Positio ad Iram* 1 *Thess.* V. 9. & *ad Infidelitatem* 1. *Petr.* II. 8. *Præscriptio ad hoc Judicium Jud. vers.* 4. *Præparatio ad Interitum Rom.* IX. 22. *&c.* phrasibus *Positivis*, alias *Negative*, *Non Inscriptio in Libro vitæ Apoc.* XIII. 8. XVII. 8. [3] *&c.* Hinc & apud Theologos veteres, quandoque *Prædestinatio ad Mortem*, *ad Pœnam*, *ad Justitiam*, *ad Damnationem*, *Rejectio*, *Prædamnatio &c.* quandoque *Præteritio* &c audit. Sumitur porro; α

Altera Prædestinationis species est Reprobatio; cujus Origo, Synonyma, & Homonymia traduntur.

vel pro *Actu Humano* *Jes.* VII. 14. 15. [4] *Marc.* VIII. 31. *Hebr.* XII. 17. [5] β vel pro *Actu Dei*, tum excludentis in tempore, sive à *Munere* aliquo *Jer.* XXXIII. 24. 26. *Hos.* IV. 6. [6] sive à *Gratia* sua *Jes.* XLI. 9. *Jer.* VI. 30. tum decernentis illud ad æterno, Actum sc. tum Negativum, non miserendi, relinquendi, *&c.* tum Positivum, tradendi in mortem.

[3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [5] *Exerc. Text.* IV. P. IV. [6] *Comm. in Loc.*

Reprobationis Definitio.

XXX. Definitur itaque hic Reprobatio; *Justissima Prædestinatio plurimorum & nobiliorum maximè hominum, ex lapsuro genere humano, ad Mortem per Peccatum promeritam, per Incredulitatem & Impœnitentiam Finalem certò infligendam, suamque sic justitiam & potentiam in iis declarandam.*

Fluit ex mero Dei beneplacito.

XXXI. *Fons* Reprobationis non alius quam *Dei Placitum* est; omni hinc Causa Externa, ob Dei independentiam, causarumque damnationis ex decreto Dei consequentiam, longe arcendâ, tam in Actu *Positivo*, & *Absoluto*, quam *Negativo*, & *Relato*, aliter quamquam in re idem statuentes loquantur quidam ex Nostris quoque. Quo refer loca *Matt.* XX. 15. *Rom.* IX. 11. 18. 20. 21. 22. *&c.* Non est autem hoc Dei Placitum *Gratiosum*, quamquam gratiam adhuc multam homini ad convictionem destinet, sed *Justum*, dum Justitiæ potentissimæ demonstrationem æquissimam sibi hic proponit Dominus omnium ἀνυπεύθυνος in creatura peccatrice.

Versatur circa Certos Determinatos Homines.

XXXII. Versatur circa *Certos Quosdam ac Determinatos Homines*, quod contra *Universalis Electionis* patronos quoscunque satis patuit; patetque amplius, α ex Exemplis Hesavi, Pharaonis, Judæ, *Rom.* IX. 11. 13. 17. *Act.* I. 25. [1] β clarissimis Locis, quibus aliqui *non esse Inscripti*, *non esse ex Ovibus Christi*, *non illuminati ex consilio Patris*, sed *præscripti ad Judicium*, *positique ad Incredulitatem*, &c. dicuntur, *Apoc.* XIII. 8. [2] *Joh.* X. 26. *Jud. vers.* 4. 1 *Petr.* II. 8. *&c.* Quibus γ adde Rationes; ex *Electione* præteritionem aliorum inferente; ex quorundam *Damnatione*, quæ fieri nequit præter Dei consilium; ex *Induratione* fluente ex ejus voluntate; denique & ex *Mortis Temporalis*, quæ longe minor est, certâ prædefinitione. Nec opus ferè ut hic addamus Objectiones; α ex *Reproborum* & *Incredulorum* synonymia, cum esse hos in eventu eosdem concedamus; β ex *Gratia* Dei *Universali*, quam dari verè Salutarem, neutiquam admittimus; γ ex *Absurdis* læsæ Divinæ *Justitiæ* per προσωποληψίαν, *Misericordiæ* per crudelitatem,

San-

Sanctitatis per peccati productionem, hominisque futuri inexcusabilis coactionem, *Veritatis* tandem per Vocationem Simulatam: quæ facilè amolimur, considerata Intellectus nostri in mysterio sublimi Cæcitate, Dei liberrimo Dominio, Creaturæque omnis propter Peccatum, lubenter & contra Dei Legem commissum, justa Damnatione.

[1] *Exerc. Text.* L. P. IV. [2] *Comm. in Loc.*

XXXIII. Necessarium quoque consequens est ex pauciorum & viliorum Electione, reprobatos esse *Plurimos*, & *Nobiliores*; docente id etiam Eventu in Impietate & Damnatione horum. Quod non ex Defectu, aut Bonitatis, aut Potentiæ, Dei fluit, sed ex *Libera ejus Voluntate*, sic suum contra Peccatum Odium, & Bonitatem in Paucis certò salvandis, & Potentiam in potentissimis perdendis, sapienter demonstraturi. Nec est dubitandum, quin ad hos Reprobos justissime etiam referantur; tum *Gentes* ab Euangelii præconio alienæ; tum *Infantes Infidelium*, dum dè Fidelium illis *bene speramus*, propter Dei promissionem *Gen.* XVII. 7. &c. cæteroquin in se non minus damnabilibus, & forte quibusdam etiam damnandis. Quamquam enim de Individuis *Personis Gentilium* & *Infantium* ex Infidelibus natorum, ob Dei libertatem & arcanas sæpe Spiritus vias, nihil magnopere determinare possimus aut velimus; sunt tamen α hi omnes *natura filii iræ*, impuri, à Deo alieni & remoti, absque spe, sibi relicti, *coll. Eph.* II. 3. I *Cor.* VII. 14. *Eph.* II. 12. 17. *Act.* XIV. 16. &c. β de illorum Salute Decreta aut operanda nihil Deus revelavit, γ & Mediis Gratiæ Ordinariis destituuntur. Ut rejici omnino debeat, non modo à *Pelagianis* somniata eorum *Salus*, ex hypothesi negati Peccati Originalis, sed & *Remonstrantium* Pœna Damni solius sine sensu, eaque ob *Incredulitatem* inflicta, nitens *Redemptionis Universalis* commento, propter quod Reprobationem quoque prò *Decreto* merè *Euangelico* hi habent.

Plurimi sunt Reprobati & Nobilissimi. Inter quos etiam Gentiles & Infantes Infidelium.

XXXIV. Terminus, ad quem hi prædestinantur, est *Mors Æterna*, seu *Ira*, *Judicium*, *Dedecus*, *Exitium*, *Damnatio*, &c. Unde hunc *Finem* seu *Terminum*, tum *Reprobationis*, tum *Creationis* in tempore reprobatorum, commode dici liquet. Quamvis id invidiosè traducant Adversarii, & invidiam amolituri rectè id negent Nostri, si respiciamus; α *Finem Ultimum*, qui est Divinæ gloriæ & justitiæ demonstratio, quæ ejus exsecutionem in homine

Destinantur Reprobi ad Exitium Æternum.

mine utique infert, *coll. Prov.* XVI. 4. β & *Creationem Primam* Adami, in se ac præcise à reliquis operibus, γ tum etiam *Revelatam* Dei *Voluntatem* ac Complacentiam ejus. Non destinat autem Deus Mortem Homini aliter, quam ut per commune *Adami Peccatum* promeritam; secundum α loca *Rom.* IX. 11. 21. *Eph.* II. 3. *Joh.* III. 18. *&c.* & β damnabilem omnium parem statum, quem Universali Redemptione sub Conditione Fidei abstulisse Christum somniant extra Scripturas; & γ Prædicationem Euangelii restrictam ad Adultos quosdam tantum, unde alii non aliter quam *negativè Increduli* dici possunt. Damus interim; α *Incredulitatem Positivam* adversus prædicatum Euangelium Damnationem multum aggravare, & *Negativam* esse necessarium Mortis Antecedens; β atque *judicaturum Deum secundum Euangelium Rom.* II. 16. ut eventus scilicet hujus doctrinæ respondeat, norma interim præcipua Judicii Lege futurâ *vers.* 12. 13. imò ut Promissio & Comminatio Euangelii in Judicio etiam sit confirmanda. Respectu verò Termini Mortis Deus nobis proponitur, tum negativè ut *relinquens*, *non noscens*, *non dans Christo*, *non inscribens*, *non eligens Matt.* XXIV. 40. VII. 23. *Joh.* XVII. 9. XIII. 18. *&c.* tum positivè ut *iræ* ac *damnationi* addicens, & *odio habens*, I *Thess.* V. 9. *Rom* IX. 13. *&c.*

Simul etiam ad Incredulitatem & Impœnitentiam. Unde fluit suo tempore Excæcatio & Induratio, cujus natura exponitur.

XXXV. Simul prædestinantur hi ad *Incredulitatem*, & *Impœnitentiam Finalem*; cujus utriusque sapiens Permissio Consequens Medium est exsequendæ Reprobationis. Etenim α hæc repetuntur palam ex Reprobatione, *Matt.* XI. 25. 26. *Joh.* X. 26. *Rom.* IX. 17. 18. I *Petr.* II. 8. *Apoc.* XIII. 8. [1] *&c.* β & cum naturaliter forent in omnibus, Causa quibusdam non datæ aut destinatæ salutis esse nequeunt. Quamquam verò Culpa hic omnis sit apud Hominem, tribuitur tamen Deo, iterum *Actus Negativus*, *non illuminandi*, *non miserendi*, *relinquendi*, &c. qui in quibusdam ad Defectum internæ Illuminationis, in aliis externæ etiam Prædicationis, tam sub N. quam V. T. in omnibus verò ad Destitutionem veræ *Gratiæ Salutaris*, quam cum Gloria junctam esse antea docuimus, tum *Subjectivæ* & Internæ, tum *Objectivæ* & Externæ, se extendit. Imo & *Actus Positivus*, *Excæcationis*, ac *Indurationis*; per quam *non infundit* quidem malum, aut otiose *speculatur*, aut nudè per providentiam *tolerat*, aut *manifestat* specialiter, sed α duritiei insitæ *tradit*, β gratiam indigne

digne usurpatam *aufert*, γ occasiones peccati certas, in se tamen bonas, *objicit*, δ ac Satanæ *fræna laxat*. Utut vero congenita quædam omnibus sit *Durities Ezech.* XXXVI. 26. & specialia nonnulla ad oculum demonstratæ *Indurationis* exempla legantur, quale est in *Pharaone*, & inchoata quædam ac partialis Induratio reperiatur in Electis & *Fidelibus* quandoque ipsis *Jes.* LXIII. 17. propriè tamen *Induratio* ex Scripturæ phrasi cum *Reprobatione* convertitur, ac ad Reprobos solos & omnes extenditur.

[1] *Comm. in Loc.*

XXXVI. Fluit hinc simul *Certitudo* Reprobationis *Objectiva*, & *Incertitudo* ejus *Subjectiva*; cum α varia sint Vocationis Momenta *Matt.* XX. 1. 3. 5. 6. *Luc.* XXIII. 42. 43. &c. β & maximè duri Divina potentia adhuc converti possint *Jes.* XI. 6. [2] 1 *Tim.* I. 15. 16. &c. Ut nulla ex doctrina nostra oriri possit *Desperatio*, nisi in iis qui Peccati in Spiritum S. rei sunt, justissimè utique hac pœna hic etiam torquendi, dum alias nullum indicium certum est Reprobationis ante mortem: sed tantum oriatur hinc sancta *Solicitudo*, ad judicium Dei in reprobos vitandum, ac salutem firmandam.

Est Reprobatio Objective Certa, Subjective Incerta.

[2] *Exerc. Text.* XVI. P. VI.

XXXVII. Quantopere dogma expositum Prædestinationis ab Adversariis traducitur, tantoperè à nobis *Commendari* debet. 1. Ut *Sublime*, ac naturali homini non tantum inaccessum, sed & fidelibus ipsis admirandum, *Rom.* XI. 33. 34. Unde cautè tractari debet; α ex Scriptura sola, β secundum ejus phrases, utilissimas hic ad vitandam læsionem Divinarum perfectionum & offensionem debilium, γ coram perfectioribus, & sic quam maximè in Scholis, δ absque speciali nimis applicatione ad hos vel illos homines. 2. Ut *Necessarium*, si non expresse scitu, certe ubi ita cognoscitur creditu; dum hoc Fundamentum primum Gratiæ & Salutis omnis rejici aut convelli nequit absque doctrinæ Christianæ & salutis ipsius dispendio, docente id in Hæreticis experientia. Unde liquet, omnino id esse docendum in Ecclesia; α ut in Scriptura ex professo sæpius, utique ad nostram instructionem, traditum; β semper hinc inculcatum, & copiosius post *Pelagianorum* impugnationem, hodiè quoque magnam; γ & usus amplissimos præstans fidelibus. 3. Hinc etiam ut *Utile*; tanquam dans nobis, α *Conspectum* verum Divinæ libertatis, potentiæ,

Prædestinationis dogma Sublime est. Attamen Necessarium. Et Utile.

bonitatis, justitiæ, sapientiæ, immutabilitatis &c. nostræque dependentiæ, pravitatis, & præstantiæ per Dei gratiam, &c. β *Usumque Practicum* solidæ consolationis, gaudii, πληροφορίας, ab una, metusque sancti & constantis studii pietatis, ab altera parte, secundum ea quæ antea dicta & vindicata sunt.

CAPUT OCTAVUM.

De Divina Creatione Mundi.

Operum Externorum primum est Creatio.

DEcreta æterna exsequi Deus incipit in CREATIONE, quæ Opus Primum est Externum, Transiens, & Temporale, diciturque cum Providentia *Opus Naturæ*, opposite ad *Opera Gratiæ*, ac Redemptionis; licet omnia Opera Naturæ quoque ex communiori Gratia Dei proveniant, & ad Gratiam electis conferendam tendant.

Creationis Origo & Synonyma varia.

II. Dicitur *Creatio* à *creando*; quam vocem subtilibus conjecturis derivant, vel à κρέω, *impero*, vel à χεὶρ *manus*, vel à κερῶ, quod est τελειῶ apud *Hesychium*, vel à κρέας *carne*, vel à ברא / aut potius קרא / Hebræorum, quod *vocationem* notat. *Usus* ejus in Scriptura & apud profanos obvius est. Hebræi verba plura habent, magis impropria, קנה / ילד / חולל / *Gen.* XIV. 19. *Cap.* II. 4. *Deut.* XXXII. 6. 18. [1] *Ps.* XC. 2. & propria ברא / עשה / יצר / quibus respondent apud Græcos, κτίζειν, ποιεῖν, πλάττειν; apud Latinos, *creare*, *facere*, *formare*. Distinguuntur hæc tria quidem, sic potissimum, ut *facere* sit generale, *formare* respiciat elegantiam externam, & *creare* potentissimam novi operis productionem notet; præter alias distinctiones, qualis videri etiam potest *Jes.* XLIII. 7. Sed permutantur tamen in præsenti materia verba illa *Psal.* XXXIII. 6. CXXI. 2. *Jer.* X. 11. *Jes.* XLV. 18. *Zach.* XII. 1. [2] *&c.* Unde concidit cavillatio *Socinianorum*, qui *Joh.* I. 3. in distinctione harum vocum erroris sui patrocinium quærunt, Christo gloriam veræ *Creationis* ablaturi, & nescio cujus inefficacis *Innovationis* per Euangelium humanam tantum laudem illi relicturi; cum constet ex contextu, α agi de primo rerum *Initio*, & β *Omnibus* planè quæ *facta* sunt, γ *Mundo*

do etiam qui ipsum *non agnovit*, *nec accepit*, δ & secutam longe post hanc productionem esse *Verbi* æterni *Incarnationem*. Lusus porrò *Cabbalisticos* in voce ברא / qualis ille dè Tribus Deitatis Personis per Tres Literas Initiales nominum significatis, mittimus.

[1] *Comm. in Pentat.* [2] *Comm. in Loc.*

III. Extenditur *Creationis* nomen quandoque active ad *Homines*, & notat tum, vel simpliciter *facere*, vel *agere cum cura*, vel *constituere per suffragia*, vel *generare* & *procreare*; videturque ex hoc usu vocis ברא / fluxisse tum Chaldæum בר / notans *Filium*, tum Latinum *parere*, & Belgicum **baaren**. *Deo* verò tributa *Creatio*, dicit modò, α potentissimam ejus *Providentiam*, etiam in *Generatione* solita hominum *Jes*. XLV. 7. *Psal*. CIV. 30. CII. 19. *Ezech*. XXI. 30. *&c*. modo *specialem* ejus in *Operibus Insolitis* demonstrationem, *Num*. XVI. 30. [3] *&c*. *Jes*. IV. 5. [4] *Jer*. XXXI. 22. [5] γ modo Renovationem, tum Mundi totius, inchoatam in N. T. gratia, & consummandam in gloria, *Jes*. LXV. 17. tum Electorum singulorum in Regeneratione *Psal*. LI. 12. *Eph*. II. 10. 2 *Cor*. V. 17. δ modo, ut hic, primam Mundi Fabricationem, & prout inchoata est respectu molis ex Nihilo productæ strictius, & prout continuata est in Materiæ Informis aptissima Digestione, intra primum hexaëmeron. Ut hic vanissima sit Recentiorum quorundam crisis, qui *Creationem* vi vocis non notare *Productionem ex Nihilo*, sed *Productionem rei per Imperium*, contendunt; cum α latius quandoque vocem extendi, quam ad Productionem ex Nihilo, nemo ignoret, dum dè vocis maximè proprio & strictissimo usu hic tantum agitur, & *Nihilum* etiam, vel absolutè tale vel secundum quid, vel mediatè vel immediatè, hic spectatur; β atque iterum *Productio per Imperium*, vel *latius* accipiatur, quando hæc definitio omnibus Providentiæ operibus æquè applicari potest quam Creationi, vel *strictius*, quando præexistens materia quoque in ea tollitur omnis. Si interim communem magis notionem volueris Creationis, dic *Potentissimam* per eam significari *rei Novæ Productionem*.

Creationis Homonymia multiplex.

[3] *Exerc. Text*. XIII. P. V. [4] *Exerc. Text*. XII. P. VI. [5] *Exerc. Text*. XXI. P. II.

IV. Creationis hujus *Veritatem* non tantum supponit ubique *Scriptura*, & docet Moses, sed & agnoverunt communiter *Gentiles*;

Creationis Veritas etiam con-

tiles;

stare potest ex Natura.

tiles; α tum ex *Creaturarum* omnium *Dependentia & Contingentia*, β tum ex *singularum Ortu & Mutatione* perpetua, γ tum ex Scientiarum, Artium. & Historiarum, omnium *Novitate*. Nec obstat. 1. Vel *Philosophorum* quorundam, Mundum Ingenitum & Æternum statuentium, *Dissensus*; α quorum scilicet aut sententia vera controversa adhuc est, β aut qui cætatis suæ naturalis in media sapientia documentum sic dederunt. 2. Vel *Rerum* jugis *Permanentia*; quæ cum non sit Independens, Continuatam tantum Creationem infert. 3. Vel *Pauli* testimonium, qui *fide nos intelligere* scripsit Mundi productionem *Hebr.* XI. 3. Cum α idem simul credi & sciri possit, β dè modo omni potius quam dè re ipsa ibi agatur, γ ac alibi *Rom.* I. 20. *ex Operibus* naturaliter *Invisibilia Dei perspici* docens ille, Creationis cognitionem Naturalem ponat.

Creationis Definitio.

V. Definitur; *Actio Dei Externa, quâ solo voluntatis jussu Mundum universum in principio temporis sex dierum spatio ex Nihilo condidit, ad gloriæ suæ in eo demonstrandæ laudem, ac electorum salutem.*

Est illa omnino Dei Opus.

VI. Sic ante omnia *Deo* opus hoc tribuimus ut *Autori*; ipso præeunte *Jes.* XL. 26. 28. XLII. 5. XLV. 8. *Job.* XXXVIII. 4. juxta Sanctos omnes *Neh.* IX. 6. *Psal.* XCVI. 5. CXLVI. 6. CXLVIII. 5. *Act.* XVII. 24. *Apoc.* IV. 11. [1] *&c.* Et suffragatur *Ratio*; α tum *à Priori*, ex infinita Potentia & Sufficientia, quæ hic requiritur, β tum *à Posteriori*, ex operis ipsius sapientissimè ordinati Perfectione *Jes.* XL. 12. 13. 14. 28. Opponimusque hic Deum; α non tantum *Falsis Diis* quibuscunque, vere existentibus pariter & confictis, *Psal.* CXV. 5. 6. 7. *Jer.* X. 11. 12. 1 *Cor.* VIII. 4. 6. [2] quibus annumerandus omninò *Marcionitarum* ac asseclarum omnium Deus malus; β sed etiam *Fortuito Atomorum Concursui*, quem *Democriti* cæca schola ursit; γ ac nescio cui *Naturæ* rerum, per quam aut nominis lusu *Deus* ipse, dictus *Natura Naturans*, intelligitur, aut *Principium Operationum*, secundum certam legem instituendarum, à Deo per creationem demum inditum, aut ipsa *Essentia Rerum* innuitur, quæ sui Prima Causa esse nequit, nisi simul omnes res independentes statuantur.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

Et quidem Solius, exclusis etiam

VII. Imò Deo *Soli* opus hoc vindicari debet, ob rationes modo datas, & loca manifesta *Job.* IX. 8. *Jes.* XLIV. 24. *&c.* Ut exclu-

excludi hinc debeat omnis Causa Cooperans, Medii etiam aut Instrumenti instar; quod nullum plane locum in *Productione ex Nihilo* habere potest, dum nullum est subjectum in quod operetur, & transitus à non esse ad esse momentaneus est; nec etiam proprie locum habet in *Productione ex Materia Inhabili*, quia infinita hic potentia opus est, ac nulla talis in creatura reperitur, omni hinc aptitudine insita carente. Id verò tenendum est simul; α contra *Arianos* ac *Dulianos*, qui *Filium Dei* ut *Instrumentum* Patris considerarunt; β & *Simonianorum*, *Gnosticorum*, aliorumque impurissimorum *Hæreticorum* colluviem, qui *Judæos* secuti, & *Philosophos* quosdam, omnes per *Angelos* aut *Æonas* sic Mundum conditum urserunt, ut Dei ipsius tantum non sint obliti; γ accedentibus quandoque in Locorum nonnullorum Exegesi *Anti-Trinitariis* nostri ævi, ut Trinitatis & Deitatis Filii argumenta enervent. Instrumentis veris.

VIII. Quin & firmiter tenemus, cum nihil Contradictorium suisque Perfectionibus adversum Deus agere possit, *Incommunicabilem* plane esse Creandi Potentiam, tum *Principalem* ac *Independentem*, tum *Instrumentalem* & *Dependentem*. Contrarium volentibus multis *Scholasticis* in gratiam Transubstantiationis, similiter *Socinianis* & *Remonstrantibus* in præjudicium ex Creatione firmatæ Deitatis Christi. Quibus non favet. 1. *Dei Omnipotentia*; utpote ad Non Entia, Deoque indigna, haud extendenda. 2. *Miraculorum* exemplum; quorum sc. Instrumenta quidem, sed Moralia tantum, Creaturæ dicuntur, nihil ad opus conferentes præter præsentiam & declarationem ejus. Nescimus autem, quo pacto Instrumentalis Potentia Creandi Incommunicabilis, vel potius actu non communicata, dici possit, si *merâ Voluntate* operantur *Angeli*; qui omnia utique opera Dei volunt & approbant, ac in Creatione terræ jubilo suo id testati sunt *Job.* XXXVIII. 7. & certissimè Dei voluntate possunt velle, ut existat res nova per Dei virtutem operantem, ac cum illorum voluntate opus illud nectentem. Imo Potentiam Creandi, Principalem vel Instrumentalem, Deus cum nulla Creatura communicare potest.

IX. Est autem Creatio, utpote Actio ad Extra & ex Attributis Essentialibus fluens, *Trinitati* communis, juxta loca *Psal.* XXXIII. 6. *Gen.* I. 26. [1] & reliqua *Cap.* V. §. XXI. XXVI. adducta. Ubi præpositio *Per* Causam notat principalem, sicut alibi sæpe *Rom.* XI. 36. 1 *Cor.* I. 9. &c. juxta rei subjectæ naturam, Competit Creatio Tribus Deitatis Personis.

quæ Instrumentum non admittit: adhibetur verò emphaticè, ad notandum Personarum in Operatione Ordinem. Contra quam volunt *Ariani*, à *Socino* defensi, non obstante diversissima hujus hypothesi. Interim œconomice Opus hoc Externum Primum potissimum tribuitur, etiam in *Apostolico Symbolo*, Primæ Personæ Patris 1 *Cor.* VIII. 6. *Matt.* XI. 25. *&c.*

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II.

Non est à parte Dei Generatio &c. sed Jussus Voluntatis ejus.

X. Considerata porrò Creatio *Activè* dicit; α non *Generationem* naturalem, quæ est Filio propria *Psal.* II. 7. licet metaphoricè ob productionem expressamque in iis Dei virtutem res *genitæ* dicantur *Psal.* XC. 2. nosque *Dei genus Act.* XVII. 28. β non *Perfectionum* Dei quandam *Transfusionem*, quam *Philosophi* varii, *Manichæi*, & *Fanatici* statuunt, abusi phrasi illa, quâ *omnia ex Deo* esse feruntur *Rom.* XI. 30. non materialiter sed efficienter, sicut alibi *Job.* XVIII. 3. *Act.* V. 39. 2 *Cor.* III. 5. *&c.* γ non operosum ac fatigantem *Laborem*, contra *Jes.* XL. 28. δ sed *potentissimum Voluntatis Jussum*, tendentem ad actualem rerum existentiam. Quem exprimit Scriptura; α quandoque nomine *Voluntatis Apoc.* IV. 11.[1] ϐ quandoque autem apellatione *Verbi*, *Jussus*, *Vocationis*, *Gen.* I. 3. *Psal.* XXXIII. 9. *Jes.* XL. 26. *Rom.* IV. 17. *Hebr.* XI. 3. *&c.* Licet anthropopathicè & metaphoricè nonnunquam Deus hic instar studiosi Artificis introducatur, ad operis elegantiam notandam *Job.* XXXVIII. 4. 5. *Gen.* II. 7. 22.

[1] *Comm. in Loc.*

Unde per Creationem Deus non est Mutatus.

XI. Liquere hinc potest, quomodò Creatio à Decreto differat, & simul *Nullam Mutationem* in Deum inferat, quasi hic ab Otio ad Laborem & à Potentia ad Actum transiisset. Est enim hic, fuitque, & erit semper, in Deo Eadem Voluntas, per quam Existentiam rerum vult in temporis Initio à se statuto, quæ quando actu opus producit, Creatio dicitur; Creaturâ tum novam perfectionem, non vero Deo, accipiente, utut nova Relatio accedat externa. Unde quæ dè Dei Æterna Occupatione moventur à curiosis quæstiones spontè concidunt.

Est Actio Dei plane Libera; sic ut etiam potuerit Mundum non creare.

XII. Simul hinc inferimus, Creationem esse Actionem planè *Liberam*, etiam Libertate Contradictionis. Quod nisi concedatur, necessum erit, *res Omnes Creatas* statuere *Necessarias* simul, æternas, & independentes, adeoque aut à Deo non distinctas aut Deos plures. Quo pacto à *Philosophis* quibusdam hodiernis merum

rum introduci *Atheismum*, Deo in Mundum denuo, uti olim à multis factum est, converso, nemo mediocriter sapiens non videt. Splendidus tamem, scilicet! est prætextus; Deum esse *summè bonum*, hinc maximè *sui communicativum*, qui dum omnia fecit, & talia qualia sunt, *perfectissime* operatus est, nec aliter potuit. Quasi α Communicatio Æterna inter Personas ad veritatem Canonis, qui propriè ad Creaturas spectat, & rerum aliarum Existentiam per Divinam voluntatem supponit, non sufficeret; β atque ex Natura Dei etiam Peccatum ipsum necessario consequeretur. Interim Necessitatem Creationis cum respectu ad immutabile Decretum Dei lubentes concedimus.

XIII. Dum verò Creationem magis *passive* contemplamur, dicit *Rerum Productionem Aptam*, ex isthoc Voluntatis Jussu fluentem. Quæ adeò dum ex *non esse* transeunt, sequitur, omnino *Primæ Creationis Nullam* esse prorsus *Materiam* præexistentem. Quod docet α Moses ipse, *principium* hexaëmeri statuens absolute primum omnis successivæ durationis *Gen.* I. I [z] alibi quoque hinc obviâ Æternitatis descriptione illa, qua dicitur illa ante res factas *Psal.* xc. 2. *Prov.* VIII. 24. 25. *Eph.* I. 4. *&c.* β docetque passim Scriptura, potissimum *Hebr.* XI. 3. *&* *Rom.* IV. 17. quæ loca duo se mutuo explicant, ut μὴ τὰ φαινόμενα absolutissimè debeant intelligi de τοῖς μὴ ὖσι. Ac γ confirmat idem *Ratio*, quæ docet, omnipotenti Deo nullam Materiam esse necessariam, nec posse esse Coæternam, nisi sit Independens alterum Ens. Tenendum verò hoc; α contra *Philosophos* tantum non omnes Veteres, ex quorum lacunis *Materiam Æternam* & *Increatam* hauserunt *Hermogeniani*, *Seleuciani*, *Hermiani*, *Audiani*, *Aquei*, aliique veteres Hæretici, temerè Axioma Physicum, *ex nihilo nihil fieri*, à Generatione Naturali ad Creationem transferentes, in qua tamen etiam Materiam Coëxistentem agnoscimus; β & contra *Socinianos*, qui Materiam Principio Mosaïco priorem ex *Gen.* I. 2. stultè colligunt, ubi non aliquod principio prius momentum, sed duratio principium primum mox consecutum respicitur.

Per Jussum Dei res in creatione Productæ sunt ex Nihilo primum omnes.

[z] *Exerc. Text.* I. *Part.* V.

XIV. De *Creatione Secunda* corporum post principium illud facta, nescio cur dubitent Viri quidam Doctissimi, illam ex *Materia*, non quidem absolutè *Informi*, sed tamen *Confusa* ac *Inelegants* repetere, quæ ob suam inhabilitatem *Nihilum secundum Quid*

Dein ex Materia Inhabili, primo creata, fuerunt Expositæ.

dici solet. Etenim α clarissimè innuit Moses, Massam Communem primo esse factam *Gen.* 1. 1.[1] nisi dicere placeat nullam Terræ Creatæ ipsum fecisse mentionem, & hanc תהו ובהו / *Informem & Vastam* plane, corporum confusione mox adddita, fuisse docet; γ inde provenerunt, juxta ipsum aperte, Aquæ etiam Superiores, Plantæ, Animalia, Humanumque Corpus; unde δ & ὕλη ἄμορφος apud Judæos non tantum ac Christianos sed & Gentiles celebris est sub nomine Phœniciæ an Græcæ originis *Chaos*, qui illud potius acceperunt aliunde, quam ipsi tradiderunt. Non debet certe hæc sententia traduci, in occasionem calumniæ *Lutheranorum*; ut α *Semi-Hermogeniana*, cum Æternitas Materiæ omnino rejiciatur; β aut ut *Mosi Adversa*, qui *Cœlum & Terram creata* mox dixit, materiæ non tamen formæ omnis respectu; γ aut ut *Rectæ Rationi Repugnans*, cum Perfectæ fuerint res omnes demum Creatione absoluta, non inchoatâ, ac Dei Potentiam primo momento perficiendi singula ex nihilo non negemus, sed Voluntatem ex eventu patefactam, quæ quidem hic sapienter alia fuit, ad operis magnitudinem, rerumque nexum & finem docendum.

[1] *Exerc. Text.* I. P. V.

Res omnes Bonæ factæ fuerunt; qualis tamen Approbatio merito Die Secundo non legitur.

XV. Productio autem dicitur *Aptissima*, tum *Rerum* ipsarum, tum *Ordinis*, tum *Finis* respectu. *Res* enim omnes *Bonæ* factæ, atque hoc nomine à Deo approbatæ sunt. Qualis *Approbatio* cum nulla legatur *Die Secundo*, duplex verò Die Tertio; nec recurrendum est cum Judæis aut Christianis quibusdam Veteribus ad fabulas vel ineptias, de *Inferni Creatione*, *Angelorum Lapsu*, *Numeri Binarii Maledictione &c.* nec cum aliis maximè Recentioribus fingendum πρωθύστερον, ויאמר / *vers.* 9. in plusquam perfecto translato, *& dixerat*; quod α fit præter necessitatem ullam, β totiens ejusdem vocis repetito *hoc Capite* usui est adversum, γ pugnat cum *vers.* 8. ubi Dies Secundus ante rem memoratam *vers.* 9. finitus dicitur, δ nihil denique in Mosaica Dierum Distinctione omni reliqua certi relinquit. Dicendum ergo potius, *Separatione Aquarum à Terra* necdum absolutâ, quod Die Tertio demum contigit, *Opus Inchoatum tanquam Consummatum à Deo non potuisse approbari.* Consistit autem hæc *Bonitas*, in Convenientia cum Dei voluntate, Irreprehensibilitate, atque Sufficientia ad commendandam Universi Pulchritudinem. Estque prorsus inanis quæstio,

ſtio, dè *Poſſibili Majori Perfectione Mundi*; quam, ſi ad hujus complexum integrum, non ad res ſingulas inter ſe comparatas, & ad Dei ſapientiſſimam voluntatem reſpicimus, merito negandam putamus.

XVI. Productionis *Aptitudo* in *Ordine* quoque elucet; dum in Mundo Viſibili, *ab Imperfectioribus* ad Perfectiora, *ab Inanimatis* ad Animata, *ab Irrationalibus* ad Rationalia progreſſus eſt Deus, ac interim *Lucem* ante Sidera, *Plantaſque* ante Solem formans, Independentis *Potentiæ* ſpecimina dedit non minus, quam *Sapientiæ*, & *Bonitatis* ſuæ.

Ordo in rerum ſingularum creatione Optimus eſt ſervatus.

XVII. Tandem & *Aptitudo* Productionis patet in *Fine*, quem ſibi, neutiquam tamen *ex Indigentia*, propoſuit Deus in omni opere ſuo. Eſtque Ultimus *Dei Gloria* *Pſal.* VIII. 2. [2] XIX. 2. [3] *Prov.* XVI. 4. *Rom.* I. 29. XI. 36. *Hebr.* II. 10. *&c.* ſi Creationem in ſe ſpectes, *Sapientiæ* potiſſimum & *Potentiæ* ejus; ſi vero eam quoque referas ad alia Dei Opera ſubſequentia Gratiæ & Redemptionis, quæ in conſilio Dei procul dubio ſunt connectenda, *Miſericordiæ* etiam & *Juſtitiæ*. Omnis hæc Gloria verò cum à *Creatura Rationali* tantum agnoſcatur, imo hujus ſpecialis ac ultima demonſtratio cum fiat ſolum in ea, neſcio qua cum ſpecie negari poſſit, ſub modeſtiæ prætextu vano, omnia reliqua *Propter Hominem*, ut *Finem Cui* & *Subordinatum*, eſſe facta; quod tamen α expreſſe ſatis dicit Paulus 1 *Cor.* III. 21. 22. β aſſeritur ſpeciatim de Singulis, Terra ſcil. *Pſal.* CXV. 16. *Jeſ.* XLV. 12. 18. Luminaribus Cœleſtibus *Gen.* I. 15. Cœlo Aëreo *Hoſ.* II. 20. [4] & Supremo 2 *Cor.* V. 1. [5] Animantibus *Gen.* I. 28. [6] *Pſal.* VIII. 7. [7] atque Angelis ipſis *Hebr.* I. 14. præter quæ quid fere nominari poſſit neſcio; γ & liquet ex *Hominis Excellentia*, ac *Aptitudine ad Dei Gloriam* prædicandam. Nemo tamen ſic ſtulte torqueat communem ſententiam hanc; quaſi α *propter Hominem Solum*, omni alio Fine, ſupremo & ſubordinato, excluſo, reliqua facta eſſent; β aut *propter Homines Singulos* omnia ſimul; γ aut *propter Hominis Uſum Corporalem*, & Bonum Temporale ſolum; quæ prorſus conficta ſunt ſomnia, nec phraſi noſtra ſignificantur. Quibuſque ſepoſitis, infirmæ ſunt Objectiones. 1. Ab Ultimo Fine, *Dei Gloria*; qui Subordinatum alterum non tollit, ſed infert. 2. A multorum *Nullo Uſu* reſpectu Hominum, etiam ob Diſtantiam; cum Uſus ſit multorum, α mediatus, β quibuſdam hominibus peculiaris,

Finis Creationis eſt Dei Gloria. Quia & Homo, Propter Quem omnia reliqua creata eſſe rectè dicuntur.

liaris, γ præteritus vel futurus, δ spiritualis, si non corporalis. Quem omnem simul quis neget præfracte? 3. A multorum *Ignoratione*; quæ α Usum non magis hic, quam in Hærede Infante, tollit, β & respectu variorum Animantium locum æque habet, quam omnium fere rerum minimarum, γ & aliquando forte tolletur. 4. A *Superbiæ* specie; quæ hic nulla est, dum Homo Excellentiam sibi concessam, & à Deo revelatam, cum humilitate agnoscit.

[2] *Exerc. Text.* XVI. P. III. [3] *Exerc. Text.* XX. P. V. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [6] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V. [7] *Exerc. Text.* XVI. P. III.

Sunt & rerum singularum Fines Particulares.

XVIII. Referri huc possunt *Fines* rerum singularum *Particulares*; quos partim ordinationem Dei referens Moses exposuit, partim experientia discimus, partim adhuc ignoramus, sed licitè inquirimus, ad agnoscendam magis Operis Præstantiam, Deique Gloriam. Attamen absit hinc omnis immodesta rei non satis perspectæ asseveratio, & Scripturæ impugnatio.

Creatio facta est in Temporis Principio, neque fieri potuit ab Æterno.

XIX. Productio hæc omnis facta est in *Temporis Initio*, verè concreato, ante quod nihil exstitit præter Deum æternum; ut sint aut falsa, aut improprie intelligenda, quæ de *Septem*, scil. *Lege*, *Gehenna*, *Paradiso*, *Throno Gloriæ*, *Domo Sanctuarii*, *Resipiscentia*, *& Nomine Messiæ*, *ante Mundum Creatis*, tradunt quandoque cum *Judæis* ex parte quidam *Veteres*. Uti autem indubium est, *Deum potuisse Mundum Citius creare*, non æternitatis prius & posterius excludentis, sed subsecutæ durationis respectu, ita *Æternitatem Creationis Possibilem* negamus, contra *Scholasticos* plures, *Aristotelis* Mundi Æternitatem asserere visi errorem sic excusaturos. Non α enim potest Deus Entis Coæterni productione suam Unitatem abnegare; β nec res à non esse ad esse transire absque initio existentiæ; γ nec duratio successiva & dependens statui absque primo termino. Ut hic non quidem Defectus Potentiæ in Deo, sed tamen vera *Repugnantia* sit à parte, tum *Rei*, tum etiam *Dei*; per dissimillimum *Generationis Filii* exemplum neutiquam sublata. Unde Actualis Creationis Æternitas per se concidit.

Ab isthoc Principio ad Christum 4000 circiter Anni tantum lapsi sunt.

XX. Ab isthoc Initio quantum absimus, ob *Dubia* varia *Chronologica*, in historia Ante-Diluviana, Abrahamica, [1] Ægyptiaca, [2] Israelitica tempore Judicum, [3] Regum, Captivitatis, & Reductionis, quin & Christiana, [4] præcisè & certo vix determinari

minari poterit unquam. Interim *ad Natum Christum* circiter 4000. Annos *Mundum* tantum stetisse, contra *Chaldæos*, *Ægyptios*, *Sinenses*, atque *Præ-Adamitarum Patronos*, plura Infinita fere fingentes Secula, constat; α certissimè, ex infallibili Scripturæ Calculo, à Judæis in *Traditione Eliana*, de 6000. *Annis Mundi* duraturi, ante Legem, sub Lege, & sub Messia, quoque agnito; ac β probabiliter, ex Scientiarum & Historiarum novitate. Estque Gentilium computatitio omnis alia orta, vel ex Annorum alia primum Specie & Mensura, vel ex affectata per fraudem majoris Antiquitatis laude. Brevius vero hoc Mundo existentiæ Spatium videtur dedisse Deus, ne ortum ejus plane oblivioni traderent homines, ac independentem rerum Æternitatem somniarent.

[1] *Exerc. Text.* III. P. III. [2] *Exerc. Text.* IV. P. II. [3] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. *Mant.* IV. [4] *Exerc. Text.* XXVI. P. V.

XXI. Constituitur id Temporis Initium à paucis quibusdam in *Solstitio Æstivo*, ob Ramum Olivæ adductum *Gen.* VIII. 11. à pluribus autem Astronomis, hinc *Arietem* inter Signa Cœlestia Zodiaci primum nominantibus, etiam Patribus, in *Æquinoctio Verno*; ob α Annum Judæorum Sacrum tunc Divino jussu inchoatum, β omnium rerum Germinationem quæ tum fit lætam, γ Egressum ex Arca Mense anni Secundo *Gen.* VIII. 14. δ Mundique per Christum passum & suscitatum Restitutionem tunc quoque factam. Facimus tamen potius cum *Judæis* & Chronologis plurimis curatissimis, in eligendo *Æquinoctio Autumnali*, vel Zodiaci Signo *Libræ*: cum α hoc fuerit Principium Anni Civilis, apud *Ægyptios*, *Orientales* alios, & *Hebræos*, tum ante tum post Exitum ex Ægypto, *coll. Exod.* XXIII. 16. XXXIV. 22. *Lev.* XXV. 9. 10. [5] etiam hodieque, unde Mensis תשרי *Tisbri*, per transpositionem ex ראשית / *principio* videtur dictus, ita ut א designet Diem *Primum*; β Fructus tum Maturi sint, & ad perfectionem suam debitam perducti; γ Tempestas sequens Pluviis sit convenientissima, quæ in Diluvio cœperunt Mense Secundo *Gen.* VII. 11. δ denique infirmæ sint rationes objectæ, Anno Sacro in memoriam Exitus ex Ægypto instituto *Exod.* XII. 2. Germinatione prima factâ per Dei singularem potentiam & ad maturitatem ante absolutam creationem promota, per Æstivum calorem prævium ante Exitum ex Arca exsiccatâ Terrâ, Christique Suscitatione præter Scripturam & rationem ad primum Creati Mundi mo-

Initium Temporis non Vernale sed Autumnale fuit.

momentum relatâ, rectius ad Exitus Israëlitici & Paschatis typici tempus referendâ.

[s] *Exerc. Text* XI. P. V.

Noctis tempus Diem præcessit.

XXII. In Diem frustra, deficiente chronologia tam curatâ, inquiritur. Interim *Noctem* præcessisse, non potest dubitari; α ob Mosis autoritatem *Gen.* I. 2. β *Vesperæ*, initii noctium, ordinationem ante *Matutinum* tempus *vers.* 5. 8. 13. *&c.* γ antiquam denique Judæorum & Orientalium, à Nocte νυχθήμερα incipientium, praxin, aliter inchoantibus aliis populis ob rationes varias. Nec est nisi inanissimus lusus, *Tenebras*, utpote dicentes *Privationem Lucis*, hanc prærequirere; cum α hic de Re ipsa, non de Modo eam considerandi, sive Negativo sive Privativo, agatur; β Privatio rei Præsentiam, vel actualem, vel decentem, supponat, exemplo Cæcitatis in cæco nato; γ & Moses expresse *Tenebras* ante Lucem ponat, quas appellatas dicit *Noctem*, imitato eum quoque Paulo 2 *Cor.* IV. 6.

Licet potuerit Deus Momento Res Omnes perficere, Sex Diebus tamen est usus. Qui absque ratione solida a nonnullis in Sex Momenta Mathematica mutantur.

XXIII. Quamquam *Uno Momento* res Omnes in perfectissimo statu creare potuerit Deus, voluit tamen aliquo *Temporis* tractu uti; ut sic magnitudinem operis, rerumque sapientissimum nexum, tantò magis commendaret, ac exemplum laboris continuandi nobis daret. *Sex* verò *Dies*, vel *Hexaëmeron*, Creationis ponit Moses, etiam in Lege Decalogica *Exod.* XX. 11. addito *Septimo Die* tanquam Termino Operis *Gen.* II. 2. in quo numero mysterium etiam *Durationis Mundi* per tot Secula quidam reperiunt. Hi autem Dies uti impiè à *Philosophis* quibusdam, secundum & per Naturales Motus Leges omnia facta statuentibus, in Menses, Annos, vel multò longiora spatia mutantur; ita ineptè à *Judæis* quibusdam & *Patribus* in *Momentum Unum* indivisibile convertuntur, male laudato *Siracidis* κοινῇ *Eccl.* XVIII. I. & narratione Mosaica secundum ipsos præter rem gestam captui nostro accommodata, vel habendâ prò merè Allegorica. Placeret autem nobis sententia media *Scholasticorum*, quæ communior nostris facta fuit Theologis, de *Distinctis* quidem *Diebus*, sed *Operibus* singulorum Dierum *Momento* factis. I. Si ratio ulla justa adderetur. Qualis utique non videtur esse, quæ petitur; α ex *Jussu Dei Gen.* I. 3. *Ps.* XXXIII. 9. *Rom.* IV. 17. cum hic Operibus Providentiæ quoque adscriptus *Job.* XXXVII. 6. XXXVIII. 12. *Ps.* CV. 31. 34. CVII. 25. CXLVII. 15. 16. *&c.* notet tantum, per Dei Voluntatem

tem, & juxta eam, absque magno molimine, & celerrime, res extitisse; β aut ex στιγμῇ χρόνου, & ῥιπῇ ὀφθαλμοῦ, memoratis *Luc.* IV. 5. [1] *Cor.* XV. 52. [2] quæ neque ad rerum Creationem primam pertinent, neque dè Momento Mathematico sunt exponenda; γ aut ex *Dei Potentia*, dè qua non adeo quam de ejus exercitio quæstio est, & quæ non obstante aliqua Successione satis elucet; δ aut ex *Motus Insufficientia* ad producendum effectum, quæ uti concedi debet, ita tamen hunc plane abfuisse non arguit. 2. Nisi ex adverso obstaret; α Simplicitas Mosaicæ narrationis, qui non *Momenta* indivisibilia *Sex*, sed *Dies* totidem Deo laboranti adscribit, post Diem lapsum Opera ejus Absoluta refert, atque Septimo quievisse illum demum addit; β & *Corporum expoliendorum* ratio, quæ absque partium *Motu*, necessariò *Successionem* inferente, non magis in productione Animalium, &c. quam in Separatione Aquarum & Aridæ, &c. concipi potest. Unde magnoperè dubito, an non multum præstet dicere, *Creationem Immediatam*, Spirituum & Corporeæ molis, utpote ex Nihilo factam, inter quod & existentiam medium momentum concipi non potest, *esse Momento factam*; sed in *Expolitione Molis* hujus, per Creationem Specialem subsecutam, *Successionem*, non Dei sed rei respectu, obtinuisse; imo non Singulis Operibus, sed Omnibus Singulorum Dierum Diem destinasse Deum, brevissimum utique spatium & vere physicum Momentum, si Operum Magnitudinem & Multitudinem contemplemur.

[1] *Exerc. Text.* XXVIII. P. III. [2] *Exerc. Text.* XXXVII. P. II.

XXIV. *Primo Die* refert Moses, qui in *Corporalium* Creatione describenda ferè totus est, cujusque narrationem per *Hypotheses Philosophicas* meras convellere non decet, factum esse. 1. *Cœlum & Terram.* Quæ cum creata dicuntur *Gen.* I. I. [1] non putamus *Summam* postea *dicendorum* proponi, uti multi volunt; sed notari tum *Globum* Inferiorem omnem, cujus exornationem per Expansum & Astra ipsa Moses mox subjicit, tum *Cœlum* Empyreum, Tertium, Cœlorum, Supremum, Crystallinum. Quod *Increatum*, *Illocale*, & *Incorporeum* esse, in gratiam Consubstantionis fingunt quidem *Ubiquitarii*; sed quod ut verum *Locum Corporeum*, reliquis omnibus *Superiorum* & omni modo præstantiorem, ac *Corporibus* Piorum etiam *recipiendis* destinatum esse, docet Scriptura *Jes.* LXVI. 2. *Ps.* CXIII. 5. 6. *Joh.* XIV. 2. 3.

Primi Diei Opera sunt Terræ globus informis, Cœlum Supremum, & Lux.

2 *Cor.* V. I. *Col.* III. I. I *Theſſ.* IV. 17. *Hebr.* XI. 10. 14. *&c.* Nec ſibi obloquitur eadem, cum. α *Angelos* miniſtrantes *in Cœlo* conſtituit *Matt.* XVIII. 10. Quod utique non de eodem Miniſterii his in terris Momento, & actuali Præſentia, ſed dè Loco Ordinario manſionis, & Deſtinatione ad Miniſterium eſt exponendum. β Cœlum illud ἀχειροποίητον, ὀ ταύτης τῆς κτίσεως, *non manu factum*, *non hujus ſtructuræ*, dicit, 2 *Cor.* V. I. *Hebr.* IX. II. 24. Quod de fabricatione humana, & Tabernaculi inferioris factione intelligi debet. γ *Cœlos* creatos *Conſlagraturos* docet *Hebr.* I. 10. 2 *Petr.* III. 12. Quod ad Cœlum Supremum non extenditur neceſſariò, & interitum ſubſtantialem neutiquam infert. Ut alia circa Aſcenſionem Chriſti moveri ſolita heic mittam. An verò illud Cœlum Supremum primum communi Maſſæ fuerit involutum, ac prima primi νυχθημέρυ parte inde eductum, an verò mox ſeparatim & in pulchritudine ſua omni creatum, tacente Moſe ignoramus. 2. *Lucem.* Quæ hic; α non notat *Angelos*, quibus lux tribuitur *Job.* IV. 18. 2 *Cor.* XI. 14. ob eorum ſcientiam ſcilicet, ſanctitatem, gloriam, & gaudium, hinc & *Stellarum* nomine venientibus *Job.* XXXVIII. 7. nuſquam enim id ipſis tribuitur Nomen, & hic de Luce Tenebris oppoſita, Diem conſtituente, ac νυχθήμερα menſurante, agitur; β non etiam *Lumen Matutinum* ante Solis ortum, ab hoc indubie profectum; γ vel *Accidens* aliquod abſque Subjecto, ut poſt *Baſilium* vellent ob Tranſubſtantiationis monſtrum *Pontificii*; δ ſed verum *Lumen*, à corporibus lucidis, per hemiſphærium diſperſis & motis, licet necdum in ſole & aſtris collectis, diffuſum; cujus rei modum omnem amplius non cognoſcimus.

Exerc. Text. I. P. V.

Secundo Die factum eſt Expanſum Stelliferum & Aëreum. Quod Aquas Superiores, quæ ſunt Nubes, ab Inferioribus ſegregavit.

XXV. *Die Secundo* fecit Deus *Expanſum*, pro quo Græci ϛερέωμα, & hinc Latini *Firmamentum* dicunt. Eſtque Viſibile illud & Pellucidum Spatium, quod Terram inter & Cœlum Supremum undique protenditur, & nomine *Cœli Aërei* & *Stelliferi* venit, *Gen.* I. 8. *Pſal.* CIV. 2. *Jeſ.* XL. 22. XLII. 5. In eo verò uti poſtea Luminaria conſtituta ſunt *Gen.* I. 14. ita ejus mox uſus fuit in diſtinguendis *Aquis Inferioribus*, Terræ immixtis, & *Superioribus.* Quæ nec *Angelos* Bonos, uti *Origenes* voluit, nec *Cœlum Cryſtallinum*, ut alii, nec *Aquas* aliquas *Stellis Altiores*, ſecundum varios *Veteres*, *Scholaſticos*, & *Lutheranos*, hos quidem ad ex-

excludendum Cœlum Tertium Locale, ſed *Nubes*, notant. Cum α ſupra Stellas nec Scriptura nec ratio ullas Aquas eſſe doceat; β Nubes non tantum ex Aqua ſint, ſed & *Aquæ* vocentur, *Gen.* VII. II.[2] 2 *Sam.* XXII. 12. *Job.* XXVI. 8. *Pſal.* CIV. 3. *Prov.* XXX. 4. *Jer.* X. 13. & ſint tum ab Aquis Inferioribus diviſæ, tum verè Superiores; γ non conſtituantur Aquæ Superiores על / ſed מעל לרקיע / quaſi *Deſuper in Expanſo*, vel non ſupra Expanſum totum, ſed tantum partem ejus, uti in parte ejus tantum quoque ſunt Aſtra; quomodo etiam intelligendum quod exſtat *Pſal.* CXLVIII. 3. ubi vel ה Præfixum viſibilem indigitationem notat, vel emphaſi caret, & diſtinctior Aquarum harum fit recenſio *verſ.* 8. δ Aquarum tandem extractio non ſit facta ordinaria Solis, ſed extraordinaria Dei ipſius virtute.

[2] *Exerc. Text.* II. P. II.

XXVI. *Diei Tertii* opus eſt. I. *Segregatio Aquarum Inferiorum à Terra*; non α ut unum tantum eſſet continuum *Mare*, aquæ verò nullæ aut ſubterraneæ, aut intra terræ ſinum, ſic enim obſtaret *Fluvii* progreſſus ex Hedene *Gen.* II. 10.[3] & Terræ magna Fertilitas, & nomen plurale ימים *Marium*, quamquam indubie per terræ motus, inundationes, excavatas foſſas, novoſque fontes, Aquæ poſtea in Terram magis derivatæ ſint; β ſed ut *Terra* conſpici potuerit, & ad germinationem nimia mole incumbente liberata apta facta ſit. *Salſedo*, utique ex Experimentis naturalibus & artificialibus non eſſentialis aquis, abſuiſſe potuit primum; attamen &, quod veriſimilius, in Mari adfuiſſe per Dei ordinationem. De opere hoc quod gratis & perperam ad Diem Secundum refertur, uti ſupra monuimus, legitur *Job* XXXVIII. 4. 8. 11. *Pſ.* CIV. 5.... 9.[4] (niſi ad Diluvium illatum & ablatum hic textus potius ſpectet,) *Jer.* V. 22. Atque hinc explicatur *Fundatio Terræ ſuper Aquas*, inferiores ſc. *Pſ.* XXIV. 2.[5] 2 *Petr.* III. 5. Quin & Immobiliter cum fundata ſit Terra ſuper Baſes ſuas *Pſal.* XCIII. I. CIV. 5. CXIX. 90. *&c.* ac Soli cum Aſtris Motus tribuatur *Pſ.* XIX. 6. 7.[6] *Joſ.* X. 12. 13.[7] 2 *Reg.* XX. 10.[8] *&c.* non poteſt non cenſeri Scripturæ conformius, *Motu Diurno & Annuo Solem* ferri circa Terram, quam ex hypotheſi *Copernicana*, hodiè tantopere inculcatâ, Terram ferri circa Solem. A cujus phraſi continua, unice propterea ad Apparentiam & Errorem vulgi referendâ, hic ob probabiles tantum conjecturas, & hypotheſes quaſdam

Opus Tertii Diei eſt Segregatio Aquæ Inferioris ab Arida. Et Terræ Exornatio, per Herbas & Arbores.

dam assumptas Philosophicas, absque necessaria Demonstratione, recedendum esse non putem. 2. Terræ denudatæ Exornatio per *Graminum*, *Herbarum*, *Arborumque*, ortum, in maximo indubie decore. Pertinere huc, uti partem ad totum *Paradisi Plantationem*, plus quam probabile est; licet explicitè occasione Hominis creati, & in eum introducti, demum memoretur *Gen.* II. 8.[9] De *Venenatis* & *Tribulis* immeritò movetur dubium; cum illis pro sapientia salubriter uti potuerit homo, & hi suis locis nec copiose nimis tum prodierint.[10] In Speciebus vero primis producta sunt, quæ humana industria deinde miscuit. Refer huc porro Internam Terræ Exornationem per ea quæ in sinu ejus latent, & Externum omne reliquum Decus.

[3] *Hist Parad. Lib.* I. *Cap.* IX. [4] *Exerc. Text.* II. P. II. [5] *Exerc. Text.* XVIII. P. IV. [6] *Exerc. Text.* XX. P. V. [7] *Exerc. Text.* XI. P. IV. [8] *Exerc. Text.* XV. P. IV. [9] *Hist Parad. Lib.* I. *Cap.* XX. [10] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* XII.

Quarti Diei opera, Luminaria Magna & Parva. Quæ non sunt Animata. Quorumque Usus varius est. Non tamen ad Prædictionem Futurorum. Quæ nec ex Cometis videtur petenda.

XXVII. *Die Quarto* creata sunt *Cœlestia Luminaria*; quæ verè talia ob lumen nobiscum communicatum, sive id proprium sive aliunde acceptum sit, quod hac voce non determinatur. Dicuntur *Duo* præ reliquis, *Stellis* scilicet, *Magna*, non habita ratione *Apparentis Disci*, tum enim *Luna* sic ferè æqualis Soli *Parva* mox dici non posset, sed *Luminis* vere nobis concessi. His annumerari non debent *Cometæ*; qui, undecunque oriantur, tunc solum in materia producti sunt, quorumque cursus hactenus incertus est. Qui autem Astra *Animata* dicunt & intelligentiâ prædita, cum *Judæis*, *Origenianisque*, vel *Intelligentias Motrices* cum *Aristotelicis* iis præficiunt; α ratione nulla nituntur vel Scriptura, dum pessimè huc torquetur textus *Job.* XXXVIII. 7. ubi *Angeli* notantur nomine emblematico, *Stellis* tum necdum conditis, atque alter locus *Psal.* XIX 2.[1] ubi prædicatio Objectiva innuitur, & Præstantia denique Cœlorum, quæ ad genus Inanimatorum est restringenda; imo β Scripturæ adversantur, quæ inter Corporalia Imaginem Dei Homini soli vindicat. *Usus* Luminarium additur apud Mosem *Triplex*; α discriminatio *Diei & Noctis Jer.* XXXI. 35. β significatio *Statutorum Temporum* dierum & annorum, naturalis scilicet in Republica & Ecclesia, licet supernaturalis ex revelatione Dei quandoque accesserit; γ *Lucis*, adeoque & *Caloris*, in hac terra operatio. Exulare vero debet omnis *Prædictio*

Even-

Eventuum Futurorum plane *Contingentium & Liberorum* in mundo, ſive Regna, ſive certas ſpectent Perſonas, quæ ex Aſtrorum etiam remotiſſimorum Situ petitur à *Priſcillianiſtis*, ac *Planetariis*, *Genethliacis*, ſeu *Aſtrologis*, tum veteribus, tum recentioribus. Eſt enim illa contraria; α Interdictis perpetuis, explicitis & implicitis, *Lev*.XIX.31.XX.27.*Jeſ*.XLIV.25.XLVII.12. 13. *Jer*.X. 2. *Act*.XIX. 9. *&c.* β Divinæ Gloriæ *Jeſ*. XLI. 22. *Dan*. II. 28. *Prov*. XXVII. 1. *Eccl*. VIII. 7. γ ac rationi manifeſtæ, à Libertatis & Contingentiæ natura, à Siderum remoto Situ, à communi Influxu, ab incerto Natali momento, à longiori Cœlorum Periodo &c. Nec ſtabilitur eadem; α *Scripturæ Locis*, quibus vel de prædicatione Divinæ Gloriæ agitur *Pſal*. XIX. 2. [1] vel de Futuris Tempeſtatibus ex proxima Aëris Inferioris conſtitutione noſcendis diſſeritur *Luc*. XII. 54. 55. vel Signa Extraordinaria Divinorum operum, quæ ex revelatione pateſcunt, in aëre vel cœlo ſuperiori ponuntur *Matt*. II. 2. [2] XXIV. 29. 30. &c. β aut *Rationibus*, ab *Influxu*, generali utique & corporeo tantum, & Lunæ ac propinquioribus Sideribus maximè competente, à ſapienti *Stellarum Ordine*, cujus quidem finis certus, non tamen hic propterea aut nobis cognitus eſt, ab hujus ſtudii Antiquitate, ubi *Aſtronomia*, in pretio habita, ab *Aſtrologia* Legibus Romanis non minus quam Eccleſiaſticis damnata, diſtingui debet; γ denique nec *Experientia*, dum Exempla dubia, ſeculorum plurium ratione pauca, in quibus ſcientia rei ex Satanæ declaratione vel aliunde etiam haberi potuit, aliis longè pluribus adverſis evertuntur. *Prædictiones* ex *Cometis*, licet horum alia ſit ratio, *Particulares* eodem ferè loco habemus. An verò quid *Mali* generatim abſque definitione ſpeciei, loci, temporis &c. ſemper, abſolute vel conditionatè, aut plurimum, notent; dubium nobis hactenus ob juſtæ demonſtrationis defectum eſſe fatemur, nec id affirmaſſe multum uſus præſtat ad pietatem veram. Et ſunt utique leves rationes, quibus *Philoſophi* eos vel *Cauſas* vel *Signa Malorum* eſſe pugnant, ſemper recurrentes ad hiſtoriam, quæ eſt ſæpe dubia, ſæpe contorta, ſæpe prætermiſſa.

[1] *Exerc. Text.* XX. P. V. [2] *Exerc. Text.* XXVI. P. V.

Quinti Diei opera Aves & Piſces.

XXVIII. *Quinto Die* creavit Deus in Aquis & ex eis *Piſces* *Gen*. I. 20. interque hos ob excellentiam nominatos תנינם / ſeu *Cetos*, ſeu *Dracones*, ſeu *Crocodilos*, diſtinctos vel eoſdem cum *Levia-*

Leviathane, vel hos omnes generali nomine notatos. In Aëre verò, & non ex Aqua, quod ex interpretatione τῶν LXX. & *Vulgati Gen.* I. 20. crediderunt multi cum *Veteribus*, sed *ex Terra Gen.* II. 19. fecit Deus *Aves*, substantiâ solidiori id quoque monstrante. Quænam verò harum sint species, & an inter eas etiam sit tum *Pelecanus*, tum *Phœnix* Hebræis חול / unicus semper, vitam ad A. 500. vel 1000. vel ultra extendens, ac ex cineribus prolem suscitans, *Physicis* inquirendum relinquimus. Interim inter Fabulosa aut Hieroglyphica plura de *Phœnice* videtur esse absoluta *Singularitas*; dum alias esse avem ejus nominis rariorem, & ex semine cineribus indito demum nascentem, non absolutè repugnat, faciente huc quoque loco, non *Psal.* XCII. 13. ubi dè *Palma* agitur, sed *Job.* XXIX. 18.[3] ubi *Exspirationis in Nido & Multiplicationis Dierum* juncta mentio ad *Phœnicem* potius quam ad *Arenam* ducit. Sunt autem Aves & Pisces simul creati, ob magnam in pinnarum ac pennarum, natatusque ac volatus formâ, uti Aquæ & Aëris elemento, convenientiam. Præterea utrique mox magno numero producti, Benedictione singulari insuper additâ.

[3] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

Sexti Diei opera Homines & Animantia terrestria. Quibus non accensendi Homines in Luna.

XXIX. *Dies* tandem *Sextus* ortum dedit, tum *Homini*, dè quo posthac seorsim agemus *Cap.* XIII. tum *Brutis Animantibus*, quibus *Vitam* veri nominis verè tribuit Moses, ipsis à Philosophis recentioribus contra rationem & experientiam ablatam, quæque triplicia statuit speciebus distincta, licet postea hæ multis modis mixtæ sint in primis in specie sua propria; *Jumenta* sc. mansueta & domestica, בהמה / *Feras*, חיה / quæ in agris degentes, hominis tamen dominium agnoscere tum etiam magis quam nunc debuerunt, & in ὀνομαθεσίᾳ agnoverunt ad Adamum adductæ, & *Reptilia* כל רמש / quæ pedibus aut nullis aut brevioribus utuntur, Serpente post lapsum in pectus magis tamen dejecto. Uti autem de *Tragelaphi*, *Myrmocoleontis*, *Salamandræ*, *Monocerotis*, *Centauri*, *Faunorum*, *Lamiarum*, *Sirenum*, aliorumque prodigiosorum Animantium existentia, *Insectorum* item *Creatione* prima, vel in materia vel in specie sua, & *Propagatione*, per semen vel absque eo per putredinem, vel utroque etiam modo, quæstiones *Philosophis* mittimus discutiendas; ita de *Carnivoris* mox productis non est dubitandum, sive tum Herbis fuerunt nutrita, sive Carnium

nium ipſis uſus, à primo ſtatu non magis quam graminum conſumptio abhorrens, fuerit conceſſus, non obſtante lege cibaria *Gen.* I. 29. 30. [1] utpote quæ non dè omni alimento agit, ſed Gramina & Herbas juxta frequentiſſimum uſum inter Homines & Bruta tantum diſtinguit. Duplex verò hic vitari debet Paradoxon; unum *Baſilii*, dè conceſſo *Animantibus Loquelæ* uſu, α per rationem prærequiſitam facilè confutatum, & ex hiſtoria Tentationis, [2] ac Bileami, [3] vel etiam Babelicæ Turris *Gen.* XI. I. [4] gratis hauſtum; alterum *Recentiorum*, de *Animantibus*, & juxta quoſdam etiam *Hominibus*, *in Luna*, aliiſque *Planetis*. Quæ quidem non aſſertio, ſed *Veriſimilis* Conjectura, uti Moſi *Gen.* I. 24. VI. 13. & Scripturæ toti *Pſal.* CXV. 16. *Jeſ.* XLV. 18. *Act.* XVII. 26. *&c.* & rationibus Scripturariis, ex peculiari Dei circa homines Providentia deſumptis, plane adverſatur; ita inepte α aut ex Dei Potentia ſola, β aut ex Lunæ & Planetarum aliorum Opacitate, γ aut ex Obſervationibus per Tubos dubiis & generalibus, ſtatuminatur. Fabulas Judaicas de rebus præterea *Decem*, variè recenſitis, & conjunctim *Sedecim* potius, *Ore Terræ*, *Putei*, *Aſini &c. Creatis in Veſpera Sabbathi inter Crepuſculum*, meritò tranſmittimus.

[1] *Exerc. Miſc. Diſp.* VII. [2] *Hiſt. Parad. Lib.* III. *Cap.* V. [3] *Comm. in Pentat.* [4] *Exerc. Text.* I. P. VI.

XXX. Ad iſta omnia ſecuta eſt *Die Septimo* Dei *Quies*, vocibus שבת / נוח / נפש / ſignificata *Gen.* II. 2. *Exod.* XX. II. [5] XXXI. 17. *&c.* Quæ θεοπρεπῶς eſt intelligenda, nec adeò notat vel *Fatigationem* aliquam *Jeſ.* XL. 28. vel *Otium* novum, Deo adhuc jugiter per Providentiam, quin & Animarum Creationem, operante *Job.* V. 17. ſed *Perfectionem* creatæ molis, ut ea per novas ſpecies non ſit amplius adaucta, & Dei in ea *Acquieſcentiam*. Quo pertinet, quod opus *Die Septimo Perfectum* dicitur, in ejus adventu ſc. cum Sextus finem ſumeret; niſi in *pluſquam perfecto* verba interpretari malueris. Id certè præſtat; quam ut α vel Diem Septimum cum LXX. & *Samaritanis*, in Sextum mutemus, β vel novi Operis Redemptionis, voce *Faciendi* expreſſæ, conſummationem & ſecutam poſt hoc quietem apud Moſen plane fingamus. [6] Interim Heptaëmeri hujus memoriam in *Perfectione* per numerum *Septenarium* vulgò notata non tantum voluit exiſtere Deus, [7] ſed maxime perpetuam eſſe, dum Diem mox Septimum

Septimo Die quievit Deus, cumque mox ſanctificavit.

Bene-

Benedictione speciali reliquis præposuit, eundemque ad Cultum sui Publicum *Sanctificavit*. In quibus; α non potest admitti *Prolepsis*, utpote cujus nullum est indicium, & quæ in Quiete præmissa, vero Sanctificationis factæ fundamento, locum non reperit; β non etiam *Benedictio* & *Sanctificatio*, contra vim vocum & allegationem *Exod.* xx. 11.[5] extenuari; γ non tandem Dies Septimus omnibus sequentibus æquari, cum Deus Septimum, oppositum aliis Sex Operariis, solum designaverit.

[5] *Exerc. Text.* VI. P. IV. *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* VIII. [6] *Ibidem.* [7] *Præf. in Apoc.*

Opera omnia Simul Mundi nomine veniunt.

XXXI. Opus verò totum à Deo productum, & maxime *Universum* Corporeum, sub nomine *Mundi*, vel Κόσμυ, venit; utroque, ut vulgatissime statuunt, ab *Ornatu* dicto. Hebræi autem partes principales, *Cœlum & Terram*, quandoque plures, *Maria* sc. & quæ his *Continentur*, nominant, vel *Seculum*, aut *Secula*, imitantibus quoque eos Novi T. Scriptoribus: alia enim nomina חבל / חלד / חרד / *&c.* ad Terram, seu *Mundum Inferiorem*, magis pertinent. Nec displicet Definitio, quâ dicitur; *Ordinata Corporum Omnium Compages, ab uno principio pendentium, & in unum finem tendentium.* Aliæ enim *Mundi* significationes, per quas Terram, Homines, ac certa horum genera, Pios potissimum vel Impios, notat, huc non quadrant.

Est hic Mundus Primus & Ultimus.

XXXII. Esse hunc *Primum* Mundum, ut non exstiterit ante Creationem à Mose narratam similis Alter, ex iis claret, quæ de *Principio* hoc,[1] ut absolutè Primo omnis Successivæ Durationis, dicta sunt. Et est somnium *Judaicum*, de Circulo 7000. Annorum, quo Novus priori Mundus succedat; sicuti nugax argumentum ex Initiali Litera *Genesios* ב / petitum, ut astruatur, hunc Mundum ordine esse *Secundum*. Dum *Petrus*, τὸ ἀρχαῖον, καὶ τότε κόσμον memorans 2 *Petr.* II. 5. III. 6. metonymicè ad Mundo comprehensa Animantia & maximè Homines respexit, atque statum hujus priorem. Similiter hunc *Ultimum* fore dicimus, respectu Molis, licet ea ratione Qualitatum innovanda, & sic magnopere mutanda sit; qua de re suo loco dicemus *Cap.* XXXIV.

[1] *Exerc. Text.* I. P. V.

Unus tantum Mundus est, non Plures.

XXXIII. Mundum *Unum* tantum præterea agnoscimus, ex partium variarum *Aggregatione* coalescentem; dum Plures nec Ratio nec Revelatio docet, quin observatâ Mundi Definitione, quan-

quantacunque existat modò Corporum etiam à se invicem longissimè dissitorum moles, illa huc debeat referri, nisi alicujus Corporis Dependentiam à Deo & tensionem ad Gloriam ejus voluerimus negare. Rejici itaque debet Scholæ *Epicureæ* placitum, de *Pluribus Mundis & Intermundiis*, sive *Universitates* rerum, sive *Orbes Terrestres* intellexerint; quos posteriores etiam necessario negandos esse, unam Terram Habitabilem memorante Scriptura, satis docuimus §. XXIX. Et est verius immodestæ incredulitatis ac φιλαυτίας argumentum, negare Terram Mundi Angulum Præcipuum, Hominemque opus Præstantissimum esse, quod docet palam Spiritus, quam hæc cum debita humilitate ad Divinæ gratiæ laudem fateri.

XXXIV. Non est dubium, quin Mundus hic sit *Finitus*, seu habeat *verè Terminos*, non tantum *Perfectionis*, sed & *Extensionis*, licet nos determinare nequeamus Certam ejus *Magnitudinem*, nec hinc quidquam de ejus *Centro Forma & Figura* sciamus nisi per conjecturas. *Fines* enim ejus α docet *Scriptura*, sicut alibi fortè, ita clarissimè 1 *Reg*. VIII. 27. *Jes*. XLVIII. 13. *&c.* neque enim absque insanâ incredulitate Corpora Cœlo Supremo Altiora fingere licet; β & *Ratio*, à Partium singularum numero & extensione finitarum Natura, quæ quod ipsæ non habent, toti dare nequeunt, ex Corporis necessaria Quantitate & Dimensione, ex gloria Immensitatis æquè quam Infinitæ Perfectionis Deo relinquenda, ex facili hinc transitu ad Mundi Æternitatem asserendam; unde jam auditæ ex quibusdam voces, *difficulter refelli posse qui Possibilem Mundi Æternitatem asserunt*. Nec obstant 1 Loca *Jer*. XXXI. 37. *Jes*. XL. 12. *&c.* quæ *Fines* certos *Cœlo* non magis, quam conjunctis illic *Aquis & Terræ*, auferunt; sed *Impotentiam Hominis* in certâ eorum *Distantiâ* assignanda, quæ hoc ipso supponitur, tantum monstrant. 2. Ratiocinationes ex *Imaginatione Humana*, semper latius extensa, & *Spatii* omnis cum *Corpore Identitate ac Realitate* vera. Sic enim α ab *Imaginatione* ad *Perceptionem* gratis fit transitus, dum Fines Mundi per ratiocinationes superiores distinctissimè percipio, quod sint scilicet; β mentis nostræ imbecillitas, Nihili volentis Positivum aliquem conceptum & imaginem, positivæ à Deo inditæ Ideæ temerè plane adscribitur; γ Imaginatio nostra rerum mensura pessime statuitur; δ denique Æternus nec ipsa potentia divina Annihilabilis Mundus statuminatur

Isque omnino Extensione Finitus.

natur

natur per necessariam consequentiam. Effugia; α de Mundo non *Infinito* sed *Indefinito*, licet alias hanc vocem bene intellectam haud ægre admittamus; β vel de re ipsa nobis *Incognita*, hinc non determinanda, mittimus; utpote quæ ex verbis quandoque apertis, semper ex argumentis adductis, propriisque principiis, refutantur.

Unde possent fieri à Deo Plures Mundi.

XXXV. Consequens hinc est, *posse Deum* per Absolutam Potentiam *facere Plures*, non absolutas rerum *Universitates*, quis enim Possibilibus omnibus inclusis tam palpabiliter sibi contradiceret? sed *Mundos*, seu compages tales cœli terræque, qualis una modo exstat. Cujus rei demonstratio facillima est, ex *Mundi* cer- *Finibus*, *Deique Potentia Infinita*, nec per opus primi Hexaëmeri exhausta. Quam α vero objiciunt per verè puerilem in voce *Universi* lusum, Contradictio nulla hic est, terminis leviter perspectis, uti modò prænotavimus. Et quod β ex *Distantia Plurium Mundorum*, nec neganda, nec admittenda, sive aliquid sive nihil interponatur, absque Mundi utriusque coalitione, additur alterum argumentum Physicum; nullum item est, si consideretur, ut mittam alia, hic non de Locali Conjunctione, sed tantum Verâ Distinctione & Augmento præsentis molis disputari. Quod licet quandoque diffiteantur, verè tamen impugnare hos Philosophos, ex negatis Mundi Finibus, omni Spatio Imaginario in verum Corpus mutato, negato augendi Mundi conceptu, & Contradictione hic continuo inculcata, quæ alibi tamen rei Possibilitatem juxta ipsos tollere non debet dici, satis claret.

Mundo non est Una communis Anima tribuenda.

XXXVI. Verbo addimus, non esse, cum *Philosophis* quibusdam Veteribus & Recentioribus, Mundo tribuendam *Animam* communem, & quidem *Intelligentem*, quæ singula perfecerit primum, ac adhuc foveat & dirigat. Cum α omnibus per virtutem & *Providentiam Dei* productis, nulla sit Animæ hujus statuendæ necessitas; β repugnetque *Partium* Mundi in *Animatas & Inanimatas* discriminatio; γ Mundi item *Unitas per Aggregationem*; δ ne *Defectum Organorum* Vitalium, *Contiguitatem* partium, *Angelorum* Præcellentiam, & plura alia ab aliis inculcata, addam. Quæ verò objiciuntur 1. Loca *Gen.* 1. 2. *Job.* XXVII. 3. XXXIV. 13. 14. *Psal.* CIV. 29. 30. *Ezech.* XXXVII. 5. 14 *&c.* vel α spectant ad *Spiritum S.* ut Creatorem omnium, vel β *spiritum* rebus *Animatis* quibusdam à Deo inditum notant, vel γ *Dei Virtutem* sum-

ſummopere neceſſariam eſſe in Conſervatione docent. 2. Rationes, à totius Mundi Elegantia, omnium Sapienti Nexu, Ordinatione, Deique Majeſtate & Quiete, injuriæ ſunt in Dei Providentiam æque quam Incomprehenſibilem Sapientiam, quaſi ad Effecta iſthæc non ſufficerent. Et quæ additur ab aliis Præſtantia major, ſi mundus *Animal* ſit *Magnum*, illa à nobis, propter Dei voluntatem aliam, & majorem nunc partium varietatem, omnino negatur. Gentilium quorundam *Philoſophorum* & *Poëtarum* ſententia vera controverſa adhuc eſt; ut de horum conſenſu non liceat gloriari, qui nec cauſam iſtam multum apud Chriſtianos juvaret.

CAPUT NONUM.

De Angelis, Bonis & Malis.

POſt Viſibilem Mundum *Inviſibilem* contemplaturi, ANGELOS memoramus. Nomen hoc Græcum eſt, quod una cum verbo ἀγγέλλω, *nuncio*, quidam ab ἄγω, *fero*, vel ab ἀνὰ & κέλλω *appello*, vel ab ἀνὰ & κέλω *jubeo*, alii ab *Angaris* Perſicorum Regum Nunciis derivant. Conſtat, hoc in Scripturis paſſim legi; & *Officium* prius quam Naturam ſignificare. Apud Hebræos reſpondet potiſſimum מלאך/ quod alii ab Hebræo הלך/ *ire*, alii à Radice *Æthiopica* deducunt, quæ notet *mittere*. Innumera alia in Scripturis ſunt nomina, *Spirituum*, *Filiorum Dei*, *Deorum*, *Vigilum*, *Exercituum*, *Potentum*, *Stellarum Matutinarum*, *Thronorum*, *Virtutum*, *Poteſtatum &c.* Quæ vel Communia ſunt, vel forte quibuſdam etiam magis Propria; & vel ad Naturam vel ad Dona vel ad Functiones reſpiciunt. Adde alia extra Scripturam, νοὸς, νοερᾶς φύσιος, δαίμονος, &c.

Tranſitus ad Angelos, quorum Etymologia & Synonyma memorantur.

II. Diverſo ſenſu *Angelorum* nomen legitur in Scriptura. 1. Notat enim magnum *Patris Legatum*, Filium Dei, *Gen.* XLVIII. 16. [1] *Act.* VII. 30. 38. *&c.* Qui diſtinctionis ergò tum porrò audit, *Angelus Divinæ Faciei*, tanquam hanc perfectiſſime intuens, & exprimens, *Jeſ.* LXIII. 9. *Angelus Fœderis*, cum hujus ſit Nuncius, Sponſor, & Argumentum omne, *Mal.* III. 1. [2] *Angelus*

Nomen Angeli competit etiam Filio Dei, & ſignificata alia habet.

gelus in cujus medio Nomen Jehovæ est, sive gloriosa ejus majestas omnis verè adest & elucet, *Exod.* XXIII. 21. *Angelus Interpres Primus ex Mille*, vel *Unus præ Mille*, *Job.* XXXIII. 23.[3] *Archangelus* 1 *Tess.* IV. 16. *Jud.* 9.[4] quo Nomine Singulari ob significationem & contextum, *coll. Zach.* III. 2. & prædicata huic dicto *Michaeli* alibi tributa *Dan.* X. 13. 21. *Apoc.* XII. 7. solum Christum constanter venire, vix dubitamus; etiam apud LXX. μεγάλης βȣλῆς ἄγγελος *Jes.* IX. 6. & apud Theologos vulgo *Angelus Increatus*. Idem verò Nomen tribui *Spiritui Sancto*, qui respectu Donorum & Efficacis Operationis mitti quoque dicitur, male probant, qui id urgent; vel ex *Gen.* XIX. 1.[5] ubi de Angelis Creatis mentio est, vel ex *Apoc.* VIII. 3.[6] ubi Christi sub Altaris emblemate repræsentatio nequaquam obstat, quo minus idem simul sit Angelus Sacerdos & Paracletus Unus verus apud Patrem. 2. Usurpatur dè *Nunciis* quibusvis Hominibus *Gen.* XXXII. 3. *Luc.* VII. 24. IX. 52. *Jac.* II. 25. iisque potissimum, qui à Deo mittuntur, Doctoribus salutis, *Hagg.* I. 13.[7] *Mal.* II. 7.[7] III. 1.[7] *Apoc.* I. 20.[7] *&c.* 3. Vulgatissime tandem dè *Spiritibus* Ministris, vel *Bonis* solum *Act.* VII. 53. 1 *Cor.* XI. 10. 1 *Petr.* I. 12. vel *Malis* etiam 1 *Cor.* IV. 9. VI. 3.[8] *&c.* Unde promiscua appellatio, & Divisio familiaris Angelorum in Bonos & Malos, atque varia Epitheta ubique obvia.

[1] *Comm. in Loc* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. *Mant.* III. [4] *Exerc. Text.* XXIV. P. VI. [5] *Exerc. Text.* II. P. VI. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Comm. in Loca.* [8] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. *Mant.* X.

Angelos Dari Unde constet.

III. Angelorum horum *Existentia Apodicticè* ex *Scriptura* constat, ubique eam supponente, & satis *Probabiliter* ex *Natura*; tum *à Priori*, ex Universi Perfectione, tum *à Posteriori*, ex *Oraculis*, *Spectris*, ac *Energumenorum* Operationibus variis, quæ in dubium omnia velle vocare, propter fraudis vel erroris exempla plurima, humanitati omni adversa est insania, quæque ad Spiritus, ac primum Malos, nos citius, quam ad Deum ipsum ducunt. Unde apud Gentiles tam multa dè *Geniis* & *Intelligentiis* tradi videas, temerè quandoque a Christianis assumpta; quamquam Majorum Traditio, & Judæorum disseminata quandoque doctrina, in his ad rationem facilè accesserint. *Tsadducæi* tamen cum *Enthusiastis* quibusdam, & *Atheis* nostri temporis, in Angelorum

gelorum negata Existentia jam olim præluxisse deprehendantur irrefragabiliter, ex *Act.* XXIII. 8. ob clara in adversum & plurima Divinæ Legis Testimonia creditur, id intelligendum esse de Angelis singulorum Custodibus, vel de iis perpetuò Manentibus etiam post Apparitiones, vel de eorum vera Subsistentia, opposite tum ad Operationes Corporeas, tum ad Imaginationem hominum; quod maxime vero simile est.

IV. Definiuntur hi; *Creaturæ Spirituales Completæ, ad Dei Ministerium specialiter destinatæ.* Atque sic supponitur ante omnia, eos esse *Creatos*, sive transeunte Dei operatione productos, adeoque neutiquam *Deo Coæternos*, uti *Philosophi* quidam Gentiles, atque *Hæretici* varii antiqui ex illorum lacunis, voluerunt. Quod docet; α tum Ratio, ex Dei Unitate, & Dependente eorum Natura, ac Subjectione; β tum Scriptura passim *Ps.* CIV. 4. CXLVIII. 2. 5. *Col.* I. 16. 17. etiam implicitè *Job.* I. 3. & *Gen.* II. I. cum pro Triplici Cœlo *Exercitus Cœlorum* etiam Triplex sit, atque hoc nomen ob Multitudinem, Ordinem, & Subjectionem sub Deo, vulgò gerant *Angeli Gen.* XXXII. 2. I *Reg.* XXII. 19. *Psal.* CIII. 21. *Luc.* II. 13. &c. Quo autem creati sint *Die*, non convenit inter omnes; α quibusdam ob progressum ab Imperfectioribus ad Perfectiora Diem *Sextum*, β aliis ob Expansi productionem Diem *Secundum*, γ aliis etiam Siderum intuitu *Quartum*, δ plurimis verò *Primum* nominantibus; & quidem maximè probabiliter, ob factum tum Cœlum Supremum, eorumque Jubilum in Fundatione Terræ facta secundo die *Job.* XXXVIII. 6. 7. Certum nobis saltem esse debet, eos *non* esse creatos *Ante Principium Mosaicum*, uti ob silentium Mosaicum Patres multi, & ob negatam Christi Æternam Deitatem *Sociniani*, ac ex his *Remonstrantes* quidam voluerunt: cum α *Principium* Mosis *Universale* sit, β *Exercitus Cœlorum* tum quoque dicantur facti, & γ ex phrasi Scripturæ Æternum sit, quod *Creationem Mundi* præcessit *Psal.* XC. 2. *Prov.* VIII. 23. 24. *Eph.* I. 4. *&c.* δ facilè denique solvantur Objectiones; *à Silentio Mosis*, qui implicite, non explicite, Angelorum meminit, ob alium suum Principalem Scopum; ab *Angelorum Jubilo* in Fundatione Terræ, cum hoc ad inferiorem partem mundi Die demum Secundo expoliri cœptam videatur restringendum; à *Lapsu*, nimis cito cætero-quin secuto, qui celeriter etiam in Homine Creationem excepit.

Describitur illorum Natura, & Creatos esse monstratur. Et quidem Die Primo. Neutiquam ante Principium Mosaicum.

An vero potuerint ante Hexaëmeron, imo & ante Spatium ullum, creari, frustra ferè quæritur.

Finiti sunt quoad Essentiam, Facultates, Dona, & Præsentiam in certis Locis. Quin & Durationem, ac Numerum.

V. Hoc ipso, quo Angelos *Creaturas* dicimus, *Finitos* eos statuimus; ob Infinitatem Creatori vindicandam. 1. Respectu *Essentiæ*; ut hæc, licet aliis perfectior, tamen non sit absolutè perfectissima. 2 Respectu *Facultatum*, Intelligendi, Volendi, & Operandi ad extra; ac *Donorum*, quæ suos pariter agnoscunt limites. 3. Respectu *Præsentiæ*, ut sint *Alicubi*, non quidem Corpora excludentes suasque Dimensiones habentes, & per extremitates vicina corpora tangentes, sed tantum in determinato aliquo, à nobis quantitatis ratione non facilè determinando tamen, *Spatio* præsentes; quod per suum *Ubi Definitivum*, à *Repletivo* Dei & *Circumscriptivo* Corporum distinctum, non inepte expresserunt *Scholastici*. Fluit autem α hoc planè ex *Finita Essentia*, quæ nec omni Spatio reali & possibili coexistere, nec absque hoc vel mente concipi potest post creatam Corporum molem; & β docet Scriptura idem, Cœlum & Infernum ut sedem eorum proponens *Matt*. XVIII. 10. XXIV. 38. 2 *Petr*. II. 4. *Jud*. 6. unde variè mittantur & moveantur. Quæ cum *Philosophis* hodiernis velle referre ad *Operationes Externas*, Essentia existente secundum eos *Nullibi*, quasi *Ubi* Extensionem necessario inferret, nihil est aliud; quam α manifestè obloqui Scripturis, quæ *Angelis* ipsis, & quidem non Operantibus in corporibus, *Locum* tribuunt; β *Motum* Corporalem cum *Angelis* pessimè confundere; γ *Agens ab Actione* producta, quin & *Voluntatem* per quam solam juxta ipsos operantur Angeli *ab Essentia* eorum, ineptè separare; & δ tandem meram hypothesin absque probatione ulla continuo repetere. Hæc vero *Determinata Præsentia* non quidem Plures Angelos ex Uno Loco, attamen *Unum Angelum ex Pluribus dissitis Locis* excludit eodem momento, unde etiam *Motus* eorum: nequicquam obstante historia 2 *Reg*. XIX. 35. in qua eodem planè temporis Momento 185000 Homines ab Angelo occisos esse non dicitur; præterquam quod & Modus occisionis istius & determinata Quantitas Præsentiæ Angelicæ nobis non constet. 4. Respectu *Durationis*; ut non quidem Finem, sed tamen Principium & Successionem continuam agnoscant. 5. Respectu *Numeri*; licet hunc *Maximum*, prò majestate summi Regis, & Operum productorum Multitudine, nobisque *Incognitum* esse, lubentes profiteamur.

VI.

VI. Creaturas dicimus porrò Angelos esse *Spirituales*; secundum loca *Psal.* CIV. 4. *Hebr.* I. 14. *&c.* & nominationem eorum perpetuam. Quo ipso liquet ante omnia, esse eos veras *Substantias*, & per se subsistentes & substantes accidentibus; secundum α Nomina, β Attributa, γ & Operationes, quæ illis tribuuntur. Non itaque audiendi *Philosophi*, qui perversa de Humana Mente ratiocinia, præëunte nec Scriptura nec ratione, huc pro lubitu transferentes, Angelorum quoque *Naturam Totam in Sola Cogitatione* constituunt, quam *Generalem* vocant; α quæque nec usquam verè existit, dum omnes *Cogitationes* tantum sunt *Particulares & Successivæ*, in generali Conceptu nostro solo convenientes, β nec existens aliorsum quam ad Prædicamentum *Actionis*, distinctissimum ab illo Substantiæ & huic prorsus oppositum, referri potest.

Sunt Spirituales Substantiæ, non nudæ Cogitationes.

VII. Spiritualis præterea Natura ab Angelis *Corpus* omne removet; tum in quo eorum Essentia tota consistat, tum, cum sint *Completi*, quod ad Essentiam illorum per Unionem cum Spiritu perinde ut in homine constituendam concurrat. Quod docet Scriptura; & α aperte satis *Luc.* XXIV. 39. β & implicitè, memorans Ingenerabilitatem, Immortalitatem, Penetrationem, & maximè Invisibilitatem eorum omnimodam *Luc.* XX. 35. 36. VIII. 30. *Col.* I. 16. Obluctantur tamen cum *Judæis*, *Platonicis*, *Socinianis*, & *Vorstio*, plurimi *Veteres*, Corpora Subtiliora Angelis tribuentes, ac hinc perperam quoque explicantes historiam de *Filiis Dei Gen.* VI. 2. [1] Paulique monitionem de *Tegendis Mulieribus Propter Angelos* 1 *Cor.* XI. 10. Quibus non favet 1. *Emblematica Angelorum* Descriptio aut Delineatio *Psal.* CIV. 4. *Exod.* XXV. 18. &c. Quæ illorum Perfectiones aliquas Metaphoricè tantum exponit, & ex parte Deo ipsi summe Incorporeo communis est. 2. Adscripta illis *Statio*, *Loquela*, *Motio*, *Dan.* VII. 10. 1 *Cor.* XIII. 1. *&c.* Quæ convenienter Spirituali naturæ, dè Ministerii promptitudine, sapienti cogitatorum Communicatione, & Mutatione Ubi Definitivi, sunt intelligenda. 3. Pœna *Ignis Infernalis* ipsis tributa *Matt.* XXV. 41. Qui verius metaphoricè, ob junctas *Tenebras*, quam propriè, exponitur. 4. Denique multiplex eorundem *Visio*, ac *Apparitio*. Quam notamus; α vel fuisse mere *Imaginariam*, in Somno aut Ecstasi, uti *Gen.* XXVIII. 12. *Act.* XXVII. 23. *&c.* β vel *Formæ Corporeæ* in aëre ad oculum repræsentatæ *Luc.*

Et plane Incorporei.

Luc. I. 26. II. 9. *Act.* X. 3. XII. 7. 10. *&c.* locis *Jud.* VI. 21. XIII. 20.[2] ad Angelum Increatum potius ſpectantibus; γ vel *Corporis* ad tempus abſque Perſonali conjunctione *Aſſumpti*, ſive recenter Mortuorum, ſive Viventium & abreptorum extra ſe hominum, ſive alterius à Deo ex inhabili materia Formati, quod dein in ſuos demum uſus ceſſit, quodque in eſu & familiari magis converſatione, qualis illa *Gen.* XVIII. & XIX. credimus factum.

[1] *Exerc. Miſc. Diſp.* III. [2] *Exerc. Text.* V. P. VI.

Præditi Intellectu Sagaciſſimo; qui tamen nec in Modo nec in Objecto ad Sapientiam Divinam aſcendit.

VIII. Ut Spiritibus vero, illis competit *Intellectus*; isque *Sapientia* non vulgari inſtructus, 2 *Sam.* XIV. 17. XIX. 27. 1 *Cor.* XIII. 1. 2 *Cor.* XI. 3. *&c.* quam ratione Principii Triplicem faciunt, α *Naturalem*, ipſis per Creationem inditam, β *Experimentalem*, uſu acquiſitam, *Eph.* III. 10. 1 *Tim.* III. 16. 1 *Petr.* I. 12. & γ *Revelatam* 1 *Reg.* XXII. 22. *Dan.* IX. 21. 22. *Apoc.* I. 1.[1] addentibus aliis δ *Supernaturalem*, quæ revelationis glorioſum complementum dicat, *Matt.* XVIII. 10. Magna verò Intellectus Angelici eſt *Excellentia*; tum α in cognoſcendi *Modo*, non Senſitivo, ſed mere *Intellectivo*, & *Celerrimo*; tum β in *Objecto*, Deo & rebus *creatis*, tam *ſpiritualibus* quam *corporalibus*, etiam maximè abditis; cujus rei rationem omnem haud capimus, niſi quod innata Perſpicacia, Duratio longiſſima, Motus celerrimus, corporum omnium Penetratio, communicantium inter ſe Numerus &c. multum indubie huc faciant. Attamen, nec α *quoad Modum* cognoſcunt quæ ſciunt abſque Diſcurſu & per ſui intuitum; nec etiam β *quoad Objectum* ſciunt omnia *Marc.* XIII. 32.[2] *Eph.* III. 10. 1 *Petr.* I. 12. *&c.* Dei intuitu ad Eſſentiam ejus & Perfectiones, non ad Conſilia, ſe extendente. In ſpecie non ſciunt, immediatè ſcilicet & certo, cordis humani *Cogitata*, 1 *Reg.* VIII. 39. *Pſal.* CXXXIX. 2. 4. *Jer.* XVII. 9. *Joh.* II. 25. *Act.* I. 24. 1 *Cor.* II. 11. quæ tamen iis, ex Signis quibuſdam externis, & probabiliter, & per revelationem quandoque, patere, oportunæ Satanæ Tentationes, & Angelorum inſtructiones docent; nec *Futura Contingentia & Libera*, in ſolo Dei Conſilio veritatem determinatam habentia *Jeſ.* XLI. 22. 26. quæ tamen iterum quædam, conjecturaliter, vel ex Dei revelatione, vel ex cauſarum quarundam hominibus latentium cognitione, eos ſcire, Oraculorum reſponſa, ſæpe ambigua, nec ſemper falſa, & quotidiana Præſagia, monſtrant. Diſtinctio porro Cognitionis Angelicæ in *Matutinam*, quæ ſit Beatifica ac ex

ex Verbo Dei, & *Vespertinam*, quæ sit ex Ideis impressis ac à Creaturis petita, meritò respectu appellationis hujus, in mera allegoria vel παρερμηνείᾳ Mosis, ubi creationis νυχθήμερα distincta exponit, fundatæ[3], rejicitur.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XXXII. P. IV. [3] *Exerc. Text.* I. P. I.

IX. Juxta Intellectum gaudent *Voluntate Libera*, semper tamen à Deo Dependente, nec jam amplius quoad Objecta Indifferente; Bonis voluntariò Legem Divinam præstantibus *Psal.* CIII. 20. *Matt.* VI. 10. & quod bonum est desiderantibus *Luc.* XV. 7. 1 *Petr.* I. 12. Malis item voluntario peccantibus *Joh.* VIII. 44. [4] *Jud.* 6. & malum nunc volentibus 1 *Petr.* v. 8. *Affectus* autem & *Motus* omnes *Corporales* uti hinc absunt, ita tamen his respondentes Actiones Passionesque Spirituales adsunt. **Est & illis Voluntas Libera.**

[4] *Exerc. Text.* XXXV. P. I.

X. Tandem ipsis ut Spiritibus competit *Potentia Exsequens*; quam insignem in ipsis esse, α tum Nomina & Descriptiones *Psal.* CIII. 20. *Eph.* VI. 12. 2 *Thess.* I. 7. 2 *Petr.* II. 11. *&c.* β tum Opera ipsa præstita docent *Exod.* XII. 29. 2 *Reg.* XIX. 35. Notandum verò de *Modo Operationis*, nec esse eam à Deo *Independentem*, nec fieri eam *per solum Voluntatis Motum*, qui tamen ob Actionis Libertatem adest, ad quem sc. ipse Deus Effectum producat; α quoniam id Solius Dei est, ob summam Simplicitatem; β & sic Angeli mera Instrumenta Moralia forent, omni robore proprio & influxu in effecta destituta; γ atque hoc fundamento omnia Creationis & Providentiæ Opera merito illis tribui possent & deberent; δ nec tandem aliud est temerarii *Philosophematis* fundamentum, quam nuda & pessima de *Spiritibus* ut Meris Cogitationibus, in quibus nil præter Intellectum & Voluntatem sit prorsus, hypothesis, & solita passim praxis, id negandi, cujus, licet τὸ ὂν doceat Scriptura & Ratio, τὸ ποῖον non tam clarè constat, nec non cognitionem Effectus, & Causæ Primæ, rusticis communem satis, cum ignorantiæ turpi dissimulatione, magnæ scientiæ loco obtrudendi. Quoad *Objectum* porrò, non extenditur Potentia hæc; α ad *Omnia*, cum solus sit Deus Omnipotens *Apoc.* I. 8. [1] nec β ad ulla *Divinæ Voluntati*, à quâ semper limitatur, *adversa*, *coll. Job.* I. 12. [2] *Matt.* VIII. 31. *Rom.* VIII. 31. *&c.* nec γ ad *flectendam hominis Voluntatem*, quæ gloria Deo est **Et Potentia maxima. Quæ non exseritur Nuda Volitione. Cujusque Extensio determinatur.**

relinquenda, *Prov.* XVI. 1. 9. XXI. 1. homine quoque suâ Libertate, quæ alias periret, non spoliando, licet suasionibus multum hic possint Angeli, ut per hominis pronitatem efficaciter operentur *Eph.* II. 2. *Act.* V. 3. *&c.* nec δ ad *Communicanda nobiscum* absque sensuum vel internorum vel externorum ope sua *Cogitata*; nec ε ad *Dissita ultra Sphæram Activitatis*, cujus licet determinata magnitudo nobis non constet, nequeunt tamen in Locis longè Dissitis eodem Momento operari; nec ς ad veri nominis *Miracula*, quæ vim, non alicujus singularis Causæ Secundæ, sed totius *Naturæ Creatæ* superant, aut ejus *Ordinem* turbant, quale est Mortuorum Suscitatio, Mutatio Cursus Siderum, novæ Substantiæ Productio, hominis Generatio &c. quæque Deo plane vindicantur *Psal.* LXXII. 18.[3] *&c.* & Infinitam Virtutem flagitant. Unde quæ opponuntur *Exempla adversa*; vel conficta sunt ab Historicis, vel specie externa talia solum fuerunt, cujus rei manifestum exemplum est in *Samuelis Phantasmate* 1 *Sam.* XXVIII.[4] vel debent in iis Angeli tantum ut *Instrumenta Moralia*, sicut alias Homines, considerari. Interim possunt operari in *Spiritus* alios, etiam Spirituali Loquela cum iis Communicando; & in *Corpora*, etiam illa obsidendo,[5] miris nobisque imperscrutabilibus modis; ubi semper verum Potentiæ exercitium & actualem Influxum, quasi hic necessario Corporeus foret, negare, & ad Nexum Voluntatis Angelicæ cum isthoc Effectu Divinitus ordinatum confugere, nihil aliud est, quam ex ignorantia nostra res metiri, nec dicere interim quidquam prorsus supra vulgus infimum aut Philosophis dignum.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XVI. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XXIV. P. V. [4] *Exerc. Juv. Disp.* III... VII. & *Exerc. Text.* XVII. P. V. [5] *Exerc. Text.* XXIX. P. I.

Multiplici respectu rectè Angelis tribuitur Dei Imago.

XI. Ex isthac Naturæ Angelicæ descriptione nemo non videt, rectè ipsis tribui *Imaginem Dei*; potissimum si juxta eorum *Naturam* consideremus, & *Sapientiam*, & *Sanctitatem*, quæ ipsis per creationem utraque indita fuit. Quod vult Scriptura, *Filios Dei* illos, utique propter Imaginem Paternam, neutiquam verò ob Creationem solam, vocans *Job.* I. 6. II. 1. XXXVIII. 7. Neque negavit *Moses* suo *silentio*; cum ne quidem ipsorum Angelorum expressè meminerit; & inter res corporeas soli Homini isthæc Imago verè competat. Quin & *Reliquias* ejus si intueamur, Imago Dei *Angelis Malis* negari nec potest nec debet.

XII.

XII. Sequitur *Officium*, ex quo specialiter *Dei* sunt *Ministri* *Psal.* CIII. 21. CIV. 4. *Dan.* VII. 10. *Hebr.* I. 14. Non in jugiter circumagendis *Astris*, aut certis rerum & personarum *Præfecturis*, aut *Precibus* hominum ad Deum *Deferendis* &c. sed in α *Prædicanda* ejus *Gloria* *Job.* XXXVIII. 7. *Jes.* VI. 3. [1] *Matt.* VIII. 29. *Apoc.* V. 11. [2] β *Declarandis* illius *Consiliis* *Hebr.* II. 2. *Luc.* II. 10. γ atque *Exsequendis iisdem*, per *Impiorum* destructionem, *Piorumque* probationem, custodiam, consolationem, ac liberationem. Id omne verò *Ministerium* uti *Deo* præstant; ita θεανθρώπῳ etiam præstiterunt *Archangelo*, ex Patris mandato, in Nativitate, Tentatione, Passione, Resurrectione, Ascensione, præstabuntque in Judicio Ultimo, *coll.* *Hebr.* I. 6. Ministri quoque *Ecclesiæ* sunt, sub *Utroque Testamento* pariter, gratis hic diversitatem quibusdam urgentibus ex tracto præter scopum Pauli textu *Hebr.* II. 5. [3] quamquam certum sit *Visibiles Apparitiones* olim fuisse frequentiores, propter majorem Ecclesiæ ruditatem, & mundi corruptionem, nunc verò eos invisibiliter magis inter nos versari, 1 *Cor.* XI. 10. [4] *Eph.* II. 2. *&c.* Hoc tandem Officio omni non aliter defunguntur, quam continuo ad Divinam Missionem *Motu*, in Scripturis ubique inculcato, & à Philosophis Recentioribus contra rationem omnem negato, cum Spatium Præsentiæ & Operationis certum habentes illud absque Motu omni mutare nequeant. Est vero *Motus* ille *Successivus* quidem, attamen Celerrimus, dum Corpora omnia media penetrantes, nullo impedimento objecto & repellendo detinentur moventes se Angeli; quam Celeritatem juxta Promptitudinem repræsentant etiam *Alæ* plures Seraphim & Cherubhim tributæ, *Jes.* VI. 2. [5] *Ezech.* I. 6. [6] &c.

Sunt specialiter Dei Ministri. Hinc etiam Christi & Ecclesiæ. In cujus Ministerii Exercitio de Loco in Locum moventur.

[1] *Exerc. Text.* XIII. P. VI. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XLVI. P. II. [4] *Exerc. Misc. Disp.* III. [5] *Exerc. Text.* XIII. P. VI. [6] *Exerc. Text.* XXII. P. VI.

XIII. Missâ Divisione Angelorum, quæ petitur α ludicrè à *Sexu*, β ineptè à diversa conditione *Assistentium* & *Ministrantium*, cum hæc vocabula idem significent Ministerium Omnibus commune *Dan.* VII. 10. *Matt.* XVIII. 10. *Hebr.* I. 14. γ gratis etiam & absque fundamento solido à *Specie* diversa, qualis in Corporibus observatur; dicimus intuitu Præsentis Status, esse eos, vel *Bonos*, vel *Malos*. Illi sic dicuntur ob Bonitatem, in qua juxta reliqua omnia creati, perstiterunt; atque alias audiunt *Electi*, *Sancti*,

Angelorum Divisio improbanda. Et probanda in Bonos & Malos. Bonorum Nomina varia.

cti, *Cœlestes*, *Lucis*, quin & simpliciter *Angeli*, vel *Angeli Dei*, *Domini*, *Christi &c.* Nomen *Proprium* vix aliud notum est, quam illud *Gabriëlis Dan.* VIII. 16. IX. 21. *Luc.* I. 19. 26. [7] cum alterum *Michaëlis* Christo videatur esse proprium, [8] & tertium *Raphaëlis* in Tobia æque fabulosum, quam alia *Uriëlis*, *Sehaltie'is*, *Jehudielis*, *Barachielis*, *Jeremielis*, *Hazarielis*, *&c.* reperta apud *Judæos* & Veteres *Hæreticos*.

[7] *Exerc. Text.* XXIV. P. VI. [8] *Ibidem.*

Hi Boni Mutabiliter cum aliis sunt Creati.

XIV. Hi *Boni*, sive Sapientia & Sanctitate etiam Deo dignâ instructi, primum *creati* sunt; attamen fuisse illos mox *Immutabiliter Bonos*, non liquet. Imo *α* cum res aliter se habuerit in Homine, cujus Mutabilitas prima ex ejus Lapsu constat omnibus, *β* Eventus quosdam Angelos Labiles fuisse creatos doceat, discrimen inter eos in Creatione nullum usquam memorante Scriptura, & *γ* Divinæ Libertatis, gratiæ, & potentiæ, Gloria sic magis eluceat, Mutabilem Bonitatem illis potius tribuimus: haud obstante profecto; *α* vel *Dei Decreto*, ad quod hic non ascendimus, cum sic omnia dicenda forent Necessaria; *β* vel jugi *Dei* ad conservandam bonitatem *Concursu*, qui ex Libera Dei Voluntate, & non ex Habituali illius temporis Gratia aut Promisso Dei ullo fluxit; *γ* vel *Silentio Scripturæ* de Gratia post Creationem addita, cum hanc Eventus satis doceat.

Sed nunc in Bono dudum Confirmati.

XV. Hodiè verò in Bonitate & Felicitate *Confirmati* sunt, absque amissionis ullo periculo ulteriori vel metu. Quod docent complura *Nomina* adducta, ac illorum *Perfectio*, nobis ad imitationem proposita *Mat.* VI. 10. & prædicata *Matt.* XVIII. 10. XXII. 30. Nec repugnat 1. Historia; sive fabulosa & Apocrypha *Tobiæ* de Angelo Mendace; sive vera Mosis de *Filiis Dei*, per quos optimè Sethitæ notantur *Gen.* VI. 2. [1] communi seculi vitio ad malum abrepti. 2. Vel Conditionata Pauli Propositio *Gal.* 1. 8. quæ nihil ponit in esse, imo potius rei Impossibilitatem monstrat. 3. Vel geminus locus *Job.* IV. 18. XV. 15. ubi Bonitatis Angelorum docetur tantum à Deo Dependentia perpetua, & evanescens Vilitas, si cum Bonitate Dei ejus fiat comparatio.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* III.

Et quidem Divina Gratia, non per Christum

XVI. Fluxit autem isthæc Confirmatio Ex Gratuita Dei *Electione*, & hanc consecuta in tempore *Gratia*. Quæ à Christo ut *Mediatore* perperam repetitur; *α* cum hic *Mediator* tantum sit *Hominum*.

minum Jes. IX. 5. [2] *Zach.* IX. 9. [3] *Luc.* II. II. I *Tim.* II. 5. *&c.* Mediatorem. Neque etiam per Meritum strictè dictum.
β nec *assumat* ille *Angelos Hebr.* II. 16. [4] γ nec Naturæ illorum sit factus Particeps, δ nec tandem hi Mediatore opus habuerint utpote non lapsi, *coll. Gal.* III. 20. dum *Mediatorem Conservationis*, respectu peccati ac divortii merè possibilis, non agnoscit Scriptura. Quamquam certum sit; α eos per virtutem Christi ut Dei veri, juxta alia omnia, conservari jugiter *Col.* I. 16. 17. β & Christum etiam qua Mediatorem illorum ut regni Ministrorum esse Dominum, eorumque ministerio in bonum Ecclesiæ uti, *Phil.* II. 9. *Col.* II. 10. γ & per Fidelium Redemptionem hos ad amicitiam & conjunctionem cum Angelis iterum adduci, quod significari putant multi *Eph.* I. 10. *Col.* I. 19. 20. Non item Gratia ea Confirmans ex Angelorum *Merito* aliquo strictius dicto, in quo opus Indebitum ac nativa independens Virtus requiruntur, repeti potest: nedum illis hodieque in Gloria *Meritum* tribui *prò Hominibus*, quo nitatur *Intercessio.* Attamen si *Pactum* respicimus *Gratiosum*, quale & Deus cum Homine iniit, hactenus Observantiâ Legis, ad certum nobisque incognitum tempus præscriptâ, ac ab iis præstitâ, *Meruisse* eos *Confirmationem* dictam recte dici putamus.

[2] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XLVII. P. II.

XVII. Horum *Officium* idem est, quod omnium olim fuit, sed hi soli lubenter præstant. Malè interim huc refertur I. Singularis singulorum *Præfectura* Perpetua, ad Res Inanimatas, Bestias, Gentes, Societates, Opificia, Personas, restricta à *Gentilibus*, *Judæis*, *Scholasticis*, *&* *Protestantibus* variis, qui sive *Genios Tutelares*, sive *Angelos Custodes*, singulorum urserunt; contra α Scripturæ Silentium, β Ministerii Angelici promiscuam magis extensionem, & variam determinationem, γ ac adscriptos quandoque Plures Uni *Genes.* XXXII. I. 2. 2 *Reg.* VI. 17. *Psal.* XCI. II. *Luc.* XVI. 22. *&c.* quandoque Unum Pluribus 2 *Reg.* XIX. 35. *Psal.* XXXIV. 8. &c. Nec obstat; α vel Textus Mosis *Deut.* XXXII. 8. [1] dè *populorum terminis constitutis juxta numerum filiorum Israel*, ubi perperam *Angelorum Dei* legerunt οἱ LXX. β vel narratio de *Principe regni Persarum & Græciæ Dan.* X. 13. 20. quæ aut ad Homines Duces, aut ad Malos Angelos, nec hos semper eosdem, pertinet; vel γ textus de *Angelis Ecclesiarum & Parvulo-*

Non sunt hi Gentibus aut Hominibus singulis singuli Præfecti. Neque illis competit Specialis pro hominibus Intercessio.

vulo-

vulorum Apoc. I. 20. [2] I *Cor.* XI. 10. [3] *Matt.* XVIII. 10. dum per illos intelliguntur omninò Ministri Homines, vel etiam perinde ut per hos Angeli, qui Ecclesiarum Inspectioni & Parvulorum curæ, non tamen singulatim, quoque destinati sunt; δ vel tandem Exemplum, sive Jacobi *Gen.* XLVIII. 16. [4] qui per *Angelum Vindicem* seu *Liberatorem* Christum ipsum intelligit, sive Petri *Act.* XII. 15. ubi memorato *Ejus Angelo*, de speciali Angustiæ casu, & Opinione quorundam non necessario verâ, & forte, vel dè Nuncio quovis, vel de Spectro, mentio est. 2. *Intercessio Particularis pro Hominibus*, eaque Meritorum intuitu Efficax, quam ex *Gentilium*, *Judæorum*, & veterum *Hæreticorum*, lacunis repetierunt *Pontificii*; contra α Gloriam Christi unici παρακλήτου I *Joh.* II. I. *Hebr.* VII. 25. *&c.* β Satisfactionis, ab Angelis neutiquam præstitæ, cum Intercessione necessarium Nexum, γ & Defectum Scientiæ multiplicem in Angelis, gratis in Dei Revelatione, aut aliorum Narratione, aut Trinitatis Speculo quæsitis effugiis. Nec stàbilitur illa; α vel locis *Job.* XXXIII. 24. [5] *Zach.* I. 12. [6] *Apoc.* VIII. 2. 3. [7] in quibus Christus Archangelus debet intelligi; β vel testimonio personati Azariæ *Tob.* XII. 12. 15. qui semel mentitus fidem amplius non meretur; γ vel Voto generali tendente ad Bonum Ecclesiæ, quod multum ab Intercessione Speciali differt.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Misc. Disp.* III. [4] *Comm. in Pentat.* [5] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. *Mant.* III. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Comm. in Loc.*

Veneratio debetur Angelis. Sed quæ se non extendat ad Servilem Subjectionem, sub N. vel Vet. Test. Neque ad Honorem ullum Religiosum.

XVIII. Ex his dè *Veneratione* ipsis debitâ potest fieri judicium. Quæ consistit scilicet; in α *Reverentia* eorum, ut Dei Ministrorum, Beatitatis jam compotum I *Cor.* XI. 10. [1] I *Tim.* V. 21. quæ tamen in sanctis nimia quandoque fuit; β & in *Imitatione* prompta *Matt.* VI. 10. Neutiquam autem; α vel in Servili *Subjectione*, quæ Domino Uni in Ecclesia debet manere integra I *Cor.* VIII. 5. 6. *Hebr.* II. 5. [2] nec ex Ministerio, aut Legis olim latæ, aut Pœnarum illatarum, nec ex loco hoc posteriori Pauli sub V. Test. potest juste urgeri; Euangelio ab ipsis quoque ex omni parte primum prædicato, Pœnis nunc quoque per eos illatis, ac Paulo ἐξοχὴν Christi Domini supra Angelos ut Ministros in Ecclesia, illâ N. T. ob præsentiam & excellentiorem statum heic nominatâ, tantum monstrante. ϐ Vel in *Honore Religioso*; quem post *Plato-*

Platonicos, & varios Veteres *Angelicos*, deferunt iis *Pontificii*, ut Mediatoribus apud Deum ac Christum, in *Festis*, *Templis*, *Imaginibus*, *Votis*, *Precibus*; & delatum sub V. T. volunt quandoque *Sociniani*, ut argumentum pro Deitate Christi sic enervent. Contra α loca expressa, generalia *Matt.* IV. 9. 10. *Gal.* IV. 8. *Jes.* XLII. 8. & specialia *Col.* II. 18. *Apoc.* XIX. 10. XXII. 9. [3] β ac Defectus omnipræsentiæ, scientiæ, & potentiæ; γ ac rationem communem, quæ nunquam Honorem Regis ejus Legatis deferri permittit; δ atque ex falsâ Intercessionis hypothesi jam eversa. Nec obstant; α vel *Exempla* V. aut N. T. *Gen.* XVIII. [4] XXXII. XLVIII. [5] I *Tim.* V. 21. *Apoc.* I. 4. [6] XIX. 10. [7] quæ aut ad Christum pertinent, aut ad Honorem, non Religiosum, sed Civilem suo sensu, debent referri, aut ad Spiritum S. nos ducunt, aut damnantur; β vel *Excellentia* Angelica, quæ quantacunque sit, non est Infinita tamen.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* III. [2] *Exerc. Text.* XLVI. P. II. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* II. P. VI. [5] *Comm. in Pentat.* [6] *Comm. in Loc.* [7] *Comm. in Loc.*

XIX. *Numerus* horum uti *Magnus* admodum est *Dan.* VII. 10. *Matt.* XXVI. 53. *Jud.* 14. *Apoc.* V. 11. [1] *&c.* nobis tamen, nec in se nec in comparatione, vel cum Malis Angelis, vel cum Hominibus, cognitus: ita & *Ordo* indubie Optimus. Secundum α Nomina *Exercituum*, *Principatuum*, *&c.* ipsis tributa, β exemplum Malorum, γ & Dei in Domo inferiori constitutionem sapientem, quæ ad superiorem justâ consequentia suo modo transfertur I *Cor.* XIV. 33. 40. Is verò an sit perpetuo *Idem*, quousque se extendat, & quis sit, *nos ignorare profitemur*, & cum *Augustino* damnamus *Temerariam Præsumptionem*, tum *Platonicorum*, qui Genios *Supercœlestes*, *Cœlestes*, & *Subcœlestes*, dixerunt; tum *Judæorum*, qui *Tres* quoque *Classes* similes, & *Ordines* Decem, *Animalium Sanctitatis*, *Ophannim*, *Oralim*, *Chasmalim*, *Seraphim*, *Angelorum*, *Deorum*, *Filiorum Dei*, *Cherubim*, *Ischim*, memorant: tum *Scholasticorum* & *Pontificiorum* vulgo, qui ex supposito *Dionysio Areopagitæ* fœtu docent *Tres* Hierarchiæ Cœlestis *Classes*, ternos sub se *Ordines* habentes singulas, in quarum Prima, Dei intuitu magis immediatè fruente, sint *Cherubim*, *Seraphim*, *Throni*, Altera *Dominationes*, *Principatus*, *Potestates*, Tertiâ deniquè *Virtutes*, *Archangeli*, *Angeli*: quamquam in Secundæ & Tertiæ Classis Ordinibus recensendis aliqua sit diversitas. [2] Docet α enim Scriptura

Angelorum Bonorum Numerus magnus, & Ordo optimus, sed nobis Incognitus. Unde Ordines & Classes Papistiæ concidunt.

ra de his tacens, esse hæc talia ἃ μὴ ἑώρακεν *Col.* II. 18. β supponitur sic, & dari *Archangelos* plures, & esse hos in *Infimo Ordine*, & discrimen dari inter *Assistentes & Ministrantes*, quæ antea eversa; γ atque *Ordines* diversos non inferunt *Nomina* varia, cum hæc Plura sint in Scriptura, & Plura eundem Ordinem, in primis diversis locis, notare possint. *Dionysii* autem istud *de Cælesti Hierarchia* Opus cordato nulli tanquam genuinum probatur.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XIII. & XXII. P. VI.

Ordinarium Domicilium est Cœlum.

XX. Horum tandem *Domicilium* ordinarium *Cælum* est *Supremum*; cujus sunt *Exercitus*, ubi *intuentur Faciem Dei*, ubi *adstant* prompti ad ejus Ministeria, atque unde nomen *Angelorum Cælestium* habent. Quæ tamen Habitatio nequaquam obstat, quò minus absque felicitatis imminutione Ministeria sua in Cœlo Stellifero, ac Aëreo, imo omni reliqua parte Mundi, exsequantur, uti verè agunt cœlitus missi.

Angeli alii sunt Mali, & horum Nomina varia.

XXI. Alii Angeli *Mali* sunt; qui gerunt nomina *Angelorum*, *Dæmonum*, *Dæmoniorum*, *Spirituum Impurorum*, *Imperiorum*, *Potestatum*, *Hircorum*, vel *Hirsutorum*, vel *Horridorum*, vel *Horrendorum*, vel *Horrorum*, שעירים [3] *&c.* & sæpe singularia, *Dei Hujus Seculi*, *Serpentis*, *Draconis*, *Patris Mendacii*, *Diaboli*, *Mali*, *Tentatoris*, *Satanæ* [4] *Belialis &c.* quin & [5] *Hazazelis*. Quæ Nomina, à varia consideratione petita, quædam & quandoque Communia sunt omnibus, quandoque restricta ad *Principem* eorum *Beelzebul*, vel *Beelzebub*, *Matt.* x. 25. xii. 24. nomine hoc petito ab idolo Acaronitarum μυάγρῳ juxta plurimos qui sic legunt, atque appellatione *Luciferi* à Veteribus ex *Jes.* xiv. 12. gratis efficta, ubi nihil de Diabolo. Etiam illa *Sammaelis*, *Huzzielis*, *Asmodei*, *&c.* & *terribilia nomina* alia quam plurima *Judæi* & *Gnostici* addiderunt.

[3] *Exerc. Text.* VII. P. IV. [4] *Exerc. Text.* XXV. P. II. [5] *Exerc. Text.* VIII. P. V.

Non sunt hi Mali Creati à Deo.

XXII. *Malitia* isthæc nequaquam cum *Manichæis* à primâ eorum *Creatione* est repetenda; α cum *Omnia Bona* facta sint *Gen.* I. 31. β nec Mali aliquid Optimus Deus creare potuerit. Quamquam sit certum, illos *Mutabiliter* Bonos factos, nec longe admodum post Creationem mutatos, quod ἐν πλάτει volunt loca 1 *Joh.* iii. 8. viii. 44. [6] nec Lapsus hujus narrationem explicitam institui à Mose, ob alium ejus finem.

[6] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* VII.

XXIII. *Fons* itaque Mali omnis ipsorum est *Lapsus*, Voluntarius

rius & Protervus, Deo non quidem subtrahente, sed tamen denegante Gratiam per quam perseverarent, atque *Uno* Aliquo, secundum Plurimorum conjecturam, *Rebellionis Duce*. Utitur hic Scriptura phrasi *peccandi* 2 *Petr.* II. 4. *non servandi* τ̀ ἀρχὴν, sive *originem*, sive *initium*, sive *principatum*, *sed deserendi proprium domicilium Jud.* 6. *non persistendi in veritate Joh.* VIII. 44. [7] quamquam hæc phrasis potius ad *Mendacium* in hominis Seductione, quam ad defectum ab *Integritate*, vel *Veritate* præscriptæ Legis, videatur esse referenda. Interim cum constet, hoc Peccatum contra Deum vere esse perpetratum, frustraneæ sunt *Scholasticorum* disputationes, *an Angelus peccare possit*, & distinctiones Peccati, *contra Præcepta Naturalia & Supernaturalia*, in decisione additâ ab ipsis.

Sed facti tales per Lapsum Voluntarium.

[7] *Exerc. Text.* XXXV. P. I.

XXIV. De *Tempore* Lapsus hujus vix quidquam determinatè constat, Mose tacente. Interim ponendum; contra *Socinianos*, non contigisse Lapsum *ante Principium Mosaicum*, quandò non exstiterunt; & similiter contra *Scholasticos*, non id factum esse vel *in Primo Instanti* Creationis, vel immediatè post illud *ante Finem Hexaëmeri*, quod ex locis supra notatis imprudenter urgetur, & quidem contra Mosen, Die Sexto *Omnia Bona* fuisse memorantem. Ab altera parte in Hominis Lapsu *Tentatio* Defectionem factam monstrat.

Lapsus hujus Momentum incertum.

XXV. De *Specie Peccati* idem dicendum; quamquam certum videatur, non peccasse, vel per *Impudicitiam* Carnalem, vel contra Legem aliquam Corporalem & Positivam, sed Naturalem ipsis à Deo inditam. Interim duplex est à *Scholasticis* & *Veteribus* petita celebris conjectura, eos sc. lapsos esse: 1. Vel per *Superbiam*, in Affectatione, non Deitatis Essentialis, aut Unionis Hypostaticæ, aut Beatitatis vel Naturalis vel Supernaturalis, uti quidam, sed Divinæ Eminentiæ Inordinatâ, se exserentem. Quo volunt ducere, α Humani Lapsus à Satana procurati analogiam, β loca revera huc non spectantia *Jes.* XIV. 11. *Ezech.* XXVIII. 5. vel apocrypha *Eccl.* X. 15. & γ metum Pauli de homine *Inflato lapsuro* εἰς κρῖμα τȣ̃ διαβόλȣ, *in judicium*, vel *condemnationem*, *Diaboli* 1 *Tim.* III. 6. aliis hic tamen *Calumniatores* promiscue, & *Criminationem* intelligentibus 2. Vel per *Invidiam* in Humanum Genus, sive salvandum in Christo, sive felicitate potius præsenti

Uti nec certò constat Species peccati. Dum volunt fuisse Superbiam. Vel Invidiam.

ti ipsis nimis propinquum; quò etiam *Muhammedis* tendit fabella. Quod elicitur; α ex historia Mosaica, nullum externum *Peccatum* Tentatione Hominis prius memorante, β *Homicidio & Mendacio ab initio* ipsi adscripto *Joh.* VIII. 44. [1] γ ac perpetuâ contra hominem manente Invidia 1 *Petr.* V. 8. Atque est hæc Invidia revera Superbiæ, vel species, vel fœtus proximus. In hoc verò qualicunque actu Peccati, Defectum Intellectus, quocunque is veniat nomine, ob *Judicii* & *Voluntatis* nexum cum *Thomistis* omnino agnoscere debemus.

[1] *Exerc. Text.* XXXV. P. I.

Peccati Angelorum Pœna Præsens, per quam Cœlo ejecti sunt in Tartarum. Ac Imaginis Divinæ præstantissima parte privati. Et Pœna Futura.

XXVI. Non impunè peccarunt Angeli; utpote qui 1. *Pœnam* modo experiuntur inchoatam. α *Cœlo Exclusi*, & in *Tartarum* Detrusi, 2 *Petr.* II. 4. *Jud.* 6. *Matt.* XVI. 18. non obstantibus illinc locis *Job.* I. II. [2] 1 *Reg.* XXII. 21. *Eph.* VI. 12. *Luc.* X. 18. *Apoc.* XII. 7. 8. 9. [3] quæ vel *parabolicè* intelligenda de Subjectione ac Judiciali Comparitione coram Deo, vel de Cœlo Inferiori agunt, vel Potentiæ Dignitatisque Diabolicæ Imminutionem per Christum, & invalidam Accusationem ejus, *emblematicè* nobis ob oculos ponunt; nec obstante hinc Hominum in terris Seductione, quæ fit Domino Exitum ex Carcere tunc permittente. β *Imagine Divinâ Privati*; non utique ratione *Naturæ Spiritualis*, quæ mansit, aut *Cognitionis* omnis, cum multiplex in illis remanserit Cognitio Dei & creaturarum, unde tributa illis πανουργία 2 *Cor.* XI. 3. [4] & μεθοδεῖαι *Eph.* VI. 11. *&c. coll.* 1 *Petr.* V. 8. *Jac.* II. 19. *&c.* ac *Prædictiones* multæ & *Præsagia Dæmonum*, quæ licet sint plurima fabulosa, omnia tamen absque incredulæ mentis vertigine negari planè nequeunt, vel ex historia certa & clara Samuelis apparentis 1 *Sam.* XXVIII. [5] non etiam respectu *Externi* alicujus *Boni*, quale *se in Angelos Lucis transfigurantes* 2 *Cor.* XI. 14. Christumque profitentes *Matt.* VIII. 29. iidem præstare possunt; non tandem respectu *Potentiæ*, quæ licet imminuta, magna tamen adhuc est in illis, *coll. Matt.* XII. 29. *Eph.* VI. 12. 1 *Petr.* V. 8. liquetque ex spirituali *Mentium Fascinatione* contra potentiam Verbi, Conscientiæ, Beneficiorum Dei, Gratiæque illuminantis, ac *Miris Operibus Corporalibus*, quæ τέρατα potius quam θαύματα vocant, ac in Scriptura S. & in omni historia leguntur, quandoque in speciem talia, quandoque & vera, quin & ex *Dæmoniacorum Obsessione Marc.* I. 32. [6] *&c.* sed respectu *Visionis* & Cogni-

Cognitionis Dei Beatæ, atque veræ *Sanctitatis*, quam Deo & piis adversi omnem amiserunt, *coll. Matt.* VI. 13. 2 *Cor.* IV. 4. 1 *Joh.* III. 8. *&c.* & *Gaudii* hinc resultantis, in Horrores conversi, qui propriè *Jac.* II. 19. & improprie sub *Catenarum* & *Tenebrarum* nomine proponuntur 2 *Petr.* II. 4. *Jud.* 6. Isthæc Pœna autem omnis sub N. T. magis adaucta est, fractâ Diaboli Potestate per Christi actualem Redemptionem *Col.* II. 15. [7] *Hebr.* II. 14. 1 *Joh.* III. 8. ejusque Applicationem uberiorem, in Gentium Vocatione *Apoc.* XX. 2. [8] quæ olim *Gentilia Oracula*, & in Reformatione Seculi XVI. quæ *Portenta* plura *Papistica* cessare fecit, ac Judicii Ultimi appropinquatione Horrores multiplicante. 2. Experientur *Pœnæ* hujus *Complementum* inde à Die Judicii illius, longê gravissimum; α *Intensive*, quod *Ignis Sulphurisque* emblema, miris *Scholasticorum* disputationibus gratis vexatum, satis docet, *Matt.* XXV. 41. *Apoc.* XX. 10. 14. [9] β & *Extensive*, duraturo in omnem Æternitatem supplicio, aliud hic mere & inepte somniantibus *Origenistis*.

[2] *Exerc. Text.* XVI. P. IV. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Hist Parad. Lib.* III. *Cap.* V. [5] *Exerc. Text.* XVII. P. V. [6] *Exerc. Text.* XXIX. P. I. [7] *Exerc. Text.* XLIII. P. II. [8] *Comm. in Loc.* [9] *Comm. in Loc.*

XXVII. Pœnæ autem huic Lapsi Angeli omnes *Irreparabiliter* subjiciuntur; dum Hominum multorum miseretur Deus. Quod non est repetendum; α cum *Thomistis*, à quadam *Naturæ Inflexibilitate*, Divinæ sapientiæ & potentiæ adversa, ac male ex Judicio ipsorum per simplicem Apprehensionem soli Deo proprio probatâ; β aut cum aliis, etiam ex Nostris, vel ex *Naturæ* Angelicæ ad *Assumptionem* Personalem *Ineptitudine*, quæ ex Generationis defectu non videtur solidè probari, vel ex specie *Peccati contra Spiritum S.* commissi, quod utique circa Euangelium versatur, Angelis non patefactum primò, ac ex contumacia & ultronea bonitatis Dei cognitæ rejectione non potest colligi; sed γ ex *Dei Consilio*, de demonstranda in illis, altiori primum gradu constitutis, ἀποτομίᾳ, ac in Hominibus magis patefacienda gratia sua, hinc non dato Mediatore, & multiplicatis absque Pœnitentia jugiter Sceleribus. Angeli Mali ex Lapsu non restituuntur, & cur?

XXVIII. A Deo aversi hi Angeli Mali, tenentur tamen illi *Obsequi*; non modo in *Professione Gloriæ* illius, quotiens id exigit, Debent adhuc Deo obsequi,

 aut

aut in *Terminanda Malitia*, cum id imperat, sed & vulgò in Lictorum instar *Ligandis* per indurationem, & *Cruciandis* multifariam *Impiis*, ac *Affligendis* ad probationem & exercitium fidei *Piis* ipsis, quale in *Jobo* vexato variis modis [1], & *Paulo* Colaphizato [2], exemplum habemus. Quorum omnium intuitu non decet unquam eos, vel cum diffidentia *metuere*, vel ullo modo etiam in nostrum corporale bonum & indirectè *colere*, vel *sequi* suasiones, aut *imitari* impietatem eorum; sed jugiter contra insultus illorum nos *præparare*, *vigilare*, & *pugnare*, donec certamine finito, tandem Victoriam consequamur, *coll. Eph.* VI. 10. *&c.*

[1] *Exerc. Text.* XVI. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XLII. P. III.

Numerus horum Magnus est, sed quantus, non constat nobis.

XXIX. *Numerum Maximum* esse novimus; tum ex illorum *Diffusione* per orbem & aëra omnem, omnesque in dissitis locis homines; tum ex multorum *Præsentia in Uno Loco Luc.* VIII. 30. unde & *Regni* heic mentio *Matt.* XII. 26. Curiosæ interim & inanes sunt conjecturæ, tum de *Æquali* horum *cum Electis* Hominibus Numero, tum de his *Tertiam* præcise *Partem Angelorum* omnium constituentibus; quod ex loco *Apoc.* XII. 4. [3] de Hominibus, non Spiritibus, intelligendo perperam statuminatur.

[3] *Comm. in Loc.*

Inter eos certus est Ordo.

XXX. *Ordinem* in hoc numero ponit tandem Scriptura, quæ hic *Principis* & *Angelorum*, seu ministrorum, *ejus* meminit *Matt.* XII. 24. XXV. 41. *Apoc.* XII. 7. [4] *coll. Gen.* III. 15. [5] Is verò *qualis* sit per omnia, & an *Perpetuus*, imo quoque an repetendus, *α à Prima Creatione*, ut Diabolus tum Caput omnium Angelorum fuerit, uti multi putant ex *Jes.* XIV. 12. *&c.* an *β à Voluntaria* post lapsum *Electione*, an *γ à Pœnali Dei Constitutione*, an *δ* à prima *ad Lapsum Incitatione*, uti vulgò autumant, non putamus nos satis solidè posse determinari. De *Mansione* ordinaria *Infernali*, ac *Exitu in has Terras*, cui similem in *Cœlum Supremum* ex Dei permissione imprudenter quidam ex Nostris statuunt, actum est supra.

[4] *Comm. in Loc.* [5] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* II.

CAPUT DECIMUM.

De Actuali Providentia Dei.

Alterum Opus Externum est Providentia.

CReationi subjicimus PROVIDENTIAM, alteram *Actionem Externam*; quæ nec respectu *Efficientiæ* à parte Dei, nec respectu præcipui *Effecti* quod producit, sed tantum respectu *Modi* in Objecto, quod hic ut jam *Existens* considerari debet, cum à Creatione differat, *hujus Corollarium*, vel *Continuata Creatio*, dici solet.

Vocis Etymon, Synonyma, & Homonymia.

II. Vox Latina est, à *providendo*, sensu *curæ* practico, derivata, quæ radix Deo etiam tribuitur *Gen.* XXII. 8. *Hebr.* XI. 40. *&c.* & familiaris satis in Christiana & Stoica apud Gentiles Antiquitate. Respondet apud Græcos πρόνοια, apud Hebræos השגיח / ראה / הביט / præter alia vocabula, *vivificandi*, *emittendi Spiritus &c.* Ac uti in N. T. legimus *Operationem*, *Portationem*, vel *Motionem*, *&c.* quin & κυριότητα 2 *Pet.* II. 10. *Jud.* v. 8.[1] ita apud Patres & Philosophos habemus *Custodiam*, *Curam*, *Præsidium*, *Autoritatem*, *Gubernationem*, *Dominium*, *Fatum* quoque ipsum. Usurpatur porrò *Providentia* Deo tributa; α tum strictius de *Præscientia*, β & quandoque rerum *Conservatione*, γ tum latius de Conservatione Cooperatione & Gubernatione simul, quatenus illa decrevit Deus, quæ *Providentia* dicitur *Æterna*, δ & quatenus exsequitur eadem in tempore, quæ *Actualis* audit, & hic spectanda est.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

Dari Providentiam aliquam Dei, probatur & defenditur.

III. Providentiam Dei vere *dari*, ubique sive supponit, sive docet Scriptura. Et agnoverunt id communiter Gentiles Philosophi, si *Epicureos* excipias, Numinis quietæ Beatitati frustra metuentes, ac *Fortuito omnia ferri* judicantes; quamquam plures ad Sublunaria & Humana, uti decebat, Providentiam non extenderint. Argumenta utique suppeditat Ratio satis apodictica; tum α à *priori*, ex Dei ut Primæ & Independentis Causæ sapientia, potentia, bonitate, ac actuositate summa, unde negatio Providentiæ negationem Deitatis infert, & Creaturarum, etiam nobilissimarum, Dependentiâ ac Imperfectione; tum β à *Posteriori*, ex Futurorum Prædictionibus certis, Conscientiæ metuentis oran-

tisque sensu, rerum adversarum stabili Harmonia, fixo Ordine; Inexspectato sæpe Eventu, Fine communi &c. Contra quæ non valet; α nimia *Rerum Imperfectio*, hinc secutura, cum ad Infinitam Perfectionem nulla Creatura ascendere possit; β *Dei* beata *Quies*, quæ Providentia non magis quam Creatione interrumpitur; γ *Injusta Bonorum Malorumque* in hac vita *Sors*, dum bonis non est bene, nec malis malè. Cujus consideratio quam multos etiam quantosque viros vexaverit, non est quod quemquam turbet, si cogitemus; nec *hic locum* esse proprium μισθαποδοσίας; nec *Bonos* omnes, vel *Malos* verè, qui tales externâ in hominum oculis specie; nec *Bona* tandem vel *Mala* reapse, quæ finem non considerans homo carnalis talia judicat.

Ejus Definitio.

IV. Providentiam rectè definiri putamus; *Actionem Dei Externam, qua Res omnes à se Creatas potenti voluntatis jussu quoad Essentiam & Perfectiones datas Conservat, in agendo Movet, atque in omnibus Gubernat, ad Gloriæ suæ laudem ac Electorum salutem.*

Est illa Dei Opus, & quidem Solius.

V. Sic *Deum* statuimus Autorem; passim α gloriam hanc ipsi dantibus Sanctis *Neh.* IX. 6. *Psal.* CIV. CVII. *&c.* & β vindicante sibi Deo *Job.* XXXVIII. XXXIX. XL. XLI. *Jes.* XLI. 4. XLV. 6. 7. *&c.* licetque γ iisdem hic uti rationibus, quibus Creatio Deo antea vindicata est; unde ex Operibus Providentiæ ad Deum nos ascendere vult Scriptura *Job.* XII. 9. *Psal.* VIII. 2.[1] XIX. 2. 7.[2] *Act.* XIV. 17. &c. Opponimus autem heic Deum 1. Omni *Fortunæ* & *Casui*, quæ conficta Epicureorum fuerunt Idola; quorumque Nomina non aliter quam de *Eventu* nobis *Prospero* vel *Inexspectato* usurpare licet Christianis. 2. Omnibus *Creaturis*, tum *Terrestribus*, tum *Cœlestibus*, sive *Sideribus*, sive *Geniis*; inter quas & Deum alii non solum ex *Gentilibus* sed & *Judæis*, frequenter memorantibus suum מזל / *Influxum*, & plures Christiani *Hæretici*, Providentiæ opus quasi diviserunt. 3. Omni *Fato*, quale vulgo *Stoicis* tributum, constituitur in *Causarum Secundarum Insito Nexu*, cui ipse Deus subjiciatur. Quamquam credant plures hodiè Docti, phrasibus durioribus nihil voluisse aliud *Stoicos*, quam certam omnium *ex æterna Dei Voluntate Consequentiam*, ac *Consilii illius Immutabilitatem* summam; nec esse quod à *Fati* voce abhorreamus, à *Fando* dicta, & verè sic parallela τῷ ῥήματι *Hebr.* I. 3. nisi fortè propter vocis suspectæ abusum frequentiorem.

[1] *Exerc. Text.* XVI. P. III. [2] *Exerc. Text.* XX. P. V.

VI.

VI. Differentia autem hic inter Creationem & Providentiam ista notari debet, quod hæc, ut Creaturæ Existentiam supponens, neutiquam excludat *Media* sibi subordinata in omnibus suis actibus. Unde observatur, Deum non ex Defectu Potentiæ, sed ex Abundantia communicatæ Bonitatis, per Causas Secundas in omnium corporum, & maxime terrestrium, conservatione operari *coll. Hos.* 11. 20. 21. [3] quod in Spiritibus non ita apparet. Dum Principalis tamen Virtus est Incommunicabilis.

Qui tamen vulgo hic Media admittit.

[3] *Comm. in Loc.*

VII. Communis interim est Providentia *Tribus Personis*; secundum α loca *Job.* v. 17. *Col.* 1. 17. *Hebr.* 1. 3. *Job.* XXXIII. 4. *Psal.* CIV. 30. & β communem Trium Essentiam. Quamquam iterum *Pater* hic potissimum nominari soleat, ob Personarum & Operum inter se respondentem Ordinem *Prov.* XXX. 4. *Matt.* XI. 25. *&c.*

Et ut Triunus est spectandus.

VIII. Perficitur à parte Dei *Jussu Voluntatis* ipsius; quem passim in Providentiæ operibus memorat Scriptura *Job.* XXXVII. 6. XXXVIII. 12. *Ps.* CV. 31. 34. CVII. 25. CXLVII. 15. 16. *Apoc.* IV. 11. [4] *&c.* & præter quem ob Immutabilitatem Perfectionemque Dei nullum Laborem aut Effluxum Virtutis in Deo statuere possumus. Nec repugnat nostra *Palatina Catechesis*, *Omnipotentem & Omnipræsentem Dei* heic nominans *Vim*; cum nec violentam aliquam coactionem, nec robur in actu primo, sed ejus exercitium voluntarium, vox hæc ibi notet.

Perficitur Jussu Divinæ Voluntatis.

[4] *Comm. in Loc.*

IX. Hic vero Jussus prò Objecti & Effecti ratione Triplicem Actum parit, *Conservationis*, *Cooperationis*, & *Gubernationis*; quæ nomina & similia non semper tamen eodem sensu veniunt. *Conservatio*, Scholasticis etiam *Manutenentia*, ad rerum omnium refertur continuatam *Existentiam*, *Essentiam*, *& Perfectiones* singulis datas. De ea videri possunt loca *Neh.* IX. 6. *Ps.* XXXVI. 6. 7. CXLV. 15. 16. CXLVII. 8. 9. *Matt.* VI. 26. 30. *Act.* XVII. 28. ubi *in Deo vivere & esse* dicimur, *Rom.* XI. 36. ubi *omnia Ex Deo* in Creatione, & *Per eum* in Conservatione esse non male intelliguntur, *Col.* 1. 17. *Hebr.* 1. 3. quando φέρειν illic per *portare* exponitur, *Apoc.* IV. 11. [1] ubi τὸ *Esse* juxta τὸ *creatum esse* ponitur. Nec eludenda hæc *Conservatio*, uti fit à plurimis *Pelagianizantibus*, per intellectam in ea meram *Negationem Annihilationis*, tanquam Actus Po-

Triplex est ejus Actus externus; ex quibus est primus Conservatio. Quæ non Consistit in Negatione, sed Actu Positivo. Eoque vario. Nec fluente necessario ex Dei Natura.

Positivi; cum id adversetur α Scripturis *Job.* VI. 9. *Psal.* CIV. 28. 29. *&c.* β Actui Positivo, in Conservatione ubique Deo adscripto, γ & Naturæ Rerum Creatarum, quæ sic plane forent Independentes, nec propterea forte Annihilabiles, δ haud obstante phrasi Positiva in Annihilatione adhibita, quæ captui humano tantum accommodata, θεοπρεπῶς exponi debet. Uti verò monuimus §. IV. Conservationem hanc Corporum respectu esse fere *Mediatam*, ita amplius recte observant; *Media* adhiberi *Ordinaria* vel *Extraordinaria*; & conservari quædam, ut Spiritus & Corpora Majora, *in Individuo*, alia, ut Corpora Minora Animata simul & Inanimata, *in Specie*, manente tamen in omni Generatione & Corruptione Materiâ eâdem. Quâ in re notanda est Dei Sapientia, qui sic demonstrare voluit magis, α Suam potentiam, constantiam, majestatem, β Rerumque dependentiam, ac vanitatem etiam ex peccato. Conservatio porro cum sit *Actio Libera*, nec in Creaturis ulla Necessitas, secundum Potentiam Dei Absolutam illam posse cessare, non debet in dubium vocari, quamquam contrarium videatur Deus ad gloriam suam decrevisse; quod tamen de singulis demonstrari nequit, nedum asseri, Annihilationem in se Constantiæ Divinæ repugnare.

[1] *Comm. in Loc.*

Alter Actus est Cooperatio. Quæ à Pelagianizantibus variè eluditur.

X. Sequitur *Cooperatio*, sub *Concursus* etiam nomine, à corporalibus petito non ineptè, celebris, quæ refertur ad *Operationes* Creaturarum omnes & singulas, sive spirituales, sive corporales, à Deo ut *Prima Causa* repetendas; α secundum Loca complura *Jes.* X. 15. *Jer.* X. 23. *Ps.* LXXIV. 16. 17. *Act.* XVII. 28. ubi *in Deo* dicimur *moveri*, 1 *Cor.* XII. 6. *Eph.* I. 11. *&c.* etiam *Hebr.* I. 3. si φέρειν sit illic *movere*; & β veram *Realitatem*, quæ in Actionibus reperta, non potest à Deo statui independens, & γ tandem earum *Gubernationem*, quæ ex hoc fonte potissimum semper efficax est. Non debet autem hæc Cooperatio constitui; α vel in mera *Virium* operandi *Conservatione*, uti cum *Durando* ex *Pelagiana* hypothesi multi voluerunt *Scholastici*, hæc enim ad priorem actum pertinet; β vel in *Datione Legis* alicujus, sive naturalis, sive moralis, ex qua omnia agant proprio motu, quam ex eodem fonte urgent alii, quæ Cooperatio verè Moralis & Inefficax actionem ipsam denuo Deo subtrahit; γ vel in *Motu Generali*, & Indifferenti, à Creaturis determinando, instar Influxus Solaris,

uti

uti volunt *Jesuitæ*, *Sociniani*, & *Remonstrantes*, in re cum primis sentientes, omnesque sic tollentes efficaciam Divini operis, & phrasin Scripturæ singula Deo vindicantis; δ vel in *Simultaneo* Dei *Actu*, ab actione Creaturarum realiter distincto, quo neutiquam in Creaturas, sed tantum in Actiones Deus influat, quo pacto iterum Independentia Dei & Dependentia Creaturarum tolluntur à *Jesuitis* & *Scholasticis* pluribus; ε sed in *Creaturarum* omnium *Immediato*, virtutis & suppositi respectu, *Prævio*, ac *Prædeterminante*, non temporis sed ordinis ratione, *Impulsu* ac *Motu* ad operandum, ut sic Actio Creatoris & Creaturæ realiter sit Eadem, variè tantum denominata. Quod ex α Scripturæ phrasibus, β Causæ Secundæ ad Primam Relatione perpetua, γ Primæque Independentia, satis patet. Considerandis in relatione ad Deum quidem, non tamen ad Opus ipsum productum, aut ad Creaturas alias, Creaturis *Instrumentorum* instar; ac ab omni Defectu, qui ex Creaturæ insito vitio est, liberando Creatore. Undè maxima hujus Concursus *Differentia à Creatione & Conservatione* satis liquet; contra aliter se explicantes quandoque Philosophos recentiores, ubi de Mentis Cogitationibus agitur.

XI. Tertius tandem Actus est *Gubernatio*; quæ Creaturarum & Actionum omnium dicit *Directionem ad Objecta & Fines* à Deo præstitutos, ac ex priori Cooperatione liquido sequitur *Ps.* cxv. 3. *Jes.* xiv. 24. *Dan.* iv. 34. 35. *Jac.* iv. 15. *&c.* Isti autem Gubernationi quædam *subjiciuntur* α *Inscia*, uti Bruta & Inanimata omnia; β quædam *Invita*, ut Pharao, Sennacherib, & Impii omnes; γ quædam verò *cum Scientia & Voluntariò*, uti omnes vere Pii. Neque in hac Gubernatione Deus unquam *Fine suo excidit*; quamquam Legi communi latæ contrarietur homo per Inobedientiam, & Natura sæpe per deviationem à solito opere, qualis est in Monstris.

Tertius Actus est Gubernatio.

XII. Ex his omnibus Operationibus, per merum Dei Jussum productis, liquet facilè, *Causis Secundis*, earum Viribus insitis, ac Determinationibus Ordinariis, Deum non esse alligatum, ut non possit *supra eas*, *absque iis*, vel *contra eas*, quandoque agere, adeoque vera *Miracula* producere; quæ nimis leviter profectò & præter rem definiuntur *Opera*, *quorum ratio & causa à nobis reddi non possunt*. Illa verò cum plurima proponat Vet. æque quam N. T. Sacra Historia, *Incredulitatis* & forte in multis latentis *Atheismi*

Impie Miracula à multis negantur.

mi fructus est, quod maxima etiam, quale est Noachicum *Diluvium*, [1] universum naturæ inferioris ordinem turbans, Linguarum Babelica Multiplicatio, [2] Transitus per Mare Rubrum, [3] & Jardenem, [4] Aquæ ex Petra suppeditatio, [5] Mannæ datio, [6] Vestimentorum in Deserto Custodia, [7] Solis & Lunæ statio, [8] &c. (ut de illis Christi & Apostolorum taceam,) hodiè à multis negentur, & Causis Naturalibus tribuantur, quas & ipsi norint satis feliciter explicare. Quo pacto sane, α concidit Scripturæ Veritas, quæ hæc gesta ut Miracula insignia proponit passim; β & Dei, qui hinc præ Creaturis agnosci vult, & Messiam agnoscendum prædixit, gloria perit; γ & sub prætextu Divinæ in operando Constantiæ, Libertas ipsius supra omnes Naturæ Leges, manentes utique extra Miraculum stabiles, ac Potentia illimitata, tollitur; β Religio denique & Christiana & Omnis in universum ludibrio exponitur. Quamquam aut *Conficta Miracula* omnia credere, aut verorum *Additamenta Judaica* admittere, aut ab iis *Causas* omnes *Naturales* planè excludere, aut in omni Ecclesiæ statu illa æquè *Necessaria & Frequentia* esse, etiam nos nequaquam velimus.

[1] *Exerc. Text.* II. P. II. [2] *Exerc. Text.* I. P. VI. [3] *Exerc. Text.* VI. P. II. [4] *Exerc. Text.* X. P. IV. [5] *Exerc. Text.* XII. P. III. [6] *Exerc. Text.* XI. P. III. [7] *Exerc. Text.* VIII. P. I. & XIV. P. III. [8] *Exerc. Text.* XI. P. IV.

Omnia subsunt Divinæ Providentiæ.

XIII. *Omnia* omnino Creata huic Providentiæ subjiciuntur, hoc ipso quod Creata & Dependentia; secundum loca *Heb.* I. 3. *Eph.* I. 11. *&c.* Atque hic meritò nominamus primo loco *Maxima.* Qualia *Cælum* & *Cælestia Dan.* IV. 35. *Job.* XXXVIII. 31. *Hos.* II. 20. 21. [9] *&c. Terra* universa *Job.* XLI. 2. *Psal.* XXIV. 1. 2. [10] *Reges & Regna Prov.* VIII. 15. XXI. 1. *Dan.* II. 47. *Homines* omnes *Psal.* XXXIII. 13. 14. 15. tam in Ortu *Gen.* XXX. 22. *Psal.* CXXXIX. 15. & Vitæ cursu *Act.* XVII. 26. 28. quam in Morte *Job.* XIV. 5. *Leones Psal.* CIV. 21. aliaque robustissima *Animantia Job.* XXXIX. XL. *&c.* Ut non liceat unquam in Creaturis fingere istius modi Excellentiam, per quam illæ Deo non indigentes, neque ad gloriam ejus forent, adeoque indigna ipso opera.

[9] *Comm. in Loc.* [10] *Exerc. Text.* XVIII. P. IV.

Minima.

XIV. Eadem secundo est *Minimorum* ratio; quamquam respectu Effectus major cura circa majora Deo tribuatur, *coll.* I *Tim.*

IV.

IV. 10. Sunt autem hic in Scripturis nominati *Passerculi Matt.* x. 29. *Corvorum Pulli Psal.* CXLVII. 9. *Insecta Exod.* VIII. 16. 17. x. 12. *Deut.* XXVIII. 38. *Joel.* II. 15.[1] *Aves*, *Lilia*, & *Gramina*, *Matt.* VI. 26. 28. 30. *Capilli Matt.* x. 30. *&c.* Quæ omnia quò Minora, eò magis Providentia Dei opus habent; nec est hic ille *minor artifex in parvis, quam in magnis magnus*, secundum *Augustinum*. Unde vetus perit Objectio gemina; α de rebus his *Dei Cura Indignis*, quæ ex earum Creatione satis refutatur, Deo utique non indignâ; β & de *Majestate Dei*, minimis his non occupanda, cum minorum cura ob Dei sufficientiam majorum illam, perinde ut in hominibus, non excludat; γ Pauli verbis I *Cor.* IX. 9. quæ itidem objiciuntur, comparatè intelligendis. Hic vero *Balbi* impiam vocem, *magna Deos curare, parva negligere*, si alicubi ex parte imitatus est *Hieronymus*, & *Alter* forte aliquis ex Nostris, non videns Singula Minima *rationem Boni aut Mali habere*, aut *ad Dei Gloriam & Perfectionem Universi* multum *facere*; vel erravit à veritate alibi agnita per humanam imbecillitatem, vel phrasi usus est duriori, ad significandum, tum Unitatem Divinæ Providentiæ circa multa Objecta, tum Majorem Curæ circa rationabilia Gradum.

[1] *Comm. in Loc.*

XV. Tertiò memoramus *Necessaria* omnia; quorum Necessitas sc. est ab indita à Deo Lege, & à Deo Mutabilis, uti in Aqua cohibita in fluxu, & sustinente ferrum, Igne non consumente, Solis Lunæque impedito Cursu, Gravibus Sursum motis, &c. liquet. De his Necessariis lege *Psal.* LXXIV. 16. 17. CIV. 19. 20. *Jes.* LIV. 9. *Jer.* XXXI. 35. 36. *Matt.* v. 46. *&c.* Nec possent hæc omnia, in *pugnis rerum & qualitatum* perpetuis, aliter quam per Potentissimam Dei Manum servari; ut argumentum ad excludendam Dei Providentiam, à Necessariis petitum, prorsus nullum sit. Necessaria.

XVI. Sic & quarto pariter Providentiæ subsunt omnia maximè *Contingentia*; quæ Hominum & Causarum Secundarum ratione talia dicuntur, non Causæ Primæ intuitu. Id α enim docet Scriptura apertè, in *Tempestatibus* variis *Jer.* LI. 16. *Psal.* CXLVII. 15. 16. 17. 18. *Homicidio* Fortuito *Exod.* XXI. 13. *Deut.* XIX. 5. *Passerculi* lapsu *Matt.* x. 29. &c. & potissimum *Sorte Prov.* XVI. 33. in quacum industria humana prorsus cesset, propterea sempera ut Contingentia.

 ad

ad Providentiam Divinam solam fit provocatio, aut Deo Gloria sua impie negatur; β ostendunt *Exempla* varia illustria, *coll. Gen.* XXII. 8. 13. 1 *Reg.* XXII. 17. 34. &c. à Gentilibus ipsis quandoque observata; γ & probat *Ratio*, tum ex horum vera Realitate, quæ non potest à Causa Prima esse independens, tum ex Prædictione certa, quæ determinationem Divinam infert. Objectiones præcipuæ *Pelagianorum* & *Pelagianizantium* omnium jam solutæ sunt *Cap.* VI. §. XI. & nituntur; α tum perversa explicatione *Contingentiæ*, quasi hæc in Absoluta plane *Indifferentia* consisteret, omnemque Necessitatem excluderet; tum β torsione sententiæ nostræ, quasi *Media* omnia arceret, cum tamen Deum quidem pro *Causa Primâ*, non verò Unica, aut *Extraordinariè* semper operante, habeamus, atque in *Eventu Incerto* nobis Officii in Lege mandati ratio habenda sit, cum humili reverentia Providentiæ superioris.

Libera. Ubi Phrases Ineptæ variæ notantur.

XVII. Nec alia *Liberorum* quintò ratio est; si quidem α ea heic expressè nominat sæpius Scriptura *Prov.* XVI. 1. 9. XX. 24. XXI. 1. *Jer.* X. 23. *Phil.* II. 13. *&c.* β Exempla Divinæ Providentiæ in iis manifestissima suppeditat *Gen.* XLV. 7. L. 20. *Jes.* XLVI. 10. 11. *Act.* IV. 28. &c. γ & rationes modò productæ idem confirmant. Difficultas si hic opponatur conciliandæ *Libertatis* Creaturarum & Divinæ *Providentiæ*; non sane ad *Scientiam* nudam, aut meram *Permissionem*, aut generalem *Influxum*, confugiendum est, sed ad veram *Libertatis* naturam, quæ non in absoluta Indifferentia, sed in *Lubentia* seu *Spontaneitate Rationali* consistit, & per quam Coactio Externa, ac Naturæ cæcus Ductus, non autem Causæ Primæ Operatio, aut Necessitas omnis tollitur; dè quo vide amplius dicta *Cap.* VI. §. XI. Rejiciendæ porrò phrases Recentiorum quorundam, non aliunde quam ex *Pelagiano* Veterum & Novorum *Philosophorum* fonte imprudenter petitæ; *Operationem Dei non esse concipiendam per modum Prædeterminationis, ad quam Voluntas se Passive habeat*; *Nihil ponendum extra Voluntatem quod eam determinet*; *repugnare, Liberum esse, & per modum Principii Physici ab alio determinari*; *Creaturas Rationales ex se ipsis Actuosas, & Actionum suarum Dominas esse*; *Concursum Dei non aliud hic esse, quam Conservationem, sive continuam Creationem Mentis nostræ.* Quæ utcunque forte excusari possint, ob sententiam *Anti-Pelagianam* alibi ab ipsis declaratam, non tamen probari queunt, nec inculcari ut curatissimæ debenr.

XVIII. Sextò recensenda hic sunt *Bona* omnia; quæ plane efficit Dei Providentia 1 *Cor.* IV. 7. sive sint *Naturalia*, sive *Moralia*, sive *Spiritualia*, 2 *Cor.* III. 5. *Phil.* II. 13. *Jac.* I. 17. *&c.* Et hæc quidem convenienter naturæ Hominis Rationali. α *Mandando.* β Mandatum per promissa & minas *Urgendo.* γ *Illuminando* interius & convincendo. δ Efficaciter *Voluntatem Flectendo* ad obsequium. Qui cum tamen agat instar Causæ Secundæ, & Volens, merito Homini Bonum opus tribuitur, efficientiâ principali Causæ Primæ & Universalis in *Denominatione* non spectatâ, nec spectandâ.

Bona quæcunque.

XIX. Tandem locum hic reperiunt *Mala* cuncta. 1. Tum *Pœnæ* *Jes.* XLV. 6. 7. *Thren.* III. 38. *Hamos.* III. 6. [1] *&c.* quæ infert Deus, Ordinaria & Extraordinaria, Immediatè & Mediatè, per Creaturas Irrationales & Rationales, tam Homines quam Angelos, quo & refer Satanæ Colaphos 2 *Cor.* XII. 7. [2] perperam id negantibus *Coluthianis.* 2. Tum *Culpæ*; quæ Providentiæ α subjicit Scriptura passim *Exod.* X. 1. *Deut.* II. 30. 2 *Sam.* XII. 11. 12. XVI. 10. XXIV. 1. 1. *Reg.* XI. 14. 26. XXII. 22. *Ps.* LXXXI. 13. *Jes.* VI. 9. 10. XXIX. 14. *Jer.* IV. 10. *Ezech.* XIV. 9. XX. 25. 26. [3] *Rom.* I. 24. 26. 28. IX. 18. XI. 8. 32. 2 *Thess.* II. 11. *&c.* β quæque subjecta esse eidem docet irrefragabiliter pessimè habiti Christi & Josephi historia; γ nec subtrahi possunt, α propter *Defectum Omnium Actionum* Humanarum, quæ sic pariter subtrahendæ forent, β propter *Hominum* in omnibus & maximè Bonis *Dependentiam*, γ propter *Malorum* apud Deum *Scientiam*, δ tandem propter *Judicia per Peccata* exercita, dum Peccata punit Deus Peccatis, & in Diversis personis 1 *Reg.* XI. 26. *Jes.* X. 15. *&c.* & in Iisdem *Jud.* IX. 23. *Ps.* LXXXI. 13. *&c.* ubi *Formale Pœnæ & Culpæ* tum distinctè notari potest & debet, uno aliud non excludente prorsus.

Etiam Mala, & Pœnæ & Culpæ.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XLII. P. III. [3] *Exerc. Juven. Disp.* VIII. *&c.*

XX. In explicando autem *Modo Concursus Divini* circa *Malum Culpæ*, vitari debet *Triplex Scopulus.* 1. Ne *Malum* omne *negemus*, ac cum *Simonianis*, *Gnosticis*, & *Libertinis*, nudæ ac imaginariæ Hominis Persuasioni tribuamus. Quo ipso Legis Obligatio, imo & Veritas omnis, tollitur. 2. Nè *Deum Peccati* faciamus *Autorem*, cum *Marcionitis*, *Manichæis*, *Florianis*, *&c.* Quam

Ubi notantur Extrema Tria, quæ vitare oportet.

 hypo-

hypothesin, uti blasphemam, ob Dei α Sanctitatem, & β Veritatem in urgenda obedientia, ex animo detestamur; licet eam per calumniam intolerandam nobis imputent *Lutherani*, *Arminiani*, *Sociniani*, ac *Pontificii*, verius quosdam ex *Scholasticis* suis accusaturi. Sufficit ad Ecclesiæ nostræ justas vindicias; α publica *Confessio* adversa; β *Doctorum*, qui maximè accusantur, *Declaratio* candida & repetita; γ similis olim *Augustini* doctrinæ illata *Injuria*; δ *Fidei* nostræ in hoc Capite *de Providentia* aliisque genuina *Expositio*; ε tandem phrasium, *Voluntatis*, *Nutus*, *Mandati*, *Impulsionis*, *Motionis*, *Coactionis &c. ad Peccatum*, collatio *cum Scripturis & Autorum* contextu. 3. Ne cum *Adversariis* his fingamus *nudam Contemplationem & Otiosam Permissionem*; quam α nec Natura Dei sanctissima, optima, & actuosissima, β nec Phraseologia Scripturæ, memorantis *Traditionem*, *Dimissionem*, *Jussum*, *Indurationem*, *&c. coll. Job.* XII. 16. 17. &c. admittit, nec γ cum Hominis Dependentia unquam conciliabunt.

Et notandus est Dei Concursus in Actione ipsa. Tum circa ejus Malitiam Quadruplex.

XXI. Dicendum itaque, manifestam hic esse Dei Providentiam. 1. *In Actione* ipsa, quæ mala est, *Producenda*; quoniam hæc qua Actio metaphysicè Bona dici debet. A qua Actione multum differt *Defectus*, non Dei qui Lege nulla tenetur, sed Hominis, *à Divina Lege*; quem ad modum *Corruptio Nativa* & Habitus Vitiosus *ab Homine*, *Fœtor ab Aquis* per calorem dissolutis, *Claudicatio à Progressu* Equi impulsi, &c. Quibus Similibus utuntur Theologi, ut probent Canones Logicos, de *Causa Causæ simul existente Causa Causati*, & dè *Effectis Causæ potius Principali quam Instrumentali tribuendis*, *&c.* ad Causas per Se, & Instrumenta Pura, hîc debere restringi, secundum loca *Deut.* XXXII. 4. 5. [1] *Ezech.* XVIII. 25. *Hos.* XIII. 9. [2] *&c.* 2. In *Malitia* dein. α *Permittenda*, non *Ethicè* equidem, sed *Physicè*; per *Negatam Gratiam* impedientem, *Jer.* XVI. 13. *Act.* XIV. 16. secundum positivum sanctissimæ Voluntatis Decretum, & Dominium Dei liberrimum; quin & *Ablatam* eam, ob abusum ejus priorem. β *Augenda*; tum per *Traditionem* judicialem in Potestatem Satanæ Mundi & desideriorum Carnis; tum per *Objectas* peccandi *Occasiones*, in se tamen bonas, qualis est ipsa Lex *Rom.* VII. 8. Quo refer & *Tentationem*, à Deo alias remotam *Jac.* I. 14. γ *Limitanda*; quoad *Objecta*, *Mensuram*, & *Durationem* omnem, *Jes.* X. 25. *Ezech.* XXI. 21. 22. δ *Dirigenda* denique; ad suam *Laudem*, & *Fines*

nes hominibus electis *Salutares*, summopere sæpe externæ operis speciei & peccantium intentioni adversos, secundum exempla Josephi & Christi traditi. Quo omni sensu *Permissio* hæc Dei *Efficax*, non autem *Efficiens*, dicitur.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.*

XXII. *Finis* hujus Divinæ Operationis, ad quem omnia facta ducunt, est α *Gloria Dei*, quæ hic per Sapientiam, Potentiam, Justitiam, Misericordiam, Constantiam, Libertatem, aliasque Virtutes demonstratas, patefit *Prov.* XVI. 4. *Act.* XIV. 17. *Rom.* XI. 36. & β ob hanc *Salus Electorum* *Jes.* XLIII. 3. 4. XLIV. 28. *Rom.* VIII. 28. 2 *Petr.* III. 9. *&c.*

Finis Providentiæ geminus.

XXIII. Cumulum *Absurdorum* contra doctrinam hanc coacervare *Adversarios*, constat; partim per ejus Torsionem, partim propter Abusum Hominum, qui optimis rebus communis doctrinæ ipsi imputari nequit. Scilicet sic, inquiunt. 1. *Deus* privabitur; α Sua *Libertate*; quasi non ageret ille constanter simul & lubenter. β Beata *Quiete*; quasi per opera continuata fatigaretur. γ *Majestate* suprema; quasi à Deo producta ipsius cura forent indigna. δ *Justitia*, dum bonis cum malis & supra hos male est; quasi hanc dispensationem sibi non vindicaret passim ipse Deus 2 *Sam.* XXIV. 15. 1 *Reg.* XXI. 22. *Ezech.* XXI. 3. *Exod.* XX. 5. *&c.* justissimus tunc, ob communem omnium Reatum, hominumque inter se Connexionem, & mali ad bonum Directionem. ε *Sanctitate*; quasi malum permittere omnium Dominum ad justam punitionem & finem optimum esset indecens. 2. Inducetur autem apud *Homines*. α *Carnalis Securitas*, ac *Mediorum*, & *Religionis* omnis *Neglectus*, respectu Futuri, atque Præteritorum, imò omnium *Scelerum Excusatio*. Quasi Providentia Dei semper absque Officii nostri præstatione esset promissa; & Scelera ad Deum ut Autorem possent referri. ϐ *Fatalis* quoque rerum omnium *Necessitas*. De qua vocis & rei respectu supra dictum est; quæque si intelligitur *Absoluta* plane, & ex rerum insito *Nexu* fluens, nullum habet cum doctrina nostra nexum, imo huic palam adversatur.

Absurda contra Providentiam Dei objecta diluuntur.

XXIV. Ex adverso ad *Commendationem* doctrinæ hujus dicimus. 1. Sic *instrui* nos de *Gloriosis Divinis Perfectionibus*, *Carnisque* omnis etiam potentissimæ *Imbecillitate*, *Psal.* XXXIX. 12. *Jes.* II. 22. *Dan.* IV. 34. 35. 2. Sic accipere fideles firmam *Consolationem in*

Doctrinæ hujus Usus multiplex monstratur.

Adversis

Adversis omnibus, sive casu sive hominum malorum Consilio eveniant, *Job.* I. 21. 22. *Rom.* VIII. 28. *Hebr.* XII. 6. *&c.* 3. Sic *incitari* eos, *α in Secundis*, ad Humilitatem & Gratitudinem erga Deum, non exclusâ Mediorum Divinæ Providentiæ æstimatione debita, *Gen.* XXXII. 10. *Deut.* VIII. 10. 18. *Psal.* LXXV. 2. 7. 8. *&c.* β in *Adversis*, ad Patientiam *Psal.* XXXIX. 10. Delictorum humilem Confessionem 1 *Petr.* V. 6. & Vitæ Emendationem *Hebr.* XII. 9. 10. *γ* in *Futuris* denique omnibus, ad *Spem* firmam in Deo *Job.* XIII. 15. *Preces* humiles *Psal.* XC. 16. 17. CXXVII. 1. *Jac.* IV. 15. ac diligentem *Officii* nostri *Exsecutionem*, *Psalm.* LXXI. 16. *&c.*

CAPUT UNDECIMUM.

De Cultu Dei, & Lege illius norma.

Transitur ad Dei Cultum; quod Nomen declaratur ab Etymo & Synonymis. Ubi distinctio Papistica λατρείας & δουλείας exploditur. Et illa Cultus Civilis & Religiosi substituitur.

DEI Cognitio ad Ejús CULTUM nos ducit; sub utroque quidem, sed maxime sub hoc nomine, veniente propterea *Religione*. Dicitur à *Colendo*, quæ vox ab Hebræo כלה / & כלל / *perficere*, vulgo derivata, animi *Curam*, *Exornationem*, *Venerationem*, *&* *Subjectionem* simul notat. Planè ei respondet Hebræorum עבד / & עבודה / Chaldæorum פלח / & פלחן / ut de Nominibus magis Synecdochicis, *Honoris*, *Timoris*, *Amoris*, *Invocationis*, *&c.* ac Græcis εὐσεβείας, θεοσεβείας, θρησκείας, εὐλαβείας, δεισιδαιμονίας, λειτουργίας, λατρείας, δουλείας *&c.* nunc non dicam. De postremis his tamen ἐν παρόδῳ notandum, distinctionem *Pontificiam* iuter Λατρείαν, & Δουλείαν, quasi hæc *Cultum Religiosum Creaturis* communem, ac in summo gradu ὑπερδουλείας *Humanitati Christi* matrique *Virgini Mariæ* deferendum, illa vero *Cultum Deo Proprium* notaret; esse *α præter primam Vocabulorum institutionem à Schola Theologorum Excogitatam*, *Bellarmino* fatente; β contrariam promiscuo Usui apud τοὺς LXX. *Lev.* XXIII. 7. *Deut.* XXVIII. 48. & in Novo Test. *Matt.* IV. 10. *Rom.* XII. 11. *Gal.* IV. 8. & apud *Patres*, ipso vix excepto *Augustino* qui in distinctione alibi tradita multum à *Papistis* differt, ac *Lexicographos*, licet vox λατρείας forte frequentius legatur, unde appellata *Idololatria* magis quam

quam *Idolodulia*; γ adversam denique *Origini Vocum*, cum δουλεία à δέω *ligo* dicta ad majorem obligationem, quam λατρεία à λάτρον *mercede* derivata, nos ducat. *Cultus* interim ad Objecta extra nos Rationalia relationem habens; α alius est *Civilis*, qui nomina in S. Scripturis cum Religioso communia habens vix etiam ex Gestibus dignosci potest, *Religiosi* appellationem laxiorem & impropriam admittit, & varius est prò Creaturarum varia Dignitate, ac præsentia vel absentia, hinc Sanctis & Angelis rectè adscriptus; β alius *Religiosus*, Deo proprius, hinc *Divinus* per Subjectionem & Fiduciam præcipue distinctus, cujus alii sunt *Actus Interni*, alii *Externi*, alii *Mixti*, alii item *Eliciti*, alii *Imperati*, circa Creaturas quoque versantes.

II. Cultum hunc Dei ut theoreticè & practicè tractemus, generatim suadere potest. 1. *Æquitas* ejus; sive α Infinitam Dei Perfectionem & Majestatem, *Jes.* LXVI. 5. *Jer.* X. 6. 7. *Dan.* VII. 10. *Psal.* XCV. 3. *Apoc.* VII. 15. [1] sive β Creationem & Conservationem jugem *Psal.* XCV. 5. 6. *Act.* XVII. 27. 1 *Cor.* VIII. 6. magisque Redemptionem gratiosam *Tit.* II. 14. *Apoc.* V. 9. [2] sive γ ex his fluens Conscientiæ propriæ Dictamen, intueamur *Rom.* I. 21. II. 15. 2. *Necessitas*, orta; α ex Fine operantis Dei *Jes.* XLIII. 21. *Eph.* II. 10. β ejus Mandato *Deut.* VI. 13. *Psal.* II. 11. [3] *Jac.* I. 22. γ Comminatione addita *Exod.* XX. 5. 2 *Thess.* I. 8. δ Hominisque regere se sibique providere nescii Dependentia. 3. *Utilitas*, liquens; α ex Dei Sufficientia, β Justitia, γ Bonitate, δ & Promissis repetitis, ac Juramento confirmatis, pariter & Colentium Experientiâ *Psal.* LXXIII. 1. &c.

Cultus Dei indicatur Æquitas, Necessitas, Et Utilitas.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XV. P. III.

III. Ejus porrò naturam propius contemplaturi, dicimus, Cultum Dei esse; *Obedientiam cum plena Subjectione & Fiducia Deo Triuni præstitam, secundum Legis ipsius præscriptum.*

Ejus Definitio.

IV. Cultum Dei cum per *Obedientiam* definimus, eundem 1. Restringimus ad *Creaturas Rationales*; licet impropriè & metonymicè *Irrationalibus*, *Inanimatisque*, secundum voluntatem Dei absque ejus scientiâ operantibus, quin & *Nihilo*, dum aliquid fit per Dei jussum, hæc etiam tribuatur. 2. Non sufficere hic innuimus *Externum Opus*, impiis commune, sed debere adesse sinceram *Animi Promptitudinem*; juxta α Mandata repetita 1 *Chron.* XXVIII. 9. *Prov.* XXIII. 26. *Matt.* XXII. 37. &c. β solius Ex-

Cultus Dei à solis Creaturis Rationalibus præstatur. Ab Animo debet provenire. Nec tantum aut præcipue ex Pœnæ metu, aut Præ-

 terni

mii desiderio. Quod tamen adesse potest. Sed ex cognita Obedientiæ Æquitate.

terni Operis Detestationem perpetuam *Jes.* I. 11. 12. XXIX. 13. *Matt.* XXIII. 27. 28. *&c.* γ & spiritualem ac ad spiritus penetrantem Dei Naturam, *coll.* 1 *Sam.* XVI. 7. *Psal.* LI. 8. *Joh.* IV. 24. 3. Illum demum esse Verum Cultum notamus; qui α non provenit solum, aut præcipuè, *ex Pœnæ Metu*, quando animus aliud vult, licet Pœnæ Motivi loco etiam servire possint, potissimum in Conversionis initio 2 *Cor.* V. 11. β nec similiter *ex Desiderio Præmii*, *formaliter* spectati, sive *ut promerendi*, quod plane abesse debet, sive ut per gratiam Dei simpliciter *obtinendi*, quandò potius Nostri Ipsius, per propriam quæsitum commodum, quam Dei Cultus est, à quo Moses *Exod.* XXXII. 32.[1] Paulus *Rom.* IX. 3.[2] aliique Sancti longe abfuerunt, quamquam hoc Desiderium, si Præmium spectetur materialiter, & sit Secundarium potius quam Primarium operis præstiti argumentum, sit & licitum & utile *Matt.* V. 12. *Tit.* I. 2. *Heb.* XI. 26. &c. quo ipso concidunt subtiles de *Puritate* Obedientiæ & Amoris Divini *Scholasticorum* disputationes, ac variorum *Pontificiorum* adversus nos criminationes; γ sed *ex Divinæ Voluntatis* nobis patefactæ, ut superioris & æquissimæ, *Intuitu.*

[1] *Exerc. Text.* V. P. V. [2] *Exerc. Text.* XLVIII. P. V.

Cultus Dei per Subjectionem & Fiduciam discriminatur à Civili.

V. Obedientia vero cum talis præstetur etiam Hominibus, ad *Cultus Divini* discriminationem spectat ulterior ejus *Modus*, *Objectum*, *&* *Norma*. Et *Modus* quidem Obedientiæ, Divino Cultui peculiaris, consistit; α tum in *Subjectione*, Animi æquè quam Corporis, illâque Universali & Illimitata, sub Dominium Dei unici Legislatoris 1 *Cor.* VIII. 6. *Jac.* IV. 12. *Exod.* XXIV. 7. 1 *Sam.* III. 10. *Psal.* CXVI. 16. *Act.* IX. 6. *&c.* quo loco nullæ haberi debent Creaturæ 1 *Cor.* VII. 23. *Gal.* V. 1. *&c.* β tum in *Fiducia* reposita in Dei Sufficientia & Bonitate, absque qua Deus animo hilari coli nequit *Psal.* II. 11. 12.[3] *Hebr.* XI. 6. & quæ fundamentum solidum in Creaturis iterum non reperit *Psal.* CXVIII. 8. *Jer.* XVII. 5. *&c.*

[3] *Exerc. Text.* XV. P. III.

Colendus est Religiose Deus Verus. Et Trinus qui solus verus est. Tandem

VI. Ex dictis liquet Cultus *Objectum*, quod est *Deus*. 1. Primum *Verus* *Deut.* VI. 13. X. 20. *&c.* exclusis Gentilium Diis λεγομένοις 1 *Cor.* VIII. 4. 5.[4] *Gal.* IV. 8. ad quos Inscitia vel Consuetudo prava sapientiâ cæteroquin turgidos abduxit *Rom.* I. 21. 22. *Eph.* IV. 18. hinc à Deo passim exsibilatos *Psal.* CXV. 4. *Jes.*

XLIV.

XLIV. 12. 2. Dein *Triunus*; ob communem unam Essentiam, Perfectionem, Dignitatem, & Revelationem quoque. Ut *Verum Deum* in concreto neque agnoscant neque colant, qui Trinitatem negant vel ignorant, aliter quamquam vellent *Socinianizantis Arminiani*, & loquantur etiam quidem ex *Nostris*, ad Naturam Divinam in abstracto respicientes; juxta loca *Joh*. V. 23. VIII. 19. 1 *Joh*. II. 23. *&c.* Interim in Cultu respectum esse *ad Personas Singulas*, juxta earum Ordinem & OEconomiam, ac posse *Unam* præ reliquis *nominari*, non abnuimus, ob Scripturæ Monita, & Exempla: negatâ tamen & negandâ semper *Personarum Divisione*, & aliarum *Exclusione*. 3. Tandem *Solus*. Quod docet Scriptura; α explicitis terminis *Matt*. IV. 10. VI. 24. 1 *Reg*. XVIII. 21. *&c.* β omnes alios ab hoc Cultu excludens, tum *Angelos*, Bonos æque *Col*. II. 18. *Apoc*. XIX. 10. XXII. 9. [5] quam Malos, vere Deo & hominibus hostiles, *Lev*. XVII. 7. [6] tum *Homines*, Mortuos æquè *Ies*. LXIII. 16. quam Vivos, *Act*. X. 26. XIV. 14. 15. γ Creaturis omnibus auferens, tum *Perfectiones Divinas* Scientiæ & Potentiæ, quæ hic requiruntur *Ies*. XLV. 6. *Eccl*. IX. 5. tum *Gloriam* illas consequentem *Jes*. XLII. 8. *&c.* Uti vero non possunt hic excusari *Pontificii*, Gentilium impietatem excedentes, ab *Idololatria* turpi, in *Cultu Religioso Angelorum*, *Sanctorum*, (quorum & ἀποθέωσιν per *Canonizationem* ab impura Gentilitate serius acceperunt,) *Papæ*, *Reliquiarum*, *Hostiæ Missaticæ*, *Crucis*, *&* *Imaginum*, *&c.* per Preces, Templa, Aras, Festa, Vota, &c. adductis Distinctionibus, tum λατρείας & δουλείας, tum Cultus *Absoluti* & *Relativi*, *Supremi* & *Subalterni*, *&c.* quas nec natura rei aut Scriptura admittit, nec observat populus, nec pariter tenent omnes. Ita vanissimæ sunt *Objectiones*, α ab *Exemplis* Jacobi *Gen*. XLVIII. 16. [3] Mosis *Exod*. XXXII. 13. Jobi *Iob*. V. 1. XIX. 21. quæ *appellationem* filiorum *secundum nomen* paternum, *Patrum* ob erectum cum iis Fœdus *Commemorationem*, & *Provocationem* ad sanctos aut amicos *viventes* tantum exhibent; β à *Gloria Sanctorum*, quæ maxima, non tamen Divina, nec ad Cognitionem necessitatum & desideriorum nostrorum se extendit, quicquid Trinitatis Speculum, Revelationes Dei, & Narrationes accedentium de Terra fingant, nec alium propterea Cultum quam Civilem, Honoris, Amoris, & Imitationis seriæ infert; γ à *Reliquiarum Pretio & Virtute* 2 *Reg* XIII. 21. *Matt*. IX. 21. *Actor*. V. 15. XIX. 12. dum Pretium honestam tantum Sepulturam

Solus, exclusis Creaturis omnibus. Quas turpi Idololatria jungunt Papistæ. Quorum Objectiones aliquot diluuntur.

turam exigit, & Virtus temporaria & instrumentalis ad Cultum, in Mose ipso Deo ingratum communiter creditum ex *Deut.* XXXIV. 6.[8] homines non duxit, & de Reliquiis confictis plurimum hodiè non major est certitudo, quam de Sanctis variis Chimæricis. Alia alibi occurrent.

[4] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [5] *Comm. in Loc.* [6] *Exerc. Text.* VII. P. IV. [7] *Comm. in Pentat.* [8] *Comm. in Pentat.*

Norma Cultus Dei non est Traditio Majorum, nec Proprium nostrum Arbitrium, sed Lex Dei.

VII. *Norma* hujus Cultus neutiquam est. 1. *Majorum* aut *Superiorum Traditio*; palam & communiter rejecta *Jes.* XXIX. 13. *Ezech.* XX. 18. *Matt.* XV. 3.[1] *Col.* II. 8. 18. 20. 22. *&c.* Quamquam in rebus Adiaphoris, ad Circumstantias Cultus pertinentibus, illa non sit protervè rejicienda. 2. Nec proprium *Hominis Arbitrium*; α damnatâ hic passim ἐθελοθρησκείᾳ *Mich.* VI. 6. 7. 8.[2] *Col.* II. 23. β ob Gloriam Dominii in omnes Actiones nostras Deo relinquendam; γ Hominisque in Divinis Cæcitatem, à Sanctis non planè ablatam. Ut gratis sua parum Religiosa Vota & Opera commendaturi *Pontificii*, post *Traditionarios* & *Iustitiarios* plures *Judæos & Hæreticos*, hic opponant; α *Sacrificia Patrum*, quæ ex Fide facta, Deoque grata, Mandato Dei omnino nixa fuerunt; β *Baptismum Johannis*, qui fuit ex Cœlo utique per missionem Dei; γ *Finem Bonum*, qui Adiaphoram non magis quam Malam Actionem potest reddere Bonam, aliter quam respectu Finis illius. 3. Sed *DEI LEX*, quæ nominis & rei respectu nunc exponenda venit.

[1] *Exerc. Text.* XXX. §. IV. [3] *Comm. in Loc.*

Legis nomen, ejusque Origo, Synonyma. Et Homonymia. Atque Definitio.

VIII. Derivant Nomen hoc, ubique obvium, *Scholastici* multi à *Ligando*, quia Lex hominem obligat; alii tamen rectius à *Legendo*, vel sensu *eligendi*, vel significatione communiori, tum quod Scripta Lex promiscue *legi* potuerit, tum maximè quod lata *prælegeretur* palam. Hebræis dicitur תורה quod ab הורה sive ירה derivatum, *doctrinam*, vel *viæ monstrationem*, notat; Græcis νόμος, ἀπὸ τοῦ νέμειν, quod *regat* ipsa, regiminis sit norma, atque *distribuat* unicuique suum. Sunt *Synonyma* alia complura *Voluntatis* Dei, *Verbi*, *Beneplaciti*, *Præcepti*, *Judicii*, *Statuti*, *Juris*, *Mandati &c.* in omni lingua, quorum ratio facilis est. *Legis* nomen porro, uti ad *Humana Mandata*, iniqua pariter & æqua, rectè extenditur, quin & sæpe de *Potestate Cogente* impropriè sumitur *Rom.* VII. 2. 23. VIII. 2. ita ad Deum relatum notat; α vel omne *Dei Verbum* Scriptum *Psal.* I. 2. & maximè

mè illud Vet. Test. *Joh.* x. 35. ac Mosaicum *Luc.* XXIV. 44. β vel *Doctrinam* consequendæ *Salutis* in eo monstratam, quo sensu Duplex apud Paulum *Lex*, *Fidei & Operum*, *Rom.* III. 27. & Euangelium quoque nomen *Legis* accipit *Ies.* II. 3. XLII. 4. *&c.* γ vel Verbum Mandati, secundum quod Actiones nostras componere decet. Uti hic *Legis* vocem capimus, eam definientes; *Faciendorum & Fugiendorum omnium Normam, à Deo creaturæ Rationali præscriptam, sub comminatione Mortis immorigeros manentis, & promissione Vitæ ab observantibus exspectandæ.*

IX. Sic discrimen *Euangelici* Verbi, quod *Credenda* continet, à *Lege* mox patescit. Dum hæc ut *Actionum* Rationalium *Regula* proponitur *Psal.* CXIX. 1. 2. 3. *Ezech.* XX. 19. *Rom.* XII. 2. *Eph.* V. 17. *&c.* & quidem *Plenissima*, α utpote, Præceptis & Interdictis pariter instructa, quæ se mutuo in quocunque hominis statu inferunt, β & se ad omnes Actiones ita universaliter extendens, ut licet sint multæ in se *Adiaphoræ* seu *Indifferentes*, v. g. *edere*, *bibere*, *manum pedemque movere &c.* nulla tamen sit in subjecto & circumstantiis omnibus talis. Nec est, quod juxta Legem quis hic nominet, vel *Deum* ipsum, vel *Sanctos*; cum α hi posteriores Exemplaria tantum sint, eandem Viam Legis ut Normam sequentes, β atque nec hi ob Defectus multos, nec Deus ipse ob Infinitam Perfectionem, aliter quam secundum & propter Legis præscriptum à nobis sint imitandi.

Est Regula Actionum Rationalium, Plenissima & Unica.

X. Norma hæc, ut nobis talis sit, Legisque vim habeat, *à Deo* Creaturæ Rationali *præscribi* & nota fieri debet; quod α ex Sapientia & Bonitate Dei in Regni sui administratione, β Obedientiæ & Inobedientiæ natura, γ tum & Consuetudine Hominum perpetua liquet, δ conferendis rectè locis *Deut.* XXIX. 29. [1] XXX. 11. [2] *Mich.* VI 8. [3] *Rom.* V. 13. VII. 7. Neutiquam autem; α vel *Idem* hic *Notificationis Modus & Gradus* est Necessarius, ex varia OEconomia Dei ante & post Mosen, in Judæis & Gentibus, quin & hodie in Christianis, varius; β vel *Notificatione Nova* in singulis post *Lapsum Adami* opus est, licet aliquam Deus omnibus ad majorem Convictionem concesserit, cum Ignorantia hæc, æquè quam obediendi Impotentia, sit Culpabilis, & Voluntariè contracta, non ergo in totum excusans, licet culpam peccatorum minuat, *Matt.* XI. 22. *Ioh.* XV. 22. *Rom.* II. 9. 12. *&c.* Quod contra *Pelagianorum* hypotheses varias benè tenendum est.

Ejus requiritur Divina Notificatio; cujus est Modus varius, & quæ post lapsum non est denuo Necessaria.

 [1] *Exerc.*

[1] *Exerc. Text.* X. P. II. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.*

Additam habet Comminationem Mortis.

XI. Atque ut Norma hæc plenè Legis rationem omnem habeat, *Pœnæ* etiam *Præmiique Declaratio* accedit. Eſt autem Pœna hæc *Mors*, quæcunque ſub hoc nomine in Scriptura venit, fluens ad tranſgreſſionem, α ex Dei *Sanctitate Hab.* I. 13. [4] *Pſal.* L. 21. *&c.* β & *Juſtitia*, infinitæ Majeſtatis læſionem non aliter apte vindicante, γ hinc declarata, tum in Scriptura *Deut.* XXVII. 26. *Rom.* VI. 23. *Jac.* II. 10. tum & in Natura *Rom.* I. 32. Unde fluunt Corollaria varia; α nullius valoris eſſe *Papiſtarum* inter *Peccata Mortalia* & *Venialia* diſtinctionem; β nullam *apud* Pontificem *Diſpenſandi* facultatem; γ nullam *Liberationem ab Obligatione* præſtandæ *Legis per Peccatum*; δ nullam denique *Mortis ex Natura Sequelam*. Nulla porro eſt Legis *ad Pœnam*, niſi latius omnino ſic dicta, *Obligatio*; etiam ſi illi per Peccatum homo ſubjiciatur.

[4] *Comm. in Loc.*

Et Promiſſionem omnis Vitæ.

XII. Præmium Legi Dei additum quoque eſt ipſo dignum, *Vitæ* ſc. omnis, quæ Morti opponitur, adeoque & quam maximè *Æternæ*; quod α ex *Bonitate* Dei, juxta multos *Liberâ* & *Arbitraria*, juxta alios verius *Naturali*, fluit; & β paſſim in Verbo Dei declaratur *Lev.* XVIII. 5. *Matt.* XIX. 17. γ quin & ratione duce pateſcit *Job.* X. 3. quæ *Spem Vitæ Bonæ* in Gentibus ipſis excitavit. Unde Præmii hujus Promiſſio non deneganda *Adamo Integro*; nec reſtringenda ad ſola *Præcepta Moralia*, Ceremonialibus excluſis, uti volunt hodiè multi, α abſque Scriptura aut Ratione ulla, β & contra loca *Lev.* XVIII. 5. [1] *Ezech.* XX. 11. [2] *&c.* in quibus non Moralia Ceremonialibus, ſed Divina Humanis & Idololatricis Statutis opponuntur: ita tamen, ut non, niſi ex totius Legis obſervantia, Vita hæc vel fuerit unquam vel ſit etiamnum exſpectanda.

[1] *Exerc. Juven. Diſp.* X. XI. [2] *Ibid.*

Legis Divinæ Diviſio multiplex.

XIII. Ad *Diviſiones* Divinæ Legis accedimus, quæ variæ ſunt; dum α ratione *Principii*, alia dicitur *Poſitiva* & *Arbitraria*, alia *Naturalis* & *Neceſſaria*; β ratione *Partium*, alia *Forenſis*, alia *Ceremonialis*, alia *Moralis*; γ ratione *Finis*, alia *Convictiva*, alia *Explorativa*, alia *Exſecutiva*; δ ratione *Modi Patefactionis*, alia *Non-ſcripta* & *Naturalis*, alia *Scripta* & *Revelata*; ε ratione *Durationis*, alia *Perpetua*, alia *Temporaria*; ratione *Extenſionis*, alia

alia *Universalis*, alia *Particularis*, alia *Singularis*, *&c.*

XIV. A Lege *Positiva* & *Temporali* initium facimus; quam Deus ut Liberrimus Dominus ferre potest, & tulit propterea, tum α *Ante Lapsum*, interdicens v. g. Fructum Arboris Scientiæ, tum β *Post Lapsum*, & Personis α *Singularibus*, Noacho, Abrahamo, Mosi, &c. & β *Pluribus* simul, tam sub *Vet.* quam sub *N. Testamento*, iterumque α tum *Extensam* ad Totam N. T. OEconomiam, β tum *Restrictam* ad aliquas Terras & Ætates. Ad priorem communem Novi Test. Legem pertinet *Baptismi* & *Cœnæ Sacræ* institutio; ad restrictam alteram mandata, de *Ritibus Precandi*, *Prophetandi*, *Osculandi*, *&c.* 1 *Cor.* XI. XIV. XVI. Atque huc referre non dubitamus *Interdictum Sanguinis & Suffocati* Apostolicum *Act.* XV. 20. 29. XVI. 4. XXI. 25. propter α Loca generalia *Rom.* XIV. 14. 17. 1 *Cor.* VIII. 8. X. 25. 26. *Col.* II. 16. 21. 1 *Tim.* IV. 3. 4. *Tit.* I. 15. β Scopum datæ sub Vet. T. illius Legis Ceremonialem *Lev.* XVII. 10. 11. γ Occasionem repetitionis Apostolicæ, introduci scil. temerè cœptam ad Gentes Legem omnem, quare infirmis in re hac exigua ad tempus gratificandum erat *vers.* 24. δ quomodò jam ab *Augustini* tempore plurimi Christiani cum aliorum irrisione rem hanc intellexerunt. Aliter tamen post *Veteres* multos, cum *Græcis*, & *Abyssinis*, judicant hodieque Viri quidam Docti, etiam ex *Nostris*, frustra urgentes; α *Necessitatem* memoratam, quæ ex natura rei κατ' τι intelligenda, vel ex composita voce ἐπάναγκες, quasi *aliquatenus necessarium* notante; β conjunctionem cum *Scortatione*, quæ prò Indifferenti à Gentilibus multis habebatur, & hic ad *Cibos* pollutos *Cauponarios* ob nomen commune ἀλισγημάτων v. 20. & reliqua tria Ciborum genera, [3] videtur referri debere; γ oppositionem horum ad Jugum Ceremoniarum δυσβάστακτον, quæ utique est satis apta inter Partem Leviorem & Totam Legem; δ nullam factam denique ullibi Abrogationem mandati, dati ab Apostolis, & tempore etiam Noachi omnibus Hominibus *Gen.* IX. 4. cum gravi comminatione, & ratione morali *Lev.* XVII. 10. 11. *Deut.* XII. 23. quin & facilis, naturæ congrui, & valetudini conducibilis; quæ argumentis nostris superioribus & locis adductis facilè confutantur, potissimum si spectemus in aliis Ceremonialibus quibusdam hæc etiam memorata capita posse observari. Neque *Judæorum* incredulorum & induratorum hodiè *Offensionis* acceptæ ratio magna habenda est.

Lex Positiva ante Lapsum & post Lapsum. Etiam sub N. Test. Ad cujus OEconomiam Totam Lex Cibaria Act. XV. 20. non extenditur.

[3] *Exerc. Text.* XXXVI. P. I.

Lex V. T. Forensis exponitur. Quomodo eadem sit Abrogata, & Duret adhuc.

XV. Sub Vet. Test. vero Lex *Positiva* & *Temporalis* duplex potissimum fuit, *Forensis*, & *Ceremonialis*, duplici voce משפטים / *Jurium*, & חקים / *Statutorum*, non semper sed sæpius distingui credita. *Forensis* alias *Politica* audit, estque illa; *Secundum quam Respublica Judæorum pacis bellique tempore ex Dei jussu erat administranda.* Continuit in se; α *Statuta* varia Magistratibus & Subditis præscripta, de Regiminis v. g. Forma, Litium Processu, Conjugiis, Servitutibus, Hæreditatibus, Possessionibus, &c. β tum etiam *Pœnas*, transgressoribus & horum & aliorum mandatorum constitutas, accommodatas non tantum ad delicti naturam, sed & ad delinquentium ingenium durum, delictorum frequentiam, orientalium mores, & rigidam illam OEconomiam *Heb.* II. 2. X. 28. Nulla in parte fuit, vel *Æquitati*, quicquid videatur forte ex *Exod.* XXI. 15. *Deut.* XXI. 18. *&c.* vel *Legi Morali*, quatenus ex Sanctitate Dei fluit, *Adversa*, aut præcipiendo vetitum, aut vetando præceptum; quamquam in multis α *Diversa*, permittendo per non additam graviorem pœnam vetita, uti *Divortia Matt.* XIX. 8. [4] imo β *Adversa*, in Exceptionibus quibusdam à Lege Morali, quatenus ex æterna Dei voluntate fluit, qualis est in jure *Leviratus Deut.* XXV. 5. Est amplius in multis *innexa*; & α Legi *Morali*, uti in capite de *Adulteriis, Usuris, &c.* & β *Ceremoniali*, uti in jure *Primogenitorum*, *Azylorum*, *Annorum Sabbathicorum & Jubilæorum &c.* Est tandem lata à Deo, α *ad Legis*, Moralis & Ceremonialis, *custodiam*, β ad *Judæorum* à Gentibus *Segregationem* majorem, γ denique *ad Externæ Societatis* θεοκρατίας dignam εὐταξίαν. Unde quoad *Durationem*; α nec plane cum Moralibus quibus innectitur *Abrogata* debet censeri, quod fit ab *Antinomis* ac *Anabaptistis*, argumenta pro Magistratu, Bellis, Judiciis &c. ex veteri Lege petita non admittentibus; β nec cum aliis paucioribus *Legis Zelotis* ejus *Observantia Universalis*, etiam in omni Pœna Adulterii, Furti, aliorumque Criminum, urgeri, contra naturam hujus Legis, ejusque Fines additos; sed γ statuenda est nos *obligare in generalibus & moralibus Fundamentis*, nobisque exemplar in reliquis, secundum temporis, loci, & personarum rationem commodam, imitandum proponere, magis quam Græcorum forte & Romanorum jura.

[4] *Exerc. Text.* XV. P. V.

XVI.

XVI. Altera Lex V. T. Positiva *Ceremonialis* dicitur, voce isthac, quæ à varia Origine Latina vel Hebræa petitur, non latius prò externis quibusvis Ritibus, quando adhuc hodie, & in Statu Integritatis quoque, Lex talis admitti debet, sed strictius sumptâ; ac venit sub nomine חקים/ *Legis* τῶ ἐντολῶν ἐν δόγμασι *Eph.* II. 15. *Elementorum Mundi Col* II. 20. *Præcepti Carnalis, Infirmi, & Inutilis Hebr.* VII. 16. 18. δικαιωμάτων σαρκὸς *Hebr.* IX. 10. nusquam vero *Statutorum non Bonorum*, uti ex *Ezech.* XX. 25. perperam multi urgent. [1] Est autem illa; *Quæ sacros ritus præscripsit mysticæ significationis & præfigurantes spiritualem gratiam N. Testamenti.* Unde *Accidentaria Cultus Dei*, & *Primæ Tabulæ Appendix* dicitur. **Legis Ceremonialis Nomen & Definitio.**

[1] *Exerc. Juven. Disp.* X. XI.

XVII. Legis hujus Præcepta ad varia Capita referri solent. 1. Pertinent enim quædam ad *Vitam Communem*; quæ *Observantiæ* à Scholasticis dicuntur, uti quæ de *Vestitu*, *Ciborum Discrimine*, ac *Immunditie* multiplici carnali, præscripta sunt. 2. Alia ad *Cultum Dei Publicum*; quæ juxta *Scholasticos*, vel α *Sacrificia*, Subjectum Cultus exerciti, vel β *Sacra*, Cultus sc. Instrumenta, Loca, & Tempora, vel γ *Sacramenta*, colentes consecrantia. Quamquam alii, nec minus commode, omnia referant; α ad *Personas* Sacras, *Pontificem*, *Sacerdotes*, *Levitas*, *Nethinæos*, *Naziræos* tum Natos tum Votivos, perperam accensitis quandoque *Rechabitis*; ad *Res* β & *Actiones* sacras, *Sacramenta* sc. *Primitias*, *Vota*, *Donaria* denique, & *Sacrificia* omnia, ratione materiæ, formæ, finis, temporis &c. varia; γ ad *Loca* Sacra, inter quæ celebriora & præcipua, primò *Tabernaculum*, & dein *Templum Jerosolymitanum*, successive Geminum, cum omni Ornatu & Apparatu; δ tandem ad *Tempora* Sacra, Festa scilicet *Anni Sabbathici & Jubilæi*, Annua *Paschatis*, *Pentecostes*, *Scenopegiæ*, *Tubarum*, *Expiationis*, Menstrua *Neomeniarum*, seu *Noviluniorum*, quin & Hebdomadaria *Sabbathorum*, quo etiam *Horæ* Sacrificiis destinatæ referuntur. Istorum verò omnium rationem & significationem specialem uti *Compendium* hoc addi non admittit, totius potius Voluminis argumentum, ita videre licet apud Mosen & Commentatores. **Ejus Præcipua quædam Capita.**

XVIII. Legis hujus *Divinam Originem* nemo nisi apertè Infidelis negare sustinebit; neque est illa Deo indigna, sed potius sapien- **Fuit hæc à Deo lata successivis**

Gradibus, Tribus Præcipuè.

sapientiæ ejus infinitæ, humanam rationem excedentis, index, si rationes ejus mox aperiendas consideremus. Notamus vero ita *successive* Deum eam *tulisse* 1. Ut Initia ejus *ab Adamo* ipso & *Prot-Euangelio* sint repetenda *Gen.* III. 15. 21. [1] *coll. Lev.* VII. 8. *Apoc.* III. 18. unde reperimus ab eo tempore *Discrimen Animalium* mundorum & immundorum *Gen.* VII. 2. certos *Sacerdotes*, quales Noach, Melchitsedek, & postea Abraham, Job, ac Primogeniti *Exod.* XIX. 22. [2] XXIV. 5. vera *Sacrificia Gen.* IV. 3. 4. VIII. 20. designata *Altaria*, & *Sabbatha* quoque secundum primam Institutionem, & rei ipsius necessitatem, non male huc etiam relato *Dierum Fine* quo facta oblatio *Gen.* IV. 3. [3] 2. Ut *Progressus* major competat *Ætati Abrahami*, quando cum explicata magis *Promissione* Deus dedit *Circumcisionem*, non aliam tum aut minus onerosam quam postea, & Fœdus suum restringere cœpit, Gentibus haud longe postea plane excludendis. 3. Ut *Complementum* debeatur *Ministerio Mosis*, qui in Ægypto Pascha cum Azymis, & mox post Exitum, partim ante μοσχοποιΐαν, partim post eam, iterum Deo exorato *Exod.* XXXII. 7. XXXIII. 12. mandata reliqua dedit, Gentibus tum ire jussis *Joh.* I. 17. VII. 22. *Act.* XV. 5. *&c.*

[1] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* VII. [2] *Exerc Text.* VII. P. II. [3] *Exerc. Text.* I. P. II.

Non est repetenda ab Integritate. Uti & male ea repetitur à solo Mose & Peccato Vituli, tanquam ejus Pœna.

XIX. Unde cadit α *Pontificiorum* quorundam hypothesis, Sacrificia ipsa ex Statu Integritatis & Lumine indito Naturæ repetentium, in gratiam *Sacrificii Missatici*; quasi ex *Corporeo Cultu* juxta Spiritualem necessario Sacrificium inferri posset, quod *Iram Placandam* ponit, & non potius natura Spiritum Perfectissimum sanguine fuso non delectari clamaret, *coll. Ps.* L. 13. β Tum etiam *Recentiorum* temerariæ ut putamus assertiones, dè *Mose Primo & Solo Legis* hujus latore, de *Ceremoniis* ante eum *Liberis plane & Voluntariis*, dè *Nullo* tum *Jugo* vel *Peccati Commemoratione*, ac summatim de Lege hac data tantum post μοσχοποιΐαν *ex Ira in Pœnam* hujus Peccati, quo trahuntur loca *Jer.* VII. 22. XXXI. 32. [4] *Ezech.* XX. 25. 26. [4] *Rom.* IV. 15. [4] *Gal.* III. 19. [4] *&c.* Cum tamen α ante & post Mosen reperiamus *Idem Cultus* Corporalis ex se non Boni *Genus*, eandem *Divinam Institutionem*, nisi εὐάρεστος Deo statuatur ἐθελοθρησκεία, & Fides absque Verbo Dei, eandem *Præfigurationem*, eandem molestam *Peccati*

non

non expiati *Memoriam*, idem adeo in substantia *Jugum* δυσβάστακτον *Act.* XV. 10. quod tamen esse Aggravatum magis per Determinationes & Comminationes Mosaicas nemo diffitetur, & quod omne tempore Libertatis N. T. prorsus tollendum erat; β *Historiæ* æquè filum *Exod.* XXIII.....XXXII. & Scriptura tota *Deut.* VI. 24. *Neh.* IX. 13. 14. *Psal.* CXLVII. 19. quam Umbraticæ Legis Natura, Gratiam Dei singularem arguat, ante Vituli Peccatum in hoc exhibitam, & per illud ad tempus abruptam; γ Loca tandem adducta, α partim doceant, Deum *non tantum* aut *præcipuè* jussisse per Mosen ipsum Ceremonialia, β partim respiciant ad *Judicia Varia* contra Immorigeros in Deserto & Cananæa terra palam *exercita*, γ partim declarent Judicium *Traditionis in Impura & Mortifera Gentilium Statuta*, δ partim monstrent *Fructum Legis*, potissimum Moralis, in homine peccatore, ε partim denique indicent *Finem* totius Oeconomiæ Legalis, qui fuit Peccatorum *Manifestatio* simul & *Cohibitio*.

[4] *Exerc. Juven. Disp.* X. & XI.

XX. Non fuit itaque *Ratio* & *Causa* Legis hujus; α *Ira* Dei propter μοσχοποιΐαν, β nec *Justificatio* hominis Peccatoris per ejus *Obedientiam*, quod *Judæorum* & *Judaizantium* somnium confutavit ex natura legis ipse Paulus *Hebr.* VII. 11. 27. IX. 9. X. 1. *&c.* γ nec solum *Legislatoris Placitum* mysterio carens, uti vellent fere *Sociniani*, nec *Ægyptiorum Rituum Consuetudo* recepta, quam per astum politicum seu Deus, seu, quem magis cogitant impii homines, Moses solicitare non foret ausus, utique in plurimis plane Adversas Leges sic non laturus; sed alia multiplex, 1. *Minus Principalis*; α summi *Dominii Divini Declaratio*; β *Israëlis ab aliis* populis *Segregatio Eph.* II. 14. 15. γ Populi *ab Idololatria*, in quam pronus erat, *Avocatio & Coërcitio*; quo ducebat Lex omnis, considerata propterea instar φρουρᾶ, παιδαγωγᾶ, ἐπιτρόπυ, καὶ οἰκονόμυ, *Gal.* III. 23. 24. [5] IV. 2. 3. [6] 2. *Principalis*; α docenda *Peccati*, ut *Mortem* meriti, nec adhuc *Expiati*, sed tamen necessario *Expiandi*, & quidem *Quotidiani*, quotidiana *Agnitio & Professio*, *Col.* II. 14. *Hebr.* X. 3. *Lev.* I. 4. β manuductio *ad Christum* tanquam verissimum *Umbrarum* omnium *Corpus*, in quo per fidem Expiatio & Salus omnis futura *Act.* X. 43. XIII. 39. *Rom.* X. 4. *Col.* II. 17. *Hebr.* VIII. 5. X. 1. *&c.* γ inculcatio *Cultus*, à Deo in omnibus *præscribendi*, in *corpore* demonstrandi,

Ratio datæ Legis Ceremonialis vana. Et Vera, Minus Principalis & Principalis.

 di,

di, *puri curati & continui*, cum *mortificatione Corporis Peccati* jungendi, &c. Quæ Mysteria in singulis Partibus Legis singulatim tamen & certò enucleare difficillimum, si non impossibile, homuncioribus nobis esse putamus; Deo hic ulteriori industriæ semper aliquid reliquum faciente, nec forte in omnibus minimis aliquid specialius designante.

[5] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. *Mant.* XI. [6] *Exerc. Text.* XXXIX. P. II.

Non debuit Durare Observatio Legis hujus sub Novo Test. Quod contra Objectiones varias defenditur. Quatuor Momenta Legis hujus recensentur.

XXI. Neutiquam autem *Legis hujus Observatio durare* debuit, perinde ut ex ea fluens *Instructio* durat, *sub diebus Novi Test.* vel Omnibus vel eorum ultimo Fine, post factam Judæorum conversionem. Obstant quippe; α expressa Novi Test. Loca *Act.* XV. 10. 28. [1] *Gal.* V. 2. 3. 4. 13. *Col.* II. 14. 17. *Hebr.* VII. VIII. X. quæ ad *Judæos* quoque, non solas *Gentes*, directè vel indirectè pertinent; β Vaticinia Vet. Test. plura *Jes.* XIX. 19. LXVI. 3. *Jer.* III. 16. XXXI. 31. 32. *Dan.* IX. 27. *Mal.* I. 11. [2] *Psal.* CX. 4. [3] *&c.* γ & Præceptorum horum Natura, quæ Non Bona ex se, imposita Hæredi Infanti, Gentes à Deo excludentia, Christi adventum Futurum significantia, Dura, *&c.* quin δ & Status, tum Confusarum Israelis Tribuum, tum Diruti, absque spe restitutionis, frustra sub Juliano tentatæ, Templi. Nec valent *Judæorum* & *Judaizantium* Hæreticorum Objectiones, petitæ. α *A Dei Immutabilitate.* Quæ in Legis Umbraticæ Corporali Implemento, & instituti ad Tempus tantum dati Abrogatione opportuna, maximè elucet. β Ex Locis, quibus *Legis Æternitas* inculcatur, ac *Templum*, *Sacerdotes*, *Sacrificia*, *sub diebus Messiæ* promittuntur *Genes.* XVII. 13. *Exod.* XII. 24. *Zach.* VI. 12. 13. [4] *Jer.* XXXIII. 18. *Mal.* I. 11. [5] *&c.* Cum *Æternitas* hic restricta ut alibi 1 *Sam.* I. 22. *Exod.* XXI. 6. *&c.* notet Seculum Vet. T. oppositum Diebus Messiæ; & in reliquis per Phrases Corporales Spiritualis Cultus notetur. γ Ex *Abrogatione Legis Mosaicæ*, uti *interdicta* olim sub gravi pœna *Deut.* XIII. 1. 2. *&c.* ita *declinata* à Christo *Matt.* V. 17. & Apostolis *Rom.* III. 31. Cum in his de Toto Legis & Doctrinæ Mosaicæ agatur Complexu; & in vero Implemento ac Usu monstrato nulla etiam sit propriè dicta Abolitio. δ Ex *Praxi & Mandato Apostolorum Act.* XV. 20. XVI. 3. XVIII. 18. XXI. 26. Cum hæc nitantur tantum Infirmitate Credentium, quibus Libertatem Novi T. necdum intelligentibus per charitatem aliquid dandum erat 1 *Cor.* VIII. 11. 12.

IX. 20. &c. dum alia longè Incredulorum erat ratio *Gal.* II. 3. ſ. II. Ubi recte ab ævo obſervatur, *Honeſtè debuiſſe Sepeliri Synagogam cum Ceremoniis*; & Quadruplex earum eſſe fere Momentum, α quo fuerunt *Vivæ* & *Vigidæ*, ſc. ante Chriſti Adventum, β dein *Languidæ*, durante Vita & Miniſterio Chriſti in terris, γ tum *Mortuæ & Inefficaces*, poſt illius Mortem, tandem factæ ſunt δ *Mortiferæ*, poſt declaratam per Templum Vaſtatum Libertatem; quomodo & Vet. T. exſpirantis, ac Novi inchoantis, varii ſunt Gradus. Præſcribere verò debet hæc *Antiquatio*; α tum contra eos, qui *eaſdem Ceremonias* aliquando *in Fine Seculi reducendas*, ſed ad alium finem, utique in Scripturis non revelatum, volunt; β tum contra *Pontificios*, qui *alias*, ſed ſimilis naturæ, *Ceremonias*, ac ex *Judaiſmi & Gentiliſmi* mixtura petitas, ſua autoritate ſanciunt, in Pontifice, Sacerdotibus, Altaribus, Sacrificiis, Feſtis, Luſtrationibus &c.

[1] *Exerc. Text.* XL. P. V. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [4] *Comm. in Loc. & Exerc. Miſc. Diſ.* VI. [5] *Comm. in Loc.*

XXII. Lex ſequitur *Moralis*, ſic dicta aptè, quicquid admordeant nonnulli, quod Morum omnium figat Regulam Perpetuam; appellata alias *Decalogica*, quod *Decem Verbis*, ſive *Præceptis*, (ſunt enim hæc duo plane Synonyma, ex *Exod.* XXXIV. 28. *Deut.* IV. 13. *&c.* aliter quamquam velit recentior Nonnullorum criſis,) comprehendatur, & *Naturalis*, quod ſubſtantiæ præcipuæ reſpectu ex Natura Dei fluat, & talis fuerit, ſitque adhuc Homini; quamquam iterum *Legem Naturæ* ſæpe impropriè vocent ordinem rerum omnium, & inſtinctum animantium. Et eſt hæc Hebræis ſtricte תורה & κατ' ἐξοχὴν *Lex*, *Rom.* II. 25. III. 20. V. 13. XIII. 8. *&c.* Eſſe verò hanc dictam in Scripturis, cujus præcepta *qui fecerit vivet Lev.* XVIII. 5. & cujus verba *Verba Vitæ Act.* VII. 38. excluſo Ceremoniali & Forenſi Jure, quam abſque omni fundamento & contra Scripturam & Bonitatem Dei à multis urgeatur, ſupra §. XII. monuimus. Eſt autem hæc; *Lex quæ hominis Integri, & partim adhuc Lapſi inſcripta cordi, poſtea à Moſe Decalogo ſummatim comprehenſa, ſanctiſſimam, immutabilem, perfectiſſimam, & perpetuam, Morum omnium animi & corporis conſtituit Regulam.*

Legis Moralis Nomen, Synonyma, & Definitio.

XXIII. *Inſtitutio* itaque hujus *Prima* derivanda eſt *ab ipſa Creatio-*

Fuit illa primum lata in Integritate, ut esset Via Justitiæ.

tione, quando Hominis Cordi (Angelis non exclusis) insculpta fuit; sicut id docet α Imago Dei, veram Sapientiam & Sanctitatem inferens; β Præceptum Positivum, absque indita Lege nullius plane valoris; γ Conscientia Adami, in accipienda Eva, atque Metu propter Peccatum; δ ipsa etiam in Lapso homine Rudera. Et fuit tum Legis hujus Finis, ut Norma non solum Morum, sed & *Via Justitiæ* acquirendæ esset, *coll. Rom.* VIII. 3. juxta argumentum Fœderis, postea explicandi *Cap.* XIV.

Est adhuc ex parte Inscripta Cordi Hominis Lapsi. Quod malè negant Libertini. Et ex parte Judæi. Legis Naturalis & Scriptæ discrimen.

XXIV. Inscriptionem Legis hujus in *Homine Lapso naturaliter* reliquam adhuc esse; α monstrat Paulus *Rom.* I. 19. 20. II. 14. 15. ubi de Gentibus Conversis agi, ex *Inscriptione Ier.* XXXI. 33. & alibi aliter intellecta, contra totum scopum & contextum urgent *Sociniani*; β docet singulorum Conscientia 1 *Cor.* XI. 14. *Eph.* V. 29. *&c.* γ probatque *Philosophorum* plurimorum, quamquam dissensisse videantur *Epicurei*, & *Populorum* consensus, qui ex hoc fonte *Ius Naturale* & *Gentium*, maximè *Primævum*, hauserunt. Cui thesi impiè adversantur *Libertini*, *Athei*, & *Pseudo-Politici* varii, hominem natura omni *Lege Solutum*, illi tantum per *Consuetudinem*, *Traditionem*, vel *Conventionem*, *subjici* volentes; ac perperam pugnantes ex Gentium & Hominum quorundam *ἀπηλγηκότων cauteriatione*, quæ Judicium Supernaturale, & suffocatos Conscientiæ Actus Secundos, tantum dicit *Rom.* I. 28. *Eph.* IV. 19. 1 *Tim.* IV. 2. Indirectè quoque se heic opponunt *Iudæi*, per sua *Præcepta Septem Noachidarum*, quorum *Sex ab Adamo* ipso repetunt, de *Cultu Extraneo*, *Maledictione Dei*, *Homicidio*, *Libidine Illicita*, *Furto*, *Iudiciis*, *&* *Membro Animalis Vivi*; dum α Traditioni hæc magis quam Naturæ videntur tribuere, β Ceremonialia sic miscent, γ nec Moralia satis plenè recensent. In re itaque non differt *Lex* hæc *Naturalis*, & *Moralis* scripta, sed tantum in Claritatis & Perfectionis Gradu, quem ita Peccatum commisso justo Dei judicio in homine Lapso minuit, ut Bonitas Dei ipsam Legem superesse tamen voluerit, α ad majorem ἀναπολογησίαν, β impiorum refrænationem in communi vitæ societate, γ ac facilioris Conversionis occasionem.

Solenniter iterum data est Israeli. A Filio Dei. Ministerio

XXV. *Solenniter* verò iterum hanc Legem tulit Deus *Populo Israëlitico*, à se in Populum peculiarem assumpto; ubi 1. *Legislator* ipse; *Jehovah*, *Deus Israëlis*, α Filius sc. etiam qua Mediator & Rex Ecclesiæ *Act.* VII. 30. 38. *Hebr.* XII. 25. 26. *coll. Exod.*

III.

III. 2. 4. *Ps.* LXVIII. 9. 19. [1] non obstantibus locis *Joh.* I. 17. *Hebr.* I. I. II. 2. 3. *&c.* quibus de Externo Ministerio Christi incarnati & humilis agitur; β & Pater in Filio *Exod.* XXIII. 20. 21. 2. *Ministri*; tum α *Angeli*, qui simul fuere Testes, & Majestatem Legislatoris summopere reformidandi augentes Comites *Deut.* XXXIII. 2. [2] *Act.* VII. 53. *Gal.* III. 19. *Hebr.* II. 2. *coll.* 2 *Cor.* II. 4. III. II. 2 *Tim.* II. 2. quos hinc ad tempus Oeconomiæ tantum Mosaicæ nomen *Deorum*, & simul *Autoritatem* quandam *Dominicam* in Ecclesiam ipsorum Personis subjectam accepisse, hypotheses sunt recentiorum ἄγραφοι, ἀντίγραφοι, ἄλογοι, de quibus latius agitur *Cap.* IX. §. XII. & *Cap.* XX. §. XXVI. β tum *Moses Deut.* V. 5. XXXIII. 4. [3] *Mal.* IV. 4. [4] *Joh.* I. 17. qui hinc *Mediator* dicitur *Gal.* III. 19. atque à Deo etiam quasi *Regnum* Populi nactus est *Deut.* XXXIII. 5. [5] 3. *Modus* Geminus. Dum fuit Lex, α *Promulgata* coram Populo omni, cum Signis terrificis tonitruum, fulgurum, tubarum, fumi, ignis, terræ motus, *Exod.* XIX. 16. 18. XX. 18. 19. 21. hinc & de Legibus suis similia mentitis Gentilibus; quod factum ad augendam *Dei Majestatem*, commendandam *Legis Sanctitatem*, ac *Iræ Divinæ* in transgressores *Gravitatem*, *Populi* denique probandam *Constantiam*, ac urgendam magis *Obedientiam.* β *Inscripta Duabus Tabulis Exod.* XXIV. 12. XXXI. 18. de quarum Materia, Forma, & Formatione, multa nugantur *Judæi*, secundum Duplex Præcepti Genus, Duasque Hominis Partes; & quidem *Lapideis*, ob Durationem, Legis Impotentiam, humanique Cordis, cui similiter inscribenda, Duritiem adumbrandam; *Dei Digito*, seu virtute vel immediata vel occulta, quæ Priores quoque Tabulas formavit *Exod.* XXXII. 16. *à Parte Utraque*, in Usum faciliorem & adumbrationem Universalis Obedientiæ, circa Modum rei hujus variantibus Interpretibus; & quidem *Bis*, Tabulis novis post priores fractas à Mose factis *Exod.* XXXII. 19. XXXIV. I. hisque inferendis in Sanctuarium & Arcam, non absque multiplici mysterio, *Exod.* XXV. 16. 21. XL. 20. I *Reg.* VIII. 9. *&c.* 4. *Circumstantiæ.* α *Temporis*, quod fuit Dies *Quinquagesimus* ab Exitu ex Ægypto, & *Tertius* à Præparatione, unde Festum *Pentecostes*, [6] quo etiam Spiritus effusus fuit ad Euangelii prædicationem sub N. T. β *Loci*, qui erat mons *Horeb*, vel *Sinai*, in Arabia deserta, memorabilis ob Allegoriam *Gal.* IV. 25. [7] 5. *Finis*, neutiquam ut ex ejus Obedientia Vitam Æter-

Angelorum & Mosis. Tum Voce Terribili. Tum Scriptione Tabulis traditis. Die Quinquagesimo ab Exitu, in Horeb. In finem multiplicem.

Æternam nanciscerentur, quale *Fœdus Operum* inire cum Homine Reo ac Impotente plane Divinæ Justitiæ & Veritati adversatur, sed alius multiplex; α Respectu *Israelis* totius, etiam maximè impiorum, ut esset publica Externæ in Republica Obedientiæ Norma, simul dè Miseria hominis & Dei Justitia eos convincens, & Peccatum refrænans; β Respectu *Electorum* & Fidelium, ut hi ad perfectiorem Miseriæ Cognitionem, humilem perfectæ Justitiæ Christi Apprehensionem, Deoque gratam Gratitudinem adducerentur. Qui Usus Legis adhuc observari possunt & debent.

[1] *Exerc. Text.* XVIII. P. III. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Loc.* [6] *Exerc. Tex.* XLII. P. IV. [7] *Exerc. Text.* L. P. V.

An Decalogus sit Formula Fœderis Gratiæ, distinctè inquiritur & deciditur.

XXVI Judicari ex dictis debet de vexatâ hodie Quæstione; sitne *Decalogus Formula Fœderis Gratiæ*, an *Operum*, an *Tertii* alicujus? Ad quam distinctè respondemus. 1. Nullius illum esse propriè *Fœderis Formulam*; sed tantum *Legem*, quæ non est nisi Pars Fœderis, verius propositi *Exod.* XIX. 5. 6. Dum *Fœderis* appellatio *Legi* synecdochicè, uti alibi *Promissis*, tantum datur *Exod.* XXXIV. 28. *Deut.* IV. 13. *&c.* 2. *Legem* hanc *ex Gratia* singulari non tantum esse datam *Psal.* CXLVII. 19. *Rom.* III. 2. &c. etiam secundum ejus *Inscriptionem*, sed & æque *pertinere ad Fœdus Gratiæ*, tanquam Gratitudinis Normam, quam ad Fœdus Operum, ut Justitiæ Viam, cum Officia obedientiæ sint Eadem utrobique. 3. *Fœdus* cum Israele initum *neutiquam* fuisse *in Substantia* magis abdita, & *ex Dei scopo*, Fœdus *Operum*; α cum id Deus inire cum Homine Peccatore non possit; β nec Fœdus Abrahamicum debuerit fieri irritum *Gal.* III. 17. γ ac obstent respectus varii ad Gratiam priorem. 4. Fuisse verò illud *Fœdus*, tum *Nationale* & *Politicum* respectu totius *Israelis*, tum *Gratiæ* & *Euangelicum* respectu *Electorum*, sed admodum *Involutum Externa Specie Legali*; uti Mandata, Promissa Conditionata, Minæ, Signa terrifica, parca magis Euangeliii mentio, &c. satis docent. 5. Atque ad hanc *Oeconomiam* Fœderis Gratiæ *Legalem & Speciem Externam* pertinet omninò maxime *Decalogus*; uti α Mandati summa, eadem quæ *Matt.* XIX. 17. XXII. 37. β neglecta ex adverso Fidei in Christum mentio, γ Promissio Facientibus, non Credentibus, facta, cum addita Mortis Comminatione *Lev.* XVIII. 4. *Exod.* XX. 6.

Luc.

Luc. x. 28. *Deut.* xxvii. 26. δ perpetua denique *Legis* hujus & *Fœderis Oppositio adversus Euangelium* docet *Rom.* x. 5. 2 *Cor.* iii. 6. 7. 9. *Gal.* iv. 24. *&c.* Unde ex hac Externa Specie est secutus Judæorum mox etiam multorum Error, de Operum Justitia *Exod.* xxiv. 7. *Rom.* x. 3.

XXVII. Adversus communem hanc sententiam vehementer tamen disputant *Recentiores* multi; pessimè supponentes, α *Fœdus Gratiæ non* posse esse *initum cum Israele*, *nisi* id *in Decalogo* exponatur, β nec *Fœderis Operum Summam* in hoc posse contineri, *nisi* illud denuò *erectum* sit. Quod tamen ex Summa eadem, à Christo sub Novo T. quoque proposita *Matt.* xix. 17. *Luc.* x. 28. & propria Hypothesi, de *Specie Fœderis Operum*, quam post Vitulum Aureum ex justo Dei judicio acceperit Decalogus, confutatur. Quæ ipsa Hypothesis interim planè conficta est; α cum Eadem per omnia Verba Secundis Tabulis quæ primis fuerint inscripta *Exod.* xxxiv. 1. β fuerint ea ex Gratia renovata, ac γ Promissio & Comminatio *Lev.* xviii. 5. *Deut.* xxvii. 26. in Lege tum non magis quam antea explicitè, sed tamen utrobique implicite, fuerit posita. Nec probatur, in *Formulam Fœderis Gratiæ* primò esse datum *Decalogum.* 1. Ex *Legislatore* Christo. Qui non solum Euangelium, sed etiam Legem illi subservientem, prædicat. 2. Ex Statu *Populi Peccatoris.* Qui Fœderis violati Summam huic proponi non impedit. 3. Ex Tempore *Liberationis* & *Gratiæ* præstandæ. Quo eos ad veræ liberationis & gratiæ agnitionem magis disponi decebat. 4. Ex *Argumento.* Quod α generatim idem ante & post μοσχοποιΐαν; β speciatim in Inscriptione *Jehovam* non dicit *futurum* dein, sed esse jam dudum *Deum Israelis*; in Præcepto I. non determinatè per Fidem in Christum sed per Obedientiam quamcunque pro tali debere haberi ponit; in Præcepto II. non promittit Misericordiam credenti, sed Deum describit simpliciter à Benignitate magna in obedientes & Vindicta terribili in immorigeros; in III. Nomen ipsius non vane applicari, sed nominari, vetat; in IV. Sabbathum præcipit, ratione non Ceremoniali sed Morali addita, etiamsi alibi declaretur credentium respectu illam quoque subfuisse; in V. addit Promissum, non Principale, sed Accessorium, Felicitatis Terrestris in Canaan, Pignoris mentione prætermissa, qualis sexcentis alibi locis, ubi Fœderis Summa non somniatur, Promissio exstat, & quæ ipsa fit denuo Obedien-

Sententia multorum Recentiorum exponitur. Quorum argumenta examinantur.

bus; in reliquis Quinque Præceptis denique, Sanctitatis quidem normam ulteriorem tradit, sed quæ eadem est in Operum & Gratiæ Fœdere, omnibus consentientibus.

Lex Moralis habet Bonitatem Inditam, quæ partim ex Dei Natura, partim ex Æterna ejus & in natura declarata Constitutione est repetenda.

XXVIII. *Naturam* Legis Moralis amplius declaraturi, primò notamus, ejus Mandata *non niti Nudo Dei Placito*, sed habere quandam *Bonitatem Inditam*, & in *Natura* fundari. In qua re explicanda variant tamen Theologi admodum. Dum hi α *Bonitatem* illam repetunt à *Natura Rerum* constituta, non Dei, cui adeò integrum fuerit ab æterno aliter velle, in omnibus, ut nihil velit Deus quia bonum, sed omnia bona sint quia ipse sic vult; quæ sententia multorum *Scholasticorum*, *Socinianorum*, aliorumque, facile refutatur ex iis Præceptis, quæ cum Perfectionibus ipsius infallibilem, nec à Deo ipso dispensabilem, habent Nexum. Alii β omnia fluere volunt ex ipsius *Dei Natura*, nec hinc ipsi esse Dispensabilia, utpote Necessaria; quam sententiam aliorum *Scholasticorum*, plurimorumque ex *Nostris*, lubenter admitteremus, si Nexus ille cum Natura Dei qualicunque ratione aut monstrari aut ex Scriptura probari posset. Alii γ tandem *quædam* Præcepta *ex Natura Dei*, quædam ex *Æterna ejus Voluntate* in creatione mox manifestata, ac Homini Primo inscripta, derivant. Quæ sententia media, à *Scholasticis* quibusdam multisque ex *Nostris* probata, etiam nobis placet; α cum evidens sit *Discrimen in Re*, ab una parte in Summa Legis, *Charitate Dei & Proximi*, ac Officiis I. II. III. imo & IV. Præcepti, quatenus Publicum Ordinatumque Dei Cultum mandat, & ab altera parte in Officiis plurimis ad externam Vitæ Societatem spectantibus, quæ ipsa vel quorum præsupposita fundamenta, juxta Septimi Diei determinationem, ex Natura Dei non ita commodè videntur derivari; β & cum amplius *Dei Dispensationes Actuales* hic reperiamus, sive Præcepta Particularia, per quæ licitum & necessarium factum est, quod alias erat interdictum. Ubi qui *Dispensationem* admittere nolunt, confugientes, vel ad *Derogationem* generalem particularis Divini præcepti, vel ad *Declarationem* specialis casus; hi α rem ipsam concedere coguntur, Oppositum sc. Præceptum, quod in iis quæ ex Natura Dei fluunt non potest obtinere; nec β ullam *Dispensationem* nominare poterunt, quæ ad *Declarationem* aut *Exceptionem* referri non possit.

XXIX. Interim *Dispensationes* quasdam hic gratis poni damus; uti

uti circa *Præceptum* I. cum Naamani judicatur *Externæ Idololatriæ* licentia data esse 2 *Reg.* v. 18. 19. nec est tamen Responsum Prophetæ nisi Declinatorium; circa II. Præceptum, cum *Serpentis & Cherubim* fabricatio mandata est, quæ Imagines Typicæ nec ullo modo colendæ fuerunt; circa III. in *Votis* aut *Juramentis* Sanctorum quibusdam, quæ potius damnanda; circa IV. in *Pugna Sabbathica* Maccabæorum 1 *Macc.* II. 40. 41. quæ Facti est, & ad Opera Necessaria Sabbatho, non illicita unquam, debet referri; circa V. in mandato *Parentum Odio Luc.* XIV. 26. utpote comparate intelligendo ex *Matt.* x. 37. & sic semper necessario; circa VI. in *Judiciis Capitalibus*, quæ nunquam interdicta fuerunt; circa VII. vel in *Polygamia Patrum*, quam non permisit unquam Ethice Deus, [1] vel in *Divortio*, quod itidem improbavit semper, [2] vel in *Lege Leviratus*, quæ derogavit Generali; circa VIII. in *Spicis Uvisque* decerptis *Deut.* XXIII. 24. 25. quæ iterum à Lege Furti meritò exceptæ fuerunt ob necessitatem & charitatem mutuam; circa IX. in mandato Elisæ 2 *Reg.* VIII. 10. [3] quod vel per modum Conditionatæ Concessionis, vel de Morbi Periculo potest intelligi &c. Veriora Dispensationis justissimæ Exempla sunt, in instituta à Levitis Strage, *Exod.* XXXII. 27. in mandata Abrahamo τεκνοθυσίᾳ *Gen.* XXII. 2. in Mosis & Phineæ cædibus *Exod.* II. 12. *Num.* XXV. 7. 8. in Simsonis αὐτοχειρίᾳ *Jud.* XVI. 28. 30. [4] in spoliatis Ægyptiis *Exod.* III. 21. 22. XII. 36. in expulsis Cananæis gentibus *Deut.* VII. 2. & forte *Hos.* I. 2. 3. [5] sive res illa in Visione sive Verè gesta fuerit; nisi hic potius Conjugium cum Meretrice stabile mandatum dicamus, atque *Liberos Fornicationum* nuncupari, vel qui ante conjugium aut etiam sub conjugio *ex fornicatione cum aliis* nati, vel qui progeniti *matre prius fornicaria*, vel qui & ipsi *in fornicationem proni* futuri essent. Neque dicendum est, per *Dispensationes* ejus modi; α vel *mutari* Deum, qui hominibus non sibi ipsi Legem dedit, atque Lege superior est; β vel *Licentiam Humanam* stabiliri, quæ ex Casibus rarissimis Divini Jussus, illiusque aperti, perperam infertur. Consentiunt etiam omnino in re ipsa, qui *Indirectam & Materialem Dispensationem* concedunt.

Dispensationis Divinæ exempla gratis cogitata. Et alia veriora nonnulla.

[1] *Exerc. Text.* V. P. I. [2] *Exerc. Text.* XV. P. V. [3] *Exerc. Text.* XIII. P. IV. [4] *Exerc. Text.* VI. P. VI. [5] *Comm. in Loc. & Diatribe.*

XXX. Ex insitâ Legis Moralis Bonitate secundo ejus sequitur

Lex Moralis est Immutabilis, & Eadem semper. Solutis Objectionibus quibusdam.

Immutabilitas, per quam Stabilis Eademque semper est; utpote α in Natura Dei vel Hominis creati fundata, β & sic Lapidibus inscripta olim, ut Cordibus quoque inscribenda foret, γ secundum expressam vocem ipsius Christi *Matt.* v. 18. 19. Cui Immutabilitati se opponunt palam; tum *Sociniani*, & quotquot cum iis sub Novo T. præcepta quædam volunt, quæ olim erant interdicta, interdicta similiter, quæ olim licita vel præcepta; β tum *Pontificii*; & in α *Dispensationis* jure, à *Declaratione* diversissimo, dato *Pontifici*, à quibusdam quidem restricto ad Constitutiones, tum Humanas, tum Apostolicas humanæ prudentiæ, ab aliis verò ad *Legem*, *Conjugia*, *Vota*, *Juramentaque*, extenso, contra *Jac.* IV. 12. *Deut.* v. 32. 33. *Jes.* v. 20. β & in *Jesuitarum Regulis Moralibus*, de *Probabilitate* & *Intentione*, ita abominandis, ut nihil plane in Lege stabile manere queat, sitque illorum quibusdam non immeritò, per torsionem parum tamen piam, tributum nomen *Agni Dei Tollentis Peccata mundi.* Interim Mutatio nulla Legis Moralis colligi potest; α ex *Possessionum Divisione*, *Servitutibus*, *Præscriptionibus*, *Usucapionibus &c.* quia hæc nunquam Lege Morali positivè fuerunt interdicta, etiam si eorum in Primo Statu non fuerit usus, & quædam Juris potius Forensis quam Naturalis sunt; β ex *Incestu*, [1] non prohibito, sed necessario, olim in Filiis Adami, cum ejus Interdictum ad Jus Naturale Secundarium pertineat, ac Conditionem multiplicati generis humani supponat; γ ex *Retentione Gladii* hominis furiosi, cum nulla unquam Lex ejus usum furioso tribuat, aut ab impediendis sceleribus sanum liberet; δ denique ex *Paræmiali & Comparata Salvatoris Locutione Matt.* v. 39. 40. qua non *Inculpatæ Tutelæ Moderamen*, sed Vindictam omnem Privatam, longissime arcere voluit ipse.

[1] *Exerc. Text.* IX. P. V.

Lex Spiritualis est & Sensu abundat. Unde fluunt Regulæ, in ejus interpretatione tenendæ.

XXXI. Ad naturam Legis hujus tertiò facit *Spiritualis Sensus* ejus Abundantia, constans, adversus *Judæorum* & *Socinianorum* depravationes; α ex Commendatione ejus repetita *Psalm.* CXIX. 96. *Rom.* VII. 14. β Summa indicata *Matt.* v. 48. XXII. 37. γ Explicatione Mandatorum singulorum *Matt.* v. 22. 28. *&c. Rom.* VII. 7. & passim in Prophetis; δ denique spirituali & sanctissima Dei Natura, quæ Obedientiam similem infert *Joh.* IV. 24. Unde fluunt *Regulæ*, *in Legis Interpretatione* omnino observandæ I. *Omne Interdictum Vitii* in se continere *Præceptum Virtutis*, & similiter

ter Virtutis Mandatum inferre Fugam Vitii. 2. In *Interdicto Vitii Unius* debere censeri interdicta *Omnia Ejusdem Speciei*, vel Similia alibi notata. 3. In *Peccato Externo interdici simul Internum*, ejus radicem, omnemque ejus fontem. 4. Quin & *sub Peccatis comprehendi* omnem, tum *Occasionem* eorum, per se illuc ducentem, qualis v. g. in *Colloquiis Pravis* 1 *Cor.* xv. 33. *&c.* tum *Speciem* 1 *Thess.* v. 22. non Logicam tantum sed & *Ethicam*, qualis est in rebus per Se quidem Licitis, sed tamen ex Accidenti Scandalosis. Quæ Regulæ ad Mandata Virtutis similiter applicandæ sunt, atque ex collatione Scripturarum evidenter discuntur. Ut non liceat absque Peccato facere, vel negligere, quæ secundum has Regulas, vel verè vel ex judicio Conscientiæ Errantis, interdicta vel præcepta sunt; ob Vitium, quod vel *Materialiter* vel *Formaliter* in his reperitur.

XXXII. Atque hinc porrò sequitur Legis *Perfectio*; per quam *Plenissima & Unica est Morum Norma*, non quidem omnia explicite *Docens* Officia, Euangelica v. g. *Fidei & Resipiscentiæ*, sed tamen hæc quoque implicitè *Mandans*, in absoluto Dei obsequio. Patet illa 1. Ex Elogiis gloriosis *Psal.* xix. 8. [a] cxix. 9. 2 *Tim.* iii. 17. *&c.* 2. Ex Additione & Detractione omni interdicta *Deut.* iv. 2. xii. 32. 3. Ex addito *Vitæ*, non tantum Temporalis sed & Æternæ, Promisso, *Lev.* xviii. 5. *Ezech.* xx. 11. etiam sub Novo T. *Matt.* xix. 16. 17. *Luc.* x. 25. 28. 4. Ex Christi Obedientia prò nobis juxta hanc Legem præstita *Gal.* iv. 4. *Rom.* v. 19. 5. Denique ex Mandatorum Summa Spirituali, jam exposita, supra quam nihil imponi potest. *Lex Moralis Perfecta plane est.*

[a] *Exerc. Text.* XX. P. V.

XXXIII. Adversantur, cum *Muhammedanis*, *Manichæis*, & imprudentius quandoque locutis nonnullis *Patribus*, hodie *Sociniani*, *Anabaptistæ*, *Remonstrantes*, & plures *Pontificii*, ad melius stabiliendam Operum Justitiam urgentes, *Legem Decalogicam esse Imperfectam*, imo & *Ipsissimam Imperfectionem*; quam adeo sub Novo T. impleverit Christus, tum *Additamentis* ad Præcepta antiqua, potissimum *Matt.* v. vi. vii. tum etiam *Novis Præceptis*, qualia Tria maximè dant, *Abnegationis Sui Ipsius*, *Susceptionis suæ Crucis*, & *Imitationis Christi*, ex *Matt.* xvi. 24. memorato etiam quandoque *Mandato Charitatis Novo*, ex *Joh.* xiii. 34. xv. 12. imo & *Fidei* 1 *Joh.* iii. 23. *&c.* Adversus quæ notamus. *Hæreticorum variorum de Legis Imperfectione sententia, eorumque argumenta refutata. Dum non auxit Christus Legem Mosis Matt. v. Et Vetus est Mandatum Charitatis.*

& Fidei. Tandem Tria Christi Mandata Vetera etiam sunt.

tamus. 1. *Non opponere* Christum *Matt.* v. suam Legem *Legi Patris*, sed *Glossis Pharisaicis*; uti docent α Protestatio præmissa v. 17. β inculcata Veteris Legis Duratio v. 18. 19. γ Justitiæ non Mosaicæ, sed Pharisaicæ, expressa rejectio v. 20. δ verba quædam citata, quæ non leguntur in Scriptura, sed illi adversantur, *vers.* 43. *coll. Prov.* xxv. 21. [1] ε denique Mandatorum Christi cum Lege veteri Convenientia, docendi singulatim per partes *Cap.* XII. Nec obstat; α vel *Legis Impletio*, quam sibi tribuens Cristus v. 17. nec Nova Præcepta, quæ utique varie illam irritam facerent, nec etiam proprie Vaticiniorum & Typorum Implementum, aut Obedientiam, & Passionem suam, quæ hic pie intelligunt alii, notavit, sed *Plenam Legis à Pharisæis mutilatæ Declarationem ac Restitutionem*; β vel citatus sæpius *Legis* Mosaicæ *Textus*, cum verba illa *Sensu* adducantur *Pharisaico*; γ vel Formula Christi, *audivistis*, ὅτι ἐῤῥέθη τοῖς ἀρχαίοις, cum *Antiqui* tunc fuerint verè Pharisæi, & voce isthac relata ad *Antiquiores* qui vixerant tempore Mosis, Salvator tum non dicat, vel *ab iis*, vel *ad eos*, sic *dictum esse*, sed tantum hoc tradi & inculcari ut πατροπαράδοτον atque ita dictum à Pharisæis. 2. Non esse *Novum Mandatum*; α vel *Charitatis*, utique in Lege præceptæ intensissimæ, unde & *Præceptum Vetus* dicitur 1. *Joh.* 11 7. 8. 2 *Joh.* 5. *&c.* quamquam id recte *Mandatum Novum*, & *Christi*, dicatur ob Præstantiam Renovationem & Inculcationem perpetuam, Novum ejus Exemplum, tandemque Durationem; β vel *Fidei*, quæ est inter Officia Obsequii Deo Fœderato debita, eadem circa varians verbi revelati objectum, olim quoque revelato tum Euangelio inculcata & præstita; γ vel Triplex aliud adductum. Cum α *Abnegatio Sui*, quoad Desideria prava, propriam Gloriam, & Carnale Commodum, *olim* fuerit *Mandata*, in summo *Dei Amore*, ac *Concupiscentia* interdicta, atque etiam *Exercita Psal.* cxvi. 16. cxxxi. 1. 2. xliv. 18. cxliii. 3. *Deut.* xxxiii. 9. [2] *Hebr.* xi. 24. *&c.* β *Susceptio Crucis* tum quoque, & *necessaria Prov.* iii. 11. *Thren.* iii. 27. 28. & piis *familiaris Lev.* x. 3. 1 *Sam.* iii. 18. *Job.* 1. 21. *Psal.* xxxix. 10. *&c.* γ tandem *Imitatio Christi* non inferat Novam Virtutem, sed ejusdem virtutis Exemplar Novum, sitque olim etiam mandata, in mandata Dei Imitatione *Lev.* xi. 44. xix. 2. *&c.* & descriptis Christi Venturi Moribus ad consolationem pariter & instructionem. Ad quæ omnia non

non licet regerere *Monitorum* Propheticorum & *Exemplorum* à Lege *Decalogica* differentiam; cum illa optimum hujus commentarium nobis largiantur.

[1] *Exerc. Text.* XXV. P. V. [2] *Comm. in Loc.*

XXXIV. Adversantur ulterius *Pontificii*; tum in *Traditionibus Ecclesiasticis* juxta ἐθελοθρησκείαν commendatis, quæ supra rejecimus; tum in *Consiliis Euangelicis*, sive *Perfectionis*, quibus non imperatur, sed *monstratur* & *commendatur* aliquid præcepta virtute *difficilius* & *melius*, ad *præmii gradum majorem*, seu *laureolam* specialem, & quæ præcipuè reducunt ad Vota *Continentiæ*, *Obedientiæ*, & *Paupertatis Voluntariæ*. Contra quæ Consilia notandum est *generatim*, α Perfectionem summam Lege mandari *Matt.* v. 48. β omnem Arbitrarium Cultum à Deo improbari *Col.* II. 23. γ Deum *Consulentem* non minus sed magis potius obligare per gratam hanc συγκατάβασιν, *Apoc.* III. 18. [3] *Luc.* VII. 30. *Prov.* I. 30. *&c.* δ nec constare contrarium; vel α ex locis 1 *Cor.* VII. 25. 1 *Tim.* v. 23. *&c.* quæ Prudens Consilium ad Vitæ Commoditatem, non ad Cultum Dei spectans, continent; vel β ex Corporum & Rerumpublicarum Analogia, in quibus duplex sit perfectio, una necessaria, altera utilis, cum in Christianismo summam Perfectionem Deus necessariam fecerit; vel γ ex quibusdam laudatis in Scriptura Non-Necessariis, sicut 1 *Cor.* IX. 12. 15. 17. cum hæc, licet non in se, tamen in circumstantiis, tum necessaria fuerint, uti Pauli Prædicatio sine Mercede propter cursum Euangelii faciliorem inter æmulos Pseud-Apostolos, gloriæ Paulinæ detractores.

Rejiciuntur Consilia Euangelica Papistarum.

[3] *Comm. in Loc.*

XXXV. Speciatim Consilia Pontificiorum Euangelica ex *Encratitarum*, *Apostolicorum*, & *Pelagianorum*, officina cum quadam Hæresios mitigatione petita, & in ortu à *Joviniano*, *Vigilantio*, ac in progressu *à Lampetianis*, *Wiclefitis*, ac *Pontificiis* etiam quibusdam oppugnata, damnamus, non uti Indifferentia solum, sed & ut *Divino Verbo Adversa*, dum pugnat; α Votum *Continentiæ*, seu *Cælibatus Perpetui*, cum monitis variis *Matt.* XIX. 11. 1 *Cor.* VII. 2. 1. 9. *Hebr.* XIII. 4. Conjugii Divina ac utili institutione *Gen.* I. 28. II. 22. & præcautione Pauli 1 *Tim.* IV. 3. [2] β Votum *Obedientiæ Cæcæ*, cum Libertate per Christum acquisita 1 *Cor.* VII. 23. & Christi Divina gloria *Matt.* XVII. 5. γ Votum

Speciatim disputatur adversus Consilium & Votum Continentiæ perpetuæ, Obedientiæ cæcæ, & Paupertatis voluntariæ.

tum denique *Paupertatis*, cum gratitudine Deo *Prov.* XXX. 8. *Act.* XX. 35. ac Charitate familiæ & proximo debita 1 *Tim.* v. 8. *Eph.* IV. 28. 2 *Theff.* III. 12. Objicitur tamen. 1. Pro *Continentia*; α Autoritas, tum Dei *Jef.* LVI. 4. 5. qui ibidem veris tantum *Eunuchis* se colentibus atque opprobrio apud Judæos expositis *Nomen Melius*, quam *à Filiis* exspectare potuerant, promittit, Filiorum sc. Dei; tum Christi *Matt.* XIX. 12. qui ibidem Praxin memorat, vel Ennuchismi voluntarii, vel Continentiæ simplicis, non commendatæ nisi dono isthoc instructis & absque Voto; tum etiam Apostoli 1 *Cor.* VII. 1. 7. 8. 26 28. 38. 40. qui Cælibatum ut rem indifferentem, sed Continentiæ Dono instructis tunc magis utilem & commodam, proponit; β quin & *Mariæ* ac *Apostolorum* Exemplum, quorum non fuit Continentia hæc Universalis 1 *Cor.* IX. 5.[2] nec Voto sed aliis specialibus rationibus nixa; nè γ rationem ex *Rom.* VIII. 8. adductam, quæ si stringat omnibus Necessarius est Cælibatus, aut *Virginum* emblematicam appellationem ex *Apoc.* XIV. 4.[3] addam. 2. Pro *Obedientia*; α Mandatum Christi *Matt.* XVI. 24. & Pauli *Hebr.* XIII. 17. quod utrumque Universale est, nec de Obedientia Cæca potest intelligi, nec in Consilium debet mutari; β exemplum *Rechabitarum*, qui ob Obedientiam Patri in paucis atque æquissimis rebus præstitam tantum laudantur *Jer.* XXXV. 6. γ ratio à Sui Diffidentia, quæ iterum mandata est, & ad Deum nos ducit *Prov.* III. 5. 3. Pro *Paupertate*; α commendatio *Pauperum Spiritu Matt.* v. 3. qui non alii quam vere humiles, & qui paupertatis suæ spiritualis conscii sunt; β verbum Christi Conditionatum cum Promissione peculiari *Matt.* XIX. 21. cum id contineat Mandatum Singulare & Convictivum, phrasibus *Servatæ Legis* & *Perfectionis*, item *Vitæ Æternæ* & *Thesauri Cœlestis*, promiscuè sumptis; γ tandem Exemplum, tum Apostolorum, qui ad mandatum Christi omnia, sed pro tempore, reliquerunt *Matt.* XIX. 27. tum Fidelium *Act.* IV. 32. 34. qui quoad usum necessarium, non autem quoad Dominii jus, bona sua communia fecerunt.

[1] *Exerc. Text.* XLIX. P. IV. [2] *Exerc. Juven. Disp.* XXII. [3] *Comm. in Loc.*

Adiaphora in se variis modis Bona vel Mala sunt.

XXXVI. Efficit verò *Legis Perfectio*, ut quicquid per eam nec Mandatum nec Vetitum est, id in se suaque natura sit *Adiaphorum*, seu *Indifferens*. Quod ipsum Lege tamen, non tantum *Positi-*

va, sed & hac ipsa *Morali*, iterum multipliciter determinatur, dum hoc *Bonum* vel *Malum* fit; α per agentis *Finem* varium; β actionis *Circumstantias* diversas; γ intercedens *Magistratus*, *Parentum*, aut aliorum quibus Dei Lex nos subjicit, *Mandatum*; δ & *Usum* decentem vel *Abusum* turpem cum *Scandalo* Fratris infirmi, à quo, tum *dato* tum *accepto*, cavere docet charitas *Rom.* XIV. 13. 15. 19. 21. 1 *Cor.* VIII. 11. 12. 13. sicut jubet ab altera parte omnia ad Communem Ædificationem dirigere. Nunquam tamen Actio *Adiaphora* in se naturam suam propriam mutat, sed *Bona* tantum aut *Mala* evadit respectu propositarum considerationum.

XXXVII. Palam fit amplius ex Legis Perfectione *Hominis Imperfectio*; qui in Statu Naturæ & Lapsus nullam ejus partem modo Deo grato, & in Statu Gratiæ nunquam illam plenè, præstare potest, juxta requisitam *Graduum Perfectionem*. Quod caput, in illo de *Sanctificatione* latius tractandum, facile constat; α ex locis expressis 1 *Reg.* VIII. 46. *Job.* IX. 2. *Prov.* XX. 9. *Eccl.* VII. 20. *Jac.* III. 2. 1 *Joh.* I. 8. *&c.* β ex Noachi, Abrahami, Loti, Davidis, Pauli, Petri, Sanctissimorum omnium, exemplis; γ ex Gratia Sanctificationis Partiali & cum Carne juncta *Gal.* V. 17. δ ex Officiis denique perpetuis, *progrediendi*, *pugnandi*, *orandi*, *&c.* ut alia mittam. Nec juvant *Pelagianos* veteres, & recentes, *Pontificios*, *Socinianos*, *Anabaptistas*, *Remonstrantes*, contrarium ob *Operum Justificationem* urgentes; α vel loca *Matt.* XI. 30. 1 *Joh.* V. 3. quæ *grata* modò docent esse Mandata Moralia fidelibus, & in se, & in collatione cum ceremonialibus, unde hæc omnia plenè posse præstari non sequitur, *coll. Rom.* VII. 22. 23. β vel descriptiones Fidelium, sive Quorundam *Luc.* I. 6. 2 *Reg.* XXIII. 25. *&c.* sive Omnium, ut *omnia valentium Phil.* IV. 13. *peccato mortuorum Rom.* VI. 11. & *non pecantium* 1 *Joh.* III. 9. &c. quæ priora de Perfectione Euangelica & Partium, ac posteriora cum Restrictione necessaria, ad *Omnis Generis* res, Peccati *Dominium*, illiusque propositum *Studium*, debent intelligi; γ vel *Legis* repetita *Declaratio*, cum *Exhortatione ad Perfectionem*, hujusque *Voto*, quæ plures habet Usus antea indicatos, & Officium, non Vires, docet, quo contendendum est orando & laborando alacriter, Deo defectus gratiose condonaturo, cum spe certa progressus, & metæ perfectionis tandem in morte tenendæ. In Imper-

Legem Homo Nullus plene in Statu Gratiæ præstare potest. Nedum ut Opera Supererogatoria fingere liceat.

perfectione vero hac nullus *Operibus Supererogationis* locus est; quorum fundamentum à *Papistis* æquè vanè quæritur in voce Samaritani *Luc.* x. 35. per allegoricam ejus declarationem, quam in exemplo Pauli *Col.* I. 24. ubi de Ecclesiæ Ædificatione à se promota, & *Reliquiis Passionum*, non quas Christus tulit, sed à se *Christi* causa toleratarum, agit, *coll.* 2 *Cor.* IV. 10. *Hebr.* XI. 26. *&c.*

Quo sensu Lex nunc Non amplius Duret. Quo sensu item Durare dicenda sit. Contra Antinomos varii generis & temporis.

XXXVIII. Adjicienda adhuc Legis hujus *Duratio* est, quæ extendi debet ad omnes Mundi & Ecclesiæ Ætates; non quidem, α respectu *Vitæ*, per ejus perfectam Obedientiam *Fœderaliter* exspectandæ, ad quam actu præstandam impotens est facta per Peccatum, homine sic præter obligationem ad obedientiam Pœnis ferendis subjecto, nec frustra Christo mortuo, *coll. Rom.* VIII. 3. XI. 32. *Gal.* II. 22. *&c.* β nec ratione *Condemnationis*, ex Peccato ortæ, quam Christus sua morte, olim quoque certo promissa Patri & Fidelibus, ab his sustulit, *coll. Rom.* VIII. I. *Gal.* III. 13. γ nec intuitu *Rigidæ Intonationis*, à qua actualis redemptio Christi, adulta Ecclesiæ ætas, & Euangelii grata vox sub Novo T. nos liberat, *coll. Joh.* I. 17. 2 *Cor.* III. 7. II. *Gal.* III. 24. [1] Sed durat Legis 1. *Obligatio Naturalis*, à qua nec voluntaria Transgressio, nec ipsa Pœna Infernalis hominem liberat; qui α manet semper Creatura, β nec suâ culpâ Deum Jure suo spoliare potest, γ nec Uno Peccato ab omni ulteriori Transgressione eximitur; estque δ hoc *Fundamentum Officiorum Homini* lapso imperatorum à Deo justissimè, non obstante ejus impotentia, ac *Justitiæ* Christi *Activæ* pro nobis susceptæ & præstitæ. 2. *Usus Multiplex*; in α agnoscenda nostra Miseria per Peccatum & Pœnam, β Christique Perfectione *Rom.* III. 21. 3. *Directio*, ut secundum eam nunc æquè quam olim vitam componere deceat; α cum Lex per Euangelium neutiquam fiat irrita *Matt.* V. 17. 18. *Rom.* III. 31. β ad sanctitatem Legi convenientem passim incitemur in Euangelio *Matt.* V. 48. *Luc.* XVI. 29. *Rom.* VI. I. 2. 22. XII. 2. XIII. 8. *Tit.* II. 12. *Jac.* II. 8. *&c.* & fortissime quidem, intuitu Dei ut Domini & Patris, Christi ut Regis & Capitis, Spiritusque ut per gratiam suam Sanctificantis & ad gloriam Præparantis, γ sit denique Lex ipsa Immutabilis, hinc sub Novo T. Cordi inscribenda *Jer.* XXXI. 33. Quod tamen negant indirectè *Arminiani*, in asserta *Fidei* & *Resipiscentiæ* Nova Lege à Chri-

à Christo lata, directè *Antinomi* veteres & recentes, tum crassiores, quales *Manichæi*, *Marcionitæ*, *Seleuciani*, *Eunomiani*, & *Libertini* omnes, Discrimen verum Turpis & Honesti ac Necessitatem Sanctitatis tollentes, tum subtiliores, ut *Agricola* & *Angli*, aliique plures, quibus salvo Sanctitatis studio quod ex spontaneo Spiritus & Euangelii motu provenire debeat, Lex Mosis nunc non videtur prædicanda, nec ad nos spectare. Loca, quæ objiciuntur, complura *Matt*. XI. 13. *Act*. XV. 10. [2] *Rom*. VI. 14. VII. 2. 3. 2 *Cor*. III. 6. 7. 1 *Tim*. I. 9. *&c*. pertinent; α vel ad Ceremonias; vel β ad Plenam Observantiam; vel γ ad Condemnationem; vel δ ad Ministerium Legis Rigidum, quale si adhuc quodammodo *Injustorum* respectu obtinet, non certe in *Justis* habet locum. Neque si data Lex olim *Israëli* clarius, ideò illi *soli* lata est; cum nulla hic, vel in contextu, vel in rei natura, sit restrictio, Israël Ecclesiam totam tum repræsentaverit, Gentiumque cordibus tunc etiam adhuc inscripta fuerit.

[1] *Anal. Exeg*. LIII. *Mant*. XI. [2] *Exerc. Text*. XL. P. V.

XXXIX. Præcepta Legis hujus porro dividuntur; α respectu *Fundamenti*, quod quædam ex *Natura Dei* simpliciter, alia ex perpetua ejus *Voluntate* fluant, uti ante; β respectu *Argumenti*, in *Purè Moralia* & *Partim Ceremonialia*, quale est *Quartum*, accedente quodammodo *Quinto* in Promissione felicitatis in Canaan possidendæ, quam Paulus levi mutatione juxta Legislatoris intentionem latius extendit ad terram omnem *Eph*. VI. 3. γ respectu *Modi Proponendi*, in *Affirmativa* sive *Positiva*, IV. scil. & V. & *Negativa*, inter quæ propriè non est differentia in *Obligante Autoritate*, quæ ab eadem Dei Majestate & rei Æquitate utrobique æqualiter fluit, neque in *Obligatione*, à qua homo ne ad momentum liber potest concipi, sed tamen in *Officiis*, quæ non sic omni momento sunt actu præstanda, uti omni momento ab Interdictis Vitiis abstinendum est, quo respicientes dicunt vulgò *Magis Obligare* Interdicta, quia *Semper & Ad Semper*; δ respectu denique *Ordinis* in Præcepta *Primæ & Secundæ Tabulæ*. Quâ divisione respicitur; α ad Divinam *Legis Scriptionem* in Duabus Tabulis, in quibus tamen singulis totidem, quot hic nos ponimus, Mandata scripta fuisse, ut *Judæi* quidam volunt, aut quæ seu quot scripta fuerint, non constat; β ad Argumenti Summam, Amorem Dei & Proximi; γ denique & ad nixam hac Christi

Divisio varia Legis Decalogicæ. In primis in Duas Tabulas.

doctrinam *Matth.* XXII. 40. Quam nequaquam evertit Paulus *Rom.* XIII. 8. *Gal.* V. 14. 1 *Tim.* I. 5. ubi α vel respicit simpliciter ad *Legis Tabulam Secundam*, ϐ vel *Amorem Fraternum* considerat ut ex Amore Dei profluentem, β vel *Amorem* æque erga Deum quam Proximum intelligit. Uti vero Amoris Divini *Præceptum Magnum* comparatè dicitur, ratione *Objecti*, & *Efficientiæ*, dum hinc Amor Proximi fluit, ita illud respectu Actuum Internorum & plane Necessariorum derogare Secundo, ubi Adversitas deprehenditur vera, non potest dubitari: sic tamen ut Actus Interni Amoris Proximi, ejusque Demonstratio Externa Necessaria sæpe præponenda sit Actibus Externis minus Necessariis Primæ Tabulæ, *coll. Matt.* XII. 3. 4. 7. 8. *&c.* Nulla porrò addita est *Tabula Tertia*, Amorem Nostri Ipsius præcipiens, alibi distincte satis memoratum *Tit.* II. 12. α quod ad hunc homo sponte satis pronus sit, β ejusque Modus verus in Officiis Deo & Proximo præstandis sive contineatur sive supponatur.

Numerus Præceptorum Utriusque Tabulæ falsus & verus.

XL. Quæritur adhuc, *Quot ad Singulas Tabulas Præcepta debeant referri?* Et respondetur, quicquid de Mosis Scriptione fuerit, ad quam in Numero Quinario ludens videtur respicere *Irenæus*; α non posse *Quinque Præcepta* referri *ad Primam Tabulam*, ob Quinti Præcepti argumentum, & autoritatem Christi *Matt.* XIX. 18. 19. ac Pauli *Eph.* VI. 2. β non posse illi tribui *Tria*, & *Secundæ Tabulæ Septem*, uti instituto innocuo vel allegorico Patres quidam, *Pontificii* verò & *Lutherani*, ob hypothesin de Secundo Præcepto non distincto à Primo, vel ejus Appendice Positiva, hinc quandoque expuncto, voluerunt; cum α *Primo* agatur de *Objecto*, *Altero* de *Modo* Cultus, atque hinc peccaverint Israelitæ in Deserto, Dan & Bethel, &c. contra II. non I. *coll. Exod.* XXXII. 4. Romani item Veteres, Persæ, aliique contra I. solum, non confundendis Præceptis, vel propter Signum Minoris Paraschæ omissum, vel propter nescio quam Accentuationis analogiam à Nostris dudum explosam; β & *Decimum*, quod in Duo discerpunt, sit tantum *Unum*, ob interdictum unum *Concupiscentiæ* vitium, etiam si ea variis Actibus constet, & duplice voce חמד / & התאוה / significetur *Deut.* V. 21. ob Citationem Paulinam ut Unius Mandati *Rom.* VII. 7. ob Objectorum Vitium ipsum non variantium multitudinem, ob Eorundem denique Permutationem *Exod.* XX. 17. *Deut.* V. 21. Ut hic cum *Jonathane*,

ne, & *Patribus* plurimis, (non ſicut pauciores ex *Patribus & Noſtris* ex *Præfatione* facientes *Præceptum*,) ſed I. de *Diis* & II. de *Imaginibus* diſtinguentes, *Quatuor* Primæ, Sex Secundæ Tabulæ tribuamus: haud obſtante deſcriptione Dei adjecta II. Præcepto, quæ ad Totam quidem Legem pertinet, non tamen propterea in I. Præcepto præciſe poni debuit, poſita aptiſſimè, ubi Deus Modum Cultus à ſuo libitu quoque pendere monſtrat.

CAPUT DUODECIMUM.

De Decalogo, hujuſque Præceptis Singulis.

Specialis Expoſitio Decalogi. Quæ ab Inſcriptione inchoatur. Quæ nullum Mandatum aut Promiſſum, ſed nudam Dei Deſcriptionem continet.

Explicationem Decalogi magis Particularem, ſed ſuccinctam, ob prorſus neceſſariam omnibus Vitæ Chriſtianæ Directionem daturi, de Nomine hoc Græco & ἐγγεγράφω ad *Numerum* Præceptorum *Denarium*, varias ob rationes celebrem, reſpiciente, ejuſque tum Synonymis, tum excogitatâ recentius à nonnullis Homonymiâ (ſecundum quam *Decem Verba* à *Decem Præceptis* forent diſtinguenda,) non dicemus, utpote quæ ex priori Capite peti poſſunt. Neceſſum magis eſt ut præmittamus *Deſcriptionem Legiſlatoris*, in ejus primo Initio ſapienter, hinc imitatis id Hominibus, poſitam, ut debita cum veneratione & ſubjectione Lex ſecutura exciperetur, & plane ad hunc Finem compoſitam, dum Deus ſe vocat. 1. Nomine ſuo *Jehovah*; ad Majeſtatem Æternam, Independentem, & Immutabilem notandam, ac ſe Nomine hoc Proprio ab Idolis diſcernendum. 2. *Deum* porrò *Iſraelis*; Totius quidem, α communi *Creationis*, & β *Conſervationis* jure, quod in Populo Dei magis quam in aliis Gentibus agnoſci debebat, & γ ſpeciali *Electione Deut*. VII. 6. δ Veri autem & Spiritualis per *Fœdus Gratiæ*, cum Patribus anterioribus erectum *Gen*. XVII. 7. *coll. Jer*. XXXI. 33. Ad quod hac phraſi ſolum reſpici, malè quandoque urgetur; α cum ſic res in Iſraelitis Omnibus non foret vera, β Rationeſque Nomenclationis priores, & ſolidæ ſint, & ſpeciatim Iſraeliticæ genti applicari debeant, & ad obedientiam Legis adigant omnino. 3. Addit præterea Beneficium præſtitæ recenter ſecundum antiqua promiſſa

Ff 3 Libera-

Liberationis ex dura Servitute Ægyptiaca, quâ virtutem ſuam omnipotentem, juſtiſſimam, & optimam, ad omnium oculos demonſtraverat *Pſal.* LXXVIII. 12. 13. *Exod.* XV. 1. 2. Iſraelitas ſibi acquiſiverat *Lev.* XXV. 55. atque Emblema luculentum Liberationis Spiritualis intelligentibus dederat. Qualis *Deſcriptio* nuda cum ſit in *Præfatione* hac, errant pariter; α qui putant conſtituere illam *Primum Præceptum*, vel totum, vel ex parte, contra Propoſitionis Formam, non Imperativam, uti in omnibus mandatis, ſed Indicativam, ſuntque præter *Patres* paucos quidam etiam ex *Noſtris*; β & qui judicant, hic eſſe formalem *Promiſſionem Fœderis Gratiæ*, contra rationem Temporis quod neque Futurum additur, uti *Gen.* XVII. 7. neque tale ſubintelligi poteſt, ob additum nomen Jehovah, & beneficium jam præſtitum, quamquam id ut immotum à Recentioribus ſupponi ſoleat. Fatendum eſt tamen, & Gratiam à Deo, & Officium ab Homine præſtandum, ex hac Deſcriptione poſſe ac debere elici.

Primo Præcepto interdicitur Deorum Aliorum Cultus. Et Recenſentur Vitia quæ huc debent referri.

II. *Præcepto Primo* interdicitur, *habere Deos Alios*, vel potius ob conſtructionem, *Deum Alium* ullum, ſive *præter Deum* verum, uti LXX. ſive *abſque eo*, & *contra eum*, illius loco, uti alii, ſive potius *coram eo*, vel *facie illius*, omnia intuiti; quam *Faciem* à Deo ipſo loquente diſtinguere ac ad *Filium* trahere, vanum eſt in hoc contextu. Verſatur itaque hoc Mandatum circa *Deos Alios*, & ſimul *Alienos*, uti habet *Vulgatus*; qui ſcil. non verè tales *Jeſ.* XLV. 5. ſed Exiſtimatione & Appellatione humana 1 *Cor.* VIII. 4. 5. ſive ſint res non exiſtentes, ſive Creaturæ, Cœleſtes, Terreſtres, Rationales, Irrationales, Bonæ, Malæ, abſque diſcrimine. Qui prò talibus non debent haberi; α neque ſoli *Jer.* II. 11. 13. *Gal.* IV. 8. neque cum Deo vero 1 *Reg.* XVIII. 21. *Jeſ.* XLII. 8. β neque Nomine, neque reali Subjectione & Fiducia, γ neque Honore Cordis, neque Geſtibus aut Actionibus Corporeis; δ neque directe, neque indirectè, per *Participationem* multiplicem, quæ in primis eſt *in Superiorum Permiſſione* non neceſſaria, & à cujus ſpecie omni probabili ita abſtinendum eſt, ut tamen illa non ſit ſollicitè in omnibus quærenda. Unde liquet, omnino Interdicta hic debere cenſeri. α *Cultum* omnem *Divinum Creaturarum* variarum apud *Pontificios*, de quo *Cap.* XI. §. I. VI. ejuſque Reliquias multas, in *Feſtorum* Sanctis dicatorum obſervatione vulgo profaniſſimâ, *Divorum* appellatione,

ne, *Templorum* Consecratorum aliarumque rerum Nominibus, &c. β *Fidem* Divinam *in Nudam Creaturam*, qualem profitentur *Sociniani* juxta *Pontificios*, nec stabilit Paulus *Philem.* 5. Trajectione usus, qualis reperitur quoque *Matt.* XII. 22. *coll. Eph.* I. 15. *Col.* I. 4. γ *Idololatriam* Gentilem, cujus uti imitatio illicita est in *Astrologia Judiciaria*, Poëtice prædicatis *Diis Veteribus*, assumptis *Juramentis Gentilium*, &c. ita aut nulla aut exigua saltem superest, op deperditam inter Christianos originem, in *Dierum Mensiumque Nominibus*, *Votis Boni Ominis*, *Mortuorum Situ* &c. δ *Magiam* omnem, quæ hoc nomine distinctè à Philosophia notari solet, *Divinationemque* omnis generis, tum institutam, tum imploratam, ut in qua explicite, vel implicite, cum scientia, vel ignorantia, Dæmon colitur. ε Tum *Superstitionem* in verbis, rebus, ritibusque, variè exercitam. ϛ Tandem *Obedientiam & Fiduciam* quibuscunque præter Deum rebus, etiam Ventri & Opibus mundanis, delatam, licet maximè latenter, cum nihil Dei faciem lateat, *Philip.* III. 19. *Eph.* V. 5. *Colos.* III. 5.

III. Mandatur ab altera parte *Habere Jehovah pro Deo.* Ubi non intelligendus solus Pater, aut Filius, sed *Triunus Deus*, Unius Perfectionis & Gloriæ particeps, qui se hic & alibi passim Israëli patefecit. Qui prò Deo habetur; α Professione Oris, β Subjectione Actuali, in Fide Verbi omnis ab ipso revelati, Veneratione Majestatis ejus, Tolerantia Malorum patienti, & Obedientia prompta, γ Fiducia jugi in ipsius Bonitate, δ denique Amore ejus ut Summi Boni intensissimo, supra omnia & supra nos ipsos quoque, *coll. Deut.* X. 12. *Matt.* XXII. 37. *&c.* Quid hic ex adverso sit Mandatum.

IV. Judicari hinc debet de Præcepti hujus *Additamentis*, quæ fingunt *Sociniani*, quale est. 1. *Filii Cultus*; quem olim quoque mandatum fuisse, non tantum α ex ejus vera Deitate liquet, ultra quam nunquam se Cultus Divinus absque Idololatria extendere potest, sed & β ex Mandatis expressis *Exod.* XXIII. 21. *Psal.* II. 12.[1] γ & Praxi Sanctorum *Gen.* XLVIII. 16.[2] *Exod.* III. 4. *Jos.* V. 14. 2. *Patris Cultus in Filio Mediatore*; iterum vetus, α ob revelatum tum præter Deitatem etiam Munus Filii, cum mandato Fidei, β Invocationemque institutam in ejus nomine *Psal.* LXXX. 16. 18. LXXXIV. 10. *Dan.* IX. 17. γ non obstantibus locis *Hebr.* XIII. 15. 1 *Petr.* II. 5. *Joh.* XVI. 24. quæ vel Officium continent Commune, vel respiciunt ad Jesum Nazarenum, Additamenta hujus Præcepti à Socinianis conficta.

renum, ut plane Consummatum Sacerdotem, atque pro tali jam agnitum per Fidem. 3. *Officium Orationis*; quod α utique ex natura rei & concessione Adversariorum est in Præcipuis Cultus Divini Actibus, β explicite mandatum 2 *Chron.* VII. 14. *Ps.* L. 15. *Jes.* LV. 6. *Jer.* XXIX. 7. *Hos.* XIV. 3. [3] *Joël.* II. 17. [4] *&c.* γ præstitum publice & privatim à Sanctis omnibus, Deo rem gratam habente; δ impie denique tum mandatum fuisse negatur, *ob Promissa Legis Præceptis Minora*, & absque Petitione à Deo *Debita*, *Præcepta* item facile *absque ope Divina præstanda*, quæ hypotheses sunt in Dei Justitiam. Bonitatem, ac Independentiam, summopere injuriæ. 4. *Formula Orandi Dominica*; quæ non infert Novum Officium, sed tantum in eo præstando Adjumentum, nec Nova est quoad Res, aut illarum Ordinem, sed tantum quoad hanc Constructionem; quicquid pluribus παρεξηγήσεις res novas in ea fingant, ac rationem datæ demum sub N. T. Formulæ hanc blaspheme dent, quod promissa Deus olim sua non præstiterit.

[1] *Exerc. Text.* XV. P. III. [2] *Comm. in Pentat.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.*

Secundo Præcepto agitur de Imaginibus quibuscunque. Quas non licet facere ad Cultum Dei. Ubi Deus à Justitia & Bonitate sua se describit.

V. *Secundum Præceptum* agit de *Imaginibus*, sive *Idolis*, & *Simulacris*, quas voces posteriores absque ullo Hebraismi fundamento, quin & contra *Patrum* & *Vulgati* ipsius usum, stulte à priori voce *Imaginis* distinguunt *Pontificii*, ob originem sc. unius à *simulando*, formam alterius *diminutivam*, & textum 1 *Cor.* VIII. 4. qui ad rem & non ad nomen respicit. Ubi non modo memoratur פסל / *Sculptile*, sed כל תמונה / *omnis Similitudo*; tam *Picta* quam *Fusa*, *Lev.* XXVI. 1. *Ezech.* VIII. 10. & præterea recensentur Res per similitudinem representatæ, *Cœlestes*, Deus sc. ipse, Angeli, Sancti, Astra, Aves, &c. *Terrestres*, Homines nempe, Animantia Bruta, & Res reliquæ Inanimatæ varii generis, tandem *Subterraneæ*, ut Pisces *Deut.* IV. 18. Atque has Imagines omnes interdicit Deus *formari*; quod intelligendum de Imaginibus Dei planè absolute, ob rationes adductas *Cap.* IV. §. XV. non item de Similitudine Creaturarum, quam facere omnino licet, ad α Artis à Dei Spiritu profectæ *Exod.* XXXI. 3. 6. exercitium, β ad Ornatum decentem, γ ad Memoriam Personarum & Rerum gestarum, δ denique & ad Instructionem utilem: unde Imagines aliquas Dei jussu olim factas legimus *Exod.* XXV. 18. *coll.* 1 *Reg.* VII.

VII. 25. *&c.* Creaturarum itaque Similitudinem *facere* non licet, *nobis* in Cultu, non tantum ut hic in illam ut Objectum terminetur, quod facientes & statuentes ipsi quoque *Pontificii* contra I. *Præceptum* magis peccant, sed etiam ut *Coram Illa & Per Illam* tanquam Instrumentum & Modum Deum colamus; quod volunt planè sequentia, *non incurvabis te iis*, *neque servies iis*, sive id fiat interno animi sive externo corporis motu, sive directe, sive indirecte *Deut.* VII. 25. 26. 2 *Reg.* XVIII. 4. quo tamen loco neque *Idoleorum* in Christianos usus *Consecratio* pia, neque *Idolorum Asservatio Privata* ad erroris detestationem & detectionem, neque hodie *Materiæ* illorum Pretiosæ in Usus decentes *Conversio*, debent haberi. Præcepto autem huic subjicitur tanquam Ratio, egregia Dei Descriptio, non solum à Majestate & Relatione sua ad Israëlem, uti ante; sed α porro à *Fortitudine* & *Zelo in visitande iniquitate Patrum super filios in tertiam & quartam progeniem ipsum odientium*, quo ipso ob communem Corruptionem, Parentum cum filiis Nexum, Pravitatisque in iis Imitationem, non est injustus Deus, nec iræ mitigationem temporariam alibi promissam *Ezech.* XVIII. 4. tollit: β tum & *à Benignitate præstita Millibus ipsum diligentibus*, *& mandata ejus servantibus.* Quæ quidem spem præmii dare metumque pœnæ incutere possunt, non tamen propriè Promissionis aut explicitæ Comminationis nomen merentur; neque ad Historiam vel ad Prophetiam specialem videntur commodè trahi. Quæ etiam ita ad Totam referuntur Legem, ut in hoc Præcepto speciatim posita, ejus doceant *Pondus* summum; utpote quod in Natura Dei spirituali, perfectissima, & unica, suum quoque habet fundamentum, nec Gentiles tum Philosophos tum populos planè latuit. Ut intolerandum prorsus sit; α modo Præceptum hoc à *Pontificiis & Lutheranis*, ut nudam *Appendicem Primi*, eamque magis *Positivam*, & ad Judæos *restrictam*, taxari; β modò ex Decalogo in *Libris Ritualibus* & *Catecheticis* deleri, quod specie *Abbreviationis* cujusdam, Christo & Paulo quoque, cum *Charitatem* nominant vel *Concupiscentiam*, familiaris, palliare non licet.

VI. Conscientiam scilicet sic produnt Utrique Praxios suæ nimis palam ad simplicium captum hic damnatæ. Dum 1. *Pontificii*, post *Gentiles*, *Carpocratianos*, & *Christiano-Categoros*, religiosam *Venerationem*, & secundum *Nicænæ* II. Synodi à *Tridentinis*

In Præceptum hoc Secundum graviter impingunt Papistæ, per

Imaginum Cultum. Cujus in Ecclesia Christiana Ortus Successivus exponitur. Et cujus argumenta refutantur. Tum etiam Lutherani, Imagines in Templa introducentes. Cujus facti prætextus diluuntur.

tinis probatæ phrasin, *Adorationem Imaginibus*, *Dei*, *Christi*, *Angelorum*, *Sanctorum*, *& Crucis*, tribuunt, diffidentes interim an δουλεία an vero etiam λατρεία, an Idem cum prototypo an Inferior Cultus, & an hic propriè & per Se an verò Analogice & per Accidens iis competat; quæ omnis disputatio, uti non tollit laudatas coram Imaginibus *Genuflexiones*, *Oscula*, *Thura*, *Altaria*, *Vota*, *&c.* ita neque Exceptio, Gentilibus ipsis satis familiaris, dè Imaginibus non habitis pro Numine, earumque Cultu ad Dei gloriam directo, eos ab Idololatria turpi in hoc Præcepto interdicta liberat, quod nullam in Objecto similiter limitationem admittit. Quomodo intellecta res in *Ecclesia Judaica*, per Pœnas graves à Deo erudita, & *Christiana*; quæ per IV. Secula *Imagines Nullas publice habuit*, spretâ Gentilium ab ipsis irrisorum contumelia, & decreto ab *Elibertinis* quoque opposito; quæ per III. sequentia Secula quasdam *habuit*, sed indignantibus ore & opere *Epiphanio*, *Sereno*, aliisque, & ad usum tantum Historicum; ac in quam tandem Seculo VIII. earum Cultus introductus est, opponentibus se palam Orientis & Occidentis Imperatoribus variis, & Doctoribus celeberrimis, etiam in medio Papatu, & Synodis in Oriente & Occidente, nominatim *Francofurtensi*, unde orta *Iconomachorum*, & *Iconoclastarum* celebris appellatio. *Pontificiæ Objectiones* facile solvuntur; α *Serpentem* enim, *Cherubim*, *Scabellum pedum Dei*, fuisse adorata, merè fingitur, contra locum expressum 2 *Reg.* XVIII. 4. & genuinum sensum textuum adductorum ex *Exod.* XXV. 22. *Psal.* XCIX. 5. *Matt.* V. 35. β *Sanctitas* in Scriptura quidem Locis & Rebus variis ob rationes varias tribuitur, non tamen Imaginibus, nec Adorationem intulit; γ neque merentur Rationes, tum à *Miraculis* dubiis vel fabulosis, dum vera Prophetas adorari non permiserunt, tum ab *Homine* propter Imaginem Dei venerando, qui viva est imago nec religiosè tamen adorandus, tum ab *Imagine Regum* non afficienda injuria, sed honoranda, qualem sui ullam exstare Deus noluit, &c. nimis vanæ omnes, ut iis inhæreamus. 2. *Lutherani*, prementes vestigia *Gregorii M.* & *Francofurtensium*, Imagines easdem *in Templis collocari* volunt *ad Ornamentum*, *Memoriam*, *& Institutionem*. Quod nos dicimus esse; α nec Necessarium *Luc.* XVI. 29. *Rom.* X. 17. *Joh.* V. 39. β nec admodum Utile *Ps.* CXXXV. 15. 16. γ sed Scandalosum summopere, ob Gentilismi speciem, & Periculosum non mi-

minus, ſecundum loca *Jer.* x. 8. *Hab.* II. 18. *Zach.* x. 2. & experientiam manifeſtam in ipſis Chriſtianis. Nec juvant eos; α Imagines *Cherubim*, &c. ex ſpeciali Dei juſſu, ob rationes myſticas, olim, in Templo ſecretiori, poſitæ; β Praxis Chriſtiana antiqua, quæ non mox probanda eſt, aut ab omnibus probata fuit, ſerius etiam introducta, peſſimè utique Ætati Apoſtolicæ tributa ex *Gal.* III. I. ubi de clara prædicatione Euangelii agitur, & malè ſequenti mox Seculo adſcripta ex conſuetudine nuda & ſymbolica Crucis Signum in aëre formandi, ut fabulas mittam; γ Uſus ad Inſtructionem, Charitatem, Imitationem, Memoriam, Confeſſionem, & Honorem, qui abſque Imaginibus obtineri poſſunt, nec has in Templis mox ponunt, nec periculo aut Dei mandato præpollent. Prætextus porrò Chriſtianæ Libertatis, & non tolerandæ εἰκονοκλασίας turbulentæ, vani ſunt.

VII. Spiritualis Mandati hujus Senſus præterea cogitata noſtra ducit 1. Ad interdictum *Corporalem* omnem *de Deo Conceptum*; dum mente vel phantaſia ejus Imago aliqua Corporea ſic formatur. 2. Ad prohibitam *Communicationem* omnem *cum Idolis*, ſive Activam, ſive Permiſſivam, per Tolerantiam indecentem Patrumfamilias, Miniſtroruum, ac Magiſtratuum; quos tamen evidenti Neceſſitate, vel Juramenti fide, vel manifeſta Eccleſiæ Utilitate, non item ſimplici intuitu *Salutis Reipublicæ*, quæ in cuſtodia Divinæ Legis quæri ſemper debet magis, à Peccato hoc excuſari putamus. 3. Ad vetitam ἐθελοθρησκείαν, de qua *Cap.* XI. §. VII. 4. Ad mandatum *Cultum Spiritualem* ac Convenientem cum Dei Majeſtate *Joh.* IV. 24. *Rom.* I. 21. XII. I. Quod, non obſtante *Carnali Lege* à Deo ipſo adjecta, olim quoque obtinuit *Pſ.* CXLV. 18. *Prov.* XXIII. 26. *Jeſ.* I. 14. 15. *&c.*

Alia quæ hoc Præcepto comprehenduntur.

VIII. Judicium ex dictis facile eſt de *Additamentis Novi T.* quæ hic iterum memorant *Sociniani*, ſuntque, *Vitanda eſſe omni ratione Idola, & Loca ubi ea coluntur*, ex locis I *Cor.* x. 14. I *Joh.* v. 21. *&c.* Quaſi α id olim non ſeveriſſimè fuiſſet mandatum *Gen.* XXXV. 2. 4. *Exod.* XXIII. 13. *Deut.* VII. 25. 26. XII. 2. 3. *Pſal.* CVI. 28. 29. *&c.* β monita Novi T. ex Veteri non expreſſe eſſent petita 2 *Cor.* VI. 17. *coll. Jeſ.* LII. II. γ vel *Idolothytorum* uſus & *Idoleorum* frequentatio aliter nunc eſſet interdicta, quam aut ob Conſcientiam Idoli, aut ob Scandalum infirmorum, aut ob præſens Periculum.

Additamenta Sociniana notantur.

Præceptum III. summatim exponitur.

IX. Præcepto *Tertio* agitur de *Nomine Dei*, à Majeſtate & Reſpectu ad populum iterum deſcripti meritò; quod hic ita notat *Deum* ipſum *Deut.* XXVIII. 58. illiuſque *Verbum* & *Cultum* *Mich.* IV. 5.[1] quin & *Attributa* ſingula glorioſa *Pſ.* VIII. 1.[2] ut tamen primò & maximè deſignet Voces Nominis loco à Deo adſcitas, ac inter eas quoque ipſum τετραγράμματον *Jehovah*. Quod vetat Deus *Aſſumi*, ſc. tum in quovis ſermone, tum maximè in Juramento, *coll. Jeſ.* III. 7. לשוא / *in Mendacium*, uti ſæpè reſpondet τῷ לשקר / quod legimus *Lev.* XIX. 12. & ſimul *in Vanum*, aut *fruſtra*, quæ communis vocis ſignificatio à LXX. & *Vulgato* hic quoque agnita eſt, ubi reſtrictio nulla neceſſaria reperitur. Additurque ad urgendam Obedientiam, tum Dei illa deſcriptio memoratata, tum Vindictæ certiſſimæ & graviſſimæ declaratio, quandò familiari λιτότητι dicit Deus in Tertia Perſona heic de ſe potius, quam Una Perſona jam de Altera loquens, ſe *non mundaturum*, *juſtificaturum*, vel potius *pro inſonti habiturum*, uti *Exod.* XXXIV. 7. tranſgreſſorem; utique iſtius modi vindictam flagitante Delicto, in quo Divinæ Majeſtatis contemptus eſt manifeſtus, aliorumque ad imitationem incitatio.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XVI. P. III.

Quo interdicitur Abuſus Divini Nominis. Ad res Leves. Malas. Et Falſitates, in Perjuriis. Quæ in nonnullis Caſibus gratis quæruntur. Sed in aliis multis perperam excuſantur.

X. Summam itaque Interdicti hujus reducere licet ad *Abuſum Divini Nominis*; ſive is ſit Directus, ſive Indirectus, per Conniventiam *Lev.* V. 1. *Prov.* XXIX. 24. vel datam Occaſionem *Rom.* II. 24. ſive ore proferatur, ſive corde concipiatur, ſive opere tandem exprimatur. Habet autem locum. 1. In rebus *Levibus & Ludicris*, quæ ſunt infra Dei Majeſtatem, illamque nobis vileſcere faciunt. Quo refer Præcipites Dei Invocationes, Ludicras Verbi ejus Applicationes, Sortes Luſorias & Jocoſas, Juramenta ac Vota Levia, rei & mentis reſpectu, &c. 2. In rebus *Malis per Se*, quales ſunt Superſtitioſæ ad mala curanda Applicationes, Dei Comtemptus impius, nominiſque ejus Blaſphemia, *Exod.* V. 2. 2 *Reg.* XIX. 4. 10. *Lev.* XXIV. 15. 16.[3] Vota Mala, Maledictiones noſtri ipſius vel proximi *Exod.* XXII. 28. XXI. 17. *Eccl.* X. 20. *&c.* quæ propterea ſi aliquandò de Sanctis legantur, vel inter Nævos numerari debent, vel prò Vaticiniis Propheticis haberi, vel Conditionatè accipi. 3. In rebus *Falſis*. Quo refer potiſſimum *Perjuria*, ſive ad Præſens, ſive ad Præteritum, ſive ad Futurum pertineant, ſive expreſſè ſive implicitè Dei Nomen adhibeatur, ſive Verus ſive etiam Falſus invo-

invocetur Deus, *coll. Lev.* XIX. 12. *Jer.* v. 2. *Zach.* VIII. 17. [4] *coll. Matt.* XXIII. 20. 21. [5] *&c.* à quibus Exigendis formaliter non tantum ſed & materialiter omnino cavendum eſt, & Privatis, & Judici, extra præſentiſſimam neceſſitatem, quandò Perjurii adhuc crimen graviſſime inculcari debet prius. Uti verò à *Perjurio* excuſantur; qui rem per ſe *Malam Promiſſam non Præſtant*, duplicando cæteroquin Peccato; β qui *Juramento ſolvuntur* ab iisdem, quorum poſtulatione & intuitu unicè id præſtitum fuerat, ſive explicitè, ſive per conditionis ab altera parte præſtandæ neglectum; γ qui *Votum* animi prius declaratum *omni ſtudio conantur exſequi*, etiamſi aliquod promiſſum, vel per impotentiam, vel per inſcitiam, aut incogitantiam, non præſtetur actu, inter quos numerandi Fideles reſpectu promiſſæ Deo Obedientiæ. Ita *Perjurium* non fit licitum; α per *Damnum* noſtrum etiam vi illatum avertendum *Pſal.* xv. 4. ob Obligationem Deo factam; β per *Fraudem* præcedentem, quæ à nobis detegi potuiſſet, *coll. Joſ.* IX. 15. 18. 2 *Sam.* XXI. 1 niſi Conditio non latentis fraudis expreſſe fuerit addita; γ per *Excommunicationem*, *Infidelitatem*, vel *Hæreſin*, uti theoreticè & practicè tenent *Pontificii*, gratis id quibuſdam diſſimulantibus, contra commune Gentium Jus non amplius tum tutum, naturæ Veritatem ſemper cum Fraudis odio præcipientis dictamen, & contraria Patrum exempla *Gen.* XXI. 24. XXVI. 31. *Joſ.* II. 14. [6] IX. 15. *&c.* ac Pœnas perjuris iſtius modi illatas 2 *Sam.* XXI. 1. 2 *Chron.* XXXVI. 13. *&c.* re per ſe Mala nunquam promittenda, nedum Juranda; δ per *Æquivocationes* quæſitas, *&* *Mentales Reſervationes*, quibus poſt *Baſilidianos* & *Priſcillianiſtas*, *Jeſuitæ*, & *Pontificii* plures, paucioribus obloquentibus, Perjuriis promiſcuis viam muniunt, Veritatis omnem Agnitionem tollunt, κυβείαν & Simulationem ſuadent, atque cum Deo ſimul & hominibus ludere imperant. Et ſunt fruſtraneæ omnes palliationes, petitæ; α vel à *Periculo*, quod via juſta effugere decet; β vel à *Judice* non competente, quem talem eſſe profari tunc omnino præſtat; γ vel à *Silentio* quorundam prudenti, quod à Negatione verbali multum differt, prudentiæ limites tranſgreſſis quandoque Sanctis *Gen.* XII. 18. [7] δ vel à locutionibus, ex natura rei reſtrictè aut conditionatè intelligendis; ε vel à Præceptis Geſtibuſque externis, ad Explorationem ſimpliciter inſtitutis decentem, qualis 1 *Reg.* III. 22. 25. *Luc.* XXIV. 28. *Job.* VI. 5. 6. *&c.*

 [3] *Ex-*

[3] *Exerc. Text.* X. P. V. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XXXI. P. IV. [6] *Exerc. Text.* IV. P. VI. [7] *Exerc. Text.* IV. P. III.

Mandata III. Præcepti. Inter quæ est Juramentum per solum verum Deum. Quod per Creaturas quoque debere fieri volunt Papistæ.

XI. Præcipitur hic ab altera parte *Usus Divini Nominis*, etiam τῦ יהוה / decens, in rebus *Seriis*, *Licitis*, *& Veris*, qualis est in. 1. *Professione Dei* & veræ Religionis, *Matt.* x. 32. 2 *Tim.* II. 12. 2. *Dei Cultu*, per Preces, Gratiarum actiones, & Benedictiones. 3. *Juramento*; quod per Deum solum debet concipi *Deut.* VI. 13. X. 20. *Jes.* XLV. 23. XLVIII. 1. *Jer.* IV. 2. *&c.* exclusis Non-Diis *Exod.* XXIII. 13. *Jos.* XXIII. 7. *Jer.* V. 7. *Hamos.* VIII. 14. [1] *Zeph.* I. 5. [2] *Matt.* V. 34. 35. *&c.* utpote Cultum Religiosum in Actu suo, & gloriam καρδιογνωσίας, justitiæ, veritatis, potentiæque supremæ, Divinam in Objecto inferens. Id tamen defendunt, post *Pharisæos*, *Papistæ*, per Creaturas, sive Omnes ob Bonitatem Dei in iis relucentem, sive Cultui Divino Deputatas, ut *Sanctos*, *Angelos*, *Euangelia*, *Eucharistiam*, *Reliquias* &c. jurandum quoque docentes & jurantes. Atque gratis urgent; α tum *Nominationes*, sive rerum Devotarum, ut *animæ*, *capitisque Psal.* VII. 6. 2 *Cor.* I. 23. sive Instrumentorum Divinæ iræ, sive Judiciorum ipsorum, in Juramento, quod semper tum fit proprie per Deum ut Testem & Vindicem; β tum *Obtestationes*, phrasi sæpe à Juramento non differentes *Gen.* XLII. 15. 1 *Sam.* I. 26. XX. 3. XXV. 26. 1 *Thess.* II. 10. 1 *Tim.* V. 21. *Cant.* II. 7. [3] quomodò & Christiani per *Salutem Imperatoris*, (neutiquam per ejus *Genium* vel *Fortunam*,) jurabant, à se vere desideratam, quæ si quid amplius contineant, Factum probant non imitandum; γ tum *Dei in Creaturis Repræsentationem*, ob quam Salvator Juramenta hæc approbaverit *Matt.* XXIII. 16. 17. [4] ubi tamen Repræsentatio hæc multum ab Infinita ipsius Dei Gloria differt, in Juramento necessariâ, & Christus non probavit Juramentum per Creaturas, sed tantum ejus Obligationem docuit, vel illud probavit, *metonymice* positis Creaturis, aut nominatis illis ut Instrumentis Divinæ iræ, rebusve admodum Charis, sicut alii volunt. Uti vero *Peccati Participati* hic reus est, qui vel *adjurari se per Non-Deum patitur*, vel *Juramentum per Creaturas designatè & absolutè imperat*; ita excusandi videntur, tum qui ab aliis voluntariè præstitum *suscipiunt Gen.* XXVI. 31. tum qui id Indefinite, vel ex Conditione creditæ majoris obligationis, petunt, ob necessitatem Convictus

&

& Societatis cum Idololatris aliter non servandæ, culpa hic idololatræ soli imputandâ.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XXXI. P. IV.

XII. Additamenta hic iterum Novi T. fingunt 1. *Sociniani.* α Interdicti *Juramenti Temerarii*, in re levi, ac repetiti sæpius; quod litera Mandati satis innuit, & Salomon *Eccl.* IX. 2. [5] β Vetiti *Juramenti Promissorii*, uti Assertorio opponitur; quod nunquam absolutè sed sub conditione Divinæ cooperationis in re possibili semper præstandum fuit, declarata sic propriè nostra promptitudine, quæ præsens est & in manu nostra. γ Concessi tandem *Juramenti per Christum*; quem esse Novum Deum, nunc primum colendum, impia est hypothesis. 2. *Mennonitæ*; qui post *Essæos*, *Pelagianos*, & quosdam *Veteres*, quibus *Papistæ* haud optima fide annumerant *Waldenses*, *Omne Juramentum* hodie statuunt *Illicitum*, quandoque tamen necessitate compulsi, ut ad *Temporalia* interdictum restringant. Refutantur autem; α ex Vaticiniis dè Novo T. quæ in Vet. juxta Mandata & Exempla leguntur. *Jes.* XIX. 18. XLV. 23. LXV. 16. *Jer.* XII. 16. β ex Exemplo Dei ipsius *Gen.* XXII. 16. *Psal.* XCV. 11. CX. 4. *Hebr.* VI. 17. 18. *&c.* & Sanctorum Novi T. *Rom.* IX. 1. 2 *Cor.* I. 23. *Gal.* I. 20. 1 *Thess.* II. 5. quo refer etiam Christi Asseverationes frequentes, & Responsum Adjurati, *Matth.* XXVI. 64. & Angeli Christum repræsentantis Juramentum *Apoc.* X. 5. 6. [6] γ ex rationibus, petitis à Necessitate frequenti, Fine Veritatis producendæ, Gloria multiplici Dei sic illustrata &c. Neque obstant loca *Matt.* V. 34. 35. *Jac.* V. 12. quæ non intelligenda planè absolute, sed ob oppositos *Pharisæorum*, apud *Matthæum* impugnatorum, Errores Tres, restrictè, de Juramento, α *per Creaturas*, hinc solum nominatas, Dei nulla facta mentione, β *Levi* & quotidiano, γ ac *Falso*; quo etiam referendus *versus* 37. nisi Juramentum omne *Ex Malo* esse dicatur, quatenus hominis corruptionem supponit, non tamen propterea ipsum *Malum*. Et ut intelligatur, quale Juramentum licitum sit, notare alias solent; α *Causam* debere esse Autoritatem publicam, vel Necessitatem privatam; β *Materiam* Momentosam, spiritualem vel corporalem; γ *Modum*, ut fiat cum Intellectu & Attentione; δ *Finem* Dei Gloriam, Commodumque humanum. De *Ritibus* variis, tanquam Adiaphoris, non dicimus, temere in qui-

Additamenta Sociniana diluuntur. Sicut & Mennoniticum de Illicito sub N. T. omni Juramento.

quibusdam, uti in Positione Manus sub Femore *Gen.* XXIV. 2. XLVII. 29. [7] quæsito mysterio Christi Venturi.

[5] *Exerc. Text.* XVI. P. I. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Comm. in Pentat.*

Quartum Præceptum breviter exponitur.

XIII. Præceptum *Quartum* spectat ad *Sabbathi Diem*; qui sic dictus, nec à *Sabbatosi*, Ægyptiacè inguinis morbo, nec à σαβοῖ debachantium, uti *Apion* & *Plutarchus* blasphemarunt, nec à numero *Septenario*, uti minus inepte cum aliis *Lactantius*, sed à *Quiete* præscripta. Id verò nomen *Sabbathi*, cum aliis Hebræis in Novo T. retentum, & apud Profanos quoque repertum, capitur, α *mysticè* de Quiete Spirituali & Æterna, sæpius de β *Tempore Quovis* sacræ *Quietis*, *ut Anno Septimo*, quo septies multiplicato *Jubilæus* aderat *Lev.* XXV. 2. 8. [1] & *Festis* quibusdam *Anni* Diebus *Lev.* XXIII. 24. 32. *&c.* præterea γ de *Septimana* tota *Luc.* XVIII. 12. tandem δ vulgo ut hic de *Die Septimo*, seu *Ultimo*, *Septimanarum* singularum, secundum explicationem subjectam, Dei Exemplum, & Praxin Judaicam. Hujus Diei commendatur generatim populo *Memoria*; notans α *Observationem* industriam *Exod.* XIII. 3. *Num.* XV. 39. & β simul jam *antea datum* hoc Mandatum, *coll. Deut.* V. 12. *Mal.* IV. 4. sc. non tam in Mara aut in Deserto *Exod.* XV. 25. XVI. 23. quam in Prima Creatione, mox etiam à Legislatore memoratâ hoc Præcepto. Speciatim subjicitur 1. *Descriptio* Observationis; per α Actum *Sanctificationis*, quæ nequaquam nudam notat *Quietem*, sed Segregationem ad Dei Cultum, tum Publicum *Lev.* XXIII. 3. in Auditu Legis *Deut.* XXXI. 11. [2] *Act.* XV. 21. [3] Precibus *Jes.* LVI. 7. Hymnis *Psal.* XCII. 1. Benedictionibus *Num.* VI. 23. Donariis *Exod.* XXIII. 15. 2 *Reg.* XII. 10. Sacrificiis Specialibus *Numer.* XXVIII. 9. tum Privatum, per Præparationem decentem, atque Pietatis infucatæ Opera, quibus Dies Totus erat dandus; β dein per *Quietem* strictissimam, *ab Omni Opere Nostro*, (quod *Sex Diebus* reliquis non tam præcipitur, quam permittitur, Otio tamen turpi sic satis interdicto,) puta Servili, Non Necessario, à Cultu Dei Abstrahente, etiam Minimo *Exod.* XVI. 23. 29. XXXV. 3. *Num.* XV. 32. *Neh.* XIII. 15. 16. 17. *&c.* quamquam aliqua ex locis his, ex mente Legislatoris magis restricta, per Superstitionem Judaicam latius postea extensa esse, velint quidam. Quod tamen non adeo planum est in his, quam in *Operibus Pietatis*, *Charitatis*, *Necessitatis*,

tis, *& Honestatis*, quæ hic non aliter quam per superstitionem pro interdictis habita fuisse, docuit Christus *Matt.* XII. 2. 5. 7. *Luc* XIII. 14. 15. *&c.* Quietis præceptæ Rigor amplius innuitur, Extensione ejus universali ad *Homines Omnes* cujuscunque ætatis, sexus, status, generis, & ad *Jumenta* ipsa *Exod.* XXIII. 12. *Deut.* V. 14. Estque munitum hoc Mandatum Pœna *Mortis*, & *Excidii*, gravissima; quam ad Opus Tabernaculi, aut ad proterviam, restringi non patiuntur textus *Exod.* XXXI. 14. 15. XXXV. 2. *Num.* XV. 35. 2 *Commendatio* Officii hujus; α à *Dei Exemplo*, in Creatione omnium Sex Diebus absoluta, & subsecuta ejus Quiete, quod memoria nostraque imitatione dignum; tum β *ab Antiqua* Diei hujus *Benedictione & Sanctificatione*, cum Quiete isthac olim juncta, & exposita *Cap.* VIII. §. XXX. [4] Quibus rationibus alibi additur; α Memoria Ægyptiacæ Liberationis *Deut.* V. 15. β Jumentorum & Servorum Refocillatio *Deut.* V. 14. γ Sacramentalis Quietis melioris Obsignatio *Exod.* XXXI. 17. *Ezech.* XX. 12. 20. quam Christus nacturus ipse in sepulchro, & adducturus quoque suis erat.[5]

[1] *Exerc. Text.* XI. P. V. [2] *Comm. in Pent.* [3] *Exerc. Text.* XLI. P. V. [4] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* VIII. [5] *Exerc. Text.* VI. P. IV.

XIV. Celebris illa de *Præcepti* hujus *Natura* Quæstio nunc tractanda est; ubi vitanda Extrema, & tenenda Media nostrorum *Patrum Dordracenorum* sententia, quam amplecti tenemur in Belgio omnes. Certum scilicet nobis est, contra *Judæos*, (qui tamen *Sabbathum* à Mara *Exod.* XV. 25. repetentes, & sibi ut peculiarem *Sponsam* vindicantes, sibi ipsis adversantur,) *Sabbatharios* veteres, & *Recentiores* aliquos, Mandatum hoc ab Accidentalibus quæ extra IV. Præceptum occurrunt distinguentes, esse in eo indubie *Quædam Ceremonialia*. Quo faciunt. 1. Aperta Novi T. Loca, quibus *Sabbatha* Ceremoniis annumerantur *Matt.* XII. 7. 8. *Gal.* IV. 10. *Col.* II. 16. 17. ubi alia quam Hebdomadaria Sabbatha velle intelligere vanum est, ob contextum omnem. 2. Sabbathorum tanquam *Signi Sacramentalis* iterata *ad Judæos Restrictio Exod.* XVI. 29. XXXI. 13. 16. 17. *Ezech.* XX. 12. qualis in Circumcisione & aliis Ceremoniis reperitur. 3. Sabbathorum immediata in Lege cum *Sanctuario* vere Ceremoniali Conjunctio *Lev.* XIX. 30. 4. *Præcepti* ipsius *Natura*, in qua reperimus quædam omnino *Ceremonialia*; scilicet α *Sacrificia*, per quæ sancti-

Est hoc Præceptum partim Ceremoniale. Ubi ostenditur, quænam pro Ceremonialibus sint habenda.

sanctificabatur, Verum Sacrificium, quod in Fine Dierum tempore ad glorificationem Divini Nominis destinato erat offerendum, præfigurantia. β *Quietem*, ut Rigidissimam, sub Pœna Mortis servandam, & per Se Partem Cultus constituentem, utpote in memoriam revocantem Quietem Israeli concessam per Dei gratiosam segregationem, & obsignantem Quietem futuram Christi & Ecclesiæ, gratiosam & gloriosam. γ *Septimum*, sive Ultimum, Septimanæ Diem; qui quidem in Statu Integritatis non fuit Ceremonialis, sed Positiva quædam Circumstantia ad absolutam isthoc præcise die Creationem, minus Redemptione beneficium, respiciens, postea vero respectum habuit, tum ut ferunt multi, ad Diem Exitus ex Ægypto, tum maximè *ad Dierum Finem*, quo Quietem veram adducturus Christus, ipse Septimo etiam Die quieturus in sepulcro, nec, ut olim quoque Manna, in terra conspiciendus. Ob quas quidem rationes cum Ceremoniale sit *Sabbathum*, prudenter non tantum Vetus Ecclesia Christiana, sed & ipsa Scriptura, *Sabbathi* nomen hoc *Diei Festo Judæorum* reliquit; debetque dè hoc omninò, neutiquam uti volunt Viri multi Doctissimi de *Die Dominico*, intelligi locus *Matt.* XXIV. 20. [1] ubi non ad Diei Observandi Religionem, quæ fugam necessariam nequaquam impedit, sed ad Temporis Incommodum ob multa impedimenta itineris ex Diei istius veneratione Judaica, æquè respicitur in Sabbatho, quam in Hyeme. Neque obstat nostræ assertioni; α vel Æternitas Sabbathi asserta *Exod.* XXXI. 16. 17. quæ Limitata & Periodica est, sicut in Circumcisione, non Absoluta; β vel Legis Decalogicæ Moralitas, quæ salva est, si Præcepti Substantia sit Moralis.

[1] *Exerc. Text.* XXVIII. P. II.

Quoad Substantiam vero Morale Hinc & in Statu Integritatis obtinuit. Et ante Mosen fuit observatum. Et per [illegible] sub N. T.

XV. Haud minus certum esse debet nobis, *Morale* idem esse Mandatum, non *Usus* tantum & *Finis*, quod etiam de maxime Ceremonialibus recte dicitur, sed & *Substantiæ* respectu. Quod contra *Manichæos*, *Socinianos*, *Anabaptistas*, multosque *Recentiores*, à Libera Ecclesiæ Ordinatione *Diei Dominicæ* observationem repetentes, constat, levioribus argumentis missis. 1. Ex *Mandati* hujus Collocatione in Lege *Decalogica* & Æterna, in qua nulla Templi, reliquorum Festorum, Circumcisionis, &c. alias rigidissimè præscriptorum, mentio est facta, & à qua sub Novo T. Mandatum unum integrum auferri, prorsus repugnat loco *Matt.* v. 18. 19. 2. Ex *Præcipuo Fundamento hic Morali*, Dei sc. Quiete,

te, ejus Benedictione antiqua, Hominum & Jumentorum Refocillatione; quæ aliis rationibus, alibi minus frequenter recensitis, præpollent, & ad omnes Homines & Ætates pertinent. 3. Ex *Mandati* hujus *Datione Antiqua* in ipso Integritatis Statu *Gen.* II. 2. 3. sicut patuit *Cap.* VIII. §. XXX. [2] & consentiunt *Judæi* quidam, ad quam in *Memoria* commendata hic respicitur. Neque enim recentior quorundam cum Anglo *Walkero* hypothesis, de Opere novo Restituti Hominis per Proteuangelium, & Quiete Nova Diei Septimi ab hoc, ob quam adeo post Lapsum Sabbathum institutum sit, vel minimam habet speciem, Mosi plane adversa, quicquid voces illius nonnullæ planè prò arbitrio illuc torqueantur. Ad illud autem Mandatum successit indubiè *Obedientia*; tum α *Adami*, qui non propter Operum Quotidianorum Impuritatem, sed Dei voluntatem, & Cultus Publici Naturam, quiescere debuit; tum β *Posterorum Lapsorum*, quæ licet non narretur à Mose explicite, sequitur tamen ex Dei Cultu, utique certi temporis observationem requirente *Gen.* IV. 26. [3] atque innui videtur, tum apud Paulum *Hebr.* IV. 3. 4. 10. [4] tum apud Mosen *Gen.* IV. 5. [5] VIII. 10. 12. & *Exod.* XVI. 23. [6] ubi novus quidem Quietis rigor ponitur, sed antiqua rei Institutio supponitur. Imò non dubitamus, Gentiles ipsos ex hoc Præcepto πατροπαραδότῳ habuisse suos Quietis Festos Dies, Septimanarum usum, recurrentia Septiduo finito Dierum Nomina, & *Diei* alicujus *Septimi*, quicunque is fuerit, Sanctitatem; quamquam *Romani*, speciali Septimi cujusque Diei determinatione per corruptionem cordis & consuetudinem oblivioni data, *Sabbathum* hebdomadarium peculiare fecerint Judæis. Certè contra Institutionem communem non pugnat specialis Datio post secuta apud *Israëlem*, & memorata *Neh.* IX. 14. *Ezech.* XX. 12. cum ea α in *Tota Lege Morali* quoque obtineat, β & specialis servandi Sabbathi Ratio cum Rigore summo tum accesserit. 4. Ex *Abrogatione Nulla Universali*, sed potius Confirmatione sub N. T. facta, dum *Dies Septimanæ Primus*, per Domini Resurrectionem, Apparitiones, Effusionem Spiritus, Congregationes Apostolicas, Mandata ipsa, &c. sanctificatus est, & constanter Divina Providentia inter Christianos servatus. Non repugnantibus Locis antea adductis Novi T. quæ Sabbathi Judaici, qua talis, & ulterioris Dierum Discriminis Veteris Abrogationem tantum docent, juxta alia *Jes.* LXVI. 23. *Rom.* XIV. 5. 6.

[2] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* VIII. [3] *Exerc. Miscell. Disp.* II. [4] *Exerc. Text.* I. P. II. [5] *Exerc. Text.* I. P. II. [6] *Exerc. Text.* VI. P. IV. & I. P. II.

Declaratur porro, Quæ sint ejus Capita Moralia.

XVI. Rei præceptæ Natura Moralitatem quoque ejus arguit, cum 1. Omnino *Deus Publicè & solenniter sit colendus Matt.* XVIII. 20. *Act.* II. 46. 1 *Cor.* XI. 18. *Hebr.* X. 25. *Jac.* II. 2. exigente id ejus Gloria & Proximi Nostrique Ædificatione; quo refer Loca apta, ab Altaribus ac Idololatriæ reliquiis libera, Mediaque omnia necessaria. 2. *Certus Dies* vel tempus definitum isti Cultui debeat deputari; uti propter Opera quotidiana alia, & plurium Conventum necessarium, Gentiles ipsi judicarunt. 3. *Dies* ille sit *Unus ex Septem*, seu *Septimus* quisque. Quod fluit, non ex Naturali Dei Sanctitate, sed α ex Quiete Dei ipsius post Creationem absolutam, β Mensura hac præter hoc Dei exemplum in Lege præscripta, γ imo & ad Substantiam Cultus faciente, cum alias perinde foret, sive Septimanis, sive Mensibus, sive Annis singulis, Deus coleretur, quod in Ordine Diei & Loco Cultus aliter se habet, δ Mensura hac servata etiam sub N. T. cum abrogatum ob majoris beneficii memoriam à Domino fuit Sabbathum Judaicum, in *Die Dominico*, h. e. Domino juxta ejus voluntatem sacro, *Apoc.* I. 10. [1] *coll. Exod.* XII. 42. XVI. 23. 1 *Cor.* XI. 20. Qui est *Primus Septimanæ*; *institutus* modis modo adductis, secundum loca *Matt.* XXVIII. 1. *Joh.* XX. 19. 26. *Act.* XX. 7. 1 *Cor.* XVI. 2. & *servatus* à Christianis, etiam iis qui *Sabbathum* jungebant, *Dominicam* tamen præferentes, autoritate humanâ quoque *confirmatus*, tum per *Patrum Canones*, ex quibus propterea malè rem ipsam repetunt *Pontificii*, tum per *Constantini Magni* & Successorum *Edicta*, quæ non magis primam institutionem tum factam inferunt, quam hodierna Mandata Magistratuum Christianorum similia, ordinaria vel extraordinaria. 4. *Dies* ille præ reliquis sit *Sanctificandus*, Auditu publico Divini Verbi, Precum fusione, Sacramentorum usu, Eleemosynarum distributione, & privata Meditatione, ac Colloquiis piis; ita ut simul sit *Quiescendum*, tum ab Operibus Malis *Jes.* LVIII. 13. tum ab omnibus Servilibus ac Ordinariæ Vocationis, licitis semper iis quæ Pietas, Charitas, Honestas, & Necessitas flagitat. Quæ *Quies* tamen nunc per se *Cultum* Dei ex parte *non constituit*, nec quoad Durationem *integri* præcise νοχθημέρε, vel Opera *Minima*, vel Pœnam *Mortis*, tam rigida est, quam olim fuit.

[1] *Comm.*

r *Comm in Loc.*

XVII. *Additamenta* nulla hic habent *Sociniani*, quæ Christo tribuant, *Mandato* ab ipsis *sublato* toto. Sed addiderunt humana autoritate plura *Pontificii*, uti Templorum Consecrationes & Dedicationes Superstitiosas, Peregrinationes ad Loca Sanctiora, Annos Jubilæos à *Bonifacio* VIII. introductos, & Seculares primum, postea successivè multiplicatos, ac maxime stupendum *Dierum Festorum* numerum Sanctis consecratorum, qui Dies aliis sint sanctiores, & ut pars Divini Cultus necessario servandi. A quibus, ex innocuo primorum Christianorum circa Martyres Officio Anniversario ortis, & ex *Gentilismi* ac *Judaismi* κακοζηλία paulatim adauctis, abhorremus; α ob *Idololatriam* turpem, β *Umbras* Veteres majori numero reductas, γ introductum temere *Dierum Discrimen*, δ atque nimis imminutam *Laborandi* Divina Lege concessam *Libertatem*. Nolumus vero in hunc censum venire *Festos Dies*, quibus in multis Ecclesiis Reformatis *Nativitatis*, *Circumcisionis*, *Mortis*, *Resurrectionis*, *Ascensionis Christi*, *datique Spiritus*, memoria annuatim renovatur: quamquam enim hos ordinari ab Ecclesia non fuerit necessarium, imo & non fuisse ordinatos forte præstitisset, ad vitandas contentiones, avertenda scandala, atque cohibendum progressum *Pontificiorum*, non videtur tamen illicitum certis temporibus præter *Dominicam Diem* convenire Ecclesiam, audire eandem Beneficiorum Christi insignium prædicationem, eumque in finem ab Opere Ordinario quiescere, dum modo α non nimium multiplicentur hi Dies, β non adsit specialis sanctitatis & Divini Cultus persuasio, γ nec imperetur conscientiis observatio ab Ecclesia. Quomodo Festum *Purim* & *Encæniorum* habuerunt Judæi, atque *Jejunia* quædam Stata. Festum cæteroquin Christianorum perpetuum est, & spirituale. 1 *Cor*. v. 7. 8.

Additamenta ad hoc Preceptum Papistica. A quibus multum differunt Festi Dies Reformatorum.

XVIII. Præceptum *Quintum* versatur circa Parentes, absque magno discrimine *Naturalium* vel *Legitimorum*, *Bonorum* vel *Malorum &c.* nominato non solum *Patre*, qui ob dignitatem & autoritatem præcedit, sed & *Matre*, ne hæc temneretur, propterea & alibi præposita *Lev*. XIX. 3. Notantur autem simul his nominibus Avi *Genes*. XXVIII. 13. *Exod*. III. 6. Tutores *Luc*. II. 41. 51. quin & Domini, Magistratus, Magistri, Mariti, Seniores &c. *Jes*. XXII. 21. 2 *Reg*. II. 12. V. 13. 1 *Joh*. II. 13. *&c.* omnes nomine *Parentum* dicti, α ob primam Potestatis in alios

Preceptum V. breviter exponitur. Speciatim quoad Promissionem additam.

Originem, ϐ atque Affectum Paternum omnes decentem. Horum verò præcipitur *Honor*, five æſtimatio debita dignitatis ipſis conceſſæ, pariens amorem, timorem, tolerantiam, & obedientiam, quouſque eam Dei Lex permittit, & ſingulorum ſtatus exigit, *Prov.* XXIII. 22. *Matt.* x. 37. *Lev.* XIX. 3. *Prov.* XXX. 17. *Eph.* VI. 1. *Col.* III. 20. 22. *Act.* V. 29. *&c.* Subjicitur fructus; α *Benedictionis* etiam, tum Corporalis, tum præcipue Spiritualis *Deut.* V. 16. β ſed *Longævitatis* ſolius *Exod.* XX. concedendæ Iſraeli *in terra*, jam jam juxta vetus promiſſum *à Deo danda*, in poſſeſſionem hæreditariam, reliquis *in terræ* quoque hujus ſuperficie *Ephef.* VI. 3. Cui fructui opponuntur alibi ab altera parte graves Pœnæ ac Minæ *Exod.* XXI. 15. 17. *Deut.* XXVII. 16. *&c.* quarum exſecutio in S. Scriptura per Exempla probatur manifeſta. Notandum amplius verbo eſt; α verbum *in Hiphil*, יארכון / poſſe exponi tranſitive de Parentibus per preces & curam vitam liberorum *Prolongantibus*, vel intranſitivè & ſimpliciter de dierum *Longitudine*, uti הלבין / & האדם / *Jeſ.* I. 18. החריב *Pſal.* XXV. 17. *&c.* β nullam hic notari *Prolongationem ultra Terminum*, ſed ſimplicem *Extenſionem*, ſaltem non ſpectari Termini à Deo ſtatuti Tranſgreſſionem, eamque conſiderari ut Beneficium, *coll. Jeſ.* LXV. 20. 21.[2] γ *Promiſſionem* hanc non eſſe Abſolutam, ſed *cum Conditione* Divinæ Gloriæ & Salutis junctam, nec ad Obedientiam Unius hujus Mandati ſequi, quanquam ob *Vitam à* Parentibus acceptam, & protractam Patrum Vitam, ſpecialiter cum ea jungatur; δ dici denique hoc Præceptum *Primum*, Secundæ ſc. Tabulæ, & (ita enim hæc disjungenda, non autem ad ſe invicem referenda putamus) *cum Promiſſione*, non tantum in Secunda Tabula, aut Beneficii ſpecialis, aut ad Unum Præceptum reſtrictâ, ſed Explicitâ, quæ in tota Lege alias non comparet *Eph.* VI. 2[3].

[2] *Exerc. Text.* XXV. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XL. P. II.

Quæ hoc Præcepto Mandata ſint, declaratur. Notata multiplici Violatione Papiſtica.

XIX. Præcepto hoc itaque *Mandata* debent cenſeri 1. Vera cordis *Humilitas*, omnem vanam *Gloriationem* reſpectu noſtri, & omnem *Contemptum*, *Judicium Temerarium*, *Detractionem*, *Schiſma*, *&c.* excludens. 2. *Honoris* externa *Exhibitio*, tum per *Geſtus* ſubjectionis decentes, tum per *Verba* congrua, quam α contra Legem *Lev.* XIX. 32. β praxin Sanctorum omnium, & γ Honeſtatis communes regulas, negant ex ſtupida aut affectata ruſticitate

Qua-

Quakeri; nihil adjuti dicto Pauli *Act.* XXIII. 3. quod extraordinario Spiritus impulsui ad arguendam Pontificis insaniam videtur tribuendum. 3. *Obedientia* præstanda *Magistratui*; *α in Omnibus*, non repugnantibus Divinæ Legi *Act.* IV. 19. V. 29. vel Regiminis suscepti Naturæ, etiam Durissimis; *β Omni*, ut Incredulitas vel Hæresis Obedientiam non tollat, sicuti impiè statuunt *Papistæ*, contra praxin Sanctorum Veteris & N. T. ipsius etiam Christi, monitaque Paulina, quæ ad Magistratus & Dominos incredulos primo spectant, & Jus Regiminis nec in Religione simpliciter fundatum, nec sic unquam tutum sit; *γ ab Omnibus*, etiam *Clericis Rom.* XIII. I. & *Pontifice*, qui se cum suis supra Reges efferens juxta Pauli prædictionem, simul se effert supra Pontifices Vet. T. & Christum ipsum cum Apostolis, qui Potestatem Secularem hominum supra se agnoverunt. 4. *Officia Amoris* & *Obsequii* erga *Parentes*. Quæ tollunt magnoperè *Papistæ*; *α licitam* facientes eorum *Abnegationem Derelictionem & Maledictionem*, contra στοργὴν naturalem, & loca *Matt.* XV. 4. 5. [1] I *Tim.* V. 4. *β licitam & quandoque necessariam Delationem*, in crimine Hæresios læsæque Majestatis; *γ rata Conjugia Minorennium* necdum emancipatorum absque requisito & impetrato Parentum vel Superiorum Consensu, licet fortè minus honesta, contra praxin Vet. & N. T. phrasin perpetuam *dandi* filios filiasque, & rei hujus maximæ familiam integram concernentis pondus; *δ decentia Vota Monastica*, reluctantibus iisdem, sive absolutè, sive sub Conditione Pubertatis, & Sufficientis Victus Parentum, cum tamen Vota olim absque consensu patris vel mariti nulla fuerint *Num.* XXX. 3. 8. Nihil obstantibus; *α* vel *specialibus Dei Jussis*, quæ generali mandato semper derogant, *Gen.* XII. I. *Deut.* XXXIII. 9. [2] *Luc.* IX. 59. 60. *β* vel *Generali Regula*, in rebus necessariis Divini Cultus Deum supra homines sequendi *Matt.* X. 37. *Luc.* XIV. 26. quæ ad Vota ex hypothesi libera non potest extendi; *γ* vel mystica *Sponsæ* ad carnis motus abnegandos *incitatione Psal.* XLV. II. [3] quæ ad Legem Conjugii primam suam habet relationem.

[1] *Exerc. Text.* XXX. P. IV. [2] *Comm. in Pentat.* [3] *Anal. Exeg. post Cant.*

XX. Ab altera parte vi *Correlatorum* hic continentur *Officia Parentum*, quorumcunque qui sub hoc nomine veniunt, & Affectu Effectuque digno Justitiæ, Benignitatis, & Pietatis omnis, filiorum hono- *Additamenta Socinianorum refutantur.*

rem

rem debent ſtudere ut mereantur. Quæ in Novo T. quidem propoſita eſſe fatemur 2 *Cor.* XII. 4. *Eph.* VI. 4. 9 *Col* III. 19. 21. IV. 2. *Tit.* II. 14. *&c.* ſed ut *Additamenta Legis* nova non poſſunt conſiderari, uti volunt *Sociniani*; α ob Officiorum mutuum Nexum; β Praxin Monitaque Vet. T. perpetua; γ confeſſionem *Smalcii* propriam, *Præceptum V. ita comparatum eſſe, ut perfici & augeri non poſſit*; δ denique & peſſimam hypotheſin, quaſi *Deus, qui antea Dominus tantum omnium erat, ſub N. T. demum ut Patrem ſe exhibuerit*, atque in eo Utrique Tempori diverſum Exemplum dederit, contra *Deut.* XXXII. 6. 11. 12.[+] *Jeſ.* LXIII. 7. *Pſal.* CIII. 13. *&c.*

[+] *Comm. in Pentat.*

Sexti Præcepti ſumma. Quo non interdicitur Animalium occiſio. Aut Cædes omnis Caſualis. Aut Homicidium Neceſſarium ad ſui Defenſionem. Aut Bellum omne, vel Supplicium Capitale.

XXI. Præceptum *Sextum*, τοῖς LXX. qui præmittunt Adulterium, *Septimum*, interdicit *Homicidium* iniquum, quod voce רצח propriè ſignificatur, ſtrictiori τῷ הרג / *occiſione*. Ut ipſa vox arguat παρερμηνείαν. 1. Eorum, qui cum *Pythagoræis*, & *Manichæis*, *Animalium Mactationem* ad uſum humanum, aut cum *Anachoretis* quibuſdam *Animalium Noxiorum*, pediculorum v. g. & pulicum, *Interfectionem probibitam* cenſuerunt; & quos ex eodem fundamento *Herbis Viventibus* debere abſtinere monuit *Auguſtinus*. 2. Eorum qui *Cædem Caſualem* omnem exiſtimant *damnari*; quam tamen Deus, ſi culpabilis Imprudentia hominis non adfuerit, ſibi adſcribit *Exod.* XXI. 13. *Deut.* XIX. 6. Damnando interim omnino Caſu Homicidii, qui ex *Percuſſione Leviori*, aut alia re illicita, vel ex *Negligentia* notabili in re licita & neceſſaria *Deut.* XXII. 8. vel ex *Neglectu Officii*, in Principe, Judice, Patrono, Medico, Patrefamilias, Vigile, &c. oritur. 3. Eorum, qui *Cædem Involuntariam* & plane ad ſui Defenſionem *Neceſſariam improbant*, cum *Patribus* quibuſdam. Contra *Moderamen Inculpatæ Tutelæ*, quod Jura omnia homini dant, etiam Moſaicum *Exod.* XXII. & Chriſtiana Charitatis Lex, quæ Amorem Noſtri ipſius Amori Proximi præponit, *coll. Luc.* XXII. 38. Quæ *Defenſio* cum alterius Cæde debet ſpectare Vitam noſtram vel aliorum nobis conjunctorum, non Bona, etiam chariſſima, Honorem, vel Pudicitiam ſolam, ne majus proximo inferatur damnum, quam nobis inferre propoſuerat, uti partim *Pontificii*, partim *Noſtrorum* quidam volunt; β & exerceri contra Æquales autoritate, at vix ſimiliter in omnibus contra Principes, Parentes, Dominos, horum

rumque autoritate instructos, uti *Jesuitæ* & *Papistæ* varii volunt, ubi scilicet Æqualitas in Malo illato non servatur, non necessariâ hic tamen Numeri aut Roboris Æqualitate, quam alii addunt. 4. Eorum, qui hanc *Defensionem*, cum *Mennonitis*, *Magistratibus* ipsis auferunt, improbato omni *Bello* & *Supplicio Capitali*; quod Deus utique olim præcepit, & licitum non tantum sed & necessarium fecit Paulus *Rom.* XIII. 4. memorata & Dei Autoritate, & Utilitate publica. Qua de re inter Jura Magistratus copiosius agendum erit *Cap.* XXXIII.

Interdicitur autem Homicidium Iniquum cujuscunque tandem Hominis, etiam Sui Ipsius. Cujuscunque Modi. Et Gradus. Quibuscunque porro Hominibus.

XXII. Cæteroquin cum nulla ad Interdictum *Homicidii* restrictio adjiciatur alia, intelligimus facile, interdici hic Cædem 1. *Hominum Quoruncunque*; tum *Aliorum*, absque discrimine religionis, ætatis, sexus, gentis, status *&c.* juxta Legem generalem *Gen.* IX. 6. & particularem *Exod.* XXI. 20. non extendendâ ad Jus Vitæ & Necis Patria aut Herili Potestate; tum *Sui Ipsius* magis, temere probatâ olim à *Stoicis* & *Christianis* multis αὐτοχειρίᾳ, quæ revera α adversa est Dei summi Imperatoris gloriæ, Patriæ, & nobis, β sapientiam, fiduciam, veramque fortitudinem evertit, γ adscripta impio Sauli, Achitopheli, Judæ, 1 *Sam.* XXXI. 4. 2 *Sam.* XVII. 23. *Matt.* XXVII. 5. nec δ probata, vel Exemplis *Raziæ*, *Eleazaris*, *Simsonis*, 2 *Macc.* XIV. 41. 1 *Macc.* VI. 43. *Jud.* XVI. 30. [1] partim apocryphis, partim alienis, partim speciali Impulsui Spiritus adscribendis, vel specie Fortitudinis aut Obedientiæ Deo semel debitæ vana. Atque huc refer omnino *Propriæ Navis Incendiarios* in Belli extremitatibus, qui nunquam id agere vel jussi sunt, vel esse licite possunt, ac se juxta alios trucidant; & magis Pœnam Capitalem Inedia vel alia quacunque ratione Prævertentes. 2. *Cujuscunque Modi*; sive fiat per Alios 2 *Sam.* XII. 9. 1 *Reg.* XXI. 19. *&c.* sive per Nosipsos, ex subita Iracundia, vel Imprudentia manifesta, vel destinato Consilio; sive Veneno, sive Lapide, sive Ligno, *Num.* XXXV. 16. 17. 18. 3. *Cujuscunque Gradus*; α sive subsistat in Cordis cogitationibus, per Invidiæ, Odii, Iræ, Vindictæ, motus illegitimos *Lev.* XIX. 17. 18. *Prov.* XIV. 30. XX. 22. *Zach* VIII. 17. [2] *Matt.* V. 22. 39. *Gal.* V. 19. 1 *Joh.* III. 15. β sive Ore proferatur, per Maledictiones, Fraudes, Convicia, *Psalm.* LV. 22. *Jer.* XVIII. 18. γ sive Opus adsit, vel Mortis illatæ, vel Percussionis, vel ullius voluntariæ Conjectionis in præsens non necessarium Periculum. Quo perti-

 nent

nent *Flagellationes* Monachorum Baalitico-Papisticæ, damnatæ 1 *Reg*. XVIII. 28. *Eph*. v. 29. nec probatæ, vel mandata Carnis corruptæ Subactione *Gal*. v. 16. 24. *Col*. III. 5. vel Pauli *Corpus compescentis* exemplo 1 *Cor*. IX. 27. voluntarius seu coactus *Eunuchismus*, in *Origene* ipso improbatus, nec laudatus à Christo, *Inebrationes* omnes, & ducentia illuc *Pocula Votiva*, si multiplicatio & coactio adsit, *Pocula* item *Abortiva*, Imitationes *Onanis*, *Duella* ob honoris læsionem aut litem quamcunque inter Privatos indicta & suscepta, leviores in hostem *Incursus*, *Audaces Pestis* tempore *Conatus*, *Fuga Fugæ* necessariæ, &c. 4. *Quibuscunque Personis*; α *Privatis* scilicet, discrimine omni sublato, ut ne quidem Servus absque reatu hic obedire possit Domino; quin & β *Publicis*, quousque leges defendendæ ab injuria externa & interna Reipublicæ necessitatem non imponunt. Ad omnem vero hanc Homicidii speciem neutiquam extendi debet Pœna *Mortis*, Noachi jam tempore addita, sed ad Actualem Cædem restringi; nisi Circumstantiæ variæ aliter jusserint. Atque hanc Pœnam uti non admisit Deus in Cæde hominis plane Casuali, datis & Sex *Refugii Urbibus Num*. XXXV. 14. *Deut*. XIX. 2. 9. nec admittit ferè æquitas in Minori Ætate, vel Principe reo cædis Subditorum, & forte Casibus aliis paucis; ita exsequendam alias Judici ex conscientia putamus, nec impedimentum ullum debere à quoquam objici, ne minus tuta sit Humana Societas, & certior Dei ira *Num*. XXXV. 31. 33. *Deut*. XIX. 12. 13. 21. Contra quam agunt *Papistæ*; α docentes *Sigillum* inviolabile *Confessionis*, etiam in causa Parricidii propositi adhuc; ϐ introducentes *Azyla* innumera promiscua, quale ne quidem olim erat *Altare Exod*. XXI. 14. γ ac simulata Formula Intercedentes pro Clericis Damnandis, & Hæreticis ad Vivicomburium traditis. Neque *Pœnam Ecclesiasticam*, quæ levior est apud *Pontificios* in Cæde *Laicorum*, gravissima vero Excommunicatio, à solo Papa solvenda, in levi *Clericorum* percussione, nunc tractamus.

[1] *Exerc. Text*. VI. P. VI. [2] *Comm. in Loc*.

Virtus hic mandata. Additamenta Præcepti hujus Sociniana.

XXIII. Virtus mandata vi oppositorum facile noscitur; estque *Amor*, quo in Nostram & Proximi Vitam conservandam ferimur, ore & opere quoque demonstrandus, in exercitio Humanitatis, Mansuetudinis, Longanimitatis, Concordiæ, Beneficentiæ corporalis & spiritualiis, &c. quæ alibi commendantur. Un-

Unde jam porrò concidunt *Additamenta* N. Test. à *Socinianis* & *Mennonitis* somniata, quæ, præter *Proximi*, & *Amoris*, protensionem ulteriorem de qua postea, sunt 1. Interdictum *Odii* & *Iræ Matt.* v. 22. Quæ ratione Causæ, Objecti, Gradus, & Durationis, magis quam in se mala *Marc.* III. 5. *Eph.* IV. 26. 27. [3] olim quoque fuit & *Homicidii Radix Matt.* XV. 19. 1 *Joh.* III. 15. & damnata palam *Prov.* XIV. 29. *Eccl.* VII. 9. *&c.* 2. Interdictum *Gestuum* & *Verborum Contumeliosorum Eph.* IV. 31. qualia etiam duo illa à Christo expressa *Raka* & *Fatue*. Quæ olim quoque vetita *Ps.* LVII. 5. LXIV. 4. *Gen.* IV. 6. non interdictâ unquam Increpatione seria, & quandoque ob indurationem aspera, *Lev.* XIX. 17. *Matt.* XVI. 23. XXIII. 16. 17. *Luc.* XXIV. 25. *Gal.* III. 1. *&c.* 3. Interdictum *Vindictæ* etiam per *Magistratum* sumendæ, ex *Matt.* v. 39. 40. 41. & *Rom.* XII 19. Dum α omnis Ultio Privata, de qua his locis agitur, olim quoque fuit vetita *Lev.* XIX. 18. *Prov.* XX. 22. XXIV. 29. & β ab Ultione Magistratus ipsa omne Privatæ Vindictæ studium abesse debet, tam in Judice quam Actore; γ suntque phrases Salvatoris, fatentibus Adversariis, propter Praxin Ipsius & Pauli adversam *Joh.* XVIII. 23. *Act.* XXIII. 3. *paræmialiter* & *comparatè* intelligendæ; δ uti *Paulus*, ex Mose *Deo* vindicans *Vindictam*, Dei vicarium Magistratum non videtur prorsus excludere. De *Bellis* & *Suppliciis Capitalibus* verbo diximus, & dicèmus amplius inter *Magistratus* Jura *Cap.* XXXIII.

[3] *Exerc. Text.* XLI. P. I.

XXIV. Præcepto *Septimo* vetat Deus *Adulterium*, dictum Latinis emphaticè quasi *ad alterum*, vel *ad ultra*, Græcis μοιχείαν, quasi à μὴ οἶκος. Quod in Scriptura æque quam apud *Ictos* strictius à *Stupro* distingui videtur, & locum habet in Congressu Viri Cælibis vel Conjugis cum *Uxore* aliena, vel etiam *Sponsa*, *Lev.* XX. 10. *Deut.* XXII. 23. ita ut huc per analogiam solutæ Fidei Conjugalis referri tamen debeat omnis *Polygamia* Simultanea, & *Concubinatus*, & *Scortatio* Uxorati cum Fœmina Soluta. Hujus peccati Gravitatem, utpote contra Dei Ordinationem, Fœdus initum, propriam Carnem, Filios, & Rempublicam totam, commissi, docent Pœnæ in Lege Mosis statutæ, Extraordinariæ etiam *Jer.* v. 8. 9. & Æternæ *Prov.* VI. 26. quin magis adhuc *Poculum* amarum *Zelotypiæ* ad explorationem latentis criminis olim ebibendum Praecepti Septimi Summa.

 Num.

Num. v. 14. Cujus, ob Divinæ Institutionis defectum, hodie nullus est amplius usus; uti neque ulla Necessitas ejusdem Pœnæ Forensis, ad cujus abrogationem tamen non spectat Factum Christi *Joh.* VIII. 4. 5. [1] dum Christus ibi Judicium Forense, ad quod non venerat, tantum declinat, perinde ut *Luc.* XII. 13. 14.

[1] *Exerc. Text.* XXXVIII. P. V.

Ad illud pertinet omnis Carnalis Impuritas. Quin & Cordis Libido, ejusque accendendæ Occasio.

XXV. Refer ad hoc Vitium unum gravissimum porro. 1. Omnem *Actualem Impuritatem Carnalem*; α sive cum *Bestiis*; vel β *Sexu Indecenti* committatur *Exod.* XXII. 19. *Lev.* XVIII. 23. 24. XX. 15. 16. XVIII. 22. *Rom.* I. 26. 27. *&c.* ausis tamen quasi in contemptum Pœnæ de Sodomitis sumptæ *Sodomiæ* defensionem quin & celebrationem suscipere *Papistis*; γ sive cum *Fœminis* fiat *Commixtio Indecens*, qualis est in *Incestu*, & *Polygamia* non solum, uti *Capite* XXXIII. liquebit, sed & in violenta *Compressione* Virginis, hanc tamen non fœdantis, & *Fornicatione* omni, tum promiscua, tum particulari magis, *Lev.* XIX. 29. *Deut.* XXII. 21. XXIII. 17. 1 *Cor.* VI. 18. X. 8. *Eph.* V. 3. 5. *Hebr.* XIII. 9. *Apoc.* XXI. 8. *&c.* Ut dolendum sit, *Gentilium* & Veterum *Hæreticorum* personam induere *Pontificios*; in excusata magnoperè *Simplici Scortatione*, ac via illuc strata, per *Matrimonii Blasphemiam*, *Cælibatus* laudes, & necessitatem in *Clericis*, in *Concubinatu* simplici Cælibum in *Jure Canonico* probato, ac *Lupanaribus* publicè ad quæstum ipsius Pontificis toleratis, sub prætextu scilicet impediendi majoris mali & cohibendæ per Tributi impositionem Libidinis. 2. Omnem *Libidinem Internam Cordis Prov.* VI. 3. 25. *Jer.* V. 8. *Ezech.* VI. 9. *Matt.* V. 28. XV. 19. 20. *&c.* 3. Omnem hujus fovendæ & ad actum externum perducendæ *Occasionem*. Quæ est; α in *Crapulis* & Comessationibus *Prov.* XXIII. 29. 33. *Hos.* IV. 11. β *Otio* turpi *Ezech.* XVI. 49. γ *Picturis* inhonestis *Ezech.* XXIII. 14. 16. si vel ex Sacris Historiis fuerint desumptæ; δ Corporis *Nudatione* indecenti, & *Ornatu* nimio, per *Vestitum* omnem, quin & *Fucum*, itemque *Gestibus* indecoris *Jes.* III. 16. ε *Sermonibus*, *Cantionibus*, *&* *Poëmatis*, obscœnis vel lascivis, *Prov.* VII. 5. *Eph.* IV. 29 1 *Cor.* XV. 33. quo interrogationes multæ *Confessariorum* in Papatu debent referri; ϛ *Choreis* *&* *Saltationibus* vulgaribus, neque enim omnes simpliciter nisi propter usum exiguum & abusum promptum damnamus, ζ *Comœdiis* denique & *Ludis Scenicis*, quales vulgò instituuntur ab infamibus histrionibus, cum vestitu,

gestu,

gestu, verbisque ad voluptatem carnalem compositis, ac corrumpendos verius quam corrigendos populi in suum quæstum mores, à quibus propter has aliasque rationes non immerito graviter semper abhorruerunt Christiani, omni interim *Repræsentatione Scenica* rei gestæ absolutè haud damnanda.

Additamenta Sociniana rejiciuntur.

XXVI. Mandati Summa ab altera parte hic ad *Castitatem* reduci potest, in *Conjugio* æque quam in *Cælibatu* sectandam, & fovendam corde, ore, opere, per omnis Modestiæ & Temperantiæ studium. Nullus hic itaque denuo locus *Socinianis* Novi Test. *Additamentis*; qualia volunt esse 1. Interdictum *Polygamiæ & Divortii Matt.* v. 32. Quod ex Prima Conjugii Institutione fluens, & in Lege repetitum *Lev.* XVIII. 18. [1] *Deut.* XVII. 17. *Mal.* II. 14. 15. [2] utique non est novum; *Permissione* per Legem Forensem Mosis non Morali sed Politica tantum facta, & Libello Repudii in Pœnam quoque addito *Deut.* XXIV. 1. [3] *Matt.* XIX. 8. 2. *Aspectum* Mulieris cum *Concupiscentia pro Adulterio* haberi *Matt.* v. 28. Quum Legislator Concupiscentiam hanc expresse nominaverit X. Præcepto, conveniant loca alia §. XXV. citata, & præierint rem sic olim reputantes Sancti *Job.* XXXI. 1. *Psal.* CXIX. 37. 3. Interdictum omnis *Scortationis*, *Comessationis*, *Impuritatis*, *Turpiloquii*, & *Urbanitatis*, per quam minus commode εὐτραπελίαν seu *scurrilitatem* notant, ex *Eph.* v. 3. 4. *coll. Eccl.* II. 24. III. 12. 13. V. 17. 18. XI. 9. *&c.* Cum tamen α hæc omnia in Vet. æque quam in Novo T. taxentur; β hypotheses *Socinianæ*, Deum olim *Castitatem tantam non imperasse*, & fideles *nec ad cœlestia assidue contemplanda* fuisse incitatos, *nec in assiduo precum studio versari jussos*, æque in Deum quam in Patres sint injuriæ; γ loca tandem *Salomonis*, vel *Honestum* spectent Bonorum Corporalium *Usum*, vel *Ironicè* debeant intelligi. 4. Commendationem summam *Jejunii*, ut ad Continentiam ducentis. Cum iterum *Jejunium* olim magis urserit Deus, nec ita explicite & determinate quoad Tempora certa sub Novo T. præceperit unquam illud, nec tandem tam ad II. quam ad I. Tabulam id pertineat seu referri queat.

[1] *Exerc. Text.* V. P. I. [2] *Comm. in Loc. & Exerc. Text.* XXV. P. I. [3] *Exerc. Text.* XV. P. V.

Præcepto Octavo interdicitur Furtum.

XXVII. Præceptum *Octavum* continet interdictum *Furti*; quod Hebræis & Græcis à clancularia surreptione, fortè & Latinis sic dicitur, sive à Græco φώρ, sive à *furvo* derivetur. Id hic non oppo-

In quo supponuntur Distincta rerum Dominia.

opponitur *Rapinæ*, sed quamvis *Ablationem* aut *Retentionem rei alienæ fraudulentam* notat, *invito Domino*. Supponit itaque *Rerum Divisionem*, *&* *Distinctum Dominium*; quod est *Juris Gentium Secundarii*, nec unquam in prima Creatione Jure Naturali interdictum fuit, utpote ad cavendas contentiones, diligentiamque singulorum augendam, post lapsum maximè faciens. Unde *Divitum & Pauperum* Discrimen sapienter à Providentia Dei ordinatum *Prov.* XXII. 2. qui unicuique *portionem suam* variis *acquirendi modis* admetitur *Prov.* XXX. 8. & vult *nostro* nos *pane* vesci, cum animo contento, 1 *Tim.* V. 8. VI. 8. Contra quam prætendunt sæpe *Fures*, opere mentem aliam sibi hærere declarantes; ac statuunt, post *Platonicos*, varii *Cœnobitæ* Judæi & Christiani, *Anabaptistæ* quidam, & ex parte *Pelagiani*, *Diviti* absque Bonorum omnium Venditione *Cœlum negantes*. Qui gratis nituntur; α tum *Exemplo Protoplastorum*, qui Dominium plane Universale & Pacificum quale habebant ipsi ad multiplicatos Posteros transmittere non potuerunt magis, quam hodie Parentes integram Hæreditatem ad Liberos omnes & singulos; β tum *Facto Primorum Christianorum Act.* II. 44. IV. 32. 34. quod præsenti Necessitati fuit accommodatum, nec ad Dominium sed Usum spectat; γ tum *Mandato Christi Matt.* XIX. 21. quod Personale ac Convictivum fuit, & *Sermone* annexo v. 24. qui intelligendus de *Divitibus in possessione sua confidentibus Marc.* X. 24. & *humanis viribus* v. 26. δ tum *Communione Sanctorum*, quæ est in Spiritualibus, & Temporalium necessario Usu. Interim neutiquam probari ad conscientiam posse putamus omnes *Modos Acquirendi*, in externa societate, secundum Legis, nec inutiliter ob lites & direptiones avertendas positæ, rigorem justos, uti sunt variæ *Præscriptiones*, *Usucapiones*, *Occupationes*, *Exceptiones*, *&c.* Neque *Dominium* sic singulis tribuimus Peculiare, ut non Magistratibus competat *Eminens*, variis casibus sed cum minima singulorum læsione exercendum; imò ut non in extrema vitæ Necessitate, negatâ Eleemosynâ, tantum competere videatur singulis, quantum ad Vitæ conservationem plane necessarium est, meritoque tum surripitur etiam invito Domino, uti ipso inscio id fieri potuit & potest ob Humanitatem & Charitatem mutuam etiam extra hanc necessitatem à viatore transeunte; imo ut non secundum Jus Poli id competat Pauperibus, quo his indigentibus Divites abundant, quamquam nulla

nulla in Foro detur his Actio, nec aliter quam humili Petitione ad possessionem contendere deceat Pauperes.

XXVIII. Merito vero istius modi Possessionum Surreptio hic, & alibi *Lev.* XIX. 11. 13. *Luc.* III. 14. *Eph.* IV. 28. *&c.* severe interdicitur; ob α radicem *Diffidentiæ* vel *Concupiscentiæ*; β *Læsionem* manifestam *Amoris Proximi*; γ & *Ordinis* à Deo statuti publicæque *Tranquillitatis Eversionem.* Quare etiam addita *Pœna*, tum *Exitii Prov.* XXIX. 24. 1 *Cor.* VI. 10. tum *Forensis*, varians prò ratione varia delicti *Exod.* XXI. 16. XXII. 1. 2. 4. 5. 7. *&c.* ex Jure tum Mosaico, tum Civili omni. Neque putamus, *Mosaicæ Constitutioni*, quam fortè per omnia non semper in Israële fuisse observatam conjicitur ex 2 *Sam.* XII. 5. *Prov.* VI. 31. *&c.* ita inhærendum esse hodie, ut non Crescente Delicto atque sæpius Iterato, Pœna Gravior, etiam Mortis, per Leges merito statuatur Civiles, quales olim quoque apud Populos nonnullos; quamquam regulariter in *Simplici Furto*, quod *Qualificato* opponi solet, ob minorem Delicti & Pœnæ analogiam id obtinere non debeat.

Furti Gravitas & Pœna.

XXIX. Nulla porro in Lege hac Spirituali cum adsit restrictio, interdictum censemus *Furtum Omne* 1. *Cujuscunque Rei*; α sive pertineat ad *Ecclesiam*, & ad Usus Sacros destinetur, in qua committitur *Sacrilegium*, ejus tum Ablatione, tum Conversione in usus minus pios, tantopere damnatum *Prov.* XX. 25. *Jos.* VII. 24. 25. *Mal.* III. 8. 9. [1] *Act.* V. 3. 4. *Rom.* II. 22. *&c.* quò & refer multiplicem *Simoniam* & *Giezismum*, sive spectet ad *Rempublicam*, in qua locum habet *Ambitus* inhonestus, & *Peculatus*, tum Subtractione tum Retentione injusta, contra monita *Matt.* XXII. 21. *Rom.* XIII. 6. 7. sive sit *Privatorum*, Singulorum vel Plurium, etiam nobis *Proximorum*; seu β res sit *Homo*, circa quem committitur *Plagium* & *Raptus*, scelera damnata *Exod.* XXI. 16. *Deut.* XXIV. 7. 1 *Timoth.* I. 10. *Genes.* XXXVII. 28. *&c.* quibus se tamen in subducendis Liberis polluunt *Papistæ*, seu sit *Pecus*, cujus abductio ex pascuo *Abigeatus* vocatur *Exod.* XXII. 1. 4. seu sit *Seges* aut *Vinetum* v. 5. 6. seu alia quæcunque Possessio Mobilis aut Immobilis. 2. *Cujuscunque Modi*; α seu fiat *Clam*, seu *Palam*; β seu *Vi illata*, per Superiorum Oppressionem, Concussionem, Perfossionem, Latrocinium, Prædationemque indecoram, etiam sæpe in Justo Bello, seu *Fraude Tecta*, quæ est in *Stel-*

Interdictum hoc complectitur omnes Furti Species, quæ recensentur. Et Modos innumeros. Ad quos non spectant omnes, sed quædam tantum Usuræ. Etiam Gradus omnes. Et Occasiones quoque.

Stellionatu quovis, Judicii Corruptione activa & passiva, turpi Mendicitate Monachorum, Nundinationibus rerum Spiritualium Papisticis, Sponsionibus Sortibus & Ludis, quibus vel fraus subest, vel nimium proprii lucri studium adest, vel detrimentum magnum alteri parti temere accedit, Contractibus Ambiguis, Negotiationibus Fraudulentis, per Mercium qualitatem, quantitatem, & pretium monetæ, Monopoliis ad augendum pretium ultra decorum institutis, invidiosè traductis aliorum Mercibus, Laboris non necessaria Protractione, Mutuatione temeraria, Debiti Dilata Solutione, ejusdem Exactione Importuna, Testamentorum Captationibus indecoris &c. tandem & in *Usuris*, quales *Trapeziticæ* Judæorum & *Longobardorum*, licet Legibus hodiernis permissæ & mitigatæ multum, verè *Iniquis*, vel ob paupertatem dantis, vel ob excessum immodicum, vel ob pignora necessaria amplius requisita. Quæ vitia, facientia ut תרבית/ *Fœnus*, magis emphaticè sit נשך/ seu *mordens* Usura, si absint, non audemus cum *Scholasticis*, qui tamen casus varios ipsi excipiunt, *Lutheranis*, & *Reformatis* multis, præcipuè *Anglis*, omnem Usuram supra Sortem Principalem ex Contractu exspectatam damnare; α cum Deus eam non damnaverit, nisi respectu Israelitarum, Civili Constitutione, sed permiserit alias *Deut.* XXIII. 19. 20. β Christus ipse eam absque ulla reprehensione ad spiritualia laudabiliter traduxerit *Matth.* XXV. 27. γ æquitas quin etiam naturalis, tam à parte accipientis cum suo commodo & ad gratitudinem obligati, quam dantis cum suo incommodo & familiæ merito prospicientis 2 *Cor.* XII. 14. 1 *Tim.* V. 8. eam exigat, δ similes ex consensu plurimorum liceant *Contractus*, *Locationis*, *Emphyteusios*, *Antichresios*, *Societatis*, *Emptionis Redituum*, *&c.* Nec obstant; α Interdicta *Exod.* XXII. 25. 26. *Lev.* XXV. 35. 36. *Deut.* XV. 7. 8. 9. *Ps.* XV. 3. *Ezech.* XVIII. 8. *&c.* quæ cum Restrictione necessaria ex Lege Charitatis & Forensi Judæorum debent intelligi; β dictum Christi *Luc.* VI. 34. 35. quod itidem de *Pauperibus* agit, qui *ad desperationem* non sunt *adigendi*, & à quibus nec Usura nec Sors Principalis exspectari potest, secundum contextum, & vim vocis ἀπελπίζοντες; γ vel ratio, ut alias mittam, *à Pecuniæ Sterilitate*, quæ accedente hominis industria, perinde ut in Agris locatis, illi non est tribuenda. Per *Abusum* interim *Usurarum* multis, etiam *Patribus*, occasionem datam fuisse ut in eas omnes

omnes inveherentur, non negamus. 3. *Cujuscunqu Gradus*; sive adhuc sit *Spirituale*, dum *Animus* est *intercipiendi* rem alienam, omnino ad Furtum, strictius dictum, necessarius, non tamen absque contrectatione ejus Pœnæ Civili subjiciens, vel simplex *Avara Concupiscentia Prov* XV. 27. *Ezech.* XXXIII. 31. *Luc.* XII. 15. *Col.* III. 5. *Hebr.* XIII. 5. 1 *Tim.* VI. 9. 10. 1 *Cor.* VI. 10. *&c.* sive in *Actum Externum* perductum, in re exigua vel magna, semel vel sæpius, cum vi vel absque ea, ex animo furandi, vel negligentia, vel imperitia, vel simplici conniventia, &c. 4. Quin & referendæ huc *Occasiones Furti*; quæ præcipuæ sunt, α nimia Mundanorum Æstimatio, β turpis de vita hac Sollicitudo, γ Invidia in proximum, δ turpe Otium 2 *Thessal.* III. 11. ε prodiga bonorum Dilapidatio *Prov.* XXI. 17. XXIII. 20. 21. *Luc.* XV. 13. 14. *Rom.* XIII. 13. *&c.*

[1] *Comm. in Loc.*

XXX. *Virtutes* mandatæ ex dictis patescunt; α quæ spectant magis ad *Nos Ipsos*, αὐτάρκεια 1 *Tim.* VI. 6. 8. *Hebr.* XIII. 5. Frugalitas *Prov.* III. 9. *Job.* VI. 12. Sedulitas in functione nostra 1 *Thess.* IV. 11. 2 *Thess.* III. 12. *Prov.* X. 4. 5. XIII. 4. *&c.* β quæ concernunt *Proximum*, Justitia, tum Commutativa tum Distributiva, *Tit.* II. 12 Benevolentia opere demonstrata *Exod.* XXIII. 4. 5. *Deut.* XXII. 1. 4. *Gal.* V. 13. Eleemosyna *Deut.* XV. 7. *Eccl.* XI. 1. 2. [2] *Jes.* LVIII. 6. 7. *Dan.* IV. 27. *Eph.* IV. 28. *&c.* Unde iterum admitti heic nequeunt *Additamenta Socinianorum*, quæ sunt. 1. Interdictum *Avaritiæ*, quam definiunt *Voluntatem plus habendi, quam alicui opus est ad sustentandam hanc vitam.* Cum α Avaritia olim graviter interdicta, & à Sanctis studiose vitata fuerit *Psal.* CXIX. 36. *Job.* XXXI. 24. 25. *Prov.* XXX. 8. *Jes.* V. 8. *&c.* ac β sit hodieque licitum & sibi & posteris ultra absolutam vitæ conservandæ necessitatem prospicere 2 *Cor.* XII. 14. secundum confessionem *Volkelii*, & praxin adversariorum omnium, ut Definitio isthæc Avaritiæ data non procedat. 2. Mandatum *Liberalitatis* in omnibus quæ sunt nobis reliqua in Usus Pios convertendis. Quod iterum ad *Proventus* potius, quam ad *Possessiones* ipsas pertinere, ne fons liberalitatis mox exhauriatur, alias monent ipsi; nec commode si limitatur novum est, ob Eleemosynarum commendationem antiquam. 3. Mandatum singularis *Temperantiæ*. Quod olim, omni *Luxu* interdicto, & Filio in Prodigalitate contumaci pœ-

Mandata hujus Præcepti Et Additamenta ficta Socinianorum.

nâ Mortis quoque ſtatutâ *Deut.* XXI. 20. 21. non fuit certè minus.

[z] *Exerc. Text.* XXII. P. III.

Noni Præcepti Summa. Vitia hic interdicta latius recenſentur. Inter quæ ſunt omnis generis Mendacia.

XXXI. *Nonum Præceptum* vetat ψευδομαρτυρίαν *adverſus Proximum*, quo uno vocabulo Græci phraſin Hebræam, variè ab Interpretibus conſtructam, apte explicarunt. Habet illa indubiè proximam relationem; α ad *Forum*; β eoſque qui ab Actore tanquam *Teſtes*, ad veritatem firmandam juxta Dei Legem *Deut.* XVII. 6. XIX. 15. *&c.* adducuntur; idque γ *Teſtimonium*, quod homines *Alios* concernit; ipſiſque δ eſt *Adverſum*; & ſimul ε *Veritati*, non tam *Logicæ*, quamquam & hanc pro viribus ſectari deceat, quam *Ethicæ*, *contrarium*; ſicuti docent parallela *Exod.* XXIII. 1. 7. *Deut.* XIX. 16. 18. *Prov.* VI. 19. XIX. 5. XXV. 18. *&c.* Interim α ſic ſatis ſupponitur indecentia Teſtimonii Falſi *contra Nos* Ipſos, & *contra Deum*; β vetatur ſimul ψευδομαρτυρία *pro Proximo*, cum mala non liceat facere in bonum finem, & ſic aliis ſemper directè vel indirectè noceamus; γ à Falſitate etiam omni jubentur abeſſe hoc ipſo, tum *Judices Exod.* XVIII. 21. *Deut.* I. 16. 17. 2 *Chron.* XIX. 6. 7. quorum eſt omni adhibita diligentia ſecundum leges juſtas atque cauſæ *ex Actis Probatiſque* cognitionem, (licitâ illis Juris ſui Ceſſione, ſi propria Cognitio cum Teſtimoniis adductis pugnet,) neutiquam verò juxta perſonæ dignitatem, ſuum affectum, vel ſuſpicionem, ſententiam ferre, tum *Actores*, qui cavere debent ab omni calumnia, tum *Rei*, qui rogati, candidè reſpondere, atque ſententiæ ultimo latæ abſque repugnantia fuga aut eruptione ſatiſfacere tenentur, niſi à Scandalo omni & Culpæ ſpecie aliena Religionis fuerit cauſa, vel Appellationis in cauſa juſta Beneficium adſit, tum denique *Advocati*, qui falſitatis ſibi patefactæ patrocinium vel veritatis per mendacia & calumnias defenſionem ſuſcipere nequeunt, abſque maledictione denunciata *Jeſ.* V. 20. δ tandem damnatur ab una parte omnis iniqua *Delatio*, Conviciatio, Detractio, ψιθυρισμός, & Suſpicio etiam Siniſtra, quibus exiſtimatio proximi minuitur, etiam ſi res ſæpe ſed latenter vera ſit, *Lev.* XIX. 16. *Rom.* I. 30. 1 *Cor.* XIII. 7. 1 *Tim.* VI. 4. *&c.* & ab altera parte *Mendacium*, tum involutum, per Æquivocationem quæſitam aut mentalem Reſervationem, de quibus §. X. tum apertum magis, ſive ſit *Pernicioſum*, ſive *Jocoſum*, ſive *Officioſum*, quod omne promiſcue

cue rejicitur *Lev.* XIX. 11. *Psal.* v. 7. *Prov.* VI. 17. 19. XII. 22. *Eph.* IV. 25. *Col.* III. 9. ac naturali Linguæ usui humanæque Societati adversatur, nunquam malo ob bonum finem nec Mendacio propter Deum ipsum licito *Rom.* III. 8. *Job.* XIII. 7. & de *Otioso Verbo* ratione quoque reddenda *Matt.* XII. 36. Nec valent hic Objectiones *Socinianorum*; *α* ab *Exemplis* notis *Gen.* XXVII. 24. *Exod.* I. 19. *Jos.* II. 4. 5. 1 *Sam.* XIX. 17. XX. 6. 1 *Sam.* XVI. 3. 2 *Reg.* VI. 19. *Jer.* XXXVIII. 27. *&c.* quæ vel Improbanda, nec perinde ut opus conjunctum à Deo probata, vel Mendacio veri nominis carent, agnoscendo tantum in iis prudenti Silentio; *β* à *Locutionibus* quibusdam ex sensu *Restringendis*, vel *Tropicis*, etiam *Ironicis*, vel *Parabolicis Gen.* III. 22.[3] 1 *Reg.* XXII. 15. *Eccl.* XI. 9. *Matt.* XIII. *&c.* in quibus nec falsum enunciandi animus, nec Mendacii ob gestus & rei naturam species est; *γ* à *Simulatione* Davidis 1 *Sam.* XXI. 2. 13. Jehu 2 *Reg.* X. 19. & Christi quoque *Luc.* XXIV. 28. quæ prior utraque vitiosa fuit, posterior autem prudens Corporis Compositio ad eliciendum discipulorum Officium; *δ* denique à *Damno nullo* hinc fluente, sed Commodo potius, cum Mendacium in se vitiosum sit, & per damnum illatum magis vitiosum tantum fiat. Ad Mendacium vero refer *Perfidiam* omnem, tum materialem tum formalem, tum propositam primum, tum post secutam, cui fræna laxant *Papistæ*: neutiquam vero *Stratagemata* bellica, probata exemplo *Jos.* VIII. 4. 5. & ratione, dum consilia tecta hosti exponere non tenemur.

[3] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* XIII.

Quæ hoc Præcepto ex adverso mandata sint, traditur. Rejectis iterum Additamentis Socinianis.

XXXII. Mandata hic ex adverso censemus; *α Curam* decentem *Famæ Nostræ & Proximi*, utpote pretiosissimæ *Eccl.* VII. 1. *Phil.* IV. 8. 11. 3. *β* studium *Veritatis* perpetuum *Zach.* VIII. 16. 17. *Psal.* XV. 2. 1 *Cor.* v. 8. *γ* eique conveniens *Testimonium*, etiam si sit contra Proximum, ubi id Judex, Actor, Reus, vel commune Reipublicæ Bonum flagitat. Quod propterea contra rationem omnem & immediatam præcepti hujus consequentiam *Anabaptistæ* plures, *Franciscani*, *Confessarii*, & *Clerici* Pontificii, in causa sanguinis detrectant; quamquam ab altera parte id à Judice imponendum non videatur facilè *Presbyteriis*, absque metu gravioris mali secuturi, ubi facta Confessio ad animæ tranquillitatem argumentum convictivum Fisci Patrono ad infamiam hominis

ſuppeditare non debet. Concludimus porrò, neque hic locum eſſe *Additamento Sociniano*, interdictorum *Mendaciorum Omnis Generis*, *Levitatum*, *Obtrectationum*, *Iudiciorum*, *Condemnationum*, *&c.* quæ æqualiter eſſe hodie & fuiſſe ſemper illicita, conſtat, niſi in poſtremis luſus ſit: atque ſic alio ſenſu, Judicii ſc. Damnatorii à Magiſtratu ferendi, ea adhuc licita dicimus.

Præcepti X. Summa. Interdicitur hic omnis ſpecies Concupiſcentiæ, adeoque etiam Primi ejus Motus.

XXXIII. Tandem *Præceptum Decimum* arcet *Concupiſcentiam*; duplici voce in *Deuteronomio* adhibita, ad ſenſum eundem exprimendum, non vero, ut volunt *Lutherani* aliqui, ad Concupiſcentiam *Nativam* per התאוה / & *Actualem* per חמד / notandam. Quæ ne hic intelligeretur *Naturalis*, cibi & potus aut alterius boni communis, quæ eſt Indifferens, vel *Supernaturalis*, Dei & Verbi ipſius, quæ eſt Laudata *Pſ.* cxix. 20. 40. *Gal.* v. 17. *&c.* mox ab *Objectis* explicatur, *domus*, *uxoris*, *ſervi*, *ancillæ*, *bovis*, *aſini*, *omniumque quæ ſunt proximi*, præmiſſa in Deuteronomio *Uxoris*, & additâ *Agri* mentione. Intelligenda vero eſt Bonorum horum non *Concupiſcentia* Modeſta & Juſta, ut per Emptionem aliave legitama media acquirantur abſque detrimento Proximi, ſed *Injuſta ac Invida*, quæ implicitè prioribus Præceptis comprehenſa, hic ad faciliorem intelligentiam apertè proponitur. Ad interdictam vero hanc rerum Proximi Concupiſcentiam refertur non immeritò, ob Simulitudinem, quin & Objecti Præſtantiam, omnis *Concupiſcentia adverſus reliqua Dei Præcepta*, præeunte *Catecheſi Heidelbergenſi*. Et cum ſit eadem *Concupiſcentia*; α vel *Habitualis*, conſiſtens in naturali ad malum inclinatione, de qua ut *fomite*, ſicut à *Scholaſticis* dicitur, locutus videtur *Jacobus Cap.* I. 14. 15. β vel *Actualis*, cujus actus varii ſunt, priores, *Suggeſtio* rei malæ ſub ſpecie Bonæ, tranſvolans *Velleitas* & *Titillatio*, ac poſteriores, voluntas ſtabilis ſeu *Moroſa Delectatio*, *Deliberatio de Mediis*, *&* *Exſecutio*, in hoc Præcepto, nulla addita determinatione, omnem, etiam Nativam, & quoad *Primoprimos Motus*, & qui in Somno quoque oboriuntur, interdictam credimus, contra *Pontificios*, *Remonſtrantes*, *Socinianos*, & *Anabaptiſtas*, *Pelagianizantes* omnes in negata Naturæ Corruptione, Imperfectione Sanctorum, &c. α tum ex generali Verbo Legis, β tum ex Interpretatione Pauli, qui *Concupiſcentiam* perfectam ante converſionem facile ſciverat eſſe peccatum, & illam innuit quæ in ipſo adhuc erat invito *Rom.* VII. 7. 14. γ tum ex Rei Natura, cum Lex

Lex exigat ut toti simus ad Dei gloriam, & Habitus hic Deo nos difformes reddat, ac ab ipso abstrahat magis. Adversus quæ vanissimè objicitur; α Legem *Actionum esse normam*, cum hæ Naturam rectam Habitusque bonos inferant vel supponant; β *Concupiscentiam Habitualem esse Naturalem*, quod in Statu Corrupto, non item Integro, damus; γ eam esse *Involuntariam*, quod absolute non est verum, nec ad naturam Peccati pertinet; δ *non* esse eam *in Nostra Potestate*, quod de omnibus Peccatis in statu Lapsus dicere debemus, nec Officium nostrum tollit; ε eam denique à *Peccato* distingui apud *Jacobum*, sed addere deberent, Actuali & Consummato. Atque sic mandatur hic; α *Animus Contentus*, nostra & proximi etiam longe feliciori sorte *Rom.* XII. 15. 1 *Cor.* XIII. 4. β Odium & Fuga omnis interioris Mali *Ps.* XCVII. 10. γ Amor omnis Boni *Hamos.* V. 15. *Rom.* XII. 9. δ ipsa denique Naturæ Integritas, omni conatu post perditionem per preces & labores juges quærenda. Ut mera sint *Socinianorum* somnia, cum sub N. T. interdictum volunt, ut *Cogitationem Simplicem de Bonis proximi ad nos pertrahendis non foveamus, eave nos oblectemus*; quod præter superiora Exemplum Davidis refutat *Psal.* LXII. 11. CXXXI. 2.

XXXIV. Notamus clausulæ loco, quam recte Præceptorum horum Decem, (quæ in *Numero Singulari* ob universalem obligationem, & *Genere Masculino* ob sexus hujus dignitatem proponuntur, quæ Moses post Patrum plurimorum mortem summa cum gravitate publicè repetiit, quæ Christus juxta Paulum etiam inculcavit, singulis tamen & eodem ordine non recensitis *Matt.* XIX. 18. *Marc.* X. 19. *Luc.* XVIII. 20. *Rom.* XIII. 9.) quam recte horum quin & Prophetarum omnium, inquam, Christus summam fecerit *Matt.* XXII. 37. *Luc.* X. 27. *Amorem Dei ex toto corde, anima, omni cogitatione, & omni* etiam *robore*, i. e. sincerum, integrum, summum, & unicum; qualis ipsi ut summe amabili competit, ac in Lege requisitus fuit *Deut.* VI. 5. X. 12. Et dein *Amorem Proximi tanquam Nostri Ipsius*, similitudinis magis quam æqualitatis ratione, secundum regulam *Matt.* VII. 12. & gradus in diversis personis adhuc servandos. Ubi abstergenda verbo duplex à Lege Mosaica macula *Sociniana*. 1. Prima, juxta quam *Proximi* nomine notati tantum forent *Amici & Israëlitæ*, exclusis reliquis, odio potius quam amore prosequendis: quod re-

Legis totius Argumentum est Amor Dei summus, Et Proximi, ut nostri ipsius. Quo nomine olim etiam omnes sunt designati Homines. Qui hodie nec ulli sunt amandi Supra Nos ipsos.

pugnat; α *Propinquitati hominum* omnium assertæ *Jes.* LVIII. 7. *Act.* XVII. 26. β *Exegesi Salvatoris* Parabolicæ *Luc.* x. 29. 37. γ *declarationibus* ipsius Vet. T. *Exod.* XXIII. 4. 5. *Prov.* XXV. 22. [1] quibus se modò conformat Christus *Matt.* v. 44. adversus glossas Pharisaicas v. 43. δ nunquam mandato *Odio Gentium*, propter separationem ab iis ut idololatris necessariam, qualis & hodie circa Idololatras & Hæreticos necessaria est, vel *Cananæorum*, propter exstirpationem jussu Dei absque commiseratione instituendam *Deut.* VII. 2. qualis nec in Carnifice Odium vel infert vel permittit. 2. Altera, juxta quam hodie obligati essemus ad *Proximum amandum Supra Nos*, adeoque perfectius quam olim, dum *Libertatis exercitio supersedendum* sæpe, *Passiones subeundæ*, quin & *Sanguis prò fratribus fundendus est* 1 *Joh.* III. 16. In quibus omnibus, olim æque necessariis, non amamus Proximum Supra Nos; cum non pro Bono ejus Corporali, sed Salute Æterna, quæ Sanguine nostro longe pretiosior est, ubi adeo boni utriusque nulla institui potest comparatio, id tantum agere teneamur.

[1] *Exerc. Text.* XXV. P. V.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De Hominis Creatione & Natura.

Transitus ad Hominem, ac Nominis hujus Etymon, Synonyma & Homonymiam.

POst Deum tractatur in Theologia etiam de HOMINE; utpote α à quo Deus agnosci & coli debet; β circa quem præcipua Dei Opera versantur; γ qui ipse colophon est Operum Dei; δ cujusque Cognitio ipsi plane Necessaria est, tum ad Salutem, tum ad Cognitionem Dei salutarem. Derivatur hoc ejus nomen; sive ab *humo* ob primam originem, sive ab ὁμόω ob animæ & corporis Unionem, sive ab ὁμῶς ob amorem *Societatis*, sive ab ὁμόιως ob Dei *Similitudinem*, sive etiam ab Hebræo העם / vel אדם / juxta alios. Respondet apud Hebræos אדם / petitum vel à *terra rufa*, vel à דם / *sanguine*; אנוש / vel ab *ægritudine* per lapsum contracta, vel ab *oblivione*; & מתם / vel à *morte*, vel à *perfectione*, vel à *mirabilitate*, ut synecdochicas *Animæ* & *Carnis* appellationes mittam. Græci tum βροτὸν, *Mortalem*, in oppositione ad Deum;

Deum; tum potissimum ἄνθρωπον dicunt, quasi ἀναθρῶντα ἃ ὄπωπε *contemplantem quæ vidit*, vel ab ἀναθρεῖν ὠπὶ, sive ἄνω ἕρπειν, quod *sursum videat*, aut *sursum repat*. Notat porro *Homo*; α aliquando *Statum* vilem & servilem *Psal.* VIII. 5.[1] LXXXII. 7.[2] XLIX. 2. *Phil.* II. 7. 8. β aliquando strictius *Sexum Virilem*, & *Excellentiam* quoque roboris *Gen.* II. 18. *Matt.* XIX. 3. 5. 10. *Psal.* CVIII. 13. CXVIII. 8. 9. γ aliquando antonomasticè *Hominem Primum* *Gen.* II. 19. 22. III. 8. *&c.* qui nullo tum alio distinctivo Nomine opus habuit; δ sæpissime vero *Genus Humanum*, quod Utrique Sexui, omnibusque Individuis & Statibus, commune est *Gen.* I. 27.[3] V. I. *&c.* unde & prò *quovis* indefinitè ponitur *Exod.* XXXIII. 11. *Lev.* I. 2. &c. haud merentibus recensionem, nedum refutationem, quæ ab *Anonymo* aliquando parum pio lusu adducta sunt, ad *Mulieres* ab Humano genere & Salute excludendas.

[1] *Exerc. Text.* XVI. P. III. [2] *Exerc. Text.* XVII. P. II. [3] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

Hominis Existentia & Definitio.

II. Hominis *Existentia* uti ex Conscientiæ propriæ irrefragabili hic luce, & Sensuum ac Operum Externorum Experientia verè perpetua, tam certo constat, ut nemo mediocriter sapiens dicam an mentis compos, de ea vel dubitet, vel vere, etiam admonitus, dubitare possit, ita *Essentia* optime hac Definine continetur, quâ dicitur; *Creatura ex Corpore organico erectoque & Anima rationali illi unita constans, ad Divinæ gloriæ agnitionem & prædicationem facta, in Statu primum felicissimo à Deo creata, in summam miseriam hinc per peccatum lapsa, ex ea secundum magnam partem per Christum restituenda, & æternum beanda.*

Est ille inter Creaturas numerandus.

III. Positum hic *Creaturæ* genus docet; cum, non obstante Excellentia magna, *à Deo factum* esse, *coll. Deut.* XXXII. 6.[4] *Eccl.* XII. I. *Jes.* LIV. 5. *Actor.* XVII. 26. 28. I *Petr.* IV. 19. non tantum α respectu *Animæ* hodiè infusæ *Hebr.* XII. 9.[5] β aut specialis ad *Corporis* generationem Concursus *Job.* X. 9. 10. *Psalm.* CXXXIX. 14. 15.[6] γ sed & primæ *Productionis Speciei*; quam agnoverunt, fabulis mixtis, Philosophi & Poëtæ Gentiles, & docent argumenta pro veritate *Creationis* generalia, adducta *Cap.* VIII. §. IV. cujusque *Historiam* curatam & certam Divino impulsu Moses reliquit, paucis hic illustrandam.

[4] *Comm. in Pent.* [5] *Exerc. Text.* XLVIII. P. II. [6] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* III.

IV. Di-

Creatus est Die Sexto Homo, & quidem u terque. Post Dei Consultationem ἐγκελευστικήν.

IV. Discimus nos ex eo, *Creatum* Hominem 1. *Die Sexto*, post reliqua Opera absoluta; demonstratâ etiam in hoc momento temporis Dei Sapientiâ & Bonitate, atque simul Gloriatione omni humana impedita. Uti vero fabulose *Judæi* Horas Diei in Hominis inchoata & perfecta Creatione distribuunt; & magis eidem juxta *Platonicos* & *Origenianos* fabulantur, de *Animabus omnibus Primo Die* vel dudum *ante Principium Mosis* creatis, detorta ad id Scripturâ *Deut.* XXIX. 14.[1] *Job.* XXXVIII. 21. *Psal.* CXXXIX. 5.[2] *&c.* ita neutiquam dubitari debet, quin *Eodem Die Sexto* juxta Virum creata sit *Mulier*; α ob narrationem continuam *Gen.* I. 27[3] β & *Bonitatem Omnium* Die Sexto assertam v. 31. quæ ante Mulierem creatam locum non habuit *Gen.* II. 18. γ & secutam Die Septimo Dei Quietem, δ & ludicras denique, tum *Exceptiones*, de Anticipatione *Gen.* I. facta, Bonitate restrictè intelligenda, &c. tum *Objectiones*, quas Viri quidam Docti, etiam ex *Nostris*, adducunt, quasi Moses præmissam narrationem breviorem *Capite* II. non æquè circa Mulierem quam circa Virum diducere commodè potuisset, & post plurima alia hujus Diei Opera, quæ celerrimè processerunt omnia juxta ὀνομαθεσίαν, non potuisset Mulieris Creatio absolvi, aut Festinatio sic ulla indecora Deo à nobis affingeretur. 2. Post præviam Triunius Dei, sive *Deliberationem*, sive *Excitationem*, sive potius *Consultationem* ἐγκελευστικὴν *Gen.* I. 26.[4] quæ α hujus *Operis* Aptum Momentum, Decentiam, & Magnitudinem, β *Pluresque* in Deo *Personas* ad opus concurrentes arguit: non item *Imaginem* aliquam *Trinitatis*, qua talis, qualem inaniter in Homine ex hoc dicto quærunt *Veteres* quidam.

[1] *Comm. in Pent.* [2] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II. [3] *Ibid.* [4] *Ibid.*

Vir ante Mulierem creatus est. Adeoque Homo primus non fuit ἀνδρόγυνος.

V. Initium factum est à *Viro*, ad hujus docendam ἐξοχὴν 1 *Cor.* XI. 8. 9. 1 *Tim.* II. 13. eique mox data *Mulier* in Solatium, Adjumentum, & generis Multiplicationem; ac *Una* quidem uni, quo *Conjugii sancti*, in Integritate & instituti, & ut videtur non obstante contrario *Veterum* multorum judicio consummati, hic esset exemplar.[5] Unde concidit *Platonica* fabella, de *Homine* primum creato *Bicorpore & Androgyno*, quam *Judæi*, & pauci forte ex Christianis tenent;[6] α contra autoritatem Mosis, qui Virum Solitarium primò introducit, Evamque post hunc creatam; β con-

β & contra Perfectionem primum creati Hominis, quæ monstrosam alterius *Jani* aut *Cecropis* figuram non admittit. Neque juvat eos; α vel singulariter *Hominem* dici creatum, dum mox *maris & fœminæ* mentio fit *Gen.* I. 27. quia Nomen illud collectivè ponitur, quod iterum mox Affixo Plurali addito distribuitur; β vel צלע / quandoque notare *Latus*, cum magis *Costam* notet, illaque non dicatur fuisse Mulier, sed illius tantum formandæ *Materia*; [7] γ vel dictum Psaltæ *Psal.* CXXXIX. 5. [8] quod non ad Adamum sed ad Davidem spectat, hujusque potius *Obsessionem* ab omni parte quam Formationem explicat, quæ tamen ipsa geminum Corpus non infert; δ vel *Silentium* de inspirata Evæ Anima, quæ ex eventu facile intelligitur facta.

[5] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II. [6] *Ibid.* [7] *Ibid.* [8] *Ibid.*

VI. Viro nomen fuit אדם / *Adam*, unde *Cabbalisticè* Revolutionem Animarum ex *Adamo* per *Davidem* in *Messiam* colligunt Judæi, & Quatuor Plagas Mundi æquè ineptè secundum Literas Græcas quatuor in *αδαμ* collegerunt *Veteres* quidam; Mulieri vero primum *Ischa*, dein חוה / *Eva*, quod ab Adamo post Lapsum & Promissionem, ut constituto iterum Domino, accepit illa *Gen.* III. 20. [1] quodque respicit, missis *Judæorum* & *Pontificiorum* nugacibus allusionibus, ad *Vitam* per ipsam propagandam, dum *Omnis Viventis* ipsa *Mater fuit*, vel *facta est*. Quæ, seu Mosis seu Adami, verba juxta Nomen hoc ipsum respicere unice aut præcipue volunt multi *Recentiores* ad *Vitam Spiritualem*, Primâ Credentium factâ Eva, & Matre omnium, propter Seminis Vivificandi & Vivificantis ex illa Ortum; ac id colligunt, ex α hoc Nomine Post Promissionem auditam demum dato, β hominibus ob Peccatum tum potius Mortuis quam Vivis dicendis, γ Sensus hujus Præstantiâ, δ tandem Mulieri soli dato hoc Nomine, cum alias se Adamus *Omnis Viventis Patrem* quoque dicere potuisset. Verum quam pio scopo hæc dicuntur, tam leves sunt hæ rationes; cum de Temporis circumstantia illa dubitent adhuc quidam Viri Docti; & inter Promissionem ac datum Nomen Evæ liberorum Partus difficilis Mulieri sit denunciatus, ex quo per Peccatum primam Benedictionem non planè periisse intelligens Adamus Nomine dato id testari potuit; & non obstante Morte Spirituali Homines ubique Vivi dicantur; & sensus hic satis sit Elegans ad communem Originem docendam; & tandem non sibi sed subjectæ Mulie-

Nomen Adami & Evæ. Quod posterius non ad Vitam Spiritualem sed Corporalem, ex illa propagandam, spectat.

lieri nomen dederit Adam, qui & alias Spirituali sensu omnium Parens. Atque obstat huic exegesi; α *Omnis Viventis* latitudo, etiam ex Scripturæ usu *Psal.* CXLIII. 2. *Job.* XII. 10. XXX. 23. *Eccl.* IX. 4. β Vitæ omnis Animalis ex Eva ut Matre Ortus in eventu; literalis magis cum priori Liberorum imo & Seminis promissione Nexus; δ explicita nulla Vitæ Spiritualis sub hoc Nomine in Proteuangelio mentio, quod quoad omnia mysteria hinc educenda mox ad auditam cum horrore Judicis sententiam intellexisse Adamus temere præsumitur, qui sic quoque omnino ante Evam credidisset, vel fidem suam testatus foret.

[1] *Histor. Parad. Lib.* IV. *Cap.* VIII.

Nulli fuerunt Præ-Adamitæ. Solutis objectionibus.

VII. Hos verò duos *Hominum* fuisse *Primos*, constat contra *Præ-Adamitarum* assertores veteres & recentes, qualis in Galliis fuit non ita pridem *Isaacus Peyrerius*; α ex clara Mosis Narratione, per Gentilium obscuras Traditiones confirmatâ, de *Eva* Viventium Omnium Matre, atque *Adamo*, tum à Deo immediate creato, tum solo primum, nec colono ante eum ullo, quæ omnia de iisdem hominibus *Capite* I. brevius, & *Cap.* II. latius agi demonstrant; β tum *ex Uno Sanguine*, non materia simpliciter, unde facti omnes *Act.* XVII. 26. γ tandem ex descriptione Adami ut *Hominis Primi* 1 *Cor.* XV. 45. non tantum respectu *Judæorum*, qui ab Abrahamo potius genus ducunt, nec solum *Peccatorum*, cum vitium à natura multum differat, nec in nuda cum Christo *Comparatione*, quæ sic quoque non satis esset apta, verum absolutè plane; ut alia mittam. Nec valet objectio; α ex noto textu *Rom.* V. 12. 13. 14. circa quem falsissime supponitur, per *Legem* notari non Legislationem Mosaicam, uti se exponit Apostolus, sed Mandatum Adamo datum, ante quod fuerit adeo Peccatum, sed non Imputatum isthoc tempore hominibus, quod plane est contra scopum loci, gratis & præter rem in subsidium detortis textibus *Rom.* III. 25. VII. 9. β ex narratione Mosaica, de *Kaino*, foras egrediente ad homicidium, postea sibi timente, longe à parentibus uxorem ducente, civitatem ædificante, &c. quæ multiplicatum mox ab Adamo admodum genus humanum tantum docent; γ ex *Populis* habitantibus in dissitis & incognitis locis, qui illuc utique terræ motibus, naufragiis, tempestatibus, inundationibus, viisque hodie latentibus, possunt esse delati; δ denique à *Monumentis & Computationibus Orientalium*, necessariò ob Mo-

Mosis, istas utique gentes ab Adamo & Noacho repetentis, autoritatem fabulosis [2].

[2] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II.

Corpus Adami Primò formatum est ex Terra. Nec fuit Giganteæ molis. Dein Anima fuit Corpori indita à Deo. Et quidem Extra Paradisum.

VIII. *Modum* Creationis Adami sic narrat Moses, ut *formatus* singulari cum elegantia dicatur primum, quicquid repugnent *Origenistæ* & *Thomistæ*, *Corporis* respectu, ex abjectissimo *Pulvere Terræ*; quem à *Quatuor Plagis* collectum, aut *à monte Moria* sumptum, torto huc textu *Gen.* III. 23. fabulantur *Judæi*, quique in homine materialiter cum remaneat, dicitur formatus *Pulvis de Terra*, *coll. Gen.* III. 19. XVIII. 27. *Psal.* CIII. 14. I *Cor.* XV. 47. Obstat verò omnino ejus elegans *Formatio*, quo minus, tum aliam quam *Virilis Ætatis Staturam* ei recenter creato tribuamus, scrupulosa magis Annorum determinatione *Scholasticis* missâ, tum aliam quam *Ordinariam Corporis Molem* ei cum Veteribus & Recentioribus nonnullis affingamus. Dum ejus *Gigantea Magnitudo*, in corrupto & multiplicato genere à Mose demum posita *Gen.* VI. I. 4. æque male firmatur; ex interpretatione mala loci *Jos.* XIV. 15. ubi non de Adamo antonomasticè, sed de *Arba* ut *Homine Magno inter Enakim*, sive Statura sive Dignitate, agitur; quam ex conficta *Oceani Vadatione*; vel ex *Naturæ* nunc senescentis primo *Vigore*, qui robur non molem mox spectat, nec monstrosam magnitudinem admitttit, quamquam sic judicaverit ipse *Augustinus*. [3] Secuta est Corporis Formationem *Inspiratio Spiraculi Vitæ in nares ejus*; [4] quæ non facta in assumpto à Deo Corpore, sed de Dei virtute θεοπρεπῶς debet exponi, & relationem suam ad cœlitus illapsam *Animam Relationalem* habet, sive ea *Immediatè* notetur per נשמת חיים / uti ob originem vocis à שמים / frequentemque ejus usum *Jes.* LVII. 16. *Prov.* XX. 27. *&c.* volunt multi, sive *Mediatè*, externo *Respirationis* per nares motu, quem vox significat *Jes.* II. 22. & alia ab origine נשם / derivata significare potest, Indicium præsentis Animæ præbente certum. Atque sic infusâ Animâ homini *Vita* contigit, Rationalis illa sc. cujus particeps est, quæ Sensitivam virtute in se continet, & quam substituta *Loquela* intendit unus *Paraphrastes Chaldæus*. De *Loco* rei gestæ mittimus conjecturas varias, dum tacet Moses; nisi quod *extra Paradisum* creatum esse Adamum, probabiliter colligatur ex *Gen.* II. 8. III. 23. sapienter sic volente Deo, ad suæ Bonitatis præsentis & futuræ adumbrationem [5].

[3] *Hist.*

[3] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* III. [4] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* II.
[5] *Ibid.*

Eva ex Costa Viri formata est. Et in Paradiso.

IX. In quibusdam alia *Evæ* fuit ratio, dum facta est hæc; α ex *Costa* Adami, illius sc. Substantia, illaque substantiæ Parte, quæ Virum & Uxorem Officia sua utrinque docere poterat, quæ Costa si fuerit *Ordinaria*, nihil ob substitutam Carnem & Uxorem Integritati Adami decessit, sin potius *Exraordinaria*, nihil in ipso ut generis humani Parente abundavit, vere itaque *Seminalis* dici debet; β in Adamum immisso *Somno Gravi*, ne in opere dolorem, utque post illud tanto majus gaudium ad unius Creatoris laudem sentiret; γ & quidem *in Paradiso*, si observamus occasionem creatæ Evæ, ὀνομαθεσίαν nempe Animantium, & sequimur filum narrationis Mosaicæ *Gen.* II. 15... 21. per προλήψεις temere non mutandum; haud obstante, vel Viri ἐξοχῇ, quæ ex Creationis Loco non est æstimanda magis, quam ex creationis Materia; vel communi *Præcepti dati Obligatione*, quæ ex Adami tanquam Capitis repræsentatione utique sequitur, licet datum fuerit mandatum ante Evæ creationem; ut hæc Veteres & Recentiores aliquos à communi sententia non debuissent dimovere. Uti vero in reliquis, & speciatim in *Animæ Productione*, eadem creationis Evæ & Adami fuit ratio, ex Diversitatis apud Mosen silentio; ita in capitibus dictis convenientia quædam cum *Ecclesiæ ex Christo Eductione* observatur, quam potuit in opere Deus quoque intendere, ut post Lapsum scilicet doceret suos [1].

[1] *Histor. Parad. Lib.* II. *Cap.* II.

Pars Prima Hominis est Corpus artificiosissime factum.

X. Istis de Creatione præmissis, ad *Naturam* Hominis pergimus; quæ ex Duplici Substantia coalescit. *Prima* meritò in tractatione est, quæ Dignitate Minor, ob Creationis Ordinem, Facilioremque ejus Priorem & Majorem Cognitionem, *Corporea* scilicet. *Corpus* vero sic, respectu Materiæ remotæ cum Inanimatis, & propinquioris cum Brutis, commune habet Homo, ut illud tamen vere stupendo artificio multum præcellat, commendante illud Scriptura *Psal.* CXXXIX. 14. 15. & *Eccl.* XII. 2. 3. 4. [2] Liquet etiam id evidenter; α tum ex *Organis* omnibus *Interioribus & Exterioribus*, horumque inter se *Proportione* & *Relatione* mirabili, quæ nusquam reperitur similis plane; β tum ex *Erecta Statura*, quæ, quicquid de Piscium quorundam aut Avium Oculis feratur, homini ex Gentilium consensu peculiaris est. Et qui

qui adferuntur Defectus Humani Corporis præ Bestiis, ut *Natura* tanquam *Humani Generis Noverca* accusari queat, uti carere eum in nativitate Unguibus, Cornibus, Dentibus, Pilis, &c. vel α ex Peccato ut Pœna fluunt, β vel ob Mitem hominis animum & Dominium in Animantia non sunt necessaria, γ vel per dispositionem ad Rationis Usum plusquam bis compensantur; observantibus possim *Veteribus*.

[2] *Histor. Parad. Lib.* II. *Cap.* II. & III.

Altera ejus Pars Anima, Una, non Plures. Animæ hujus Nomina varia. Quæ Distinctionis ergo Rationalis dicitur.

XI. Præter Corpus vero est in homine *Anima*, & *Una* quidem, non Triplex aut Duplex, pro Operationum in aliis Viventibus observatarum varietate. Quale quid, præter *Philosophos* varios, olim statuerunt, tum *Manichæi*, tum *Jacobitæ*; haud favente Paulo, ubi *Spiritum & Animam* distinguit, sive ad Intellectum & Voluntatem, sive ad Mentis Facultatem Promam & Condam, sive etiam ad Naturam & Gratiam respiciens *Heb.* IV. 12. 1 *Thess.* V. 23. [3] α præter Scripturam adeò & Rationem, quæ in Corpore Organico omnia Unius Animæ motu & directione bene fieri posse docet, β quin & contra Scripturam, *Animam* singulariter memorantem *Gen.* II. *Matt.* X. 28. XVI. 26. 1 *Cor.* VI. 20. *Unicam* hoc quoque respectu nominantem *Psalm.* XXII. 21. XXXV. 17. & Vitam omnem ab hac repetentem 1 *Reg.* XVII. 21. 22. *Ezech.* XXXVII. 9. 10. *Luc.* VIII. 55. *Act.* XX. 10. *&c.* quæ adeo omnis illi inest, non quidem *formaliter* sed *eminenter*. Appellatur hæc promiscuis nominibus נשמה / רוח / נפש / quibus respondent ψυχὴ, πνεῦμα, *Spiritus*, *Animus*, & *Anima*, omnia à *Flatu* dici visa; non ex præjudicio de Anima ut tenui quodam Corpusculo, sed α tum ob Originem à Deo per Inspirationem, β tum ob Respirationem quam parit, hinc cum illa junctam *Job.* XXXIV. 14. γ tum ob plane Invisibilem ejus naturam. [4] Alia nomina sunt; vel *Metonymica*, ut *Renes* & *Cor*, quæ non tam ob specialem Animæ inhabitationem, quam ob absconditum interiorem situm prò ea ponuntur; vel *Dubia*, ut שכוי / ab aliis redditum per *Gallum*, *Job.* XXXVIII. 36. vel *Homonyma* admodum, ut νᾶς, φρὴν, μένος, & hinc derivari visum Latinorum *Mens*, quod hodie tantopere supra alia, sed immeritò, quidam prædicant. Distinctionis causa verò *Anima* hominis *Rationalis* dicitur; differtque re non minus quam nomine à *Vegetativa*, quæ in Plantis, & *Sensitiva*, quæ in Brutis Vitam ejusdem speciei & Motus Vitales producit, ipsa se-

ſecundum ſanam Rationem & Scripturam à partium Diſpoſitione & Motu producto, quæ non Vivens ſed merum αὐτόματον ponunt, diſtincta; metonyminè explicandis textibus *Gen.* IX. 4. *Lev.* XVII. 11. 13. 14. quod longe commodius eſt, quam Scripturæ phraſin perpetuam, tanquam erroribus vulgi accommodatam, repudiari, ac experientiam communem effectuum ſexcentorum imprudenter explodi.

[3] *Hiſt. Parad. Lib.* II. *Cap.* V. & *Exerc. Text.* XXXVII. P. III.
[4] *Hiſt. Parad. lib.* II. *Cap.* IV.

Difficulter hujus Natura cognoſcitur. Neutiquam eſt Corporea. Nec etiam mera Cogitario. Cujus ſententiæ Fundamenta evertuntur.

XII. Uti vero in *Vegetativæ* & *Senſitivæ* iſtius Animæ explicatione curata haud parum hærent Philoſophi, quos propter Inſcitiam ſuam rem ipſam tamen negare ineptiſſimum foret: ita de *Mentis* noſtræ *Incomprehenſibilitate* vetus querela eſt, perpetuo Sapientiſſimorum diſſenſu & Sciolorum ignorantia craſſa tam liquido comprobata, ut inaniſſima ſit hodierna gloriatio de *Mente Prius Certius Perfectiuſque Corpore* cognita. Quamquam κατ' ἄρσιν ſatis manifeſtum ſit. 1. Animam Rationalem *non* eſſe *Corpoream*; α ob ejus Spiritualitatem, Inviſibilitatem, & Immortalitatem paſſim aſſertam *Eccleſ.* XII. 7. *Jeſ.* LVII. 16. *Luc.* XXIV. 39. *Matt.* X. 28. *Act.* XVII. 29. β tum & Intellectus & Voluntatis Attributa, ac Operationes hinc fluentes Incorporeas, quales has eſſe ratio docet. Ut hic non ſint audiendi plures *Philoſophi Gentiles*, ad quos tamen nec *Plato* nec *Ariſtoteles* accedit, multique juxta *Tertullianum* Patres, qui contrarium tenuerunt; prætextu, α modo *Scripturæ*, memorantis *Hominem Interiorem Rom.* VII. 22. non tamen Corporeum, vel Animæ *Digitum* & *Linguam* tribuentis *Luc.* XVI. 24. utique parabolicè tantum, vel *Viſas Animas* narrantis *Apoc.* VI. 9. ſed emblematicè perinde ut Deum ipſum, &c. β modo *Unionis cum Corpore*, quæ aliter explicari nequeat, ſed tamen ipſa difficilis ad manifeſta abſurda difficiliora nos ducere non debet; γ modo *Similium Animæ Notarum* in Parentibus & Liberis, quæ nec perpetuæ, nec aliunde quam ex arcta corporis & animæ Unione fluunt. 2. Non eſſe eam *meram Cogitationem*, [2] uti vult recentior Philoſophia antiquiori modò refutatâ ob peſſimas ſequelas multo hic deterior; α cum hæc ſit *Actio*, *Subſtantiam* Agentem & *Agendi Vires* omnino ſupponens; β *Cogitatio Animæ* ut ejus Operatio in Scriptura & ſermone omni ab ipſa diſtinguatur; γ ſit *Operatio Tranſiens*, momentis ſingulis adeo nova, Animâ ma-

manente eadem; δ sit eadem *Operatio aliquando Absens*, in profundiori somno, lipothymia, embryone, &c utpote nec à priori nec à posteriori demonstrabilis, & nec bona nec mala, ob loca *Rom.* v. 14. ix. 11. Nec valent sive Exceptiones sive Objectiones; α *Cogitationem Generalem & Indefinitam* à Speciali esse distinguendam, cum distinctio hæc non sit realis, sed mentalis tantum, in Actione momentis singulis nova, nec Actionis genus mutet; β pari modo *ut Attributa Prima se habere Extensionem & Cogitationem, in Corpore & Anima*, quod gratis & perperam omnino dicitur, nec rei ipsius ab Attributo distinctionem tollit; γ *Animam semper cogitare*, quod iterum perperam absque ulla probatione supponitur, nec Animam ipsam cum Cogitatione magis confundit, quam Motus Ignis aut Solis Perpetuitas hunc cum Igne & Sole ipso; δ denique *in Omni Operatione Animæ*, Negatione v. g. Affirmatione, Dubitatione, Volitione, &c. *adesse Cogitationem*, nec *præter hanc* nos *aliquid Reale & Explicabile* posse asserere in illa, quod ratione prioris membri de Operationibus Rationalibus ubi hæ adsunt lubentissimè nos damus, ex antiqua *Ciceronis* & *Aristotelis* observatione, posterioris non item, cum omnis Operatio *Operantem Substantiam*, uti ante, juxta *Operandi Facultatem Positivam & Realem* supponat, quod ob nostrum in ejus ulteriori cognitione defectum negare, est rationem omnem rectam excutere, & res ex cognitione nostra perfecta mensurare.

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* IV. [2] *Ibid.*

XIII. Animam itaque, si positiva exigatur ejus Definitio, dicimus; *Substantiam Spiritualem, cum Corpore illi unito Hominem constituentem.* [3] Spiritualitas vero, præter *Facultatem Operandi ad Extra*, Corporibus communem, & ratione Modi Efficientiæ admodum obscuram, dicit *Intellectum* & *Voluntatem*. Per illum homo; α *percipit* objectas sibi notiones, non merè passive sed & activè omnino se hic habens; ac β de iis earumque connexione *judicat*, cum Judicium à Perceptione Connexionis vix differat, sit sæpe absque omni Appetitu, vel Fuga, vel etiam Voluntati Contrarium, nec Voluntas judicandi præcedens vel connexa, quæ etiam est in Perceptione, Judicium formaliter in Voluntate ulla cum specie ponat, Actionibus connexis non mox confundendis, sicut male faciunt ad Intellectum ab Errore eximendum *Philosophi Recentiores.*

Animæ positiva Definitio. Ubi considerari debet Intellectus Percipiens & Judicans. Ad quem referenda Conscientia. Et dein Voluntas. In quibus Facultatibus residet Libertas.

res. Uti autem Judicium aliud eſt *Theoreticum*, aliud *Practicum*, & hoc iterum vel *Abſolutum*, vel *Comparatum*, quod in agendis merito dicitur Voluntas ſemper ſequi, hinc *Cæca*; ita *Intellectus*, quatenus actu reflexo verſatur circa Noſtrum Officium, & Statum, *Conſcientiæ* nomen habet, quæ latioribus nominibus apud Hebræos venit, quoad præteritum *Memoria* appellatur, ponitur quandoque pro ejus Actibus & Judicio ipſo, in quo tum συντήρησιν, συνείδησιν, & Concluſionem, uti in Syllogiſmo, diſtinguunt. Per *Voluntatem* autem, quam latius Intellectu ſe extendere, & *infinitam* eſſe *ſuo ſenſu*, ſomniant cum injuria Divinæ majeſtatis *Recentiores*, *appetit* vel *averſatur* Objecta, illudque prius ſemper agit ſub ſpecie *Boni*, vel Veri vel Apparentis. Atque in utraque hac Facultate competit homini *Libertas*, non extendenda *Pelagiano* more ad ἀυτεξουσιότητα à Creatore independentem, & Indifferentiam abſolutam, quæ in ipſo Deo non deprehenditur, ſed conſtituenda in *Lubentia Rationali*, oppoſita Coactioni & Neceſſitati Naturali *Phil.* 14. 1 *Cor.* VII. 36. 2 *Cor.* VIII. 3. IX. 7. *&c.* Nec poteſt hæc in ullo Statu aut Caſu ab Homine amitti, niſi Homo eſſe deſinat; licet impotentia ad Bonum poſſibilem hujus Appetitum queat tollere, quo ſenſu *Liberum Arbitrium Læſum & Perditum* in Peccatore *Veteres* dixerunt. Ex Intellectus vero & Voluntatis concurſu omnes oriuntur *Paſſiones* & *Affectus Animi*, ad quos excitandos & fovendos in homine multum cooperatur *Corpus*, modo nobis, uti in omni ſenſatione, imperſcrutabili; ubi ad *Glandulæ Pinealis Motum* per Spiritus Animales confugere, nec ſolidum eſt, nec nodum ſolvit, dum eſt Anima à Glandula hac & omni parte corporea diſtinctiſſimæ naturæ.

[3] *Hiſt. Parad. Lib.* II. *Cap.* IV.

Anima in ſingulis Immediatè à Deo creatur. Ubi ſolvuntur argumenta Ψυχογονίας.

XIV. Nobiliſſima hæc hominis pars, uti *Immediatè à Deo* Primo Homini indita eſt, ita hodieque *à Deo creatur in ſingulis*; α ſecundum loca *Eccleſ.* XII. 7. *Jeſ.* LVII. 16. *Pſalm.* XXXIII. 15. *Zach.* XII. 1. *Hebr.* XII. 9. *Num.* XVI. 22. *Act.* XVII. 28. *&c.* quæ nec ad *Primum Hominem* ſolum reſpiciunt, nec de Communi *Providentia*, quæ Corpori juxta Animam competit, poſſunt intelligi; β & naturam Animæ Spiritualem, quæ Diviſionis & Transfuſionis expers eſt, à Corpore independens. Pro Ψυχογονίᾳ tamen pugnarunt, poſt *Tertullianum*, *Luciferiani*, *Apollinariſtæ*, *Lutherani* plurimi, & *Reformati* nonnulli, cum *Auguſtino* in hac mate-

teria dubio, asserentes *Traducem*, non tam *Seminalem* quam *Spiritualem*, ad facilius explicandam Propagationem Peccati Originalis. Uti vero hujus difficultas nos ad majus absurdum pellere non debet, nec est ipsa planè insuperabilis, ita facile solvuntur Objectiones; α à *Generatione Totius Hominis*, quæ ad *Totum Hominis* non hic magis quam in Homicidio extenditur, nec *Concursum Dei* excludit, excellentiorem etiam quam in Brutis ob hujus præstantiam, *Animabus ex Femore* synecdochicè *egredi* dictis *Gen.* XLVI. 26. β à *Quiete Dei*, quæ ad novæ Speciei Creationem debet restringi; γ ab *Onanis scelere & Prægnantis Percussione* pro Homicidio habitis *Gen.* XXXVIII. 9. *Exod.* XXI. 23. quod ex Anima jam præsente, vel alias ex malo animo prohibendæ nativitatis, oritur; δ à *Morum Similitudine*, quam parit sæpe Corporis Temperamentum, sæpe Dei Providentia Specialis, nec semper deprehendimus; ε ex emblemate *Lucis*, quod alio scopo adducitur *Prov.* XX. 27. & in sui multiplicatione ad Animam, partes nullas emittentem, accommodari non potest; ς denique ex *Difficultatibus* circa *Tempus Creationis Animæ* incertum, quod utique non est initium Mosaicum, juxta *Origenis* & *Rabbinorum* somnium, & circa *Concursum Angelorum*, à *Seleucianis*, *Hermianis*, & *Proclianis* creditum, &c. quæ haud sunt tantæ, quam quæ contra sententiam oppositam adducuntur, circa *Originem Animæ à Patre*, *Matre*, vel *Utroque*, circa *Vehiculum*, *Momentum Communicationis*, *&c.*

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* IV.

XV. Est eadem Anima *Immortalis* quoque, [2] non absolutè & independenter ut Deus 1 *Tim.* I. 17. VI. 16. sed respectu *Naturæ Indissolubilis*, post mortem *Superstitis*, ac *Operosæ*, & quidem ex *Divina Voluntate*; uti docet, α Scriptura *Eccl.* XII. 7. *Matt.* x. 28. *Luc.* XVI. 22. 23. 1 *Cor.* XV. 18. 19. 2 *Cor.* V. 1. *&c.* & β ratio, ab ejus Simplicitate, ob quam solvi & disjungi nequit, ab indito Æternitatis Desiderio, utique non frustraneo, ab Independentia à Corpore, ab Excellentia Hominis supra Bruta, à Retributione aliqua justa post hanc vitam, dum hic non fit, ob Dei Justitiam necessaria, &c. hinc Animam Immortalem fassis *Philosophorum* plurimis & præstantissimis, dum de *Aristotelis* sententia disputatur. Opponunt se tamen *Thnetopsychitæ*, quales, tum *Epicurei*, & *Athei* omnes, tum etiam *Nazaræi*, *Arabici*, & *Psychopannychitæ* nostri temporis, *Sociniani* sc. ac *Mennonitæ*. Quos non ju-

Est Anima hæc perinde Immortalis. Quod contra Thnetopsychitas & Psychopannychitas tenetur.

juvat; α Salomonis dictum *Eccl.* III. 19. utpote referendum, vel ad impii cordis Votum *Jes.* XXII. 13. vel ad solam Moriendi Necessitatem hominibus impositam, vel potius ad Externum Visum Eventus post mortem, *coll.* v. 21. β asserta passim *Mortuorum Non Existentia*, & negata iis *Dei Laus Gen.* v. 24. *Psal.* VI. 6. XXX. 10. *Job.* VII. 8. *&c.* quæ ad hanc Terram, & partem Corpoream, & Laudes ob præsentem Liberationem, debent referri; γ tributa *Piis Permanentia*, *Impiis Mors Æterna*, cum illa felicitatem stabilem, hæc dolorificam à Deo separationem notet; δ multiplex cavilla, à *negato Reditu ad hanc terram*, qui homini etiam non est licitus in matris uterum, ab ejus *Ortu à Deo*, qui finem potius evertit quam infert, ab ejus *Virium Defectu* cum viribus corporis, quæ non est universalis, & ex arcta Unione fluit, à *Cessantibus ejus Operationibus* in morte, quod de Corporeis tantum concedi potest, à *Difficili* denique *Animæ Separatæ Cognitione*, quam etiam in ea Corpori Unita habere locum, nec ad rei negationem nos debere ducere, *Cicero* dudum observavit.

[2] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* IV.

Corporis & Animæ Unio difficulter exponitur. Sed est tamen certò Localis. Hinc Naturalis. Et in Passionum & Actionum Communicatione se manifestans. Quæ tamen sola Unionem hanc non constituit.

XVI. Isthæc jam Anima cum Corpore *Unita* est *arctissimè* [3], cujus rei Modum explicatu difficillimum reperimus, ob dissimilitudinem Similium omnium, Aquæ & Vasis, Caloris & Aquæ, Soni vel Lucis & Aëris, Nautæ & Navis, Hominis & Vestimenti, Domus & Incolæ &c. quæ adducta ab ævo, & quædam in Scriptura leguntur *Job.* IV. 19. 2 *Cor.* V. 1. 2. *Phil.* 1. 23. 2 *Petr.* I. 14. *&c.* Id hic tuto dici potest. 1. Esse hic *Unionem Localem*, absque Extensione, Circumscriptione, Contactu, aut Divisione ulla, Animæ; quæ in Operatione supponitur, ex opposita in morte Separatione liquet, & à Conscientia singulorum docetur, *coll. Act.* XX. 10. Quæ cum ad Totum Corpus suam habeat relationem, Penetrationem omnium ejus Partium dicit, ut sit *Tota in Toto & Tota in qualibet Parte*, sicuti ferè Deus in Mundo; licet Operationes in variis Membris prò Organorum ratione varient, ac harum respectu tum *in Corde* tum *in Cerebro* præcipua quædam sedes illi tribui possit, excludendâ tamen ab hac dignitate juxta Celeberrimos *Anatomicos Glandula Pineali*, ut à nervis separata & ad excretionem faciente. 2. Esse præterea *Unionem Naturalem*, ut Anima cum Corpore Naturam Tertiam, absque ulla tamen commix-

mixtione aut cœlesti glutino, constituat; in qua hoc *Materiæ*, ista vero *Formæ Informantis* locum sustinet, Vitam ita communicans & Motus Vitales producens, Scripturâ & experientia teste, ut ridiculum simul & noxium sit *Recentiorum* somnium, *Vitales Operationes omnes* in Corpore Humano *edi posse*, *Animâ absente*; quod si verum est, nulla Animæ Rationalis in Infantibus dari poterit demonstratio. 3. Fluere hinc porrò mutuam *Actionum* & *Passionum Participationem*, ut in Corpore apte disposito Lingua & Membra reliqua ad nutum Animæ moveantur, & hæc iterum *Sensuum* Internorum & Externorum motibus afficiatur; quos, si requisita, vel in objecto, vel in organo, vel in medio, necessaria desint, *fallere posse* damus lubenter, sed tamen *plerumque* aut *semper errare*, hinc illis *fidere* plane *nos non posse*, utpote *ad vivendum* non ad *sapiendum* datis, est Recentiorum quorundam intoleranda hypothesis, utpote sapientissimæ & optimæ ordinationi Creatoris, Fidei per Sensus opem confirmatæ, Sapientiæ non imaginariæ sed solidæ, quin & Experientiæ quotidianæ Philosophorum omniumque hominum, adversa. In illa verò Operum mutua Relatione, cœlitus ordinata, sola Unionem Animæ & Corporis constituere non licet cum *Philosophis* iisdem; cum α eadem in Angelis Corpora assumentibus locum habuerit, β Natura Operans ab Operationibus divelli non possit, γ Effectus illius apparentis Causa aliqua, præter Dei Ordinationem ab omnibus agnitam, meritò à Philosopho hic exigatur, δ denique hæc Operum mutua Relatio, homine manente vivo, sæpe cesset, uti in Lipothymia, Apoplexia, Paralysi, &c. apparet.

[3] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* IV.

XVII. Adeò *Stabilis* hæc Animæ & Corporis est *Unio*, ut in ipsa Morte ne quidem plane cesset, ob *Relationem*, quam illa ad hoc semper retinet, illi denuò unienda, hinc *Incompleta Substantia* dicta. Quod evertunt palam *Revolutionis* sive μετεμψυχώσεως cujuscunque patroni, *Ægyptii*, *Platonici*, *Pythagorei*, *Druides*, *Tertullii*, & *Judæi* multi, etiam hodierni post *Pharisæos*. Qui in dogmate, adeo palam Remunerationi post hanc vitam in Scripturis assertæ contrario, imprudenter torquent; α tum Scripturam, ubi de *Fratri suscitando Semine*, utique respectu Hæreditatis & Nominis, non Animæ, agitur *Deut.* xxv. 5. *&c.* vel *bis aut ter cum homine* gratiose *agere* Deus dicitur, non utique No-

Non desinit Finaliter Unio hæc in morte. Quod contra μετεμψύχωσιν tenendum.

vum dando Corpus, sed primum ex morbo & calamitate restituende *Job.* XXXIII. 29. β tum Dei Gratiam & Misericordiam, quasi homo peccata sua ob corporis temperamentum excusare posset si unum modò illi daretur, quod Peccato ab Anima potissimum orto vanissimum est commentum. Dubitant verò amplius non immeritò de Articuli hujus firmitate Theologi, si admittatur, contra receptam sententiam inculcari continuò, Animam *Substantiam* esse *Completam*, nec *appetere eam sua naturâ Corpus*. In quibus; vel est inanis & quæsita λογομαχία, Naturæ Spiritualis qua talis completam integritatem concedentibus omnibus; vel discrimen solidum Angelorum & Animarum separatarum, & futuræ Resurrectionis certitudo, tollitur *.

* *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* IV.

Finis creati hominis Dei Gloria est.

XVIII. Hanc porrò Creaturam non tantum juxta reliquas *ad Dei Gloriam* factam dicimus, quæ in Partibus singulis, earumque Unione, mirabiliter quoque elucet, sed etiam peculiariter ad ejus Agnitionem & Prædicationem; juxta α loca *Jes.* XLIII. 21. *Prov.* XVI. 4. *Gen.* I. 31. β & Naturam Hominis solius inter res Corporeas Rationalem, adeoque ad hæc aptam, per accedentia potissimum spiritualia dona, de quibus nunc porro agendum erit.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

De Primo Statu Integritatis Humanæ, & spectante huc, tum Imagine Dei, tum Fœdere Operum.

Status Hominis Quadruplex, ex quibus Primus est Integritatis.

HOminis, de cujus *Creatione & Natura* modò egimus, *Triplicem* vel *Quadruplicem* Theologi ex Scriptura tradunt *Statum*; α *Institutum*, qui alias Integritatis; β *Destitutum*, qui Lapsus; γ *Restitutum*, qui Gratiæ; δ & *Constitutum*, qui Gloriæ dicitur, ac sub Restituto à quibusdam comprehenditur. Historiæ vero & rei ipsius filum secuti, à Primo nunc STATU inchoamus, qui frequenter *Innocentiæ*, frequentius verò & melius INTEGRITATIS, vel RECTITUDINIS, dicitur, quod positiva ejus Conditio clarius sic innuatur.

II. Ejus

II. Ejus tractatio absolvitur consideratione, α *Præsentis Felicitatis* Adamicæ, & β *Viæ ad Futuram* ducentis. Ad illam dubitari non potest quin multum fecerit ejus Collocatio in *Paradiso*. Quem in Allegoriam meram pessime mutarunt [1] *Seleuciani*, *Valentiniani*, *Hieracbitæ*, juxta *Philonem*, *Origenem*, *Ambrosium*, & Recentiores paucos; α contra expressam Mosis Narrationem, per Allegorias variè corruptam; β Nominis ad Cœlum translationem *Luc*. XXIII. 43. 2 *Cor*. XII. 2. 4. [2] *&c*. γ Locique apud Gentiles, modò *Jovis* & *Alcinoi hortum*, modo *Adonidis* & *Hesperidum hortos*, modo *Campos Elysios*, prædicantes, celebritatem; δ maximè cum Horti hujus Plantatio nec Deum dedeceat, nec Usu caruerit, uti supponunt hi Autores. De isthoc autem *Paradiso* non inutile erit paucis observasse. 1. *Nomen Orientale* verius quam Græcum *Neh*. II. 1. *Eccl*. II. 6. *Cant*. IV. 13. [3] notare Hortum Majorem & Splendidiorem, illique hic in Scriptura ipsa substitui appellationem *Horti Hedenis*, vel *Dei*, vel *Jehovæ*, [4] *Gen*. XIII. 10. *Ezech*. XXVIII. 13. 2. Fuisse eundem nec *in Inferno*, nec *Supra Cœlum*, etiam Supremum, nec *in Cœlo*, nec *in Aëre*, quæ opiniones omnes quosdam olim occuparunt, sed *in Terra*; [5] uti omnis descriptio Mosis docet. 3. Non constituisse illum *Totam Terram*, quæ sententia perperam imputata *Josepho*, verè fuit *Clementis*, *Weigelii*, aliorumque, ob eandem rationem; nec *Orientem Totum*, vel Plures *ejus Regiones*, ut Recentiores varii contendunt; nec etiam *Hortum Exiguum*, ad exercendam unius hominis industriam aptum, [6] ut alii; sed *Amplum* incertæ magnitudinis *Viridarium & Vivarium*, majestati Dei plantantis & Domini inhabitaturi conveniens. 4. Fuisse hunc non *in Orbe* plane *Incognito*, ultra Oceanum, aut *in Terra Australi* per Zonam Torridam divisa, aut *in Oriente Extremo*, quæ celebres apud *Veteres* sunt sententiæ; aut *in Palæstina*, uti hodie volunt Eruditi quidam; sed in *Babyloniæ* vel *Mesopotamiæ Parte* aliqua. [7] Quod, licet curatissima Loci determinatio, ob fluviorum mutata Nomina & Cursus, Voluptatemque ejus deperditam, impossibilis omnino sit, constat; α ex *Characteribus* Mosis *Generalibus*, insigni Fertilitate, Amœnitate, & Arborum Copia, quæ illic adhuc ex parte aliqua supersunt, [8] β & *Specialibus*, *Orientali* sc. respectu Judææ & Deserti Situ ac Appellatione in Sacris, [9] *Hedenis* conjunctione cum *Charan*, *Channe*, *Gozan*, *Retzeph*, locis Mesopotamiæ *Jes*.

In quo fuit Adam constitutus in Paradiso, vero loco. Cujus exponitur Nomen, Locus, Magnitudo, Situs in Orbe nostro, Ornatus, Creationis Tempus, & Duratio.

XXXVII. 12. *Ezech.* XXVII. 23. [10] *Fluviorum* denique *Euphratis & Tigris*, duorum ex quatuor à Moſe nominatis, qui ibi fit Concurſu. [11] 4. Fuiſſe eum Ornatum *Fluvio* irrigante *Quadripartito*, *Animantibus* omnis generis, *Fructibuſque & Arboribus* ad eſum & viſum præſtantibus, inter quas Duæ nominibus expreſſæ ſunt, *Arbor Vitæ*, & *Arbor Scientiæ Boni ac Mali*. [12] 5. Conditum eum, non *ante Principium* Moſaicum, uti collegerunt quidam temere ex male verſa voce מקדם / quæ ad *Orientem* nos ducit, *Gen.* II. 8. nec *poſt Hexaëmeron*, cujus nullum eſt indicium, ſed *Die Tertio*, uti ante diximus. [13] 6. Denique eum hodie non ſupereſſe amplius integrum, uti vult fabula *Papiſtica* de Henocho & Elia, ſed *vaſtatum* eſſe dudum, α per *Tribulos* enatos, β *Ignem* erumpentem, γ & maximè per immiſſas *Aquas Diluvii* [14].

[1] *Hiſt. Parad. Lib.* I. *Cap.* I. [2] *Exerc. Text.* XLIX P. V. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Hiſt. Parad. Lib.* I. *Cap.* II. [5] *Ibid. Cap.* III. [6] *Cap.* IV. [7] *Cap.* V. *&c.* [8] *Cap.* VI. [9] *Cap.* VII. [10] *Cap.* VIII. [11] *Cap.* IX. *&c.* [12] *Cap.* XVI. *&c.* [13] *Cap.* XX. [14] *Cap.* XXI.

Tranſitus ad Imaginem Dei, quod Nomen a Similitudine non diſtinguitur.

III. Magis verò Felicitatem Adami adauxit IMAGO DEI, [1] alias *Similitudo*; uti duplici voce צלם / & דמות / ſive εἰκόνος & ὁμοιώματος, utitur Scriptura. Eas quidem ſic poſſe diſtingui damus, ut *Similitudo* nudam *Convenientiam*, *Imago* vero amplius *Relationem ad Prototypon* inferat, ſed id in phraſi *Faciendi Ad Similitudinem* non obtinet. Unde augendæ ſignificationis ergò Vocabula illa hic juncta idem ſignificant; α ſecundum perpetuam permutationem *Gen.* I. 26. 27. V. I. IX. 6. *Jac.* III. 9. β interpretationem Pauli communem, per τὸ κατὰ θεὸν *Eph.* IV. 24. γ atque *Imaginis* de Donis Gratiæ uſurpationem *Rom.* VIII. 29. 1 *Cor.* XV. 49. 2 *Cor.* III. 18. *Col.* III. 10. Contra quàm putant poſt *Patres* varios *Pontificii*, qui Liberi Arbitrii integritatem ſic melius defenſuri, *Imaginem* ad *Naturam* Animæ, *Similitudinem* ad *Dona* referunt; hoc ipſo tamen Hæreſios nequaquam poſtulandi, niſi ulterius cum *Pelagianis* progreſſi, *Similitudinem* Hominibus per Gratiam Chriſti reſtitutis, & propriis Viribus acquirendam, vindicaverint, cum παρερμηνείᾳ Moſis, quaſi ideo in exſecutione *Gen.* I. 27. ſolius *Imaginis* meminiſſet.

[1] *Hiſt. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

IV. Non eſt hic ita vexanda Scripturæ Phraſis, ut Imago hæc

hæc *Aliquid in Deo* notet; sc. vel *Ideam* Hominis creandi, vel Personam *Filii* 2 *Cor*. IV. 4. *Col*. I. 15. *Hebr*. I. 3. cum illa Similitudinem tantum cum Deo in Homine præ reliquis rebus Corporeis innuat. Quæ κατ' ἄρσιν non est quærenda; α in *qualicunque* studiose Excogitatâ *cum Deo Convenientia*, uti agunt *Judæi*, *Patres*, & *Scholastici* varii; β nec in *Lineamentis Corporeis*, sive ex hypothesi *Anthropomorphitarum*, refutata *Cap*. IV. § XIV. sive cum *Eugubino* & *Oleastro* Deus dicatur *Formam Corpoream* in hominis Creatione assumpsisse, quod plane fingitur, ad Imaginem Dei constituendam non sufficit, & dubia, de Duplici Incarnatione ac Triunius etiam Dei, varia parit, sive juxta *Veteres* quosdam ad *Filium Dei Incarnandum* id referatur, cum Christus potius *Hominibus similis* factus sit *Rom*. VIII. 3. *Phil*. II. 8. non incarnandus nisi ob Creati Hominis Lapsum. Referri tamen huc aliqua ratione *Humani Corporis* supra Bruta *Excellentiam*, *Erectamque Staturam*, non plane abnuimus [z].

Imago Dei in quibus non sit quærenda.

[z] *Hist*. *Parad*. *Lib*. II. *Cap*. V.

V. Verius ad integræ Divinæ Imaginis complexum *Natura Animæ Spiritualis & Immortalis cum Facultatibus suis* refertur; non α ut nudum *Prærequisitum*, nec β ut *Pars Præcipua*, sed γ ut *Pars* ejus quoque *Constitutiva*, juxta aliam potiorem, quæ nomen Imaginis sibi sæpe vindicat, quamque omnino antecedit. Præit α *Scriptura Gen*. IX. 6. *Jac*. III. 9. *Act*. XVII. 28. 29. non utique dè Prima Creatione, aut Restitutione, vel facta vel mere possibili, sed de Homine quocunque Lapso loquens ibidem; β & docet idem *Rei Natura*, cum in isthac Spiritualitate Homo solus Deum inter res Corporeas referat; γ unde *Rudera* & *Vestigia Divinæ Imaginis* in Homine Lapso nemo non fatetur, quæ omninò Partem quandam ejus veram dicunt. Displicet tamen hæc assertio, post *Origenistas*, ad evitandum *Flacianismum* quibusdam *Lutheranis*, & ex affectata quadam ἀκριβείᾳ majori nonnullis *Reformatis Recentioribus*. Prætexuntque gratis hi; α loca quæ *Imaginem Dei* per *Dona Rectitudinis* exponunt, cum Positio unius hic non sit Exclusio alterius, hæcque principaliter constituere eam demus; β Hominem sic habiturum *Divinam Essentiam*, cum ad Imaginem derivata ab altero Similitudo sufficiat, nec habeat alio etiam sensu Divina Attributa homo; γ *Infinitam* esse inter Dei & Hominis Spiritualem naturam *Distantiam*, quæ est quoque inter At-

Positive consistit in Spirituali Animæ Natura. Ubi Cavillæ nonnullæ diluuntur.

Attributa, & Convenientiam Analogicam, Positivam quidem, Nominis ac Rei, non tollit; δ Imaginem Dei sic fore quoque concedendam *Universo Corporeo & Dæmonibus*, quod de his respectu Naturæ non est absurdum, de illo verò ob differentiam simplicis Durationis & Vitæ Spiritualis non sequitur; ε *Animam* Rectitudine destitutam *Deo Dissimilem esse*, *Brutis* vero *& Diabolo Similem*, *Psal.* XLIX. 20. 21. *Jud.* 10. *Job.* VIII. 44. quod, de Vitio intelligendum, Naturam non tollit nec mutat; ς denique *Mentem* simpliciter esse *Tabulam*, in qua Imago pingitur, quod respectu Rectitudinis damus, respectu autem integri complexus Imaginis negamus, substituentes potius simile *Statuæ*, quæ Lineamentis hominem referens, Coloribus amplius similis vel dissimilis esse potest [3].

[3] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

Præcipuè Imaginem hanc constituit Bonitas seu Rectitudo hominis. Ubi Locus Eph. IV. 24. exponitur & vindicatur.

VI. Princeps porrò Imaginis hujus pars est hominis *Bonitas Gen.* I. 31. sive *Rectitudo*, quam voce ישר / à נקי / distinctâ distinguit à simplici *Innocentia* Salomon *Eccl.* VII. 29. & quæ alias *Integritas*, ac *Justitia Originalis* apud Theologos audit, *Sapientiam* & *Sanctitatem* veram potissimum complexa. Eam vero astruunt. 1. Loca citata *Gen.* 1. 31. *Eccl.* VII. 29. à *Socinianis* & *Remonstrantibus* gratis in alios sensus detorta. 2. Phrasis Scripturæ, in Donis illis Similitudinem Dei constituentis, tum implicite *Matt.* v. 48. 2 *Pet.* 1. 4. *Eph.* IV. 18. tum explicite *Rom.* VIII. 29. 2 *Cor.* III. 18. *Col.* III. 10. *Eph.* IV. 24. Quo loco postremo non putamus cum *Veteribus* & *Quibusdam Nostris* per *Novum Hominem* innui Christum ex *Rom.* XIII. 14. 1 *Cor.* XV. 47 sed *Renovatum Hominis per Gratiam Statum*, ex quo, ob Imaginem Dei absolute Adamo tributam, atque respectum manifestum ad eum in vocibus *creandi* & *renovandi*, recte tamen Adami Felicitatem colligimus. Non admittendis hic quoque Recentioribus glossis; tum α de *Sanctitate Veritatis* intelligenda *Objective* potius quam Attributive, cum hoc Hebræis perpetuum, sensum fundat commodissimum, distinctione *Veræ Sanctitatis* ab *Hypocritica* simul & *Carnali*, illud vero exemplo careat, sit obscurius, repugnetque voci *Sanctitatis*, quæ sola *Studium Boni* notat, Objectumque sic in se continet; β tum de *Justitia* notante *Jus Vitæ Æternæ*, quod utique ad Sanctificationem, Perfectiones Inhærentes, & Qualitates Deum repræsentantes, propriè non pertinet, quod dein si hic intelligatur per-

it

it argumentum ex eo pro Rectitudine Adami, qui Jus hoc non habuit, quodque intelligi, nec propter vim vocis, sæpe de Justitia Inhærente usurpatæ *Luc.* I. 75. *Eph.* V. 9. *Tit.* III. 5. *&c.* nec propter distinctionem à Sanctitate, quæ multiplex alia dari potest, necessum est. 3. *Indicia Integritatis* apud Mosen manifesta; in ὀνομαθεσίᾳ Animantium sapientissima & promptissima, Evæ Agnitione & Amplexu, nulla Nuditatis conscientia, susceptione Divini Præcepti, &c. 4. Rationes; *à Dei Gloria*, quæ alias nec in Homine sufficienter declarata, nec ab illo agnita & prædicata, fuisset; à *Perfectione Hominis*, quæ aliter consistere nequit; à *Dominio*, quod alias Tyrannicum & Brutum fuisset, &c [4].

[4] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

VII. Contra nituntur *Sociniani* & *Remonstrantes*, Rectitudinem hanc pro *Idea in Cerebro nostro Nata* habentes, & *Puritatem* quidem *à fraude & scelere*, sed *Puerilem*, & cum *Puerili Ignorantia* junctam, Protoplastis tribuentes. Sunt autem vere puerilia quibus ipsi pugnant argumenta. 1. Pro *Inscitia*; α tum ex ignorata in Serpentis Colloquio fraude, affectatâ Divinitate, Fuga à Facie Dei, &c. quæ Initium Lapsus vel hunc consummatum supponunt; β tum ex *Ignorantia Nuditatis*, quæ ob visam Fructus Præstantiam, cognitaque Animantia, non potest intelligi absolutè, sed de Nuditate Turpi, & de Pudore connexo, *coll. Gen.* II. 25. 2. Contra *Sanctitatem*; α quod illa Impeccabilitatem inferat, cum tamen id non sit verum nisi de Sanctitate Essentiali & Independenti Dei, vel Consummata Creaturarum; β tum quod Frequentibus Actibus comparetur, cum id tamen in Habitibus Infusis minimè sit necessarium.

Objectionibus Socinianis satisfit.

[5] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

VIII. Referimus amplius ad Dei Imaginem *Dominium in reliquas Creaturas*; quod α exponitur *Gen.* I. 26. 28. *Psal.* VIII. 7. [6] non eximendis iis quæ expresse non memorantur, aut Animalibus Feris; β ostenditurque actu in arcano Dei impulsu ad Adamum adductorum *Animantium* ὀνομαθεσίᾳ *Gen.* II. 19. 20. Quod idem mox Homini *Jus* dedit *ad Carnium Esum.* [7] Quem *Patres* complures, *Pontificii* in gratiam sui Ciborum Delectus, Nostrique temporis *Theologi* varii, repetunt; α aut *à Diluvio Gen.* IX. 1. 2. 3. ubi clarior tantum *Juris Antiqui* est *Repetitio*, non autem *Novum Jus*, vel ob Multiplicanda magis Animalia, vel ob Minus Excellentem Fructuum Bonitatem, vel ob Compensandum Judicium se-

Ad Imaginem Dei etiam pertinet Dominium. Quod liberum Carnium Esum mox intulit.

verum, vel ob Hominis majorem Imbecillitatem, vel ob Impediendam Idololatriam, uti volunt, tunc datum; β aut à *Lapsu Primorum Parentum* nostrorum primo, ob locum *Rom.* VIII. 20. 21.[8] non de qualicunque Interitu, sed Inutili, Peccaminoso, & Novissimo, intelligendum, cum alias neque Graminum usus esse debuisset antea ullus. Quibus nos pariter opponimus Dominium hoc, licitum ostendens omnium Usum illum, ad quem apta singula, & qui non interdictus à Deo, juxta *Gen.* IX. 2. 3. dum neque Dominium post Peccatum latius extensum est, neque Carnes tunc demum ad Esum aptæ factæ sunt; haud obstante textu *Gen.* I. 29. 30.[9] ubi hodie multi *Lamed* volunt esse *Inclusivum*, sed verius dicitur Herbarum inter Homines & Jumenta fieri Distributio, secundum vulgatissimum usum qui adhuc hodie obtinet, hinc tamen omnis Cibus non recensetur, uti neque silentium de Potu ullum ejus Interdictum infert. An verò hoc Jure in Animantia Adamus ante Lapsum ob temporis brevitatem usus fuerit, temerè definitur, ac gratis inquiritur.

[6] *Exerc. Text.* XVI. P. III. [7] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V. [8] *Exerc. Text.* XLIII. P. V. [9] *Exerc. Misc. Disp.* VII. *& Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

In illo solo non est quidem sita Dei Imago. Sed & malè alii id prorsus ab Imagine hac excludunt.

IX. Pessimè vero *Sociniani* in *Dominio* isthoc, sive solo, sive *præcipuè*, constituunt *Imaginem Dei*; abusi textu Mosis *Gen.* I. 26. ubi Dominio posito, Integritas non magis quam Rationalis Anima excluditur, sed ob Dominii decentiam verius includitur. Sed & peccant ἀμετρίᾳ τῆς ἀνθολκῆς *Recentiores* ex Nostris, qui *Dominium* hoc plane *ab Imagine* illa excludunt[1]; α quod nempe istud hujus tantum sit *Finis & Demonstratio* Consequens; β quod *Præceptum Abstinendi* à reliquis Arboribus perinde ut ab Una accipere potuerit Homo; γ quod *Creatus* jam id demum acceperit; δ quodque in *Gloria Cœlesti*, ubi Imago Dei perfectissima erit, id non sit habiturum locum. His verò opponimus nos; α explicita Verba Mosis *Gen.* I. 26. ubi *Vau* simplicissimè est Copulativum, vel Finaliter positum ad Creationem referri potest; β phrasin Scripturæ, ob *Dominium* Viro & Magistratibus *Imaginem Dei* præ aliis tribuentis *Psal.* LXXXII. 6.[2] I *Cor.* XI. 7. γ denique Convenientiam Actualem, quæ in eo est inter Deum & Hominem. Et respondemus ad Objecta; α posse, cum Imago Dei ex pluribus coalescat, respectu præcipuæ partis Dominium dici *Consequens*, *Fi-*

Finem, *& Demonstrationem*, & simul *Partem* quoque Integri Complexus; β *Similitudinem absque Dominio* in homine potuisse esse, atque hoc magis restringi, sed à posse ad esse non valere sequelam, nec in Esu solo illud consistere; γ fuisse ipsius *Creationis Jure* ex Dei Ordinatione *Adamum Dominum*, licet id verbis postea fuerit magis declaratum; δ denique *in Gloria non cessaturum Dominium*, etiamsi, ob perfectiorem illum quam Adami Statum, Esus tum nullus aut Usus Antiquus creaturarum sit futurus.

[1] *Histor. Parad. Lib.* II. *Cap.* V. [2] *Exerc. Text.* XVII. P. II.

X. Tandem in *Immortalitate Hominis* Totius *Imaginem Dei* ponimus; non equidem Independente & Absoluta, sed *Concessa* per gratiosam Dei sustentationem, dè Modo rei altercantibus *Scholasticis* temere, & restricta ad *Conditionem* Obedientiæ, qua durante *Mors* nec erat necessaria nec possibilis.[3] Id constat; α ex Locis, quæ Mortem *Pœnam Peccati* dicunt *Rom.* v. 12. 21. vi. 23. 1 *Cor.* xv. 21. 56. *Ezech.* xviii. 4. *&c.* temerè & contra contextum omnem restricta ad Mortem, vel *Æternam*, vel *Violentam*, vel *Præmaturam*; β ex *Denunciatione Mortis* Adamo factâ, *si peccaret Gen.* ii. 17. atque repetita post Peccatum *Gen.* iii. 19. ubi non simpliciter *Mors inchoata* in Malis hujus vitæ, sed *Consummata* simul notatur, nec tantum ut *Terminus Pœnæ*, sed maximè ut ejus *Pars*, gravissimæque Maledictionis Initium; γ denique ex *Promisso Vitæ*, quod obediens habuit, nec Mortem Possibilem tunc admisit; δ consentientibus hic nobiscum Christianis *Patribus* pariter & *Judæis*, à quibus separandus tamen videtur *Josephus*. Negavit verò hanc Immortalitatem Adami olim *Pelagii* Schola, *Mortem* ponens *Naturæ Consequens*, ut à Peccati Corruptione Infantes eximerentur; ac tenent idem hodie *Anabaptistæ*, *Remonstrantes*, & *Sociniani*, Immortalitatem sic Christo simul ut Primo Præconi vindicaturi hi. Argumenta omnia imbecillia sunt, petita. 1. A *Natura Pulverea* Hominis creati. Quæ *Remotam Moriendi Potentiam*, non Proximam, seu quæ absque peccato in actum deduci potuerit, infert, unde post Peccatum Mors tantum ex ea derivatur *Gen.* iii. 19. 1 *Cor.* xv. 37. 49. 2. A *Cibo & Potu*, quo Corpus alias Periturum fulcitur, & quo in Immortalitate nos carebimus 1 *Cor.* vi. 13. Dum α alia Immortalitatis Consummatæ ac Absolutæ, alia Inchoatæ & Conditionatæ ratio est; β & Fulcimentis novis Partium

Tandem ad Imaginem hanc spectavit Hominis Immortalitas, quamdiu obediret. Quam ineptis rationibus impugnant Pelagiani.

tium deperditarum vigorem Deus reddere bene potuit, uti in Infantibus & Adolescentibus. 3. A *Liberorum Generatione*, quæ faciat ad Conservationem Speciei, & quæ cessabit quoque posthac *Luc.* xx. 35. 36. Facit α autem illa primò & potius ad *Multiplicationem*; β atque hinc consummato Hominum Numero in Futura Vita desinet. 4. A *Mediis Vitæ* continuandæ pluribus, uti *Arbore Vitæ*. Quasi α Deus Media ad Fines suos non semper accommodaret; β & alia Denominationis hujus Arboris ratio non esset. Aliæ in *Capite* XVI. *de Pœna Peccati* Objectiones occurrent.

[3] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

Imago Dei Quibus sit tribuenda.

XI. Hæc porro Imaginis Dei explicatio satis docet. 1. Illam rectè *Angelis* quoque tribui, quod egimus *Cap.* IX. §. XI. & quo, præter illic adducta, pertinent, tum loca *Psal.* VIII. 6. *Job.* IV. 18. *&c.* tum reliquarum Rerum *sub Angelis Subjectio*, juxta quam in Stupendis Operibus ipsorum Potentiæ parent, ipsosque ad Dei gloriam agnoscendam & prædicandam ducunt. 2. Illam juxta *Virum* competere *Mulieri*, secundum *Gen.* I. 26. 27. contra Decretum *Juris Canonici*, quod Mulieres Imagine Dei privat, nec statuminatur textu Apostoli 1. *Cor.* XI. 7. ubi ad comparatam Viri supra Mulierem Dignitatem tantum respicitur, Habitu capitis quoque declarandam, quæ in Principe, Domino, & Patre, similiter major est. 3. Illius in homine *Sedem* præcipuè quidem fuisse *Animam*; sed tamen in ejus participationem venisse *Corpus*, quatenus ad Spiritualis Animæ functiones recipiendas aptum fuit, Integritas Mentis in eo patuit, ac Dominii & Immortalitatis particeps fuit. 4. Illam ita vindicandam *Adamo Integro*, ut tamen *in Homine Lapso* agnoscamus ejus, respectu Partium omnium, *Reliquias* & *Rudera*, per *Imaginem Adami Gen.* V. 3. 1 *Cor.* XV. 49. [4] non eversa; in Anima corrupta quidem sed tamen aliqua Intelligendi & Volendi Facultate prædita, in seminibus Scientiæ, per rationem & experientiam augendis, in discrimine Honesti & Turpis, in Jure Creaturis utendi, Vitæque Protractione. Unde justificari potest varia phrasis, *Imaginem Dei*, & *Perditam* esse, si sc. Integritatem ejus spectes, & *Reliquam*, si ad rudera attendas; quæ apud *Veteres* reperitur & contentionem quandoque peperit [5].

[4] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [5] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

XII. Tenemus amplius contra *Pontificios*, hanc *Imaginem*, etiam re-

respectu partis principalis, *Integritatis* sc. descriptæ, & consequentis eam *Immortalitatis*, Adamo *non Supernaturalem* sed *Naturalem* fuisse; non quidem ut constituerit unquam ipsam Naturam Humanam Donum hoc gratiosum, sed ut *in Creatione Homini fuerit Inditum*, ad ejus *Perfectionem Naturalem* fecerit, & ob Creatoris Perfectionem fuerit *Necessarium*. Quod, quandoque licet in vocibus ludant, non concedunt tamen *Papistæ*, Statum fingentes *Puræ Naturæ*, in quo *Morbus*, *Languor*, *Pugna*, *Carnis Rebellio*, *Bene Agendi Difficultas*, ac *Concupiscentia*, quæ *Aureo Fræno* Justitiæ fuerit compescenda, ne Mortem pareret. Quibus nos opponimus; α Hominis *Creationem cum Integritate*, Vitia isthæc non admittente; β *Concupiscentiæ* carnalis *Dedecus Rom.* VII. 7. I *Joh.* II. 16. γ *Naturam Creaturæ Rationalis*, quæ ob Legem necessario præsriptam, ac Similitudinem vel Dissimilitudinem cum ea, *in Puris Naturalibus* fingi non potest; δ denique Rectitudinis & Immortalitatis ad Posteros futuram *Propagationem*, arguente id Fœdere Divino. Nihil nos movent Objectiones, petitæ; α ex locis *Gen.* III. 19. *Psal.* VIII. 5. 6. XLIX. 13. quæ ad summum non nisi *Pulveream* hominis docent *Naturam*, Divina Gratia exaltatam, quam nos Naturæ Integræ nequaquam putamus opponi; β ex parabola *Luc.* X. 30. qua Hominis *Corruptum Statum* fuisse adumbratum non satis certò liquet, & si fuerit adumbratus, docetur potius, Naturalem primum fuisse Sanctitatem, uti est Vestitus & magis Sanitas ac Vita integra in Homine; γ ex rationibus variis, quas jungunt. Scilicet, à *Diversitate Naturæ Spiritualis & Corporalis* in Homine, quæ subjectionem utriusque sub Deo non tollit; ab *Inobedientia Carnis*, quæ est à Deo ut Judice Pœnam corruptionis infligente, non ab ejus Natura; à *Donorum* per Peccata nostra *solâ Ablatione*, quæ sæpe Corruptionem majorem Naturæ etiam hodie infert; ab Hominum *Resuscitatione* sic absque Integritate hac futura Impossibili, quod de Suscitatione gloriosa damus, non item de Suscitatione ignominiosa, aut ad hanc Vitam, à qua Judicii actus non excluditur; à *Filiatione Dei* sic in Adamo futura *Naturali*, quod respectu gratiosæ cum Deo communionis, non autem Cœlestis Hæreditatis intuitu, verum est omnino; vel denique à *Naturæ Hodierna Integritate*, cum simpliciter ad Humanitatis constitutionem non pertineat, & amitti potuisse Perfectionem

Imago Integra hæc Adamo Naturalis fuit. Quod de Institia & Immortalitate contra Papistas asseritur.

hanc per Peccatum, ex eventu satis constet [1].

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V.

Majoris Felicitatis Via Adamo monstrata fuit in Fœdere Operum. Cujus nomina exponuntur.

XIII. Quod verò defuit Præsenti Felicitati Adami, id Viâ consummati Boni, ipsi monstratâ in FOEDERE OPERUM, supplevit Dei benignitas; quod sic dicitur à præscripta Adamo Conditione, alias etiam appellatum *Fœdus Naturæ*, ob Naturæ coævam Originem, & conveniens illius dictamini Argumentum, item *Legale*, *Vetus*, *Sinaiticum*, quod Præcepti ejus summa præcipuè Lege contineatur, per Peccatum & Fœdus Gratiæ sit Antiquatum, ac in Sinai denuo propositum, non tamen rursus erectum. *Testamenti* verò nomen, licet Fœdus sit Inæquale, Deusque Solus Conditiones præscribat, videtur sensu proprio hinc magis esse alienum; quod α nulla per illud ab æterno Homini Destinata sit Salus; β nulla per Mortem accesserit Confirmatio; γ sitque per peccatum factum Irritum.

Et quod generatim probatur Erectum esse cum eo.

XIV. Temere verò à *Remonstrantibus*, Aliisque nonnullis, *Fœdus cum Adamo Initum esse* negatur. Ad quorum refutationem facit. 1. Locus expressus *Hos.* VI. 7. [2] ubi Israëlitæ in Fœderis Transgressione comparantur cum *Adamo*, cujus Peccatum gravissimum & notissimum erat, hinc in Exemplum meritò adductum, perinde ut *Job.* XXXI. 33. *coll. Psal.* LXXXII. 7. [3] absque *He Demonstrativo*, quo Propria Nomina vulgo carent. Quæ omnis vis textus tollitur, cum Phrasios aptitudine & elegantia; si α vel *Adami* Nomen hic appellative pro *Homine* credatur positum, ut *sicut Homo* transgressi dicantur Israëlitæ Fœdus, aut in Genitivo *sicut Hominis* pactum; β vel *Fœdus* improprie & synec dochice Adamo tantum existimetur tribui, dum integrum utique competit Israëlitis, ad quos vox *Fœderis* immediate hic accommodatur. 2. Narratio ipsa Mosis *Gen.* II. 17. [4] In qua explicite *Mandatum* Positivum, & *Comminationem*, implicitè verò, ob vim mandati obligantem, Deique justitiam & bonitatem, tum *Legem Moralem*, tum *Promissum* reperimus, *Consensu* Adami facile ex ejus Statu intellecto. 3. *Fœderis Operum* in Scriptura passiva mentio, & descripta Summa *Rom.* III. 27. *Gal.* IV. 24. [5] *Luc.* X. 28. *Rom.* X. 5. *&c.* Dum α illud in Statu Lapsus erectum esse nequit ob Dei justitiam & hominis impotentiam; β expresse per Peccatum dicitur esse infirmatum *Rom.* VIII. 3. γ nec absque necessitate ulla vel specie Promissio Vitæ Obedientiæ potest dici annexa demum, post-

postquam ejus obtinendæ Spes omnis decolavit per Transgressionem. 4. Denique tum *Pœnæ* per Peccatum Adami universo *Generi Humano* illatæ, tum *Conditiones* in Fœdere Gratiæ *à Mediatore* susceptæ, quæ pariter Pactum Dei cum Adamo supponunt & inferunt. [6] Nec opponi debet; α vel *Defectus Historiæ* apud Mosen, qui concisius & implicite multa alia quoque recensuit; β vel *Dei* ut Domini supremi *Majestas*, qua indignum sit hoc Pactum cum Adamo, cum non indignum id inire sibi gratiose Deus reputaverit cum homine peccatore, ac Parentes juxta Heros simile quid cum Liberis & Servis sæpe agere soleant; γ vel *Hominis Naturalis* ad Obedientiam *Obligatio*, quæ accedente Pacto magis declarari & intendi potest; δ vel *Felicitas Adami Præsens*, quæ defectu non caruit prorsus, dum Deo, α in Creaturis, β in Terrestri Paradiso, γ necdum Consummatissimo Gradu, δ nec Immutabiliter, fruebatur ipse.

[2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XIX. P. III. [4] *Hist Parad. Lib.* II. *Cap.* XI. [5] *Exerc. Text.* L. P. V. [6] *Hist. Parad. Lid.* II. *Cap.* VI.

XV. Definitur rectè Fœdus illud; *Conventio Gratiosa Deum inter & Adamum, ut Generis Humani ex ipso naturaliter descensuri Caput, de Cœlesti Beatitate huic ob Legis naturalis & positivæ plenam perpetuam ac propriam Obedientiam conferenda, additâ Mortis pœnâ si Conditionem præscriptam non servaret homo.* Fœderis hujus Definitio.

XVI. *Partes Contrahentes* dum hic sunt Duæ distinctæ, [1] non μονόπλευρον, sed δίπλευρον Pactum debet dici; quamquam *Inæquale*, ob Conditiones à superiore inferiori hic præscriptas. Est enim hic Pars Una *Deus*, consideratus; ut α *Summus Dominus*, habens plenum imperandi jus, β idemque *Optimus* simul & *Justissimus*, hinc Obedientiam absque Præmio se digno non admittens, nec Transgressionem absque Vindicta ferens. Altera *Adam*; α respectu *Qualitatum*, instructus per Divinam Imaginem Donis Habitualibus, ad præstandas Fœderis Conditiones necessariis, quæ tamen Necessitatem *Auxilii Specialis, quo excitaretur ad benè operandum, & vitanda peccata*, non sustulerunt, uti volunt contra perpetuam Hominis Bonique omnis à Deo Dependentiam perperam *Pontificii*, aliique *Pelagianizantes*; β respectu Personæ, *solus* quidem adhuc, uti docet Moses in Mandato Adamum solum notans singulariter *Gen.* II. 16. ac postea Creationem Evæ subjiciens v. 18.

Fœderatæ Partes, Deus. Et Adam Integer. Posteritatem omnem repræsentans. Non autem Christum.

18. *&c.* sed tamen repræsentans, tum *Mulierem*, mox creandam ad Adami solatium, adjumentum, generisque humani perfectionem, juxta *Gen.* III. 1. 2. 3. tum *Posteritatem* omnem *Naturalem.* Quod docet satis; α *Adamici Peccati Imputatio*, ac rei hujus respectu Adami *cum Christo Collatio*, *Rom.* v. 14. *&c.* 1. *Cor.* xv. 22. 47. β juxta reliquam *Mosis de Adamo Narrationem*, se ad posteros extendentem, in dato *Dominio*, *Cibo*, *Benedictione*, *Lege Conjugii*, *&c.* γ nulla in his viis Domini locum reperiente *Injustitia*, dum Posteri in ejus Lumbis fuere, *coll. Deut.* XXIX. 14. 15. *Hebr.* VII. 9. 10. ipse Vires præstandi Officium sufficientes habuit, nec minus Bonum per ejus Obedientiam, ipsum sc. Promissum Præmium, quam Malum per ejus Inobientiam, Mortem nempe, exspectandum habuerint Posteri, quamdiu necdum nati aut rationis usus compotes ipsi Conditiones Fœderis in propria Persona suscipere non potuerunt. *Exclusum* verò *ab hoc Fœdere*, in prima ejus Ordinatione, fuisse *Christum*, docet; α ipsius ut *Alterius Hominis* contra Adamum Oppositio *Rom.* v. 15. 1 *Cor.* xv. 47. β *Immunitas Christi* à Corruptione & Imputatione Sceleris Adamici; γ *Voluntaria* ejus per Sponsionem sub hoc Fœdus post Peccatum secuta *Subjectio.* Atque apparet attendentibus duplex *ejus rei Ratio*; α *Nativitas* sc. *Miraculosa*, non ex Benedictione communi *Gen.* I. 28. sed ex speciali Promissione Euangelii *Gen.* III. 15. post Fœderis hujus Transgressionem demum auditâ, fluens; β & *Natura Divina*, præ Humana ut inferiori in Persona isthac excellens, ob quas rationes neque *Decimatio* ad eum extenditur *Hebr.* VII. 9. 10. [2]

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* VII. [2] *Ibidem.*

Fœderis Partes, quarum prima est Stipulatio Obedientiæ Legis Naturalis. Et Legis Positivæ. Quæ exponitur.

XVII. Videndæ nunc ipsius quoque *Partes Fœderis*, α à parte Dei, *Stipulatio*, & *Promissio*, β à parte Hominis, *Adstipulatio*, & *Restipulatio.* Stipulatus est Deus Conditionem *Obedientiæ Legis* à se præscriptæ, quæ fuit gemina. 1. *Naturalis*, [3] eadem in re cum *Decalogica*; quam α tunc datam fuisse per Inscriptionem arcanam in hominis Corde, asseruimus *Cap. XI.* §. *XXIII.* quam β dari debuisse, & in genere aliquam, & in specie hanc quoad præcipua ejus capita, ex Natura Dei supremi gloriæque suæ studiosi, & Natura Hominis rationalis ac dependentis, probant hic & alibi Theologi; quamque γ non obstante naturali Hominis in eam Propensione vere tum etiam Legem fuisse notant simul, cum ad hanc

hanc non nisi Legislatoris obligans Autoritas, Officiique cum Præmiis & Pœnis decens Notificatio, neutiquam autem *Coactionis Rigor* requiratur. 2. *Positiva*; [4] quæ α versabatur circa *Arborem Scientiæ Boni & Mali*, sic dictam, non ab insita Acrimoniæ Ingenii augendæ vi, uti volunt *Judæi* & *Sociniani* quidam, nec ab Illusione Satanæ mera, uti *Pontificii* multi statuunt, sed ob cognitam per illam *Hominis* seu *Obedientiam* seu *Inobedientiam*, & secutam in Homine Actualem *Mali juxta Bonum Experientiam*, atque ratione *elegantis* ad esum & visum *fructus* sic descriptam à Mose *Gen.* III. 6. ut tamen de ejus *Specie* nihil constet, sintque inanes de *Ficu* aut *Malo* conjecturæ, & merito quidem, ne homo fructum accusaret hodie magis quam se; β interdicebat autem Fructus ejus *Esum*, & *Contrectationem* in eum finem. Quod agere *potuit* Deus, ut *Summus* omnium *Dominus*, egitque etiam; α ut Dominium id Dei Absolutum suamque Dependentiam agnosceret Homo, β ut à Corporali etiam jucundissimo Bono ad Spirituale & superius ipsius desiderium duceretur, γ præcipue autem, ut in re hac externa & levi Obedientiam Adami exploraret, quam absque Mandato simili noverat quidem Deus, sed per illud abundantius cogniturus erat ipse Adam, omnisque ejus Posteritas.

[3] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* VIII. [4] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* IX.

XVIII. *Obedientiam* autem *Legis* hujus [5] exegit Deus. 1. *Perfectam*, respectu; α *Partium*, ut nullum negligeretur Mandatum, nec ulla Pars Hominis ab Obedientia foret excepta; β *Graduum*, ut præstaretur absque ullo in re aut modo defectu; *Perseverantiæ*, ut stabilis esset, usque quo ad Promissionem additam admitteretur Homo, tunc vi Præmii immutabiliter Deo Obedientiam præstiturus, qui *Terminus* an Adamo fuerit significatus, non constat, hinc à nobis neutiquam definiri potest. 2. *Præstandam ab ipso Homine* Fœderato, non Vade aliquo, *Lev.* XVIII. 5. in quo differentia Fœderis Operum & Gratiæ maxima sita est. [5] Unde sequi putamus, si perstitisset Adam, *usque quo Liberos ad Rationis Usum perduxisset*, ipsum his neque Præmium mereri Obedientia, neque Damnum adferre Inobedientiâ potuisse; de quo & similibus casibus, cum aliter res ordinaverit per Providentiam suam Deus, gratis multa instituitur disputatio.

Quæ Obedientia debuit esse Perfecta & Perpetua. Ac ab homine in Propria Persona præstanda.

[5] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* X.

Altera Fœderis pars Promissio Vitæ Æternæ.

XIX. Ab altera parte promisit Deus Homini sic Obedient *Vitam*, [1] Æternam scilicet & Cœlestem; uti constat α ex generali *Legis & Fœderis bujus descriptione Lev.* XVIII. 5. *Rom.* VII. 10. *Matt.* XIX. 17. quo loco expresse de *Æterna Vita* quæstio erat v. 16. & mox *Thesauri in Cœlis* meminit Salvator v. 21. β ex *Potentia Vivificandi Legi* ante Peccatum adscripta *Rom.* VIII. 3. γ ex *Comminatione Mortis*, quæ vi Divinæ Justitiæ non minorem Vitâ hac Promissionem infert, δ denique ex *Bonitate Dei*, quâ absque remuneratione se dignâ, quæ tantum est in Vita Æterna, secundum argumentationem Salvatoris *Matt.* XXII. 32. se coli non patitur *Hebr.* XI. 6. quorsum & communiter referri solet textus *Gen.* IV. 7. [2] Ut, si *Cœli* locum excipias, extra quem felicitatem hanc dare potuisset, nontamen voluisse dicendus est, ubique Gloriâ supremâ Cœlo adscriptâ, *Promissum Vitæ Æternæ* fluxerit *ex ipsa Natura Dei Optima*, non verò ex simplici Beneplacito, hinc natura quoque absque speciali revelatione notum; unde tamen Meritum *ex Condigno* nullum, sed tantum ex *Pacto*, quam maxime Deo & rei *Congruo*, sequitur, quale Adamo, si perstitisset, audacter tribuimus.

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* XII. [2] *Exerc. Text.* I. P. III.

Quæ notanda contra Socinianos, aliosque, qui Promissum Vitæ Æternæ ob rationes varias negant Adamo.

XX. Notandus hic itaque est error *Socinianorum*; qui α juxta *Mennonitas* & *Pelagianizantes* alios, quandoque *Omne Promissum Adamo auferunt*, Deumque sic in mundi primordio *Absolutissimum Dominium*, à debito immune, ostendisse magis volunt, securum interim satis de sua Bonitate & Justitia; β & qui alias iterum *Obscuram Promissionem Vitæ in Paradiso felicis continuandæ* Adamo contigisse tantum cum quibusdam ex *Nostris* urgent: α Quod fuerit Fœdus illud *Naturale*, Supernaturale propterea Promissum excludens; β quod *Analogia* cæteroquin nulla sit inter Officium & Promissionem; γ quod *Revelatio* Vitæ Æternæ *nec facta sit* in Creaturis extra hominem, nec in Homini insita cognoscendi facultate; δ quod *nullus* in isthoc Fœdere *Mediator*; ε quod, uti addunt *Hæretici*, Christus *Primus Vitæ* sit *Præco*; ς quod denique, uti alii recentiores contendunt ex *Nostris*, *Vitam* jam *Æternam possederit*, cum alias Morte Æterna mori non posset. Sed ista omnia elumbia sunt; cum α *Fœdus Naturæ* conveniens Supernaturale Promissum potius inferat quam excludat; β *Analogia* talis in Pacto non sit necessaria, attamen sit in Perfecta Dei Obedientia ejusque Beata Fruitione propter Dei Bonitatem maxima;

γ. Re-

γ *Revelatio facta* hic sit Vitæ, & Verbo externo, etiamsi explicitè id non narret Moses, & Operibus. Dei singulis, juxta Mentis nostræ dictamen, declarantibus Dei Bonitatem Infinitam; δ *Mediator* in proprio Merito ac inculpabili Perfectione *non sit necessarius*; ε Christus *Vitæ Autor Unus* quidem sit homini Peccatori, non tamen Primus Præco, nisi viam per sanguinem fusum aut mox fundendum clarius patafactam spectes; ς denique Adam *Vitam Æternam* non habuerit, ob defectus §. XIV. notatos, nisi in Initiis, & Exspectatione, quo sensu Mortem Æternam subire potuit [3].

[3] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* XII.

Fœderis hujus Comminatio. Et Sacramenta. Quæ numerantur Sabbathum, Arbor scientiæ, Paradisus.

XXI. Promissionis hujus cum Officio Præscripto certissimum *Nexum* ostendit Deus; α hinc Comminatione *Mortis* addita, [4] quæ omnem ejus speciem nulla limitatitione adjectâ hic notat, *Temporalem* sc. cum *Malis* præviis hujus Gradibus, *Spiritualem*, & *Æternam*, ac amplius *Capite* XVI. explicanda erit; β illinc datis quibusdam confirmantibus Promissa Signis seu *Sacramentis*, quæ ob Mutabilitatem ac Possibilem Adami Infidelitatem Bonitas Dei ipsi concessit. [5] Recensentur ea à Theologis nostris, vel *Duo*, vel *Tria*, vel *Quatuor*. Dum quidam tantum, non omnes, hoc loco habent. α *Sabbathum*, [6] Adamo datum; quod utique tam in *Quiete*, quam in solenniori *Dei Cultu*, Cœlestis Beatitatis emblema ac signaculum esse potuit. β *Arborem Scientiæ Boni & Mali*; [7] quæ per Positivam & Symbolicam Legem quidem faciebat ad Explorationem Adami, sed simul monebat sui Intuitu & Abstinentia Adamum de Morte Nulla secutura, sed Vita certò Exspectanda, si perstaret, atque hinc *Sacramentum Explorationis* dici solet: haud obstante sane Interdicto Fructus ejus Esu, qui usum priorem Contemplationis non tollit, qualis solus etiam in Sacramento Iridis locum habet *Gen.* IX. 12. & in variis Sacrificiis olim habuit. γ *Paradisum* ipsum; [8] qui ad *Cœlum* significandum alibi transfertur *Luc.* XXIII. 43. 2 *Cor.* XII. 4. [9] etiam vulgo apud Hebræos, ac illud commodissime repræsentavit, in speciali Dei Plantatione *Hebr.* XI. 10. in Ornatu, Amœnitate, & Abundantia omni, in Dei & Integri Hominis Inhabitatione, tandemque in Hominis ex terra reliqua in illum facta à Deo Translatione.

[4] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* XI. [5] *Ibid. Cap.* XIII. [6] *Ibid.* [7] *Ibid.* [8] *Ibid.* [9] *Exerc. Text.* XLIX. P. V.

Et Præcipuè Arbor Vitæ. Quæ Una quo sensu fuerit. Ratio Appellationis hujus. Et Modus Obsignationis Vitæ per eam.

XXII. Communius verò Sacramentum hujus Fœderis dicitur *Arbor Vitæ*. De quâ notamus. 1. Dubium revera esse de hac æquè quam dè Arbore Scientiæ; an α *Una Specie* tantum, ob Multiplicandi omnibus insitam Virtutem *Gen*. I. 11. 12. majorem Horti Elegantiam, ac faciliorem Adami Usum, tum & Mysticæ Arboris ab utraque fluminis parte ortum *Apoc*. XXII. 2. [1] *Ezech*. XLVII. 12. an vero β etiam *Una Numero* fuerit, ob Singularem ejus absque ullo universalitatis signo Mentionem, Collocationem in Medio Horti, & ut addunt Christi, quoad beneficia solum copiosè diffusi, Personalem Unitatem. 2. *Appellationem* ejus esse repetendam; [2] α non à *Vigore* grato, & *Vita* insita, alliis communi; β non à *Virtute* aliqua *Medicinali* adversus Morbos, qui in felici statu non obtinuerunt, nec metuendi erant; γ neque à *Vi* insita *Immortalem Vitam* homini tribuendi, uti *Patres*, *Pontificii*, *Sociniani*, multique ex *Nostris* voluerunt, quæ ante Lapsum omnibus ad esum aptis fructibus inerat, licet gradu excellentiori huic Arbori non videatur deneganda ob aptitudinem ad Sacramentum majorem, & quæ post Lapsum ob Dei contrariam voluntatem omniumque insitam corruptionem stolide asseritur ex Ironico Dei ac ad opinionem Adami accommodato sermone *Gen*. III. 22. δ sed à *Vitæ* melioris Promissæ *Obsignatione*; symbolum ejus obscurum hic agnoscentibus quandoque *Socinianis* ipsis. 3. *Qualis* illa fuerit, certo definiri non posse; & quod sit hodieque superstes, parum verisimile videri. [4] 4. Rationem *Obsignationis* fuisse hanc; ut α non abstineret, sed *comederet* [5] de illius fructu Homo, secundum vocem Evæ *Gen*. III. 2. 3. & Dei ipsius *Gen*. II. 16. 17. ac Interdictum postea demum secutum *Gen*. III. 22. haud obstante Promissione Conditionatâ *Apoc*. II. 7. [6] quæ ad Rem aliam, & Statum peccati respicit, neque ad Gloriam futuram solum exclusâ Gratiâ debet referri; β & comedens *Præsentem cum Deo* ut Fonte Vitæ *Unionem*, ac *Futuram* ejus *Fruitionem* magis immediatam, animo suo sisteret. [7] Haud spectato tum *Filio* magis, quam Patre, in hoc symbolo; uti volunt vulgo, sed temere, ex Appellatione Christi hinc egregiè petita *Apoc*. II. 7. [6] ac respiciente non ad ipsum ut Dei Filium Vitamque insitam, sed ut Mediatorem omnes undique electos merito & Spiritu Vivificantem plene ac Sanantem, qualis respectus, cum simili Euangelii adumbratione, non nisi post Lapsum obtinere potuit,

Deo

Deo tamen jam antea rem sapienter ad id ordinante, atque hinc convenientiam multiplicem observantibus Theologis, *coll. Prov.* III. 18. XI. 30. *&c.*

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Hist. Parad. Lib.* I. *Cap.* XVII. [3] *Lib.* III. *Cap.* XIV. [4] *Lib.* I. *Cap.* XVII. [5] *Ibid.* [6] *Comm. in Loc.* [7] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* XIII.

Cum Fœdus hoc sic initum, Adam non mox habuit Jus Vitæ Æternæ. Fœderis acceptio à parte hominis docetur. Quo ipso Deus factus est Deus Adami.

XXIII. Sic Fœdus hoc vidimus *à Parte Dei*, ad quod alii etiam speciatim referunt Mandata *Generis Multiplicandi*, *Hortique Colendi & Custodiendi*, quæ tamen huc non aliter pertinent, quam quatenus Legi Naturali includuntur; quodque evertunt plane illi ex *Pontificiis*, qui Adamum *Filium Dei Adoptivum* vocantes, præter Scripturam, *Jus ad Supernaturalem Beatitatem veluti ad Hæreditatem Paternam* vi infusæ Charitatis illi actuale attribuunt, utique sic non demum acquirendum per Obedientiam. *A Parte* verò *Hominis*, per illius *Adstipulationem* in Præcepta, & *Restipulationem* Promissorum, Fœdus hoc fuisse consummatum [8], facilè liquet; α ex voce Evæ, qua Sui sub Dei Præceptum Subjectionem declarat *Gen.* III. 2. 3. itemque Adami v. 10. qua metum justæ iræ ipsius exprimit; β ex Hominis à Deo *Dependentia*, in qua gratiose se manifestanti Domino ad illius commodum obluctari non potuit; γ & potissimum ex *Rectitudine* ejus, per quam bonam Dei voluntatem non potuit non approbare, & viâ à sapientissimo Deo monstratâ ad felicitatem summam contendere. Atque sic Jehovah, qui *Deus* erat *Adami* Creationis & Conservationis jure, talis quoque factus est vi Fœderis, per quod Homo ipsi Subjectus cum exspectata ab ipso Remuneratione, *coll. Deut.* XXVI. 17. perperam hac phrasi à quibusdam ad Fœdus Gratiæ solum restricta, juxta ipsum nomen *Elohim*, utique *Gen.* I. 1. mox Deo datum apud Creationem omnium.

[8] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* XIV.

Fœderis Operum Antiquatio quo sensu neganda & asserenda. Ejusque Gradus apud quosdam.

XXIV. Fœdus hoc, neutiquam æternum, haud diu stetit [9], *Antiquatum*, à parte Hominis *per Peccatum*, & à parte Dei *per Vitam* omnem vi Divinæ justitiæ peccatori ex eo *Negatam*, *Novique Fœderis* substitutionem, argumento loci *Hebr.* VIII. 13. Quæ Antiquatio uti non est extendenda; α ad manentem semper *Naturalem Præceptorum Obligationem*, cum *Arminianis*, secundum dicta *Cap.* XI. §. XXXVIII. β neque ad abrogatam *Conditionem Plenæ Obedientiæ*, quæ in Fœdere Gratiæ exigitur à Sponsore,

& sic manet; γ neque ad promissæ *Vitæ Æternæ* cum Obedientia plena certum *Nexum*; δ neque ad sublatam in ulteriori *Transgressione Pœnam Mortis*, cæteroquin nullo Peccato futuro Mortali, præter Primum hoc Adami, & Gradibus Pœnæ tollendis. Ita ab altera parte verè est *Perpetua*, nunquam novâ Erectione ejus subsecuta vel possibili, etamsi ejus summa ad convictionem aliosque fines homini proponatur sæpius. Qui verò hic à *Recentioribus* varii *Gradus* observantur *Antiquati* hujus *Fœderis*, per α *Peccatum*, respectu possibilis *Vivificationis*; β per *Prot-Euangelium* creditum, respectu *Damnationis*, γ per *Promulgationem Novi F.* respectu *Terroris & Servitutis*, δ per *Mortem*, respectu Luctæ cum Peccato, ε denique per *Resurrectionem*, respectu Effectorum omnium; illi sic concedi possunt, ut tamen rectius dicatur, α Fœdus, cujus vis in Conventione Mutua consistit, esse per Peccatum plene abolitum, β in reliquis verius Peccatum cum ejus Effectis, quam Fœdus hoc, aboleri, γ & pertinere illa ad Fœdus Gratiæ ejusque Beneficia, quod sic respectu exactæ in Propria persona Obedientiæ, & *Pecatori* ipsi denunciatæ Pœnæ, Fœdus Operum mutat, ut cæteroquin id stabiliat ac confirmet.

[9] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* XV.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Peccato Hominum, ejusque variis Speciebus.

Status alter Miseriæ, ad quam Peccatum & Pœna pertinet.

STatum Humanæ Integritatis felicem excipit STATUS MISERIÆ; alias *Lapsus*, quod hic Miseriæ Fons & Pars prima sit; vel etiam *Naturæ*, quod in hoc nascamur hodie, eumque à Natura habeamus omnes. Istam vero *Miseriam* omnibus quoad rem communem sed gradu variam, communi *Mali* nomine venientem, uti præter Scripturam experientia abunde omnes docet; ita ad duplex caput referre debemus, *Peccatum* scilicet, ejusque *Pœnam*, præeunte Scriptura passim *Rom.* III. 23. V. 12. VIII. 2. *&c.* & docente idem utriusque consideratione debita, quæ felicitatem per eam veram turbari monstrat, ut recte *Malum* aliud *Pœnæ*, aliud *Culpæ*, dicatur [1].

[1] *Hist.*

[1] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* I.

II. A Peccato, ut Pœnam antecedente & causante, tractationis initium facimus. Dicitur sic variâ allusione, vel à *pede capto*, vel à *pellicando*, vel à *pecu*, vel ad Hebræo, sive בקר / *bove*, sive בגד / *prævaricari*, sive פק / *titubare*, quod legimus *Jes.* XXVIII. 7. Synonyma apud Hebræos sunt, [2] חטאה / & חטא / notantia *Aberrationem* à Via & Scopo proposito, uti liquet ex *Jud.* XX. 16. *Psal.* XXV. 8. LI. 15. *&c.* ac gratis ad Pueritiam infra Annum Vigesimum à *Kimchio* restricta, עון / & עול / *Perversitas*, Rectitudini opposita, & *Iniquitas*, Decentiæ adversa, בגד / & מעל / *Prævaricatio*, & *Perfidia*, פשע / מרד / & מרי / *Defectio*, ac *Rebellio*, quæ duo quidam iterum distingunt. Græci non minus emphatica habent nomina, ἁμαρτίας, ἀδικίας, ἀνομίας, παρακοῆς, παραβάσεως, παραπτώματος, πλαίσματος, ὀφειλήματος, &c. quandoque generalius, quandoque strictius usurpata. Uti porrò de voce Peccati, variisque aliis ejus nominibus, observamus, sumi illa; α vel pro *Pœna* metonymicè *Gen.* IV. 13. XIX. 15. &c. β vel pro *Sacrificio* ad Peccatum expiandum offerendo *Exod.* XXX. 10. 2 *Cor.* V. 21. *&c.* γ vel denique pro *Legis Transgressione*, spectatâ tum *materialiter* sæpe, tum propriissimè *formaliter*, seu *Vitio* ipso, quod hic amplius, dum Angelos nunc non consideramus, ad Homines restringimus. Peccati Nomina varia & Homonymia.

[2] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* I.

III. Peccato, cujus *Existentia* in mundo ex Scriptura omni & Nostri cum Lege collatione clarissimè patet, naturam brevi hac descriptione comprehendimus; Est *Defectio Hominis à Divinæ Legis præscripto, à Deo ad gloriæ suæ demonstrationem sapienter permissa, illumque Mortis reatui subjiciens simul & Decore debito privans.* Ejus Descriptio.

IV. *Defectionis* positum hic Genus docet, esse Peccatum; α *non* quid *Positivum*, uti temerè quidam etiam ex *Nostris* voluerunt, & pessimè aliqui hodie rursus inculcant, nedum *Substantiale*, uti alii crassius dixerunt, quando utique illud Bonum, & à Deo ut Prima Causa esse deberet, (nisi Positiva plurima à Deo verè independentia ponantur,) etiamsi per *metonymiam* aut *metaphoram* Positiva illi quandoque Nomina tribuantur; β similiter *non* quid merè *Negativum*, quod ex Peccati Gradibus, Distinctione varia, veris Effectis, justisque Pœnis, satis refutatur; γ sed quid *Privativum*, sive Non est quid Positivum, aut Negativum, sed Privativum.

sive Negationem Perfectionis Requisitæ, supra quam hæc argumenta adducta & alia nihil verè inferunt.

Est enim Defectio à Lege Dei.

V. Multiplex verò cum sit *Defectio*, Peccatum amplius declaratur ab *Objecto*, *Causa*, & *Effectu* gemino. Ratione *Objecti*, versatur circa *Legem Dei*, ponens Deviationem ab ea, 1 *Joh.* III. 4. *Rom.* III. 20. IV. 15. VII. 9. *Jac.* IV. 12. &c. Quæ, cum hæc non modo Interdicta sed & positiva Præcepta in se contineat, tam in *Omissione* quam *Commissione* locum habet; imo, cum hæc non tantum *Actionum*, sed & *Habituum*, ac *Naturæ Rectitudinem* exigat, illa in his omnibus quoque reperitur. Quin & fluit hinc porrò; α tum *peccari* nunquam *propriè*, *directè*, & *immediatè*, nisi *contra Deum ejusque Legem*, licet Transgressio nostra sæpe Damnum Proximo inferat, amando utique juxta Dei Legem, sæpe Ordinem turbet, eodem fundamento servandum, sæpe Mandata Magistratus & Superiorum aliorum spernat, sequenda scilicet propter Dei jussum; β tum neutiquam requiri ad Peccati Constitutionem, vel præsentem *Legis Cognitionem*, vel *Voluntatis* actualem *Consensum*, vel *Plenum* hujus *Motum*, uti in Capitibus de Originali Corruptione; & dè Perfectione Hominis, hæc perperam supponunt *Pelagiani* omnes; quamquam illa Peccatum magnoperè aggravare lubentes fateamur.

Non committitur nisi a Creaturis Rationalibus.

VI. *Subjectum* Peccati generatim quidem *Creaturam Rationalem*, hic verò speciatim *Hominem* dicimus; qui talis solus est inter res corporeas, radicaliter quidem *Animæ* respectu, sed participativè & demonstrativè quoque intuitu *Corporis*, quatenus illud Animam variè movet & ab illa movetur. Huic enim soli Lex poni potuit, propriè dicta, & posita est; dum Instinctus Naturalis Animantium, atque constans Rerum Omnium Ordo, non nisi ob similitudinem quandam sic dicuntur. Quo & sensu Monstra *Naturæ* ἁμαρτήματα vocantur, & *Materiale Vitiorum* variorum in Brutis variis est; Pœnâ in Diluvio, & Lege Divina *Exod.* XXI. 28. 29. & generali Creaturæ Corruptione *Rom.* VIII. 20.[1] formaliter semper quoque ad Hominem referendâ, licet malum rebus ab Homine possessis infligatur.

[1] *Exerc. Text.* XLIII. P. V.

Neutiquam est Deo ut Autori imputandum.

VII. Idem etiam *Homo* Peccati *Causa*, sive *Efficiens* sive *Deficiens*, dici debet. Licet in Causationis *Societatem Directe* per Suasionem & Impulsum veniant *Satanas*, hinc etiam *Malus* dictus, &

& ipsius imperio subjectus *Mundus*; *Indirecte* autem & *Occasionaliter* per hominis malitiam, tum omnes *Dei Benedictiones & Maledictiones*, tum ipsa sanctissima *Lex Rom.* VII. 9. 10. 11. ob abusum hunc minimè culpanda. Satis vero ostensum est *Cap.* X. §. XX. secundum Scripturam, & nostram Doctrinam vehementibus blasphemiis temere impetitam, & rationem quæ à Deo omnem simul & Legem & Defectum Sanctitatis Veritatisque removet, *non* debere ullam *Causationem Peccati Deo* tribui; cujus tamen & *Decretum Permissivum*, & *Permissionem Efficacem*, lubenter fatemur, dum ex malo bonum sapienti potentia sua elicit, atque Peccatum à se permissum ad justitiæ & gratiæ suæ laudem dirigit.

Effecta Peccati Proxima, Reatus sc. & Macula.

VIII. *Effectum* tandem Defectionis hujus, uti *Remotum* est *Pœna* insequens, & *Peccatum* adauctum, ita *Proximum* statuitur duplex. 1. *Reatus*, à quo Homo dicitur אשם / *Lev.* V. 2. ὑπόδικος *Rom.* III. 19. & ἔνοχος *Marc.* III. 29. *Jac.* II. 10. Quorsum respicitur in appellatione *Offensæ*, *Debiti*, *Criminis*, &c. qui tollitur beneficio Justificationis, quique hic non dicit, uti in humano foro, Statum Accusationis dubiæ, nec propriè Culpam ipsam, sed ex *ea fluentem peccatoris Subjectionem sub Pœnam à Deo statutam*; quam Conscientia Adamum docuit *Gen.* III. 8. 10. docetque per Dei justitiam adhuc posteros Lapsos *Rom.* II. 15. Uti verò *Reatus* recte distinguitur in *Potentialem*, qui inseparabilis à culpa est in justificatis ipsis, & *Actualem*, qui per gratiam Dei in Christo tollitur à fidelibus; ita repudianda prorsus est *Papistica* distinctio inter *Reatum Culpæ* & *Pœnæ*, α cum Reatus omnis Culpâ nitatur, tendatque ad Pœnam, β hinc *Culpâ* remissâ nullus *Pœnæ*, scilicet *Satisfactoriæ* & formaliter consideratæ, sit locus, γ male huc relatis quandoque *Malis Piorum*, quæ ad *Castigationem* aliumve finem iis immittuntur. 2. *Macula*, nominata 2 *Cor.* VII. 1. &c. Ad quam respicitur in appellatione *Vulneris*, *Morbi*, *Sanguinis Fœdi*, *Vomitus*, *Volutationis Luti*, &c. quæ tollitur beneficio Sanctificationis, quæque dicit illam *creaturæ vel actionum ejus Fœditatem*, *per quam Dissimilitudo cum Deo ac opposita Similitudo cum Diabolo inducitur Rom.* III. 23. *Joh.* VIII. 44. Id quod non tantum ex Peccato fluit *meritoriè*, sed omnino etiam *efficientiâ proxima*; uti Conscientia iterum Adamum docuit *Gen.* III. 7. omnesque attendentes docere potest.

IX. Istis generaliter præmissis, *Divisiones* Peccati aggredimur;

 ex

Peccatum aliud à Primo ortum, aliud Primum. Quod definitur.

ex quibus merito prima est, quâ dicitur aliud α *Primum*, tempore sc. & causatione, β aliud *à Primo Ortum*. Primum vocatur Peccatum Protoplastorum, cui nomina ἁμαρτίας, παραβάσεως, παραπτώματος, παρακοῆς, &c. cum singulari emphasi tribuuntur, [1] potissimum *Rom.* v. quodque sic fabulosis traditionibus de *Prometheo* & *Pandora*, *Curas graves Hominibus machinata*, de *Eva Erroris Fonte* in Bacchi Orgiis, *&c.* agnoverunt *Gentiles*, & collatione præsentis Vitii cum Dei creatoris Bonitate docet ratio, ut tamen ejus Speciem, Modum, & Occasionem omnem, ex solo Mose discere possimus. Juxta quem illud dicimus esse; *Peccatum à primis Parentibus ad Satanæ in Serpente suasionem voluntariè prorsus commissum, quo Legem Positivam ipsis latam, & in ea Moralem totam, Incredulitatis Superbiæ & Gulæ motu violarunt, Divinæ Maledictioni se & omnem simul posteritatem suam sic subjicientes.*

[1] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* I.

Commiserunt hoc Adam & Eva. Qui utrique gravissime peccarunt.

X. *Peccantes* Personæ hic adeo fuerunt *Adam* simul & *Eva*; secundum explicitam Mosis narrationem. [2] Cui non obloquitur Paulus; neque α ab illa parte 1 *Tim.* 11. 14. ubi *Adamum seductum* negans, non negat ejus Peccatum, nec negato dolo & errore illud adscribit vel Amori Uxoris vel Vi ab hac adhibitæ, sed vult, non esse illum *primum* seductum, nec ab ipso immediatè *Diabolo*, nec simul *Causam* alteri Transgressionis exstitisse; neque β ab hac parte *Rom.* v. 12. 19. ubi *Unius Hominis* iteratam faciens mentionem, vel Evam considerat ut *Unam Carnem* cum Adamo, vel potius de *Peccati Introitu in Mundum & Imputatione* communi loquitur, quæ ob Fœdus cum Adamo initum, ab hoc solo, non autem à Muliere, repeti potest. Temerariæ verò & *curiosæ* sunt *quæstiones*, quæ hic moventur; α de *Humani Generis Statu*, qualis fuisset futurus, *Alterutro* Protoplastorum, & forte *Eva* tantum, *peccante*, cum Providentia Dei ordinaverit Lapsum Utriusque; β & de *Gradu Peccati*, an gravius fuerit *Adami* vel *Evæ* scelus, cum ratione Fœderis immediate cum eo erecti, & Regiminis in mulierem ipsi concessi, id Adamo, ratione vero Exempli mali, & Incitationis ad malum, idem Evæ videatur prorsus tribuendum, præscindi adeò debeant hæ disputationes Utriusque Peccati ut *Gravissimi* detestatione, quæ tamen, observantibus *Scholasticis* quoque, iterum limitationes aliquas admittit.

[2] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* II. & III.

XI.

XI. Istius verò in Homine Defectionis *Causa* non alia agnosci debet, quam Voluntaria *Liberi Arbitrii Determinatio*; quod in Integritate quidem prorsus ad Bonum inclinatum erat, sed mutabiliter tamen, quo respectu, neutiquam ulterius extendenda, similitudo *Bilancis in Æquilibrio*, hic adducitur. Istam Causam, α notavit Scriptura *Eccl.* VII. 29.[1] *Hos.* VI. 7.[2] β & docet hominis *Natura*, ab omni Coactione immunis, juxta *Statum* Integritatis Mutabilis; γ comprobat denique Historia, *Satanæ*, ne hodie quidem potestatem vorticordiam in animam habenti, tribuens tantum *Persuasoria verba*, *Deoque* adscribens *Interdictum* Severum & quam maximè Serium. Nec Deo Culpam hic aliquam affricat Theologia nostra; α vel per *Decretum Permissivum*; β vel per *Negatum Auxilium Gratiæ*, tum Habituale, tum Actuale, quò certo staret, cum id nec ex Dei Natura, nec ex Fœdere, dandum esse sequeretur; γ vel per *Subtractam* consequenter demum *Gratiam* priorem *Habitualem*, quâ accedente particulari concursu stare potuerat prius, & qua in primo momento lapsus turpiter abusus erat: cum hæc omnia tantum Necessitatem Consequentiæ, hominis à Deo Dependentiam, Deique intaminatè & independenter operantem Providentiam arguant.[3] Imò dum per calumniam nobis imputant, nos Deum facere Lapsus *Veram*, *Propriam*, & *Solam Causam*, majori jure id retorquemus in Adversarios, qui Integro Homini *Concupiscentiam*, naturalemque *ad Vitia Inclinationem*, fræno compescendam, adscribunt.

Et quidem Proprio Lubitu pessimo. Non aliqua Divina Coactione.

[1] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* V. & *Lib.* III. *Cap.* IV. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* IV.

XII. Interim *Suasio* externa accessit *Serpentis*.[4] Quo nomine notatur *Vera* istius nominis *Bestia*, non aut solus invisibiliter Diabolus, aut mera *Larva*, uti ex *Recentioribus* & *Veteribus* quidam voluerunt & volunt etiamnum; α ob Nomen *Serpentis* expresse positum, quod quam *Speciem* hic notet, non inquirimus, notare autem Animal præ reliquis omnibus Forma conspicuum, gratis dicitur; β ejus cum *Bestiis* comparationem in *Astutia*, cujus in Flexibilitate, Absconsione, Capitis Velatione, aliisque apud *Physiologos* memoratis, emblema celebre est *Serpens*, etiam *Matt.* X. 16. γ rei denique hujus ad Gentiles disseminatam traditionem, qui hinc *Serpentes*, potissimum in Ægypto, coluerunt, & Hæreticos *Ophitas* pepererunt. Fuit vero indubiè *Bestia* isthæc *Obsessa*,

Transgressionem suasit Serpens Satana obsessus.

ſeſſa, ut ridenda ſit *Juliani* cachinnatio, non ipſo *Chriſto*, uti voluerunt *Ophitæ* & *Manichæi*, ſed *Diabolo*, jam ſeu paulo ante lapſo; uti docet α *Loquela & Ratiocinatio*, Serpenti adſcripta, β *Homicidium* cum *Mendacio Diabolo* tributum *Job*. VIII. 44.[5] γ nomen *Tentatoris* æque, quam *Serpentis*, & *Draconis*, ob factum hoc ipſi hærens *Matt*. IV. 3.[6] 2 *Cor*. XI. 3. *Apoc*. XII. 9.[7] quod voluerunt quoque Judæi, *Sammaelem* inequitaſſe Serpenti, ac Serpentem ex ſuggeſtu *Sammaelis* omnia profatum eſſe, narrantes. Id verò an & quouſque *Mulieri notum* fuerit, haud facile determinatur; forte Angeli Boni præſentiam ſuſpicatâ ipſâ.

[4] *Hiſt. Parad. Lib*. III. *Cap*. V. [5] *Exerc. Text*. XXXV. P. I. [6] *Exerc. Text*. XXVIII. P. III. [7] *Comm. in Loc.*

Serpentis Aſtutia multiplex monſtratur. Quorſum & ſpectat tributa Deo Invidia.

XIII. Fuit autem in hac Seductione *Satanæ Aſtutia* multiplex. Quæ cum *Judæis & Chriſtianis* quibuſdam gratis fingitur exercita in *Prævio* cum Eva *Luſu*, repetita *Confabulatione*, *Inflexione* ornata *circa Collum & Brachia*, *Contactu Arboris* prius à Serpente coram. Eva facto, &c. at ſecundum Moſen certo demonſtrata eſt. 1. In *Beſtiæ* hujus *Viſibilis* & *Aptiſſimæ*, nec Ingratæ tunc homini, *Aſſumptione*, ut familiarius agere poſſet; quam juſſam à Deo fuiſſe, ut fraudem facilius agnoſceret Homo, fingunt cum *Veteribus* temere quidam *Pontificii*. 2. In *Aggreſſione Mulieris*, Debilioris, non tantum nunc ſed ut videtur ob gradus perfectionis varios etiam olim; & *Abſente* quidem *Marito*, ad quem ejus ſermo non eſt habitus. 3. In *Temporis Initio*, quo longiori boni uſu minus adhuc confirmatus erat homo, captato. 4. In *Mali*, ut videri poterat, *Levioris*, ex Lege Poſitiva tantum fluentis, atque externo ſenſuum intuitu boni, Perſuaſione. 5. Denique in *Modo Perſuaſionis*; dum α *Interrogans*, non circa Præcepti ſenſum, ſed ipſum Præceptum, dubium vel inſcium ſe primo fingit; β *Comminationis* Divinæ veritatem palam rejicit; γ *Promiſſum* ſubjicit, uberioris Cognitionis, majoriſque cum Deo in ea Similitudinis; δ ſimul, ut hæc facilius admitterentur, Deum *Invidiæ* accuſans, qui *id noſſet*, ac ad id arcendum tale dediſſet Interdictum. Quibus tamen poſtremis verbis potius vim *Juramenti per Deum* ſubeſſe, plane ut 2 *Cor*. XI. 11. 31. volunt quidam *Recentiores*, quod nimis cæteroquin aperta Blaſphemia Aſtutiæ Satanæ videatur contraria. Verum id non admittit: α directa Verborum Dei & Satanæ in prioribus Oppoſitio; β prætermiſſa

omnis

omnis Malè ab Eva vel Adamo Intellectæ rei mentio; γ ac facillima omnium inter se ex vulgari sensu Connexio, quandoquidem, si Malum nullum metuendum, sed Bonum tantum propositâ viâ exspectandum erat, prima de ratione adversi Divini Jussus dubitatio in animo Evæ debebat oriri, per Invidiæ Divinæ figmentum amolienda. Nec credi debet, Evam magis fidem potuisse habere inverso Divini Verbi Sensui, quam eversæ cum blasphemia Veritati & Bonitati Dei, nisi in primo ad Satanæ ludibria attentionis momento scotomate mens ante sapientissima perculsa mox fuisset. [1].

[1] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* V. *&* VI.

XIV. Suasionem primam Serpentis apud *Mulierem* secuta est, quo temporis intervallo non constat, utique non magno, hujus deceptæ conatus in *Maritum*; non per *Verbera*, uti nugantur pessimè ex *Gen.* III. 12. quandoque *Judæi*; neque ex metu *Novæ Uxoris Adamo* à Deo creandæ, uti fabulantur alias eidem; sed per Fructus præstantis Oblationem, expositamque sui Esus Occasionem, *ex Affectu Conjugali.* Quæ Tentatio tantò magis *Periculosa* fuit; α quod fieret à *Socia Vitæ* ab ipso Deo datâ; β & in ipsa *Damnum* adhuc *Nullum ex Esu* conspiceretur, Deo oculos Evæ pariter & Adami ad Lapsum consummatum cohibente *Gen.* III. 7. Unde liquet, omnino Adamum quoque *seductum fuisse*, satis id declarante Mose *Gen.* III. 7. & Adamo v. 12. non adeo *ex Affectu in Conjugem* lapsam sceleris & miseriæ ejus socium esse factum, *cum Spe Veniæ* ob hunc eundem Affectum forte obtinendæ; quomodo post *Veteres* quosdam & *Pontificios* volunt etiam *Recentiores* quidam Thelogi, non minori tunc tamen Seductione & Errore in Adamo agnoscendo. [2] Ex Seductione hac primum forte orta apud Judæos ipsorum *Lilith.*

Vir porrò à Muliere tentatus est ad malum.

[2] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* III.

XV. Peccatum porro ipsum, partim fuit *Externum*, partim *Internum.* Liquet enim facilè ex exposita Satanæ tentatione, *Esum Fructus Vetiti* processisse; tum α ex *Infidelitate* adversus Divinam Comminationem; tum β ex *Affectatione Superba*, non *Æqualitatis cum Angelis*, uti perperam quidam ex usu vocis אלהים alibi obvia, & ex v. 22. concludunt, neque omnimodæ *Æqualitatis cum Deo*, quam finita creatura neutiquam assequi potest, sed *Majoris cum eo Similitudinis*, potissimum in *Cognitione*, quam humili sub-

Peccati Actus Tres Interni, horumque Successio, & Fons.

jectione quærere cum fructu debuerat & potuerat homo; tum γ ex *Gulæ* intemperanti *Desiderio*, per fructus gratam speciem excitato. Quæ Vitia, α fluxerunt ex Otio, Præsumptione, Incogitantia, Neglectis Precibus, Attentione ad Tentationem, Dubitatione, similibusque Occasionibus vitiosis; β & quamquam hominem vere simul invaserint, tamen secundum Ordinem Tentationis rectissimè sic sibi invicem subordinantur, uti nos egimus. Contra quam *Pontificii* plures, & alii quidam volunt, statuentes, *Superbiam præcessisse* in Homine; partim α ob loca apocrypha *Sirac.* x. 13. 14. *Tob.* IV. 14. præter scriptorum mentem detorta; β partim ob appellationem *Inobedientiæ*, quâ usus Paulus *Rom.* v. 19. non Internam Radicem, sed Scelus integrum Adami respexit, quæque Superbiam quidem infert, non tamen ipsa mox talis est; γ partim ob rationes vanissimas, à *Mediorum* sub finem *Subordinatione*, ab *Errore* fluente *ex Aversione à Deo*, *Conversione* ad aliud *Aversionem præcedente*, ab *Infidelitate Superbiam* vulgò consequente, &c. quæ inspectæ solum leviter, huc nihil faciunt [3].

[3] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* II.

Peccati Primi Gravitas monstratur. Et de Tempore Lapsus disquiritur. Quod utique non fuit ipsa Dies Creationis:

XVI. Ex dictis *Gravitas* Sceleris hujus, ab impiis Irrisoribus & Hæreticis quandoque extenuati, patescit; sive consideremus, α *Autoritatem Dei* interdicentis infinitam; β sive *Objecti* interdicti *Levitatem*, quæ scelus neutiquam minuit sed auget; γ sive *Dona Viresque*, quibus homo erat instructus; δ sive connexam *Legis Naturalis Violationem* in Utraque Tabula, quam *Veteres* pariter & *Recentiores* late ostenderunt; ε sive *Circumstantias*, tum *Loci* amænissimi & abundantissimi, tum *Temporis*, in quo recens debebat esse Creationis memoria. [4] Supponimus enim plane, contra *Judæos* & *Veteres* quosdam, qui Plures hic Annos Medios ponunt juxta Literarum vel Annorum Christi mysterium, ob rerum multarum in Integritate gestarum Silentium, Lapsumque ad *Principium* relatum *Joh.* VIII. 44. haud longè post Creationem Lapsum hunc contigisse, Deo sic ad suæ gratiæ laudem hominisque majorem humiliationem volente. [5] Quamquam non placeat; α incerta Virorum Doctorum determinatio multiplex, de Octo, vel Quadraginta Diebus Integritatis, qualis etiam est illa quæ ad *Diem Decimum Mundi* rem refert, ob Festum Expiationis tunc celebrandum *Lev.* XVI. 29. utique hac Legis ratione nusquam datâ à Mose; β & minus adhuc, temeraria hypothesis *Judæo-*

dæorum aliorum & *Christianorum*, quæ ipsum *Diem Creationis* vult *Tempus Lapsus* fuisse, contra α Mosen, rerum *Omnium Bonitatem* isthoc Die asserentem *Gen.* I. 31. β & Dei bonitatem, qui mansionis felicis aliquam moram & memoriam utique homini non negasse videtur, γ perperam objectâ mentione *Initii Joh.* VIII. 44. quod cum aliqua latitudine intelligendum, & male opposito loco *Psal.* XLIX. 13. qui nec de Adamo primo, sed de *Homine* quovis potenti, nec de strictè dicta *Pernoctatione*, sed permansione constanti vel diuturna agit, nec aliter expositus est mera allusione nostra *Confessionis Belgicæ Art.* XIV. & gratis denique in adversum adducta *Sabbati* Institutione, quam ad Quietem Dei ab opere Restitutionis respexisse, merum est somnium. *Diei* vero *Septimi* Quies & Benedictio omnino obstat sententiæ illorum ex *Scholasticis*, qui hunc *Lapsui* assignarunt.

[4] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* II. [5] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* VII.

XVII. Gravissimum scelus gravissima secuta est *Maledictio*, Parentibus & Posteris Naturalibus communis plane, cujus indicia plura sunt in Mosis textu. 1. *Agnitio* scilicet pudibunda *Nuditatis* v. 7. quæ Ficulnea, ob folii latitudinem & præsentiam, Perizomata quærere jussit [1], & ad Vestimenta confugere docet etiamnum non plane judicio Dei excæcatos homines, quales *Adamiani* veteres, & *Anabaptistæ* quidam superioris ævi. 2. *Terror Hominis*, in Adamo mox juxta Evam *Deum*, sive in vehementi tonitru, sive in voce molliori, *auditum fugiente*, *metum* post citationem declarante, & *culpam* quantum pote *declinante*; [2] quæ in Posteris hodieque cerni possunt, Fidelibus non plane exclusis. 3. *Sententiæ Divinæ Denunciatio.* α Adversus *Serpentem* v. 14. 15. [3] A quo ut Primo mali Autore, & quidem absque Interrogatione prævia, cum excusationem nullam haberet, initium fit; qui hic *Utroque Versu* plane ut in Tentatione notat, tum *Animal*, magis nunc in Ventrem dejectum, verè Inimicum Homini active & passive factum, inimicitiâ etiam Admorsione & Conculcatione utrinque demonstrata, tum *Diabolum*, supra homines mundanos Maledictum, gloria & cœlesti mansione devicti hostis instar orbandum, ac plane non obstante contrario conatu subigendum; qui denique in tristi hac sorte cum *Ipsius Semine* jungitur, notante & Angelos ejus, & Malos omnes Homines *Matt.* III. 7.

Transgressionis pessimi Fructus. Agnitio Nuditatis. Terror Conscientiæ. Sententiæ Denunciatio in Serpentem. In Mulierem. Et in Virum. Sententiæ tandem inchoata Exsecutio.

Joh.

Joh. VIII. 44. 1. *Joh.* III. 8. *&c.* imo cui oppositum Mulieris Semen in bello gravi calcisque admorsione haud exiguis malis destinatur. β Adversus *Mulierem* v. 16.[4] Quæ subjicitur; tum *Multiplicatis*, h. e. non adauctis, sed multis redditis & magnis, *Doloribus* Gestationis & Partus, quales in Integritate nulli plane obtinuissent, ne felicitas præsens ullo modo interrumperetur, tum *Dominio Viri*, quod gemina phrasi innuitur, prout id *molestum*, hinc animi reluctatione, inde severitate ac vi majori, erat futurum, cæteroquin & ex Creatione repetitum 1 *Cor.* XI. 9. 1 *Tim.* II. 13. γ Adversus *Virum*, repræsentantem præcipue hunc *Sexum*, sed simul *Totum Genus*.[5] Cui impositus *Ærumnosus* & *Molestus Terræ* præter Paradisum reliquæ *Cultus*, ex ejus Maledictione, & Tribulis majori numero nec loco suo natis, & visæ servandæ necessitate proventurus; & secutura tandem *Mors*, per modum non *Termini* malorum, sicut vellent *Sociniani*, minus *Promissionis*, de Reditu ad Terram Paradisi unde captivus abductus erat, sicut alii ludicrè plane fingunt, sed *Pœnæ* ex peccato secuturæ. 4. *Sententiæ* inchoata *Exsecutio* v. 22. 23. 24. Dum α Deus, quasi Trinitatis colloquium instituens, per *Ironiam* dissimilitudinem hominis à se maximam monstrat,[6] non autem, secundum *Recentiores* glossas, Similitudinem cum Filio, per fidem in Ignominia & Gloria conspecto, vel etiam Capite Fidelium futuro, laudat. β Ab *Arbore Vitæ & Paradiso* Hominem expellit,[7] ut hujus incolatu, & contrectatione illius, indignum, forte ex prava opinione quærendæ; non autem ad miseriam vitæ hujus per fructus, immortalitatem verè collaturi, impeditum usum abrumpendam gratiose. γ *Cherubim*, seu Angelos, in introitu Paradisi *cum Flamma Gladii vibrantis se* constituit, ad hominem arcendum,[8] sive species hominis cum gladio visibili adfuerit, sicuti *Num.* XXII. 22. 23. *Jos.* V. 13. 1 *Chron.* XXI. 16. sive potius ministerio Angelorum Flamma ex terra acuminata eruperit, quæ Iræ Dei adversus Peccatorem aptum fuit symbolum. Unde forte orta fabula de *Dracone* Aurea Mala custodiente.

[1] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* VIII. [2] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* IX. [3] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* II. *&c.* [4] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* XI. [5] *Cap.* XII. [6] *Cap.* XIII. [7] *Cap.* XIV. [8] *Cap.* XV.

XVIII. Est verò in hoc Dei Opere & Sermone præmisso multi-

-tiplex simul demonstratio; tum *Divinæ Longanimitatis*, cum Jus Mortis inferendæ non mox rigidissimè exsecutus, sed vitam liberosque pollicitus est; tum *Gratiæ* verè *Salutaris*, cum hominem à se fugientem quæsivit, confessionem delicti ex ipsius ore expetiit, ex *Pellibus*, ut videtur juxta dicta *Cap. XI.* §. *XVIII. Victimarum* Tunicas dedit, [2] & denique satis luculenter *Euangelii Summam* proposuit. [3] Promisso, α *Mulieri Semine*, quod ad Serpentem non pertineret, notatque Fideles cum Capite Christo; β Semini huic *Inimicitiâ* futurâ, per Dei consilium & manum, cum Serpente, quod Vocationem & Sanctificationem fidelium liquido notat *Joh.* xv. 19. *Rom.* vii. 15. *Psal.* cxxxix. 21. *&c.* γ *Vincendo Satana* & subigendo prorsus à Christo, & per hujus virtutem à Fidelibus, *Hebr.* ii. 14. 1 *Joh.* iii. 8. *Rom.* xvi. 20. *Apoc.* xii. 7. 8. *&c.* quamquam & his & maximè illi ut Sponsori Mors, Admorsione Calcanei significata, obventura foret. Quo modo ex simplici Scripturarum collatione quicquid *Corporalia* omnia fingentes *Sociniani* & *Mennonitæ* se opponant, verè hic reperimus PROTEUANGELIUM; si probabilibus conjecturis, qualem Viri Docti etiam ex *Hebr.* ix. 16. 18. quandoque repetunt, sit locus, *Sacrificiis* mox confirmatum.

In hac omni re Longanimitatem & Gratiam suam simul Deus probavit. Præcipue in Pœna Serpentis, quæ ProtEuangelium continet.

[1] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* X. [2] *Lib.* IV. *Cap.* VII. [3] *Lib.* IV. *Cap.* II. *&c.*

XIX. Unde porrò creditur piè, vi hujus *Prot-Euangelii*, *Fide accepti*, non tantum Habelem, Sethum, Henochum, ac reliquos Fideles, sed ipsam quoque *Evam & Adamum*, qui ut peccati & mortis autor in illo non nominatur expresse, *Maledictioni* & æternæ & formali omni *fuisse subtractos*; [4] ducente illuc, α Divinæ Prædicationis maximâ vi, β Inimicitiâ cum Serpente Evæ ipsi palam adscripta, γ Posterorum pia & fideli Educatione, δ maxima Divinæ Gloriæ laude, ε & Christianorum Judæorumque Traditione pari, per fabulas varias corrupta: nec obstante magis Pauli *Hebr.* xi. qui ex Mose factis illustres magis fideles recensuit tantum, quam Mosis ipsius, ob historiæ brevitatem, silentio. Nolimus interim fidere hic quemquam argumentis plurimis, quæ pro Fide & Salute Adami contra *Tatianum* adduxerunt *Veteres*; ex autoritate loci *Sap.* x. 1. 2. ex Maledictionis voce circa Hominem non perinde ut Serpentem à Deo adhibita, ex Perizomatis ficulneis ut Pœnitentiæ Signo, ex Ove Centesi-

Cujus Proteuangelii Fide Patres sunt salvati. Quorum tamen Fides & Salus variis argmentis minus solidis solet probari. Inter quæ est nomen Kajin, ab Eva filio datum.

ma in Euangelio Adamum notante, ex Gloriatione justa Diaboli alias non tollenda, ab Adamo Sepulto in loco Crucifixi Christi, unde sanguis humectans deciderit, &c. Uti levior etiam nobis videtur rei hujus probatio, à *Recentioribus* adducta, ex Adamica ὀνομαθεσίᾳ *Evæ*, de qua *Cap. XIII.* §. *VI.* actum est, successivaque liberorum, *Habel*, *Seth*, & maxime *Kajin*, quasi hoc Filio isti suo dans credidisset *Eva*, se jam in eo *accepisse Virum Jehovah*, uti post *Jonathanem* rem intellexerunt varii [5], moti, α tum lusibus *Cabbalisticis* in literis nominis hujus, β tum ordinario usu particulæ את / γ tum emphasi vocis איש / δ tum maximo Matris Gaudio. Sed ista omnia imbecillia sunt, particulâ את / ex contextus & locorum aliorum analogia à Doctissimis Viris rectè exposita per *cum*, *ab*, *per*, *&c. coll. Mich.* III. 8. *&c.* & gaudio hoc ex Prolis, ac Masculæ quidem, Nativitate orto. Quin & obstat expositioni huic; α nullam explicitam *Jehovah* mentionem in Prot-Euangelio factam; β idem nomen nomini *Kaini* non esse insitum, quod ex hac explicatione foret necessarium; γ Nativitatem Messiæ *ex Virgine* æquè quam ejus Deitatem potuisse dicam an debuisse Evæ constare; δ *Idololatriæ* sic turpis, si adoraverint Filium, *Impietatis*, si idem neglexerint, maculam inuri Evæ & Adamo. Quod postremum movit Viros quosdam Doctos, ut vel *Acceptionem* per fidem heic præter rem repererint, vel non Messiam sed ejus Certum *Pignus* credidisse Evam in Kaino velint; quo pacto, α & phrasis enervatur adhibita, β & Infidelitas aliqua in præterito Evæ tribui temere videtur, γ & Pignus Messiæ ab Eva creditum statuitur, quod neque tale erat ex Dei revelatione, neque per morum similium præfigurationem, neque per Messiæ ex illo futurum ortum.

[4] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* X. [5] *Lib.* IV. *Cap.* IX.

A Peccato Primo omne aliud oritur. Et ante alia Originale, cujus nomina exponuntur.

XX. Ad Peccati tractationem revertimur, & illius quidem, quod *à Primo*, hactenus exposito, *Ortum* appellatur, iterumque vel *Originale*, vel *Actuale*, dici solet. Illud *Originale* audit; α quod à Mundi, β & Nativitatis nostræ Origine ortum trahat, γ & Fons ac Fomes sit Actualium omnium. *Hebræis* est יצר הרע / *Concupiscentia Mala*, cui Septem in Scripturis dari Nomina ipsi volunt, quamque à Conceptione derivant: in Scriptura vel ἐξόχως *Peccatum*, vel cum ἐπεξηγήσει *Peccatum Inhabitans*, *Adjacens*, vel metonymicè *Caro*, *Corpus Peccati*, *Membra Terrestria*, *Vetus Ho-*

Homo, vel metaphoricè *Lex Membrorum*, *Peccati*, vel propriè magis *Concupiſcentia*: tandem apud Patres, *Mali Tradux*, *Malum Domeſticum*, *Naturæ Vitium*, *Infuſum Contagium*, *Fomes*, &c. Extenditur vero *Peccati Originalis* nomen quandoque ad *Imputationem Peccati Adamici*, quæ Vitii Nativi eſt fundamentum, unde idem in *Imputatum* & *Inhærens* tum ſive dividitur ſive diſtinguitur; quandoque & optime ad *Vitium* reſtringitur.

XXI. Hujus verò *Exiſtentiam* cum negent omnino, poſt *Pelagianos* veteres, *Judæi*, & *Pontificii* quidam, *Sociniani*, *Anabaptiſtæ*, nec obſcurè *Remonſtrantes*; prò ea pugnamus. 1. *Locis* apertis *Job.* XIV. 4.[1] ubi *Hyperbole* gratis fingitur, *Pſal.* LI. 7.[2] ubi iterum nulla eſt *Hyperbole* neceſſaria, & *Sua*, non Parentum, *Peccata* confitetur David, præ ſanctis multis utique excellens, *Jeſ.* XLVIII. 8. ubi phraſi duplici diſtincta Originale & Actuale Peccatum egregiè exprimitur, *Job.* III. 3. 6.[3] *Eph.* II. 3. &c. Ad quæ ſolet quoque referri *Imago Adami*, ex *Gen.* V. 3.[4] *coll.* I. *Cor.* XV. 49. aliis hic *Bonitatem*, vel ſimpliciter *Naturam* quoque, intelligentibus. 2. *Actuali Malitia*, ſe exſerente in omnibus, etiam primâ mox ætate, cum Imitationi locus adhuc non eſt aptus, juxta Experientiam & Scripturam, *Job.* XV. 16. *Pſal.* XIV. 2. 3. *Prov.* XXII. 15. *Gen.* VI. 5.[5] VIII. 21. ubi dicitur *Figmentum* ipſum *Cordis Malum*, *Tantummodo*, *Omne*, *Omni Die*, מנעריו / *à prima Pueritia*, vel *Infantia*, *coll. Exod.* II. 6. *Ezech.* XVI. 22. &c. atque idem ſic priori loco eſt Ratio Pœnæ omnibus immiſſæ, ut poſteriori non ſit Ratio Gratiæ, ſed res Deum ad Pœnam non iterum permotura. 3. *Conſequentibus* Corruptionem, tum *Malis* Communibus, tum Circumciſionis & Baptiſmi *Sacramentis*, quæ ad Infantes primum natos omnia extenduntur. 4. Addimus Gentilium communem de *Peccandi* ac *Errandi Neceſſitate* ſententiam, ſive eam *Ingenitam* cum plurimis dicant, ſive aliundè eam cum *Stoicis* poſt Nativitatem derivent. Nec quidquam ferè movetur in contrarium; niſi α humanæ Libertatis Integritas, quam Indifferentiam inferre peſſimè ſemper ſupponitur; β aut Difficilis ejus cum noſtro ex Deo Ortu Conciliatio, quæ conſiderato juſto Dei Judicio facilis evadit; γ aut Vitii omnis facilior ex Imitatione Derivatio, quæ tamen nec in omni ætate nec in omni malo locum habet, & Pronitatem in malum, qualis ab homine integro longe abfuit, ſemper ſupponit.

Quodque vere dari, contra Pelagianos demonſtratur.

 [1] *Exerc.*

[1] *Exerc. Text.* XIX. P. V. [2] *Exerc. Text.* XXI. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [4] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [5] *Ibid.*

Peccati Originalis Definitio.

XXII. Definimus porrò hoc; *Peccatum, quo Homines omnes, naturaliter ex Adamo progeniti, ob imputatam ejus Transgressionem, inde à Nativitate, Originali Integritate destituti ac ad Malum oppositum Proni sunt, Divinæ consequenter Maledictioni subjecti, nec nisi per Christi sanguinem & Spiritum, & in ipsa morte quidem demum plene, liberandi ab eo.*

Est illud vere Peccatum, non tantum ejus Effectum & Causa.

XXIII. Supponimus, innatum hoc Vitium esse *Peccatum* veri nominis, nec tantum *Originaliter* & *Effective* id sic dici, uti volunt *Pontificii*, & in phrasi ex *Nostris* quidam videntur consentire. Etenim α adversatur Legi, quæ decentem Integritatem Totius Hominis quâ ipse sit ad gloriam Dei exigit; β Mali ejus Fructus radicis eandem naturam arguunt; γ & *Concupiscentiam* Paulus expresse *Peccatum* dixit *Rom.* VII. 7. Impugnatur verò hæc sententia infeliciter; α ex *Peccati* à Concupiscentia ut *Morbo* distinctione *Jac.* I. 15. cum Peccatum ibi & tum semper notetur Actuale, nec Morbus Animi Culpa vacet; β ex Nulla Lege Vitium Nativum interdicente, quod tamen implicitè tota agit Lex, & satis explicitè Decimum Præceptum; γ ex excusatis à Peccato, præter Cæcum Natum *Joh.* IX. 3. Infantibus, promiscuè *innocentibus* dictis *Psal.* CVI. 38. & sic descriptis *Rom.* IX. 11. quin & quibusdam *sanctis* pronunciatis I *Cor.* VII. 14. cum primum ad Peccatum aliquod Gravius, secundum ad Innocentiam Comparatam & relatam ad Oblationem turpem, tertium ad Peccata Actualia spectet, quartum tandem epitheton ad Externam & Fœderalem Sanctitatem debeat restringi, nec latius extensum Peccatum omne excludat, dum Sanctitas & Peccatum in Fidelibus ipsis junguntur; δ ex Voluntatis Consensu in Naturali hoc Vitio non reperto, qui neque requiritur necessario, neque plane abest, sive ad Peccatum Adami hujus causam ascendamus, sive consequentem hominis ipsius Approbationem spectemus.

Non est ergo Substantia, aut Positivi aliquid.

XXIV. Unde, ut ad Peccati hujus *specialem Naturam* transeamus, mox monstrosa concidit *Flacii Illirici* sententia, qui post *Manichæos*, sed ex alia Corruptionis fortius adstruendæ sc. occasione, ursit illud esse aliquid in homine *Substantiale*; contra α generalem hinc Peccati, β atque illinc omnis omninò Substantiæ Bonæ ac a Deo ortæ, γ & specialem etiam Naturæ Humanæ,

manæ, ut à Christo assumptæ, constitutionem. Parum sanè adjutus, α tum *Nominibus Substantialibus*, supra recitatis, quæ *Metonymica* vel *Metaphorica* sunt; β tum *Naturæ & Cordis* ipsius vitiatione *Ezech.* XXXVI. 26. *Matt.* XV. 19. *&c.* quæ Naturam tamen in Vitium non mutat; γ tum *Imagine Dei* in natura humana quoque reperta, quæ ultra Justitiam Originalem se extendit, adeoque per omnia non opponitur contrarie Peccato Originali; δ tum *Peccatis Actualibus*, quæ sic respectu Defectus à Corruptione proveniunt, ut Effectus sit à Natura, nec in se malus; ut alia leviora mittam. Iisdem porrò ex fundamentis rejicitur jure inepta prorsus opinio, quae Peccatum hoc statuit *Physice Positivam* aliquam *Qualitatem* esse.

XXV. Utique, cum Peccati omnis in abstracto Natura in *Privatione* consistat, alia hujus nequit esse ratio; quamquam Privatio hæc non minus quam in morbo & cæcitate Pravam Dispositionem inferens, rectè non tantum *negativè* per Carentiam Integritatis Originalis, sed & *positivè* per Inclinationem & Habitualem mali Concupiscentiam explicetur. Uti vulgò contra *Pontificios* plurimos Nostri disputant, secuti, α Scripturæ phrasin geminam, β Vitii Habitualis contra Virtutem oppositionem contrariam, γ & Experientiam ipsam; concedentes simul hic *Positivum* aliquod *Logicum* ac *Ethicum*, & positivam *Physicè* animi dispositionem, cui Privatio insit. Sic ut dicendum sit, Originale hoc Vitium consistere formaliter in *Naturæ Defectione à Primæva Integritate*, sive ejus *Corruptione*, uti cum Scriptura, nequaquam tamen sensu corporali, loquuntur Theologi; per quam α *Sapientia & Sanctitate* vera, qualis neutiquam mundana scientia & honestas est, multum licet & hæc imminuta sit, destituti sunt homines, β in oppositam verò *Falsitatem & Malitiam* proni. Confer *Rom.* VIII. 7. *Eph.* IV. 18. *Gen.* VI. 5. *Prov.* VI. 14. *&c.*

Sed Privatio debitæ Rectitudinis, quæ Oppositam in Vitium Pronitatem infert.

XXVI. Adeò *Totalis* hæc est *Privatio*, & *Naturalis* modò *Habitus* contrarius, ut *Vires Emergendi* Homo simul *amiserit omnes*; uti α *Impotens*, non imbecillis tantum, expressè dicitur *Rom.* V. 6. VIII. 7. 2 *Cor.* III. 5. *Joh.* XV. 5. *&c.* β *Similitudinibus* pluribus id ostenditur *Jer.* XIII. 23. *Ezech.* XVI. 6. XXXVI. 26. *Matt.* VII. 18. *Joh.* VIII. 34. *Rom.* VI. 17. *Eph.* II. 1. 10. *&c.* atque γ Gloria Divinæ *Gratiæ* omne Bonum in homine operantis id supponit, *coll. Joh.* VI. 44. 1 *Cor.* IV. 3. XV. 10. *Phil.* II. 13. *Col.* I. 13.

Privatio hæc adeo Totalis est, ut Propriis Viribus emergere homo nequeat. Ubi Refutantur Argumenta pro Viribus ad Bonum Spirituale adduci solita.

I. 13. *&c.* quem ad modum in Bonis omnibus id singulatim suis locis demonstramus, atque Preces ob Dei gratiam idem quoque declarant. Atque sic *Arbitrium* hominis, *in genere Entis* suaque *Natura Liberum*, evadit *in genere Moris*, & ratione *Objecti*, *Servum*. Quod contra teterrimi illius idoli defensores *Pelagianos* & *Semi-Pelagianos*, tum *Veteres*, tum *Recentes*, puta *Socinianos*, *Pontificios* plures, *Remonstrantes*, *Mennonitas*, (qui omnes variè tamen venenum occultant, & magnificè saepe *Gratiam* prædicant, per eam intelligentes, vel Naturales Facultates, vel communem Dei Concursum, vel Beneficentiam Externam, vel Verbum Euangelii,) sola purè tenet Ecclesia nostra. Parum territa Adversariorum argumentis, quæ petuntur. 1. Ex *Libertate* & Natura adhuc *Integra*, proposita *Gen.* IV. 7. [1] *Sirach.* XV. 15. & supposita in *Electione* sæpius data *Deut.* XXX. 15. 19. [2] *Jos.* XXIV. 14. 15. Cum α *Libertas* non consistat in Indifferentia, uti sæpe monuimus; β *Natura* neutiquam illæsa sit, aut Vires integras habeat, etiam si Partes Hominis constitutivæ adhuc adsint, perinde ut in Sene debilitato Membra supersunt, viribus fractis; γ loco *Mosis* adducto non Peccatum, sed Habel dominio Caini subjiciatur; δ alter locus *Apocryphus* de Creationis Tempore agat; ε *Electio* denique Libera citatis textibus tribuatur non quibusvis, sed Israeli, nec quicquam supra Volendi Alterutrum, non tamen utrumque, Facultatem inferat. 2. Ex præscriptis *Officiis*, atque *Querelis* Dei propter eorum neglectum, *Matt.* XI. 28. XIX. 17. XXII. 37. *Joh.* V. 40. &c. Cum α Mandata Dei nitantur Viribus olim datis, ac flagitiose perditis, proponanturque vel Regenitis aut Regenerandis, ut sint Media ad Bonum per Spiritus vim ducentia, quale fuit Vox Christi ad Lazarum in ejus suscitatione, vel Reprobis, ad Convictionem majorem; β meritò autem Conqueratur Deus, cum Impotentia ipsa sit Voluntaria, nolintque illa etiam externè Bona homines quæ possent. 3. Ex *Bono* tributo, tum *Piis*, qui *convertere se* dicuntur, & *bonum operari*, *Act.* XI. 21. *Rom.* II. 10. *&c.* tum *Irregenitis*, exemplo *Gentilium Rom.* II. 14. 15. quorum etiam Virtutes quædam adeo sunt celebres, & *Rahabæ*, *Cornelii*, *Pauli* ipsius ante Gratiam *Rom.* VII. 14. 15. 16. 18. 19. &c. Cum α Pii Bonum operentur per Dei Gratiam internam; β Irregeniti non nisi quædam externè respectu Operis talia, neutiquam autem vere Spiritualiter Bona; γ nec his sint accensendi Rahab fidelis,

fidelis, Cornelius Deum timens, & Paulus per Christum liberatus serviensque in Spiritu Lege Dei. 4. Denique ex *Absurdis*; *Tyrannidis & Injustitiæ* Deo cæteroquin adscribendæ; *Excusabilitatis* vero *& Impietatis* apud Homines inducendæ. Cum α Voluntarium Scelus Hominis primi, qui *obediendi* adeoque etiam *credendi vires* à Deo acceperat, licet Euangelium ob perfectum ejus statum tum non fuerit revelatum, Deo Jus imperandi, non magis quam ebrietas servi Domino ejus, auferat; β Gratiam novam nemini, minus omnibus, Deus dare teneatur; γ Excusatio Hominis ob primum Fœdus violatum nulla foret, si mox damnaretur, magis itaque auferatur, per Officium gratiose adhuc declaratum; δ id denique non ad Impietatem, sed ad veram Humilitatem, Gratiæque Divinæ sedulam observationem, hominem potenter incitet.

[1] *Exerc. Text.* I. P. III. [2] *Comm. in Loc.*

XXVII. Extendit se hæc Corruptio *ad Hominem Totum*; τὸ νοητικὸν simul & τὸ αἰσθητικὸν, ad quod temerè quandoque à *Pontificiis* restringitur, ob *Carnem* sæpius hic *Spiritui* oppositam, ubi Spiritus non Animam sed Gratiam spiritualem notat. Est itaque, α *Corpus* hic fœdatum *Rom.* VI. 19. VII. 23. 2 *Cor.* VII. 1. *&c.* β & simul *Anima* maculata, non tantum *Voluntatis*, sed & *Intellectus* ratione. Quod postremum facilè arguitur; α tum ex *Tenebris & Cæcitate* mentis, asserta *Matt.* XVI. 17. 1. *Cor.* II. 14. *Eph.* IV. 18. V. 8. *&c.* & per experientiam probata; β tum ex *Illuminatione Spiritus* necessaria, non solum externa sed & interna, *Psal.* CXIX. 18. 2 *Cor.* IV. 6. *Eph.* I. 18. *&c.* Quæ eadem argumenta docent, *Corruptionem* hanc quoque esse *Insuperabilem Homini*, quem ad modum se res habet in Cæcitate Nativa; nulla alias Dei Operatione futura necessaria, unde & *non posse hominem ψυχικὸν cognoscere* spiritualia, Paulus optimè monuit 1 *Cor.* II. 14.

Corruptio hæc Totum inficit Hominem. Etiam Intellectum ejus.

XXVIII. E diametro cum hac sancta doctrina pugnare putamus *Philosophemata* recentiora, antiquis *Gentilium*, qui de *Cæcitate Intellectus in Divinis* magnoperè conquesti sunt, longe pejora; de *Nullo in Intellectu Errore*, qui si vel solam dicat *Perceptionem*, Judicio, uti male fit ab illis, ad Voluntatem relato, non semper utique rem omnem attingit uti est, ac eatenus errat, si ad Veritatem connexionum respiciamus, non magis Errore, quam Veri-

Quod contra varia Philosophemata hodierna probe teneri debet.

Veritate, hinc removendo; β de *Veris Omnibus quæ Clarè & Distinctè Percepta*, dum Perceptio Simplex cum Veritate Connexionis non habet immediatum nexum, Species rei Falsa vividissimè nos afficere potest, adeoque omnis Perceptionis & Judicii consequentis Veritas non ab Intellectus nostri Claritate, sed ab ejus Convenientia cum Re ipsa, ut Norma repeti debet; γ de *Potestate Cavendi ab Omni Errore*, quae lubrico & verè *Pelagiano* fundamento inædificatur, *nos non cogi ad judicandum*, quasi à Judicio non tantum solo Error esset, sed omnia illa vitare possemus ad quæ non cogimur, utique sic etiam agnoscendâ in nobis Potestate Cavendi à Peccatis, cum ad hæc volenda perinde non cogamur; δ de *Potestate* naturali, uti alii se explicant, *Dignoscendi omne Verum & Falsum*, ubi id saltem homini externè patefit, (quod tamen ex doctrina de *Ideis* forte videri possit minus necessarium,) quam miramur Theologos Nostros quosdam ausos esse probare non modò ex Paulo, disserente de *Manifestatione Veritatis ad Omnem Conscientiam* 2 *Cor*. IV. 2. ubi mox tamen ille multorum *Cæcitatem* aliorumque Cœleste *Lumen* addit, verum quoque confirmare Argumentis antiquis *Pelagianis*, de Deo cæteroquin Injusto & Homine Excusabili futuro, quæ dudum publicè explosa sunt.

Inprimis contra inculcatam pessime absolutam Conscientiæ Infallibilitatem; quæ quo usque Infallibilis sit, simul monstratur.

XXIX. Neque videmus probari & urgeri posse hodiernam multorum de *Conscientia* phrasin, per quam illa in statu Lapsus præsenti, absque ulla restrictione, *Fallere & Falli Nescia* audit, ridenturque qui more solito etiam aliud agentes *Conscientiæ Errantis* meminerunt. Uti enim non gravatè concedunt omnes, α Conscientiam in κοιναῖς ἐννοίαις, menti à Deo inscriptis, atque Veritatibus duce Spiritu ex Scriptura haustis, β in Notitia item suarum Actionum Præsentium cum recte attendit, γ hinc in Conclusione secundum has Præmissas rite facta, non errare: ita generalem & absolutam Conscientiæ Infallibilitatem satis refutat, α Scriptura, cum *Cordis Fallacis*, & *Conscientiæ Idoli*, *Cauteriatæ*, *Pollutæ*, meminit *Jer*. XVII. 9. 1 *Cor*. VIII. 7. 1 *Tim*. IV. 2. *Tit*. I. 15. β ac clarissimè Experientia, in tribus Actibus modò recensitis, quorum nullus est absque omni Judicio. Dum pro Veris & Decentibus sæpe habentur quæ minimè sunt talia, *coll*. *Joh*. XVI. 2. *Rom*. I. 28. 2 *Thess*. II. 11. 1 *Tim*. I. 13. *&c*. Homo item non solum circa Præterita facta Memoriæ Lapsu errat, sed & in Præsenti minus attendens sibi perperam & falso multa tribuit vel negat; Homi-

Hominis tandem de suo Statu Judicium vanum, & in communi & in spirituali vita, nemo nescit. In his verò omnibus *Conscientiæ* nomen nolle admittere, est usui communi omnium, & ipsius Scripturæ, protervè obluctari, nec usum ullum tandem nisi inanis & frustra quæsitæ λογομαχίας habet. Uti ab altera parte nusquam minor constantia apud hos Viros cernitur, quam in *Conscientiæ Descriptione*; quæ ipsis modo ab omni Judicio est diversissima, modo reflexam Actionum nostrarum Notitiam unicè notat, modo nescio quod Lumen quo de Veritate rerum omnium certissimè sumus persuasi dicit, modò ab Actibus vulgo illi tributis describitur. Levia autem sunt, quæ prò ejus Infallibilitate Absoluta adducuntur Argumenta. 1. A Nomine, tum *Lampadis Domini Prov.* xx. 27. quod non Conscientiæ sed Animæ datur, nec omnem Obscuritatem aut Obscurationem excludit: tum *Lucis Omnia Arguentis Eph.* v. 13. quæ Gratiam Spiritus in Verbo & sancta Conversatione elucescentem notat; tum *Conscientiæ Dei* 1 *Petr.* II. 19. quæ hoc ipso epitheto ad veram Dei Causam restringitur; tum etiam *Conscientiæ*, quæ Sciendi Facultatem vel Scientiam quidem, non autem mox Veram Imaginariâ exclusâ notat, nisi omnem Humanam Scientiam, Intellectum, Judicium, Rationem, & in primis Memoriam (quæ planè eadem est cum Conscientia Præteritorum,) similiter Infallibilem velimus dicere. 2. Ab *Origine Conscientiæ Divina*; quæ Animæ toti competit, neque de Actuali Scientia sic asseri potest, ut nulla Hominis Corrupti Actio intercedat. 3. Ab *Officio dirigendi, testandi, judicandi, nomine Dei*; cui utique Conscientiam variè deesse posse, quotidiè liquet. 4. Denique ab *Infallibilitate in Casibus variis* supra recensitis, quæ Omnimodam Infallibilitatem sic inferat, ut cæteroquin de nulla re certi esse possimus. Quasi non Homo ipse, illiusque tum Memoria tum & Externi Sensus omnes qui heic maxime spectandi sunt, Fallibiles & Infallibiles variis in Casibus forent; atque hi non melius per Realia & manifesta Criteria, quam per inane *Conscientiæ* nomen, discerni possent. Et magis sane nos ex hypothesi Infallibilis plane Conscientiæ metuendum putamus ab *Enthusiasmo*, quam ex Fallibilitate ejus in multis, neutiquam in omnibus, asserta, à *Scepticismo*, quem hinc multis exemplis quasi totidem argumentis fluere immeritò inculcant.

XXX. Uti ad *Hominem* Totum, ita & *Omnem* diffunditur hoc Peccatum *Job.* XIV. 4. [1] *Joh.* III. 5. 6. [2] *Rom.* III. 10. 11. 12. *&c.* Corruptio Nativa in Omnibus

praeter Christum locum habet. Quod tenendum contra Papistas qui Mariam eximunt.

&c. Uno tamen *Christo* excepto; secundum α locum *Luc.* I. 35. ϐ Sanctitatem intaminatam, omni vita ejus demonstratam *Job.* VIII. 46. *Act.* IV. 27. 30. *Hebr.* IV. 15. γ & Mediatoris nostri requisitum *Hebr.* VII. 26. In cujus gloriæ participationem *Pontificii*, post *Bernardum* per Quinque ferè Secula variis & maximè *Dominicanis* frustra obluctatis, vocant *B. Mariam*, uti præter *Festum* & *Officium Conceptionis* ejus *Bullæ* Pontificum, novissimæ potissimum *Gregorii XV.* & *Alexandri VII.* in favorem *Jesuitarum* & *Franciscanorum*, cum prætextu tamen *Non Factæ Decisionis*, palam docent. Sed adversantur hoc ipso; α extensioni *Corruptionis Universali*, jam memoratæ; β *Saluti Mariæ à Christo* allatæ *Luc.* I. 47. γ *Indiciis Actualibus Nativæ Corruptionis Luc.* I. 34. II. 49. *Joh.* II. 3. 4. *Matt.* XII. 46. 47. 48. quæ per Fidei suæ Articulum pariter ferè *Adversarii* ab illa removent, quo referenda quoque ejus *Sacrificia*, *Preces*, *Calamitates*, & *Mors* ipsa; δ *Ordinariæ* ex Parente Utroque *Nativitati*, quam effictis fabulis temere obscurare student. Nec juvant eos; α vel *Mariæ Elogia* ex *Cant.* I. 15.[1] IV. 7.[2] *Luc.* I. 28. quæ partim ad illam exclusis Fidelibus aliis gratis referuntur, partim ex vi vocis originalis κεχαριτωμένη, non insitam *Gratiæ Plenitudinem*, sed Affectus Divini insignem gradum innuunt, *coll. Eph.* I. 6. *Gen.* VI. 8. *&c.* β vel gloria *Contriti Capitis Satanæ*,[4] quæ originaliter soli Christo sed participativè Fidelibus Omnibus per ejus virtutem competit; γ vel *Honor Christi*, quem in Nativitate ex Peccatoribus elucere magis, in Genealogia ejus Peccatricibus quatuor præ aliis Mulieribus nominatis, satis *Matthæus* docuit; δ vel denique *Immaculata Christi Conceptio*, quæ facta est per virtutem Spiritus extraordinariam, uti suo loco latius patebit, quæque si Mariam eximit à vitio, similiter omnes ejus Parentes & Adamum ipsum eximet.

[1] *Exerc. Text.* XIX. P. V. [2] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* IV. V.

Corruptionis hujus Fons est Adami Culpa, omnibus Imputata. Et Æquissimè quidem.

XXXI. Videnda nunc Corruptionis hujus *Causa*, & connexa *Propagationis Ratio.* Est vero illa *Adami Peccatum*, Posteris *Imputatum*;[5] uti luculenter asseruit Paulus gemino loco I *Cor.* XV. 22. *Rom.* V. 12. . . . . 19. Docet enim; α *Mortem* omnium & omnem *ab Adami Culpa* derivari; ϐ *Peccatum per Unum in Mundum ad Omnes esse ingressum & progressum*; γ *Peccasse Omnes in eo*, uno Adamo, uti optimè redditur in Masculino illud ἐφ' ᾧ, ex collatione

latione scopi, textuum *Marc*. II. 4. *Act*. II. 38. *Heb*. IX. 17. *&c.* & phrasis cæteroquin obscurioris, [6] quamquam redditum in Neutro per *eo quod*, aut *quandoquidem*, argumentum non pereat prorsus, non aliter quam Imputative Peccati actu omnibus adscribendo; δ *Mortem regnasse in Omnes, etiam eos qui ad Similitudinem transgressionis Adami*, h. e. actuali, personali & voluntaria culpa, *non peccarunt*; ε &, ut verbo omnia contraham, sic *Inobedientia Unius* Adami *multos*, vel *omnes*, *constitui Transgressores*, uti fideles imputata Obedientia Christi fiunt justi, Adamo hic *Typum* seu *Imaginem* τȣ̃ μέλλοντος gerente. Liquet amplius ex ipsa *Corruptione* hæc *Imputatio*: cum, quicquid de *Lege Naturali* de Corrupto homine à Corrupto generando differant quidam, talis Deum non deceat nisi ut Judicem. Quin & *Æquitas* ejus facile demonstratur, si consideremus Adamum; α & communem *Omnium* fuisse *Parentem*, dum & alias Deus Jus sibi adscribit patrum peccata in filiis puniendi *Exod*. XX. 5. sæpiusque exercuit idem 1 *Reg*. XIV. 9. 10. XXI. 21. 23. *&c.* quin & variis in casibus Humana Jura idem volunt, non obstante restricta Lege *Deut*. XXIV. 16. ϐ & *Fœderaliter* Omnes repræsentasse, ad quod Singulorum Consensus prævius neutiquam fuit necessarius.

[5] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* XVI. [6] *Exerc. Text.* XLVI. P. IV. [7] *Exerc. Text.* XLII. P. V.

XXXII. Istam verò *Imputationem*, uti nimium urserunt negatâ Corruptione *Pigius* & *Catharinus* Pontificii, confutati propterea à Nostris, ita temerè negant *Pelagiani* omnes veteres & recentes; quorum vestigia nimis arctè legerunt illi ex *Nostris*, [1] qui, cum manifesto abusu phrasios apud antiquiores quosdam Theologos optimo sensu lectæ, *Imputationem Mediatam*, & ad Corruptionem *Consequentem*, introduxerunt, vel etiamnum urgent, quæ revera *Imputationis* nomen non meretur, contra quam ipsi *Pelagiano* more simul disputant. Gratis autem objiciunt. 1. *Dei Justitiam*, quæ Imputationem alieni peccati non admittat, juxta *Gen*. XVIII. 26. *Jer*. XXXI. 29. 30. *Ezech*. XVIII. 4. 20. Cum α Peccatum Adami à nobis prorsus Alienum non sit, secundum ante dicta; ϐ Deus non obstante Justitia sua declaret omnino se Peccata etiam Personalia Parentum aut Concivium in aliis, qui ipsis junguntur, punire; γ hinc apud *Jeremiam* & *Ezechielem* sit Relaxatio quædam gratiosa de strictissimo Dei Jure, ad magis de Bonitate Dei &

Argumenta contra Imputationem istam mota solvuntur.

Nequitia sua propria convincendos Judæos; quamquam alii, sed immeritò, hæc ad *Vet. & Novi Test. discrimen* trahant, sublatamque hic tum *Legem Ceremonialem*, tum *Gentium Exclusionem* à Dei Fœdere. 2. *Actum Transgressionis Singularem* esse; ac dudum ante nos *præteriisse*; ex cujus Imputatione dein sequatur, etiam *Mortem* ejus, *Generationem*, & *Restitutionem nobis* debere *imputari*. Cum α in Actu Singulari Universalis tamen omnium hominum & mandatorum Transgressio fuerit comprehensa; β præterierit Actus, neutiquam Reatus, nobis jam olim quoque existentibus in lumbis Adami; γ alia tandem sit ratio, Actionum Naturalium ac Moralium, Officiorum & Pœnarum, Primi denique Fœderis & Secundi, cujus non Adamus sed Christus Caput est. 3. *Innocentiam Parvulorum*, in quibus nec *Scientia* adest Transgressionis, nec *Consensus* in illam. Cum illa Peccatum Actuale in Propria Persona commissum tantum excludat; Scientia etiam & Consensus adulta ætate consequantur, nec sint in Peccato Actuali prorsus necessaria. Quæ hinc Objectiones non deberent à Nostris repeti.

[1] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* XVI.

Propagatur autem Corruptio per Generationem Naturalem, accedente Dei in creatione animæ actu Judiciali.

XXXIII. Isthac supposità Imputatione, *Propagari* dicimus Corruptionem *per Naturalem Generationem*; præeunte α Scriptura *Job.* XIV. 4. [2] *Psal.* LI. 7. [3] *Ezech.* XVI. 3. *Joh.* III. 6. [4] *Eph.* II. 3. *&c.* atque β docente ratione, Neminem Alteri dare quod ipse non habet, ex Servis nasci Servos, variosque etiam Morbos cum Natura propagari. In qua re dilucide magis explananda licet hæreremus nos, ipsa tamen hinc neganda non foret. Neque confugiendum hic est, α ad *Animæ Traducem*, quo propendere visus est *Augustinus* olim, uti monstravimus *Cap.* XIII. §. XIV. β nec etiam Culpa *Soli Corpori* cum *Scholasticis* variis est imputanda, Animam sibi unitam inficienti, quod illud in Animam Integram planè non posset; γ sed dicendum, Deum ita, per Animæ Creationem, ad Posterorum Adami Generationem concurrere ex optimæ Providentiæ lege, ut tamen illam creans *Judicium* suum *ob Adami Culpam* mox exsequatur in negatâ Rectitudine Primævâ, unde accedente cum Corpore arctissima Unione porro omnis Corruptio tum sua sponte sequitur, uti temperamentum corporis varios animi mores parit. Ex his vero fundamentis liquet, non tantum errare eos, qui cum *Pontificiis* variis à *Solo Patre* repetunt Cor-

Corruptionem, contra dictum *Ps.* LI. 7. & Generationis naturam, licet ab Adamo potius quam ab Eva Reatum & nos derivemus; sed & quo modo ex Parentibus Sanctificatis proveniant Liberi Impuri, dum α Sanctificati Carnem in se reliquam habent ipsi, β Generatio actio est Naturalis, γ Reatus Adami omnibus est communis, δ denique Gratia Sanctificationis veræ est Personalis, quod similitudine Frumenti purgati, semen cum palea proferentis tamen, illustrari solet.

[2] *Exerc. Text.* XIX. P. V. [3] *Exerc. Text.* XXI. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XXXVII. P. IV.

XXXIV. Peccati hujus *Pœna* eadem est, quæ Actualium scelerum, *Mors* scilicet & *Maledictio*; [5] juxta α loca generalia *Rom.* III. 19. VI. 23. *&c.* β specialem Pauli phrasin *Eph.* II. 3. γ læsamque sic per hoc Peccatum Divinam Majestatem, ut omnem læsionem hujus actualem simul pariat. Quamquam interim ejusdem Pœnæ Gradum Majorem ponamus in iis, in quibus Actualia Peccata cum contemptu Divinæ Longanimitatis & Gratiæ accedunt. Id verò negant, *Pelagianam* de Infantibus hypothesin magnoperè secuti, *Papistæ* satis explicitè, quando præter Scripturam fingunt Locum Tertium post hanc vitam, seu *Limbum Infernalem*, in quo *absque Baptismo decedentes Parvuli* solam *Pœnam Damni* ferant; & similiter *Remonstrantes*, in *Pœnam Damni*, & quidem ob *Incredulitatem* infligendam, concedentes, propter Redemptionis Universalis commentum. Nec juvat eos; α dictum *Jacobi Cap.* I. 15. ubi *Peccato Peracto Mortem* adjiciens, hanc ex Concupiscentia sola etiam fluere neutiquam negat; β *Praxis Fori Humani*, in quo non propter Pronitatem ad Vitia, sed ob Actualem Culpam, Pœna Corporalis infligi solet, cum alia Fori Divini latius extensi respectu Legis & Cognitionis Causæ sit ratio; γ *Praxis Ecclesiæ*, quæ nullam Satisfactionem Pœnalem propter Originis Vitium imponat, quod rectè non fit ob Scandali absentiam, hominibus interim ad Humilitatem ac Dolorem ob hanc Corruptionem quoque impellendis, exemplo ipsius Davidis; δ ut leviora alia *à Dei Bonitate*, & nulla *Conscientia Operis Mali*, nulla *sui Glorificatione*, nullo *Charitatis neglectu*, &c. in Infantibus, mittam, quæ Pœnam mitiorem suadent solum. Adeo ut hic ipsa *Morte Christi*, absque Macula omni primum concepti ac nati, (quod nostræ Corruptæ Nativitati meritò opponit *Catechesis Heidelbergensis*,) opus sit ad

Pœna Corruptionis est Mors & Maledictio Æterna. Quod contra Papistas, aliosque, defenditur.

ad Reatum hujus corruptionis auferendum 1 *Joh.* I. 7. *Rom.* VIII. I. *&c.* ficuti Spiritus ipfius opus eft Maculæ inhærentis Ablatio, quod beneficium folis Electis vere contingit, & fic per Baptifmum obfignatur, ut ille tamen nec fit abfolutè neceffarius, nec ex opere operato illud producat.

[s] *Hift. Parad. Lib.* III. *Cap.* XVI.

Durat Corruptio aliquatenus in Fidelibus usque ad Mortem.

XXXV. *Durat* verò hæc Corruptio in Homine ad Mortem ufque; uti docet, *α Caro*, femper hic adjacens, concupifcens, & fubigenda à perfectiffimis *Rom.* VII. 17. 18. 19. 23. *Gal.* V. 17. *&c.* β *Gratiæ Imperfectio* 1 *Cor.* XIII. 9. γ Plenæque *Sanctificationis cum Morte Nexus Rom.* VI. 7. VII. 24. *Hebr.* XII. 23. Ita tamen ut *Dominium* ejus *in Vocatione* ceffet, & quotidie magis Peccatum hoc fuperetur *Rom.* VI. 17. VIII. II. [t] Quod tenendum eft contra errorem *Pontificiorum*, qui *per Baptifmum Peccatum Originis* fic *tolli* volunt, ut poft illum nulla reliqua fit Depravatio aut Concupifcentia, *quæ ex fe fit Peccatum*; ne *Perfectiftas* alios addam. Gratis autem adducunt hi. 1. Loca *Jac.* I. 15. *Rom.* VII. 17. 18. VIII. I. *&c.* quibus *α Peccatum Externum à Fomite* interno folum diftinguitur; β Paulus *Peccatum* non à fe, nifi refpectu *partis Regenitæ*, & quidem *Actuale*, removet; γ *Condemnatio* denique, non *Condemnabilitas*, fidelibus denegatur. 2. *Baptifmi* in Peccato auferendo *Efficaciam*; quæ tota confiftit in Obfignatione Ablati Reatus, & Auferendæ paulatim Maculæ. 3. Rationes; à *Concupifcentia* à Peccato *diftinguenda*, in Hominis *poteftate non pofitâ*, & *Pœnali* in homine, à *Chrifti Potentia* & Veritate in nobis redimendis, à *Divino Amore*, &c. quæ partim nihil concludunt, partim peffimis hypothefibus nituntur.

[t] *Exerc. Text.* XXXIX. P. I.

Peccati Actualis Nomina & Definitio.

XXXVI. Ad *Peccatum Actuale* progredimur, cum Originali, Scriptura & experientia tefte, junctum; atque fic dictum, non quod *actu exiftat*, id enim Originali commune eft, aut quod *commiffione fola* peccetur, fed *ob Relationem ad Actiones* noftras, à Natura noftra verè diftinctas. Id innuitur in Scriptura variis Nominibus, partim Metaphoricis, *Fructuum Malorum*, *Viæ Pravæ*, &c. partim Propriis magis, *Operum Malorum*, *Diaboli*, *Carnis*, *Tenebrarum*, *Infructiferorum*, *&* *Mortuorum*, *Hebr.* VI. I. IX. 14. quod poftremum minus recte ad Legis Ceremonialis opera quandoque trahitur. Neque intelligitur hic tantum illud, quod

in Actionibus Externis sermoni & cogitationi oppositis reperitur, sed in omni Operatione Hominis Rationali locum habet, rectèque definitur; *Peccatum consistens in Defectione Actionum Rationalium à Divinæ Legis præscripto, ex Originali Naturæ corruptione proveniens, hominemque Mortis gravioris reatui subjiciens.*

XXXVII. Genus hic *Peccati* aut *Defectionis* potius, quam *Actionis*, ponimus; α ne Peccatum Omissionis excludere, β aut substratam Actionem cum ἀνομίᾳ confundere videamur. Præcipua verò hujus differentia, à Subjecto, Causa, & Effectu petitur. *Subjecti* instar considerantur *Actiones Rationales*, quæ tales sunt; α vel *Formaliter*, uti Cogitationes omnes; β vel *Efficienter*, quatenus Rationis ductui subsunt, ut Sermones, Membrorumque nostrorum interni & externi motus plurimi. Istius modi vero *Actiones Rationales* cum in *Infantibus*, sive in utero Conceptis sive recenter Natis, utpote Rationis Usum necdum ex omnium consensu habentibus, non adsint, absolvuntur hi manifestè ab omni *Actuali Peccato*; secundum loca, *Rom.* v. 14. ubi de Infantibus potius quam Gentilibus aliis manifeste agit Apostolus, ac ex Peccato Actuali & Proprio in ipsis nullo Imputationem, non excluso quod hinc fluit Vitio congenito, solidè infert, propter Pœnam Mortis præsentem, & *Rom.* ix. 11. ubi Æqualitatem omnimodam vivorum, necdum tamen natorum, Infantium docet, quod *Nihil* plane *Boni vel Mali* adhuc fecissent; haud torquendo textu hoc, vel ad *Externa Facta*, quæ sola Inæqualitatem non pariunt, vel ad *Malitiam Comparatam*, cum absolute Actualem omnem neget Paulus, & difficilis Æqualitatis foret demonstratio, si Actualis Malitia in illis obtinuisset. Hodie tamen post *Pelagianos* quosdam, ab *Augustino* exsibilatos, & forte pauciores *Lutheranos*, qui omnes gratis à *Pontificiis* hic accusantur, sic volunt Theologi nonnulli *Recentiores*, ob philosophema ineptum & temerarium, de *Animæ Essentia Tota consistente in Cogitatione*, quod explosum *Cap. XIII.* §. *XII.* Conferentes tamen in speciem pro hac opinione; α loca *Gen.* vi. 5. viii. 21. *Ps.* li. 7. *Jes.* xlviii. 8. *Matt.* iii. 7. *Job.* ix. 34. quæ vel *Cogitationes* omnes, ubi scilicet jam adsunt, *malas* esse, non autem eas semper adesse, dicunt, vel ad *Originale Vitium* tantum spectant, vel insignem *Malitiam in Adultis* ponunt, vel *Errorem* non unum *Pharisæorum* exponunt; β & *Carnis Corruptæ Actuositatem*

Est Peccatum hoc etiam Defectio. Cum in Actionibus Rationalibus locum habeat, immunes ab eo sunt teneri Infantes.

tatem perpetuam *Rom.* VII. 23. *Gal.* V. 17. quæ ad Aptam sive Adultam magis hominis Ætatem pertinet, in Pueritia Prima mox ejus Indiciis repertis.

Fons est Originalis Corruptio & Effectus Mors. Nec sunt Culpæ vel Pœnæ respectu Peccata omnia Paria. Sed multipliciter Inæqualia. Non tamen ullum est natura sua Veniale, sed omnia Mortalia Quod contra Papistas tenetur.

XXXVIII. Quoad *Causam* Peccati Actualis, haud notandum discrimen aliud ad *Adami* illo & *Originali Peccato*; nisi quod ab hoc ut *Fonte* illud promanet *Matt.* VII. 18. XV. 19. *Rom.* VII. 17. *Jac.* I. 15. *&c.* & quidem quamdiu Fons ille in homine durat, per Totam sc. Vitam. Uti neque quoad *Effectum*; nisi quod præter *Peccata alia*, quæ ex se mutuo *meritoriè & efficienter* fluunt *Rom.* I. 23. 2 *Tim.* III. 13. *Gen.* IX. 21. XIX 33. *&c.* Pœna *Mortis*, omnibus communiter incumbens, per illud *aggravetur*. Ubi vitandus est duplex scopulus 1. *Stoicismus*, qui *Novatianis*, ac *Jovinianistis*, sed his forte minus rectè, uti & Nobis ipsis quandoque, tribuitur; & juxta quem *Peccata Omnia Paria*, respectu Culpæ & Pœnæ, à Deo inferendæ, sunt. Est autem ille adversus; α locis apertis, quæ Gradus asserunt in Culpa *Matt.* V. 22. VII. 3. XXIII. 24. *Job.* XIX. 11. *&c.* & in Pœna *Matt.* XI. 22. 24. *Luc.* XII. 47. 48. *Rom.* II. 5. 6. *&c.* β atque Naturæ Peccati, quod cum Aberrationem dicat à Regula, majorem & minorem distantiam admittit. Ista verò *Peccati Inæqualitas* provenit; α tum à *Persona Peccante*, ejusque Viribus, Statu, Dignitate; β tum à *Specie Peccati*, commissi contra Primam vel Secundam Tabulam, Principem vel Subditum, Alios vel Nos ipsos, Actu Leviori vel Graviori, &c. γ tum à *Gradu ejus*, consummati vel abrupti; δ tum à *Modo*; ε tum à *Fine*; ς tum à *Circumstantiis Loci & Temporis*, quæ plurimum huc faciunt. Nec efficit tamen eadem, ut unquam *Peccatum Minus* ob levitatem comparatam *Eligere* licitè possimus; cum α maneat intrinseca ejus Gravitas, & Obligatio communis Divinæ Legis, β ac Extenuatio talis Peccati quod levissimum est in se gravissimum reddat, γ nec denique ad Electionem Peccati alicujus quisquam cogi possit. 2. *Papismus*; qui, ob hypothesin de Humanis Satisfactionibus, aliasque connexas, præter *Peccatum Veniale*, ex Causa & Eventu, tale introducit *ex Natura Sua*, sive Veniale id sit *ex suo Genere*, sive *ex Imperfectione Operis*, fluente iterum vel *ex Subreptione*, vel ex *Materiæ Parvitate*, quod adeo hominem *non planè avertat* à Deo, nec ob facilem expiationem *Crimen* vocari possit, nec *Pœnam* mereatur *Æternam*, nec Deum offendat *ad* *ami-*

amicitiæ dissolutionem, cuique opponunt aliud quod sit *Mortale*. Qui error iterum adversus est; α Scripturæ locis, *Mortem* ut *Pœnam* omnis etiam minimi *Peccati* proponentibus *Deut.* XXVII. 26. *Rom.* VI. 23. *Jac.* II. 10. *coll. Matt.* V. 19. *&c.* β & Naturæ Peccati, in quo semper Infinitæ Divinæ Majestatis læsio adest. Nec stabilitur idem; α locis *Matt.* V. 22. *Jac.* I. 15. *Matt.* XII. 36. *Matt.* VII. 3. 1 *Cor.* III. 11. 12. 13.[1] 1 *Joh.* V. 16.[2] *&c.* quæ vel per allusionem ad Judicia & Supplicia Judæorum, quorum gravissimum erat Combustio in Valle Hinnom, varios Æternæ Damnationis Gradus innuunt, vel Mortem non cuidam sed omni Peccato Peracto, non exclusa etiam Concupiscentiâ ipsa, tribuunt, vel justam Damnationem ob Minima per phrasin *dandæ rationis* declarant, vel Gradus Peccatorum tantum inferunt, vel non tam ad Opera mala quam ad Doctrinas tum Veras tum Falsas pertinent, vel ad Eventum per Dei gratiam in Christo respiciunt; β neque Rationibus, ex notatione nominis *Venialis*, quod originem veniæ non determinat, aut à nulla in quibusdam Peccatis à Deo Aversione, quæ prorsus non esse gratis supponitur, aut ex Amicitia Humana non per quævis delicta abrupta, cum alia Dei Legislatoris sanctissimi sit ratio, aut ex quibusdam Peccatis minus Voluntariis, quod non nisi gradum varium Pœnæ inferre potest, &c.

[1] *Exerc. Text.* XLI. P. III. [2] *Exerc. Text.* L. P. III.

XXXIX. Variæ omnino *Actualis Peccati* sunt *Divisiones*; dum α aliud est *Commissionis*, quod contra Interdicta, aliud *Omissionis*, quod contra Præcepta patratur, ac utrumque quidem *Grave* est, ob Dei non tantum in Actionis Modum sed & Actionem ipsam jus, *coll. Matt.* XXV. 42. *Luc.* XII. 47. *&c.* etiam sibi mutuò vulgo *Innexum*, meritò tamen distinguitur, *Gravitate Majori* Peccatis *Commissionis* tribuenda, non propter majorem Interdictorum Obligationem, sed ob majorem heic Voluntatis Intensionem; β aliud *Per Se*, quod Malum est in substantia Operis, aliud *Per Accidens*, Licitum sc. aut Bonum Opus, quod respectu Principii, Finis, & Modi, deficit, uti Gentilium & Hypocritarum Virtutes & Exercitia Pia, quæ respectu Operis ipsius, non Defectus ei adhærentis, probantur & imitanda sunt; γ aliud *Cordis*, Cogitatio sc. omnis, non de malo sed Mala *Matt.* V. 22. 28. XV. 19. aliud *Oris* quod est in Sermone Malo, *Matt.* XII. 36. 37. aliud *Operis*, Externi nempe; δ aliud *Spirituale*, aliud *Carnale*, 2 *Cor.*

Actualis Peccati variæ Divisiones. Inter quas notanda illa inter Regnans & Non Regnans.

VII. I. ε aliud *contra Deum*, aliud *contra Proximum*, aliud *contra Nos*, & in ſpecie *contra Proprium Corpus*, I *Sam.* II. 25. I *Cor.* VI. 18. ς aliud *ex Contumacia*, Superbia, vel Malitia, *Pſal.* XIX. 14 [1]. quod dicitur fieri *elata manu* *Num.* XV. 30. aliud ex *Infirmitate* *Rom.* VII. 15. aliud *ex Ignorantia*, quæ quidem in omni Peccato eſt aliqua, *Hebr.* IX. 7. *coll. Lev.* XVI. 16. ſed tamen ibi magis prævalet, ubi aut eſt *Ignorantia Juris*, aut *Facti*, quæ poſterior ſola, ſi ſit *Inſuperabilis* plane, tantum excuſat à Peccato, reliquâ Ignorantiâ, niſi prorſus affectata ſit, Peccatum quoque minuente I *Tim.* I. 13. ζ aliud *Manifeſtum*, aliud *Occultum*, ſive prorſus Homini ipſi *Pſal.* XIX. 13. [2] ſive Pluribus ſaltem hominibus, ſive his Omnibus; η aliud *Clamans*, ſive ſingularem Dei vindictam expoſcens, *Gen.* IV. 10. XVIII. 20. [3] *Hab.* II. II [4]. *Jac.* V. 4. aliud *Non Clamans*, vel *Tolerantiæ*; ϑ aliud *Regnans* *Pſal.* XIX. 14. [5] cui nullo modo reſiſtunt homines, quodque eſt in omnibus Irregenitis, etiamſi in quibuſdam ſceleribus à Legis Naturalis dictamine retrotrahantur, & ſic aliqua Luctæ in iis inter Rationem & Affectus ſit ſpecies, aliud *Non Regnans*, ſeu *Adjacens*, *Rom.* VI. 12. 14. quod eſt in Fidelibus, reſiſtentibus ſemper per Spiritualem Luctam, vel ante peccatum, vel in eo, vel poſt illud, etiamſi in quibuſdam actibus ad tempus ſæpe ſuccumbant inviti, hactenus & ipſi *venundati* peccato *Rom.* VII. 14. non autem *ſe vendentes*, uti de Achabo legitur I *Reg.* XXI. 20. 25. & de aliis Impiis 2 *Reg.* XVII. 17.

[1] *Exerc. Text.* XX. P. V. [2] *Ibid.* [3] *Exerc. Text.* II. P. VI. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XX. P. V.

Item in Peccatum Remiſſibile & Non Remiſſibile, ſeu in Spiritum S. In quo hoc non conſiſtat. Et quid ſit.

XL. Aliis verò Diviſionibus levioribus quæ forte addi poſſent miſſis, celebris maximè eſt illa, per quam *Peccatum* aliud dicitur *Remiſſibile* per Dei Gratiam in Chriſto, ſeu *Non ad Mortem*, aliud *Irremiſſibile*, ſeu *ad Mortem*, ex ſua ſpecie ſcilicet & in omnibus ſubjectis, juxta loca *Matt.* XII. 31. 32. [1] I *Joh.* V. 16 [2]. Ex quibus junctim, dum ibi *Blaſphemia in Spiritum*, hic *Peccatum ad Mortem* audit, appellari hoc ſolet *Peccatum in Spiritum S.* quod contra hujus dona & œconomicas operationes committatur; licet hæc appellatio ex uſu Scripturæ merito latius quandoque extendatur, tum ad Verbi rejectionem, ex *Act.* VII. 51. tum ad Peccata omnia, in primis Regenitorum, ex *Jeſ.* LXIII. 10. *Eph.* IV. 30. I *Theſſ.* V. 19. In ejus explicatione porrò, quæ

ab

ab ævo jure difficillima judicata est, notandum. 1. Κατ' ἄρσιν, non esse id cum *Remonstrantibus* nonnullis constituendum in *Blasphemia Donorum Extraordinariorum & Operum Spiritus*, qualia ætate Christi & Apostolorum locum habebant; cum α illa absolutè in omnibus Irremissibilis non debeat judicari, β locorum aliorum cum textu *Matthæi* collatio plus requiri doceat, Blasphemiâ ibidem ut Effectu Externi mali nominatâ, γ denique & ad tempora Apostolorum nusquam hoc Peccatum restringatur. 2. Iterum, non esse ejus varias & ex natura rei *Diversas Species* constituendas, uti *Scholastici* nominant hic, ex Patribus, *Præsumptionem Spiritualem*, *Desperationem*, *Oppugnationem Agnitæ Veritatis*, *Invidentiam Fraternæ Gratiæ*, *Obstinationem*, ac *Finalem Impœnitentiam*, & quandoque in una aut altera specie hoc nomine insignienda consentiunt *Nostri*, nisi latius ut supra nomen adhibere placeat: cum α Salvator ut Unam Speciem à reliquis omnibus Peccatum hoc distinguat, β sintque hæc, *Scholasticis* concedentibus, aut Difficulter tantum Remissibilia, aut Irremissibilia consequenter quasi ex Accidenti. 2. Κατὰ θέσιν itaque verius dici illud; *Euangelicæ Veritatis, per interiorem Illuminationem Agnitæ, sive totius, sive alicujus necessariæ, Rejectionem Malitiosam, producentem Blasphemiam, Persecutionem, & Impœnitentiam, hinc planè Irremissibilem.*

[1] *Exerc. Text.* XXXI. P. III. [2] *Exerc. Text.* L. P. III.

XLI. Liquet ex dictis, versari illud circa *Veritatem Euangelii*, vel *totam*, vel *essentialem* aliquam ejus *partem*, unde gradus malitiæ in eo varii fluunt; quod docet α appellatio, dum *Spiritus* hanc Veritatem docet *Joh.* XVI. 13. 14. 2 *Cor.* III. 6. β contextus *Matthæi*, in qua Pharisæorum Incredulitas omnino notatur, γ juxta loca Paulina *Hebr.* VI. 4. 5. 6. [3] X. 26. 29. [4] Quibus iisdem rationibus & locis persuademur, præter Prædicationem externam debere hic adesse *Illuminationem Internam*, non Practicam, sed *Theoreticam*, non Conversivam sed *Convictivam*, quæ α generatim speciale Spiritus opus est 1 *Joh.* V. 6. β Peccatum contra Filium hominis à Peccato contra Spiritum distinguit *Matt.* XII. 32, [5] γ & expresse cum sequenti *Agnitione* memoratur *Hebr.* VI. X. Unde jam judicari potest de Peccato *Angelorum*, *Primo Adami*, *Pauli*, *Judæorum multorum*, *&c.* qui omninò, vel quod contra Euangelium non peccaverint, vel quod Cæci atque Inscii

Ejus Objectum Cognita Euangelii Veritas.

scii fuerint, ab hoc scelere absolvi debent.

[3] *Exerc. Text.* XLVII. P. III. [4] *Exerc. Text.* XLIX. P. III. [5] *Exerc. Text.* XXXI. P. III.

Actus ejusdem Rejectio.

XLII. Actus ipse consistit *in Rejectione*, tum *Interna* mentis, tum *Externa* oris, sive non præcesserit unquam Fidei professio; sive eadem adfuerit, quando *Abnegatio* & *Apostasia* audit; & gravior iterum ob majus scandalum evadit. Unde ab una parte huc non pertinet *Lapsus Salomonis*; & ab altera non videntur posse excusari *Pharisæi*, non quidem omnes sed Multi, licet fidem in Christum nunquam externè fuerint professi.

Fons Malitia.

XLIII. *Principium* tandem Actus hujus est; non *Infirmitas* Carnalis, ex metu mali vel cupidine boni orta, ex qua defecit *Petrus*, & deficiunt Apostatæ plures, quibus plurima pars Eruditorum *Franc. Spiram* quoque annumerat; sed *Malitia* & *Odium* destinatum, quod innuunt phrases heic adhibitæ, *labendi*, *ultrò peccandi*, *conculcandi*, *profanandi*, *contumelia afficiendi &c.* Cui Malitiosæ Rejectioni si quis existimet haud benè convenire cum Illuminatione Interna, propter Voluntatis subjectionem sub Judicium Intellectus; is recolligat modo distinctiones Judicii Theoretici & Practici, Absolutique & Comparati, hic adhiberi solitas, & Judicii Divini efficacem Providentiam in Rationalis Naturæ Corruptione cum humilitate adoret.

Consequens Blasphemia, Impœnitentia, & Irremissibilitas Absoluta.

XLIV. Sic constitutum Peccatum hoc parit odii *Demonstrationem Externam*, sed pro re nata variam; tum Oralem, qualis est in *Blasphemia*; tum Realem, quæ in *Persecutione* conspicitur. Est illud amplius cum *Impœnitentia* per Dei judicium semper junctum, ex *Hebr.* VI. 4. 6. [6] Et porrò absolutè *Irremissibile*, uti contra varios *Veteres*, *Pontificios*, *aliosque*, docet; α repetita Christi sententia; β phrasis addita *Hujus & Futuri Seculi* [7] ex Hebræorum divisione familiari intelligenda; γ oppositio contra reliqua Peccata Remittenda, δ & accedens Johannis autoritas. [8] Cujus Irremissibilitatis *Ratio* suprema est; α *Dei Beneplacitum*, nobis palam declaratum; β altera *Peccati*, Remedium unicum idque Agnitum rejicientis & contumeliose spernentis, *Natura*, *Hebr.* VI. 6. [9] X. 26. 29. [10] γ tertia etiam accedens *Impœnitentia*. Adversus quæ imperitè objici solet; vel Divinæ Gratiæ Immensitas, utique secundum ejus Propositum & convenienter Justitiæ operantis; vel Meriti Christi Infinitus valor, qui solus absque con-

consilio Patris & Filii ad Remissionem non sufficit.

[6] *Exerc. Text.* XLVII. P. III. [7] *Exerc. Text.* XXXI. P. III. [8] *Exerc. Text.* L. P. III. [9] *Exerc. Text.* XLVII. P. III. [10] *Exerc. Text.* XLIX. P. III.

XLV. Corollarium ex dictis consequitur hoc, per Ordinaria Dona ab aliis hominibus *non posse certò dignosci*, *quinam* hujus sceleris *rei* sint; dum & arcana Spiritus Operatio, & Interni Animi motus, alios eo modo latent, *coll. Job.* III. 8.[11] I *Cor.* II. II. Ut locus I *Joh.* v. 16.[12] sicuti & alia *Jac.* v. 14. *&c.* in primis pertineat ad Tempora Apostolica, quibus inter alia plura Donum Extraordinarium *Discretionis Spirituum* vigebat I *Cor.* XII. 10. *Act.* v. 3. 9. nec spectet tam ad Certas Personas cognitas quam generalius ad eam Peccantium speciem, vel saltem sic non tollat Officium Precandi, nisi Peccato hoc benè cognito. Non itaque temerarium hic oportet ferre judicium de quoquam, ne ipso quidem *Juliano Apostata*, qui Gentilium semper Sapientiam præ Christiana videtur amasse: sed potius omnibus nobis cura erit gerenda, ut ab omnibus quidem Peccatis ob turpitudinem ac damnum, sed maxime ab hoc enormi Scelere, tam graviter damnato, nobis caveamus.

Quinam ejus Rei sint, per ordinaria dona certo sciri nequit.

[11] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [12] *Exerc. Text.* L. P. III.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Pœna Peccati Humani Varia.

Peccatum sequitur POENA, ob Veritatem, Justitiam, quin & Sanctitatem Divinam, Conscientiâ singulorum teste. Vocem, licet hanc quidam allusive à *pone*, vel inverso ordine à *puniendo*, aut *pœnitendo*, derivent, dubitari nequit à Græco ποινὴ esse petitam, adeoque ex origine *laborem* & *molestiam* notare. Græci alias dicunt κόλασιν, τιμωρίαν, δίκην, ζημίαν, *&c.* Hebræi, vel latius *Malum Jes.* XLV. 7. *Thren.* III. 38. *Hamos.* III. 6. vel metonymicè *Peccatum Gen.* IV. 13. XIX. 15. *&c. Judicium Jes.* XXVI. 8. 9. *Hebr.* X. 27. *Iram Joh.* III. 36. vel declarative *Maledictionem*, *Vastationem*, *&c.* & frequentissime *Mortem*. Quæ triplex, vel quadruplex, in Scriptura vulgò observatur; α *Temporalis*,

Pœnæ, quæ Peccatum sequitur, Nomina. Inter quæ est Mors. Et Homonymia.

ralis, ad quam *Mala* omnia hujus Vitæ ut ejus initia referri solent, *coll. Exod.* x. 17. 1 *Cor.* xv. 21. 2 *Cor.* xi. 23. *&c.* β *Spiritualis*, consistens in Abalienatione à Deo, quæ hominem simul Inidoneum ad omne Bonum constituit, *Eph.* ii. 1. *Col.* ii. 13. 1 *Tim.* v. 6. γ & *Æterna*, notans hujus complementum post hanc vitam, & *Secunda* dicta *Apoc.* ii. 11. [1] xx. 6. 14. [2] xxi. 8. [3] Ad Homonymiam tandem Pœnæ spectat, quod α vel *strictius* notet Malum à Divina Justitia ut ei satisfiat immissum, β vel *latius* Malum quodcunque illatum, quod *Materiale* Pœnæ dici solet, γ vel *medio sensu* Malum cum Relatione ad Peccatum, ob quod infligitur, sive ut pro eo satisfiat, sive non.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Ibid.* [3] *Ibid.*

Pœnæ Existentia & Definitio.

II. De ejus *Existentia* generatim dici opus non est, ob continuam deploratamque Malorum experientiam, quæ non aliunde quam ex Peccato derivari possunt, atque inditam Divinæ Justitiæ cognitionem; adversus quæ stolida impiorum persuasio de Dei Ignorantia ac Bonitate, ex Longanimitate gratis petita, nihil valet. Definitio vero hæc dari potest; *Malum homini propter Peccatum à Deo illatum, ad Gloriæ suæ laudem, & Hominis vel Salutem vel justum Exitium.*

Est Malum Noxium & Molestum, imo & sæpe Turpe.

III Generis loco *Malum* dicitur; estque semper tale, respectu α *Damni* illati, & β *Molestiæ* allatæ, sua natura, etsi Damnum præsens majori utilitate Deus quandoque compenset, & Molestiam homo Stupidus semper non sentiat, aut devoret intuitu Divinæ Bonitatis Fidelis. Sed & est sæpe tale respectu γ *Turpitudinis* Peccaminosæ; cum Peccatum ipsum ob *Maculam* ac *Inquietudinem* proximè cum eo connexam non tantum Pœnam in se contineat gravem, sed & *Unum per Aliud puniatur*, & in *Diversis Personis* 2 *Sam.* xii. 11. 12. 1 *Reg.* xi. 31. xxii. 10. *Jes.* x. 5. xiv. 21. 22. *&c.* & in *Iisdem Deut.* xxviii. 28. *Jud.* ix. 23. 2 *Sam.* xxiv. 1. *Ps.* lxxxi. 13. *Jes.* vi. 9. xxix. 14. *Rom.* i. 24. 25. 26. 2 *Thess.* ii. 11. *&c.* Oggannientibus contra perpetuam hanc Experientiam & Testimonia hæc gratis *Pelagianis* veteribus & novis, ad minuendam Dei Providentiam & Corruptionem Nativam; α *Formali* suo *distingui* Peccatum & Pœnam, cum res eadem varie considerari possit semper; β ad Pœnam Hominem se habere *involuntariè*, cum id in Homine rectè judicante tantum obtineat; γ Pœnam à *Deo* esse, quod de Directione, non semper de Efficientia ejus

ejus verum est; δ non permittere tandem *Judicis Justitiam*, ut transgressionem transgressione puniat, cum hic alia Dei & Hominis Judicis sit ratio, qui Lege impediendi sceleris omnis tenetur, ac sapientiâ potentiaque longe inferior Deo est. Est verò, ad quamcunque mali speciem respiciamus, Pœna Malum, non *Inferentis* Dei, sed *Perferentis* hominis ratione.

IV. Descendit Pœna omnis à Deo, ut Legislatore & Judice justissimo, *Jac.* IV. 12. *Jes.* XLV. 6. 7. *Thren.* III. 38. *Hamos.* III. 6. *&c.* secundum ea quæ dicta sunt *Cap.* X. §. XIX. Quamquam ipse puniat variè; α *Efficiendo* & *Dirigendo*, uti modo observavimus; β *Immediatè* magis & *Mediatè* per Causas Secundas, seu Rationales, Angelos sc. Bonos ac Malos, Hominesque tum Privatos tum Reges & Judices, seu Irrationales, & summoperè quoque Contingentes. Est etiam Pœna sic à Deo οὐσιωδῶς, ut œconomicè tamen potissimum eadem attribuatur Patri, & Filio, ob Judicium ab ipso habendum, *Hebr.* XII. 23. 2 *Thess.* I. 7. 8. *Job.* V. 22. *&c.* Infligitur à Deo varie.

V. Locum eadem habet, præter Angelos, in solis *Hominibus*, quibus Lex est posita; etiamsi Malum, quod *Pœnæ Materiale* constituit, sæpe ad augendam hominis calamitatem, ostendendamque cum Dei Dominio absoluto Peccati Fœditatem, rebus aliis quoque insit, uti ex *Gen.* III. 17. VIII. 21. *Exod.* XI. 5. XXI. 28. 29. *&c.* satis constat; quâ ratione *Secundarium* Pœnæ *Subjectum* hæ alias dicuntur. Nec cadit, aut cadere etiam potest, in Hominem, nisi vel Subjectivè vel per Imputationem justam *Peccatorem*, uti contra nonnullos aliter sentientes asseruimus *Cap.* IV. §. XLVI. Est enim ejus Causa Meritoria & Impulsiva *Solum Peccatum*, quod tamen hoc nomine non venit cum relatione ad Divinam Voluntatem, sed ad Eventum quem vult ipse, seu *Rem Volitam*; & *Peccatum Omne*, repudianda prorsus *Papistica* Peccati distinctione. Locum habet in Creaturis Rationalibus Peccantibus.

VI. *Finem* addidimus; tum α *Supremum*, qui semper idem est, Divinæ sc. Gloriæ laus, ex demonstrata in Pœnis Sapientia, Potentia, Veritate, Sanctitate, Justitia, &c. vividissime elucens *Ezech.* VII. 9. 27. *Lev.* X. 3. [1] *Rom.* III. 25. [2] *&c.* tum β *Subordinatum*, qui omnino variat. Quandoque enim α Deus *Compensationem* læsæ Majestatis, sive *Satisfactionem* Justitiæ suæ, & Hominis Perditionem, sibi proponit, quando Pœna *Satisfactoria*, ac *Strictè* Finis Pœnæ Supremus. Et Subordinatus varians; unde Pœna dicitur Satisfactoria, Castigatoria, Probatoria, & Testimonialis.

Strictè dicta audit, quæ scil. in Christo obtinuit, obtinetque in omnibus Reprobis, nunquam tamen ad satisfactionis finem perventuris; nec cogitari ullo modo cum *Pontificiis* debet, ubi Culpa remissa est, *coll. Cap.* XV. §. VIII. Quandoque & ad *Salutem*, sive Hominis ipsius, sive aliorum, spectat Deus, *Retributione* non nisi latiori sensu hic admittendâ. Atque hinc *Pœna* surgit *Latius dicta*, triplex vulgo; α νυθετικὴ, vel παιδευτικὴ, *Castigatoria*, immissa præcipuè ad Hominis Correctionem, *Psal.* CXIX. 67. 71. *Prov.* III. 11. 12. *Hebr.* XII. 7...11. *Apoc.* III. 19. [3] *&c.* β δοκιμαστικὴ, *Probatoria*, inflicta ad Exercitium ac Explorationem Fidei & Constantiæ, quo illius gradus & mensura, non quidem Deo omniscio, sed Homini ipsi sæpe inscio, ac Proximo, pateficeret *Gen.* XXII. 1. *Job.* I. 12. *Psal.* LXVI. 10. *Jac.* I. 2. 3. *&c.* γ & μαρτυρίυ, *Testimonii*, quâ toleratâ Veritas Euangelii confirmatur, cujusque gradus varius *Martyres* & *Confessores* olim apud Christianos distinxit, *coll. Psal.* XLIV. 23. *Job.* XVI. 2. *Act.* V. 41. *Phil.* I. 29. 2 *Tim.* III. 12. *&c.* qualis etiam sub V. T. obtinuisse ex *Hebr.* XI. luculenter deprehenditur.

[1] *Exerc. Text.* VIII. P. II. [2] *Exerc. Text.* XXXIX. P. III. [3] *Comm. in Loc.*

Pœnæ Graviores aliorum Institutioni & Correctioni simul inserviunt. Ubi de Diluvii modo disseritur.

VII. Id est quoque addendum, omnia cognita παθήματα, seu *nocumenta*, simul esse μαθήματα, *documenta*, & in Christo ac Reprobis puniendis ita Deum intendere Justitiæ suæ Satisfactionem primò, ut secundo tamen loco velit per hæc *Paradigmata & Exempla Pœnarum* alios à Peccatis abducere. Quo refer potissimum maxime insignia & Extraordinaria Dei Judicia, exercita in Deserto 1 *Cor.* X. 6. 11. [4] in Sodomeos 2 *Petr.* II. 6. [5] in Uxorem Loti *Luc.* XVII. 32. [6] in superbos Babelicæ Turris, ad gloriæ potestatisque extensionem factæ, Ædificatores, non solum neque adeò Animorum, uti male fingunt Miraculum sic frustra exclusuri etiam hodie nonnulli, quam Linguarum Divisarum Confusione punitos *Gen.* XI. 1. 4. 6. 7. [7] ac in Primum Mundum 2 *Petr.* II. 5. [8] Cujus Omnes Incolas uti non audemus cum *Talmudistis* Æternis addicere Suppliciis, ob autoritatem Petri 1 *Petr.* IV. 6. non tamen Omnes in Cœlum cum *Hieronymo* quoque transcribendos; ita *Diluvium* ipsum, tantopere celebre apud Gentiles, maximè in fabulosis de *Prometheo*, *Deucalione*, & *Ogyge*, narrationibus, restringere cum *Peyrerio*, & Recentioribus aliis nonnullis, *ad Homines Aliquos*, vel

vel saltem *ad Terræ Tractum aliquem*, solisque *Caussis Naturalibus* velle adscribere, est; α ex Incredulitate palam obloqui *Mosi*, qui ad *Omnem Terram* & Peccatum & Pœnam extendit *Gen.* VI. 11. VII. 19. 20. *&c.* & simul *Petro* 2 *Petr.* II. 5. III. 6. β ridere *Dei Potentiam*, in demittendis contra Naturæ legem Pluviis, ac attollendis latentis Abyssi Aquis, quæ junctæ ad Inundationem tantam sufficiunt; γ spernere *Dei Bonitatem & Sapientiam*, in ordinata ad animalium & hominum Salutem *Arca*, cujus neque memoria inter *Gentiles* ipsos deperdita est; δ denique evertere, seu *Adamitarum*, seu *Noachidarum* illam per terram omnem *Divisionem*, quam Moses habet. Nititurque verè impia opinio Hypothesibus valde ludicris, de Luxuriante *hyperbolicè* Mosis Stylo, de *Miraculis* aut nunquam aut difficulter ob Dei Constantiam admittendis, de nulla Necessitate mergendæ Totius Terræ, de Hominibus, vel Plurimis aliis ex Adamo non ortis, vel ante Diluvium exiguo Asiæ tractu circumscriptis, &c. quæ ex Mose facillime confutantur.[9]

[4] *Exerc. Text.* XLII. P. V. [5] *Exerc. Text.* II. P. VI. [6] *Ibid.* [7] *Exerc. Text.* I. P. VI. [8] *Exerc. Text.* II. P. II. [9] *Ibid.*

VII. Ad *Genus Mali* illati *Varium* descendimus; cujus respectu Pœna alia α *Temporalis*, alia β *Æterna*; ac utraque iterum α *Corporalis*, vel β *Spiritualis* audit, denominatione à præcipuo Mali Subjecto factâ. Ad *Pœnam Temporalem & Corpoream* pertinent; α *Vitia* omnia à Nativitate indita, quibus Corporis Rectitudo fœdatur, quæque propterea in beatâ immortalitate tollentur, haud obstante loco *Joh.* IX. 3. ubi à *Peccato* aliquo *Graviori* solum *Cæcus cum Parentibus* liber pronunciatur; β *Molestiæ* omnes atque onerosi *Labores Gen.* III. 17. 18. 19.[1] qualis non fuerat antea Paradisi Cultus facilis & gratus *Gen.* II. 15. γ *Ægritudines* & *Morbi*, contractæ Debilitatis indices, & secuturæ Mortis prænuncii, *Job.* XXXIII. 19. 20. de *Peccatis Gravioribus* solis dubie iterum locuto *Jacobo Cap.* V. 15.[2] δ *Mors* ipsa, cum sequente *Corruptione*, per quam in se Creatura Rationalis destruitur, atque communis Divinæ Bonitatis participatio abrumpitur, dè qua vide amplius *Cap.* XIV. §. X. Hanc sane à Pœna, etiam Adamo denunciata, excludere non licet, ob rationes *Pelagianas*, ibidem confutatas; nec per cavillationes alias, α petitas ab *Eventu in Adamo*, qui licet non mox sit actu mortuus per Dei Longani-

Pœnarum seu Malorum species variæ. Ubi de Temporalibus & Corporeis primo agitur.

ganimitatem, Mortis tamen Imperio per justum Dei judicium & Initiis fuit subjectus, quo sensu nec alio Mors Æterna ipsi quoque tribui potest; β & à communi *Fidelium & Infidelium Sorte hac*, cum hæc ultra Materiale extendi non possit, Fidelibus à Pœna Satisfactoria tantum liberatis. [3]

[1] *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* XII. [2] *Exerc. Text.* XLV. P. I. [3] *Hist. Par. Lib.* XI. P. II. *& Lib.* III. *Cap.* XVI.

Hinc de Temporalibus, & Spiritualibus.

IX. *Pœna Temporalis*, sed magis *Spiritualis*, complectitur; α *Nativam* Divinæ Sapientiæ, Sanctitatis, & Lætitiæ, *Carentiam*, de qua in explicatione *Peccati Originalis Cap.* XV. §. XX. *&c.* actum est; β *Indurationem & Excæcationem* majorem, justo Dei judicio variis gradibus & modis supervenientem; γ omnia *Peccata Actualia* hinc pullulantia, quibus à Dei similitudine & fruitione homo magis abducitur, & in exitium præcipitatur; δ *Horrores* denique *Conscientiæ* accusantis, quibus aliquatenus quidem pii, maxime autem impii cruciantur, *Job.* XV. 20. 21. *Jes.* XXXIII. 14. *Prov.* XXVIII. 1. *&c.* Atque ad hanc Pœnam *Mortis Spiritualis* nomen, ob multiplicem analogiam, secundum Scripturas applicatur.

Tandem de Pœna Æterna, quæ est Justissima.

X. *Pœnam* vero præterea *Æternam*, etiam in Minimo Peccato, exigit; α Infinita Majestas Dei læsi, cum Finita Creaturæ dignitate & capacitate collata; β Peccatum, non tantum vitâ omni durante sed & post mortem continuo protractum. Ut neutiquam evertat hanc *Dei Justitia*, sed potius mere Temporalem Nudæ Creaturæ Pœnam quâ Deo satisfiat: quam in hac vita & in Purgatorio quoque perperam statuunt *Papistæ*.

Non consistit hæc in Annihilatione Subjecti Quod contra Socinianos defenditur.

XI. Eam verò pessimè exponunt *Sociniani* cum *Remonstrantibus* paucioribus de *Totali Subjecti Annihilatione*. Quo pacto; α perperam Salvator dixisset, damnando *bonum fuisse si non esset natus* *Matt.* XXVI. 24. β male idem constituisset in hac Pœna Gradus *Matt.* XI. 22. 22. 24. XXIII. 14. *Luc.* XII. 47. Doloremque actualem *Matt.* XIII. 42. XXII. 13. *Luc.* XVI. 28. & Æternum, absque ulla restrictione, alibi necessaria, *Matt.* XXV. 41. *Marc.* IX. 43. 44. *coll. Apoc.* XX. 10. [1] quò verius, quam ad Vastationem Urbium solam externam, pertinet *Ignis æternus* Sodomitarum *Jud. vers.* 7. [2] γ ac denique contra Dei Justitiam, Conscientiæ naturalem Metum, ac Populorum quorumvis Consensum, profanitati omni porta aperitur patentissima, quam optent impii *Jes.* XXII. 13. 1 *Cor.* XV. 32. *Eccl.* III. 19. *&c.* hinc & de Pœna hac

ut

ut *Puerili Terriculamento* & *Commento Poëtico* scribere ausis ipsis. Nec puduit tamen hæc hominum-monstra ad Scripturam provocare; α quæ *Immortalitatem* vindicet Piis 1 *Job*. 11. 17. quasi hæc in contextu illic & passim ad Beatam Vitam non restringeretur; β quæ *Mortem* & *Perditionem* adsignet Impiis cum Inferno & Morte ipsa *Matt*. x. 28 2 *Thess*. 11. 9. 2 *Petr*. 111. 7. *Apoc*. xx. 14.[3] *&c*. quasi non hæ locutiones cum aliis essent conferendæ, & Mors unquam Annihilationem diceret, & Perditio non foret maxima in Beatitatis omnis Ablatione ac Horrore interminabili, & Infernus ac Mors hic metonymicè vel metaphoricè non intelligerentur; γ quæ *Dei Justitiam* summam inculcant, quasi hæc per Infinitam Pœnam ob actum finitum inflictam læderetur, quod multis argutationibus gratis stabilire conantur, dum Peccatum Objective Infinitum est omne, & in Æterna Annihilatione æquè Infinita adest Extensio, quam in Existentis Creaturæ Afflictione simili, ubi *ad Absolutissimum Dei Dominium*, exclusa omni Justitia Commutativa aut Distributiva, gratis confugiunt.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* II. P. VI. [3] *Comm. in Loc.*

XII. Rectius dicemus, *Pœnam* hanc *Æternam*, cujus Gravitas ipso sensu ejus maxime cognoscetur, quæque nunquam plane finienda erit, quicquid cum *Judæis* & *Origenistis* quidam *Anabaptistæ* delirent, comprehendere; α *Seclusionem Animarum* à Fruitione Dei; β *Detrusionem in Infernum*, verum Locum Corporeum, *Gehennæ*, *Abyssi*, & *Stagni Ardentis*, nomine quoque venientem, cujus Situs clare declaratus non est, multa temere nugantibus *Judæis*; γ *Divinæ Iræ Sensum* gravissimum & desperatissimum, ex Dæmonum Damnatorumque Societate augendum; δ ad quæ omnia, in ipsa Morte Temporali initium sumentia, olim accedet *Corporum Resuscitatorum Dolor* intensissimus. Quæ pariter colligere licet, ex *Matt*. VIII. 12. XVIII. 34. XXII. 13. XXV. 41. *Marc*. IX. 43. 44. *Luc*. XVI. 23. 28. 2 *Thess*. I. 8. 9. *Hebr*. x. 27. 31.[4] 1 *Petr*. III. 19. *Apoc*. XIV. 10. 11.[5] *&c*. An verò *Ignis Corporalis in Inferno* sit adfuturus, ac an idem sit Cruciaturus *sola Corpora*, an Dei Potentia quoque in *Spiritus* operaturus, nos ob varia Similia Corporea, eademque sæpe in multis sibi invicem adversa, hic adhibita, incertum esse putamus.

Quæ Positive huc pertineant.

[4] *Exerc. Text.* XLIX. P. III. [5] *Comm. in Loc.*

XIII. Ex dictis consequitur, admitti equidem posse & debere

Varii ejus sunt Gradus, sed Nullus Finis. Uti nec Pœna Damni absque Sensu.

re varios *Pœnæ* hujus in *Intensione Gradus*, secundum delictorum multitudinem & magnitudinem: nullos verò dari quoad *Extensionem*, ob absolutam ejus in omnibus Æternitatem, quam per assertas *Purgatorii* flammas evertunt quoque ipsi *Pontificii*. Quin etiam perperam fingi *Pœnam* aliquam *Damni* post hanc vitam, absque ejus *Sensu*, à *Papistis*, *Remonstrantibus*, *Anabaptistis*, *&c.* in gratiam vel *Limbi Patrum Vet. T.* vel *Limbi Infantium* non Baptizatorum, vel *Animarum* ad Resurrectionem absque Sensu *Dormientium*; quæ hypotheses suis locis erunt confutandæ. Varia interim Pœnæ ejusdem consideratio, quoad Bonum negatum, & Malum illatum, libenter à nobis admittitur.

Omnem hanc pro nobis subiit Christus Pœnam.

XIV. Clausulæ loco notamus, *Triplicem Pœnæ speciem*, jam recensitam, omnino concurrere in iis, qui Divinam Justitiam ex debito ulciscentem experiuntur, licet in modo & gradu ejus sit varietas, & temporalia mala hic vulgò minus impios quam pios premant. Unde sequitur, Omnem hanc Pœnam *Christum ut Sponsorem* quoque subiisse; haud excipiendâ α *Morte Spirituali*, quatenus sc. Culpâ caret, dum Derelictionem Dei gravem ipse expertus est, constanter tum tamen Deo ob Naturalem Sanctitatem & Personalem λόγȣ Unionem cum assumpta Humanitate adhærens, quibus in Homine Peccatore quovis non repertis hunc à Deo Derelictum ab eodem deficere mirum non est; β vel *Morte Æternâ & Infernali*, iterum quoad τὸ mere Pœnale hujusque Genus, ejusque τὸ Constitutivum magis quam Consecutivum, ut abfuerit hinc adeo recte *Duratio Infinita*, ob Personæ patientis Infinitatem & Sanctitatem non necessaria, *Desperatio* item omnis, per bonum Exitum prævisum Sanctitatemque Christi non admissa, tandem & *Infernalis Carceris* ingressus, in ipso sponte patiente, coram credentium hominum oculis, & ad tempus tantum, supervacaneus.

CAPUT

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Fœdere Gratiæ, Euangelio, & varia hujus Oeconomia.

AD lætiorem GRATIÆ STATUM progredimur, in quem spe solida inter desperabundas conjecturas *Destitutum Hominem* Dei bonitas sola *Restituit*. Et quidem viâ *Fœderis* cum eo initi, ut Consilii divini Decentia & Firmitas tanto magis pateret; quod ad distinctionem ab aliis omnibus Specialibus Pactionibus, & à Pacto cum Adamo sancito de Vita per Propriam Obedientiam obtinenda, *Gratiæ* dici solet. De quo Nomine utroque sunt hic nonnulla prænotanda, quæ usum in ipsius rei explicatione dein habebunt.

Restituitur Homo ex Lapsu per Fœdus Gratiæ.

II. FOEDERIS vox Latina est, derivata potius à *fide*, quam à *feriendo*, vel à *fecialibus*, vel ab *hædo*, vel à *fœdo*, sive per ἀντιφέρειν, sive ob Cæsæ secundum ritum antiquum Porcæ Fœditatem. Ei respondet apud *Chaldæos* & *Syros* quidem קים / quod *stabilitatem* innuit, apud *Hebræos* verò ברית / quod repetunt à ברר / sensu *declarandi*; vel à ברא / sive in *Pihel* sensu *succidendi*, ob ceremoniam Dissectorum Animalium, ab ævo in Fœderibus sanciendis adhibitam, *coll. Gen* XV. 9. 10. [1] *Jer.* XXXIV. 18. 19. quæ phrasi *secandi*, *percutiendi*, *feriendi*, Fœderis, secundum ritus in Gentibus variis varietatem, ortum quoque dedit, *coll. Exod.* XXXIV. 10. *Psal.* L. 5. *&c.* sive in *Kal* sensu *creandi*, vel *ordinandi*, quo modo Petrus κτίσιν usurpavit 1 *Petr.* II. 13. vel à ברה / significatu, seu *comedendi*, ob juncta Fœderibus Convivia, seu *eligendi*, quod Personarum Conditionumque in omni Fœdere quædam sit Electio *coll. Deut.* XXVI. 17. 18. *Jos.* XXIV. 22. *&c.* Græcis vulgo dicitur συνθήκη, συμβόλαιον, συνθεσία, συνημοσύνη, ὅρκιον, *&c.* apud *Hellenistas* vero Hebraizantes frequentissime διαθήκη. Quæ vox ab aliis Græcis Scriptoribus de *Testamento* frequentius usurpata, in Novo Test. tamen lecta per *Fœdus* longè potius verti debet; α ob hunc Usum ejus apud τοὺς LXX. β & respondentem illi in Hebræo textu vocem ברית / γ & conjunctam quoque in Novo Test. mentionem *Mediatoris*, *Sponsoris*, *Sanguinis*, *Promissorum*, *&c.* quæ

Fœderis nomen cum Hebræo nomine ברית exponitur. Ut & Græcum διαθήκη quod per Fœdus potius quam Testamentum debet verti. Fœderis Homonymia.

quæ omnia non ad Testamentum sed ad *Fœdus* nos ducunt, quicquid obloquantur variè *Recentiores* multi. Certum est interim, ad communem *Testamenti* significatum respexisse etiam Paulum *Hebr.* IX. 16. 17. ubi tamen ad *Fœderis* notionem mox ipse redit v. 18. 19. 20. memorans ἐγκαινισμὸν ad Montem Sinai factum Mandatumque datum; & forte *Gal.* III. 15. ubi tamen id in διαθήκῃ κεκυρωμένῃ non æquè necessarium est. Atque hinc porrò juxta vocem *Fœderis* altera *Testamenti* in quibusvis linguis familiaris facta est, non ad notandum Consilium Æternum Electionis, ex quo Fœdus hoc fluit, sed ipsum Fœdus Gratiæ; per Providentiam suam sic curante Deo, ut *Fœdus* hoc *Testamentarium* esse intelligeremus, quatenus, α mero *Dei Placito* gratioso & æterno nititur, β est prorsus *Immutabile*, nec hominis vitio irritum fit, γ cum *Certis* initur *Personis*, δ ad solum *Hominum Commodum*, ε *Morte Testatoris* firmatur, ϛ *Consignatum* est Tabulis justis & legitimis, &c. *Legem* insuper & *Promissionem* synecdochicè Fœdus hoc appellat Scriptura *Rom.* III. 27. *Gal.* III. 18. Uti ab altera parte notat *Fœderis* vox; α quandoque *Statutum* quodvis *Immutabile Gen.* IX. 9. *Jer.* XXXIII. 20. 21. *Num.* XVIII. 19. 2 *Chron.* XIII. 5. *Salis* mentione in his locis duobus simul facta, vel ob ritum Sacrificiorum, vel ob ejus vim Conservantem; β quandoque *synecdochicè*, sive *Promissum Jes.* LIV. 10. LIX. 21. sive *Præceptum Exod.* XXXIV. 28. *Deut.* IV. 13. *&c.* γ quandoque *metonymicè*, vel *Sigillum*, vel *Instrumentum* Fœderis *Gen.* XVII. 10. 2 *Cor.* III. 14. quorsum *Inscriptio Novi Testamenti*, *à Syro* etiam servata, spectat; δ propriissime verò *Partium Mutuam Conventionem*, sive non fuerint dissitæ hæ, sive per pacem denuo coëant, prius inimicæ inter se.

[1] *Exerc. Text.* III. P. V.

Cur Fœdus hoc Gratiæ, Euangelicum, & Fidei, dicatur.

III. Cum autem Homines inter se varia ineant Fœdera, ac Dei similiter Pactiones plures sint, & nominatim de Vita per Propriam Obedientiam obtinenda egerit hic cum Adamo, distinctionis ergo *Fœdus* hoc Gratiæ cognominatur; quod α hæc ejus sit Fons, β Bonumque Promissum, γ & Officii præstandi unica simul Causa. Quæ rationes, licet aliquæ & aliquatenus, non tamen omnes & per omnia Fœderi Operum conveniunt; potissimum cum *Gratia* hic cum *Misericordia* ferè commutetur. Alias idem Fœdus dicitur *Euangelicum*, *Fidei*, *Novum*, *&c.* quod illo

illo comprehendatur, hanc exigat, & successerit in prima Erectione Fœderi Operum violato, ac in clariori Manifestatione repetitæ ad montem Sinai Fœderis Operum Summæ, ipsum præstantissimum & æternum. *Gratiæ* tandem hic *Fœdus* tractamus, non communioris, sed *specialissimæ & salutaris* in Christo.

IV. Fœderis hujus, cujus *Existentia* non nisi vagis & probabilibus conjecturis ex Dei Bonitate, & Operibus Longanimitatis, colligi, solide autem ex argumento ejus in Scripturis exposito adstrui potest, natura hac definitione comprehenditur; *Conventio Gratiosa Deum inter & Hominem Peccatorem Electum, variis modis & gradibus inde à Lapsu per Euangelium pluribus revelata, per quam ob intercedentem Christi Mediationem Credentibus in eum & Resipiscentibus Gratia Salutaris omnis & Gloria addicitur, Sacramentorum usu obsignata, atque Ecclesiæ actu præstita.* Fœderis hujus Definitio.

V. Appellatur equidem Fœdus hoc à quibusdam μονόπλευρον; quatenus α solus *Deus Conditiones* præscribit; β imò *Operatur* in homine earum *Assensum* pariter & *Præstationem*; γ & omne *Bonum* hinc *ad Hominem* solum redit *Job.* XXII. 2. 3. XXXV. 7. 8. Recte tamen idem dicitur δίπλευρον; quatenus α sunt hic *Duæ Partes*, non minus Divisæ quam Inæquales, *Deus Bonus* simul & *Justus*, ac ab altera parte *Homo Peccator*, sed *Electus* in Christo, cum quo adeo pangere Justitia Dei non interdicat; quatenus β præterea *Deus promittit*, se in Christo pace intimâ & sui communicatione plenissima Electis *fore in Deum*, ac *præcipit*, pro tali se *fide & resipiscentia* sincera haberi *Gen.* XVII. 1. 2. *Jes.* XLV. 22. *Matt.* XI. 28. *&c.* atque *Homo Promissionem ac Conditionem* istam simul *accipit Psal.* XXVII. 8. *Thren.* III. 24. *&c.* Quò referunt quidam, sed minus recte, ὁμολογίαν memoratam *Hebr.* III. 1[z]. quæ non nisi *Professionem* seu *Confessionem* Euangelii & Christi illic notat. Conventio verò hæc ab aliis *discriminatur*, α per *Verbum*, quo patefit, β *Mediatorem* constitutum, γ *Officia* præscripta, δ *Beneficia* promissa, ε *Sigilla* annexa, ς *Fœderatæ* denique *Multitudinis* descriptionem uberiorem. Quod filum nunc porrò sequemur. Fœdus hoc aliquatenus μονόπλευρον, vere tamen δίπλευρον est.

[z] *Exerc. Text.* XLV. P. III.

VI. *Verbum* Fœdus hoc homini aperiens est, non *Legis*, sed *Euangelii*. Quæ duo *conveniunt* Autore, Deo decenti Sanctitate, Fineque Ultimo; sed directe quoad Argumentum, præscriptæ Continetur Foedus hoc Verbo, non Legis, sed Euangelii.

Obe-

Obedientiæ Propriæ, & *Fidei* justitiæ alterius Sponsoris, sibi invicem opponuntur, *Rom* III. 21. 27. VI. 14. X. 5. 6. 2 *Cor*. III. 6. 7. *Gal*. III. 11. 12. &c. licet per Euangelium nec plane in totum aboleatur Lex, juxta dicta *Cap*. XI. §. XXVIII. nec Fœdus Legale, juxta *Cap*. XIV. §. XXIV. Non itaque *Lex & Euangelium* hic confundi debent; uti perperam ac temere fieri videtur quadantenus ab iis, qui *Decalogum Formulam Fœderis Gratiæ* primo continuisse volunt, contra quos communis sententia asserta est *Cap*. XI. §. XXVI. XXVII. & *Cap*. XII. §. I. Neque *Euangelium* in *Legem Novam & Perfectiorem* debet mutari, quod agunt verè omnes, qui Justitiam ex Propria Obedientia quærunt, confutati *Cap*. XI. §. XXXII..... XXXV.

Euangelii Nomen exponitur ab Origine. Synonymis etiam, ac Homonymia.

VII. EUANGELII vox, à *Syro* retenta, cum paronymis frequens non tantum est in Novo Test. sed & apud τὸς LXX. quin & Græcos Latinosque Scriptores exoticos, qui sic appellarunt tum *Nuncium Bonum*, tum ejus *Præmium*, vel & *Sacrificium* Gratitudinis, quo & spectant apud τὸς LXX. loca 2 *Sam*. IV. 10. XVIII. 22. Impiam vocis compositionem ex duabus Hebræis און / vel עון / & גלין / ut notet *Vanitatis*, vel *Iniquitatis*, sive *Revelationem*, sive *Librum*, ipsi alias refutarunt Verpi; agnoscentes illam Græcæ esse Originis, & notare בשורה טובה / *nuncium bonum*. Apud Hebræos respondet בשורה / & בשר / sæpius quidem *lætum*, sed tamen etiam *triste*, atque adeò quodcunque *nuncium* significans, uti ex textu 1 *Sam*. IV. 17. & additionibus, *Boni*, *Pacis*, *&c*. 2 *Sam*. XVIII. 27. *Jes*. LII. 7. &c. constat. Nullum verò lætius cum sit Nuncium, quam illud de Electorum Salute, ad hoc notandum ponitur vox sæpe absolutè: sæpe etiam dicitur declarationis ergo *Euangelium Dei*, *Christi*, *Regni*, *Pacis*, *Salutis*, *&c*. quin & audit *Gratia*, *Verbum Bonum*, *Fidei Veritatis*, *Vitæ*, *&c*. quarum appellationum omnium ratio facilis est. Usurpatur porro nomen; α *impropriè* magis prò *Doctrinæ* Christi, tum *Professione Marc*. X. 29. tum *Prædicatione Gal*. II. 7. β sed *propriè* prò *Doctrina* ipsa, sive α *strictius*, quæ Christum Natum, Passum, Suscitatum jam, tradit, & opposita τῇ ἐπαγγελίᾳ *Promissioni* Patrum, *Euangelium Impletionis* dicitur, ex *Act*. XIII. 32. *Rom*. I. 1. *Gal*. III. 17. 18 *&c*. quò pertinet etiam vocis restrictio ad *Quatuor* scripta *Euangelia*, & horum *Autores*, ac *Apostolicos Præcones Eph*. IV. 11. sive β & *latius*, quæ *Dei Gratiam in Christo* Nato vel Nascituro tradit *Hebr*. IV. 2.

1 *Petr*.

1 *Petr.* IV. 6. *&c.* sive jam spectetur potissimum in factis à Deo *Promissionibus*, sive & simul in *Officiis* à Deo postulatis, Lege etiam Promissis subserviente. Quomodo hic vocem meritò accipimus, ut notet sc. *Doctrinam Integram Fæderis Gratiæ*.

VIII. Hæc cum sapientiam humanam excedat, *à Deo* revelata est *Rom.* XVI. 25. 1 *Cor.* II. 7. 8. 9. [1] *Gal.* I. 11. 12. *&c.* cœlestem ejus originem satis etiam arguente θεοπρεπείᾳ, & Efficacia summâ. Nec patefacta est illa, vel *Angelis* propriè, nisi quatenus Præsentiâ in Ecclesia, & Ministerio suo, in ejus cognitionem deveniunt, *Eph.* III. 10. *Luc.* II. 10. *&c.* vel *Hominibus Integris*, utpote alia via ad Deum perventuris, sed *Lapsis*: atque ex primâ Intentione Dei, in omni Præstantia sua, ac ad obtinendam Salutem, *Solis Electis*, cum quibus Fœdus ipsum initur, Secundario verò, Externè magis, ac ad Convictionem, aliis pluribus, *Externè Vocatis*; secundum α parabolas *Matt.* XIII. 3. 24. [2] XXII. 14. XXV. 2. *&c.* & β experientiam perpetuam *Rom.* IX. 6. 1 *Cor.* X. 5. *Hebr.* IV. 2. *Act.* XIII. 46. 2 *Petr.* II. 21. 1 *Joh.* II. 19. *&c.* Quæ ejus Patefactio, nec *Vires amplectendi* Fœdus in Homine Corrupto supponit, nec tamen *ludicra est*, uti *in Cap.* XXIII. *de Vocatione* patebit.

Est illud à Deo Revelatum Homini Peccatori.

[1] *Exerc. Text.* XL. P. III. [2] *Exerc. Text.* XXIX. P. V.

IX. Tantum verò abest, ut ipsum *Fœdus* universaliter *ad Omnes & Singulos*, sicuti prius Operum Fœdus, se extendat, ut *ne quidem* hæc ejus per Euangelium *Patefactio* sic plane *Universalis* dici possit. Quod docet recensio Temporis Omnis; α tum quod fluxit *ante Christum*, scil. & *ante Diluvium*, ubi *à facie Dei* extorres vixerunt Cainitæ, & *post Diluvium*, iterum *ante Mosen*, ubi jam tum *Tentoria Semi* Domini Inhabitatione præ reliquis beata fuere *Gen.* IX. 25. 26. 27. [3] ac *Abrahami Vocatione* ad Gentium Rejectionem via strata est, & maximè *post Mosen*, Israële solo in populum adoptato, reliquisque Gentibus in naturali obscuritate relictis, *Psal.* CXLVII. 19. 20. *Act.* XIV. 16. XVII. 30. *Rom.* III. 2. IX. 4. XIII. 12. XVI. 25. *Eph.* II. 12. *Col.* I. 26. *&c.* β tum *post Christum*, quando *Gentium* ab Israële *Discriminatio* quidem cessavit, juxta vaticinia plura de Gentilium Vocatione *Gen.* IX. 27. [3] XXII. 18. [4] XLIX. 10. [5] *Deut.* XXXII. 21. [6] *Psal.* II. 8. [7] LXXII. 8. [8] *Jes.* XI. 10. [9] XIX. 25. XLIX. 6. LX. 3. LXV. 1. *Mich.* VII. 11. 12. [10] *Tseph.* III. 9. [11] *Zach.* XIV. 9. [12] *Mal.* I. 11. [13] *&c.* sed tamen Christus ipse ut *Mini-*

Nec Fœdus ipsum, nec ejus Notificatio Euangelica ad Omnes universaliter spectat. Ne quidem sub N. Test.

ster Circumcisionis Rom. xv. 8. *missus ad Oves Perditas Domus Israel*, *Matt.* xv. 24. ad has solas primum Discipulos quoque misit *Matt.* x. 5. ac dein latius ad Gentes extenso munere, per *Spiritum* tamen ad tempus *in Asia & Bithynia* Prædicationem Apostolicam *impediit Act.* xvi. 6. 7. sicuti hodie per Providentiam suam respectu Multorum Populorum idem agit. Aliquod vero tantum Momentum Temporis si detur, quo Euangelium Omnibus patefactum non est, Universaliter Omnibus id revelatum dici non potest. Ipsum porrò *Fœdus non ad Omnes Homines*, sed pauciores omninò, pertinere liquet facile; & α ex hac *Euangelii restrictione*; β & ex *limitatione Officii Mediatorii*, γ & ex *Beneficiis*, quæ non sub incerta Conditione sed certo in hoc Fœdere singulis Fœderatis addicuntur, quæque contingunt paucioribus, vix ullo contradicente. Quæ posteriora duo suis locis latius demonstrabuntut.

[3] *Exerc. Text.* II. P. IV. [4] *Exerc. Text.* III. P. IV. [5] *Comm. in Pentat.* [6] *Comm. in Pent.* [7] *Exerc. Text.* XV. P. III. [8] *Exerc. Text.* XXII. P. IV. [9] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [10] *Comm. in Loc.* [11] *Comm. in Loc.* [12] *Comm. in Loc.* [13] *Comm. in Loc.*

Universalis Gratiæ Patroni, horumque Effugia vana. Et Objectiones præcipuæ, quæ diluuntur.

X. *Universalem* tamen *Vocationis Gratiam* multi urgent, *Internam* pariter & *Externam* Pelagianizantes *Jesuitæ* & *Arminiani*, *Externam* magis aut solum, tum *Lutherani*, tum Quidam ex *Nostris*. Qui omnes ad tuendam hypothesin, historiæ omni nimis palam contrariam, in angustias redacti quandoque confugiunt; α ad *Vocationem Communem in Parentibus*, Adamo, Noacho, aliisque, quasi non mox Seminis varii, & Filiorum diversorum, distinctio tum facta fuisset, & homo Lapsus æquè quam Integer in longe diverso Fœdere, cujus Caput Christus est, Posteritatis suæ personam sufficienter repræsentare posset; β atque ad communia *Providentia Opera Act.* xiv. 17. xvii. 27. *Rom.* ii. 4. [1] *&c.* quasi testimonium Divinæ Existentiæ & Bonitatis idem esset cum nuncio actualis καταλλαγῆς seu Reconciliationis in Mediatore, quousque non perducunt illa sola quemquam. Et sunt levissimæ horum Objectiones. 1. Ex *Bonitate Dei.* Quæ α sufficienter ad Convictionem in communi Providentia erga omnes se exserit; & β tantò magis in Vocatione paucorum elucet, reliquis ob Peccata justè damnatis. 2. Ex *Locis*, quæ ad *Omnes* Euangelium, Gratiam, Lucemque, Christi extendunt *Marc.* xvi.

15.

15. *Tit.* II. 11. *Job.* I. 9. [2] *&c.* Quæ α utique omnia ad solum Novi Test. Tempus pertinent; nec β de Singulis sed de Omni Gente & Statu hominum ex contextu & eventu sunt intelligenda; γ ac amplius Temporis Successionem, qua progressura erat Gratiæ Prædicatio, neutiquam excludunt. 3. Ex *Exemplis Melchitsedeci*, *Jobi*, *Amicorum ejus*, *Bileami*, [3] *Ninevitarum*, *Babyloniorum*, *Proselytorum*, *Magorum*, *Syrophœnissæ*, *Centurionis*, *Cornelii*, *&c.* Qui α Pauci hominum Universam Multitudinem non constituunt, nec hanc inferunt ipsis parem esse; β plurimi etiam ad tempus ante vel post Mosis Legem vigentem, non autem ipsum Mosaicum, pertinent; γ & tandem, vel non fuerunt vocati ad Fœderis Gratiæ participationem, vel eam beatitatem nacti sunt, sive ex Cohabitatione, sive ex Vicinia Israelis, sive ex speciali plane Spiritus Gratia. 4. Ex *Euangelicæ Doctrinæ in Gentilibus Agnitione*, comprobata *Scriptis & Sacrificiis* ipsorum. Quæ utique α nimis obscura apud illos ex Majorum aut Judæorum traditione remansit; β dum sunt scripta plurima adduci heic solita ὑποβολιμαῖα, aut aliter ab ipsis intellecta; γ nec Sacrificiorum usus, qui apud ipsos obtinuit, cognitionem veri Sacrificii, à Judæis ipsis hodieque ignorati, infert.

[1] *Exerc. Text.* XLIV. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XXXIV. P. III. [3] *Comm. in Pentat.*

XI. *Cœpit* verò Euangelii & Fœderis hujus Patefactio non demum sub Novo Test. sed *mox inde à Primo Lapsu*, ut hac via etiam tum ad salutem pervenirent Electi. Quod 1. Probamus multis Novi Test. Locis, quæ α vel *Euangelium* & *Fœdus* hoc *Æternum* vocant *Apoc.* XIV. 6. *Hebr.* XIII. 20. quo priori nomine impiè *Dominicani* & *Minoritæ* Seculo XIII. ad Euangelii Christi abolitionem per novum malignum fœtum suum abusi leguntur; β vel Patribus *Euangelizatum* esse palam dicunt *Gal.* III. 8. *Hebr.* IV. 2. 6. 1 *Petr.* IV. 6. *Fœdusque* illis idem tribuunt *Luc.* I. 72. 73. *Gal.* III. 17. γ vel *Sapientiam Salutarem* ex Scriptis Vet. Test. posse hauriri docent 2 *Tim.* III. 15. δ vel denique Veteribus ante Christum tribuunt *Omnia ad Fœdus hoc pertinentia.* Scilicet reperimus ipsis sic adscribi; α *Mediatorem Eundem*, Christum, qui *Unus* tantum est per omnia tempora *Act.* IV. 12. *Joh.* XIV. 6. 1 *Tim.* II. 5. semper tam in Munere quam Persona sua Divina *Idem Hebr.* XIII. 8. ac Caput eorum omnium, qui ἀπὸ καταβολῆς κόσμου inscripti

Obtinuit Euangelii Prædicatio mox à Lapsu per totum curriculum Vet. Test. ut hac via tum salvarentur.

scripti sunt Libro Vitæ Apoc. XIII. 8. [1] quo pacto locum hunc potius quam alio magis familiari urgemus, ob parallelum *Apoc.* XVII. 8. rationesque plures; ϐ *Beneficia Eadem*, Gratiæ & Gloriæ, *Matt.* XXII. 32. *Joh.* V. 39. *Act.* X. 43. XV. 11. [2] *Rom.* IV. 3. 9. *Gal.* IV. 3. *Hebr.* II. 10. XI. 13. 16. XII. 23. *&c.* γ *Officia Eadem*, Fidei in Christum & Resipiscentiæ, *Matt.* XIII. 17. *Joh.* VIII. 56. [3] *Rom.* IV 18. *Hebr.* XI. 9. 13. 24. 39. *&c.* δ quin & *Sacramenta Ejusdem Generis Rom.* IV. 11. 1 *Cor.* X. 2. 3. 4. 1 *Petr.* III. 20. 21. *&c.* 2. Idem adstruimus ex Vet. Test. ipso. Ubi legimus, post Prot-Euangelium ab ipso Deo prædicatum *Gen.* III. 15. [4] & expositum *Cap.* XV. §. XVIII. plurima alia & luculenta Euangelii monumenta; α cum *Fœdus* pepigit Deus, non ut volunt Quidam, cum *Noacho Gen.* IX. 9. 10. 11. hoc enim Fœdus communius est, ad Animantia omnia spectans, & impropriè magis sic dictum, quamquam ex Gratia pactum sit quoque, & prius nostrum illud Gratiæ supponat, sed cum *Abrahamo Gen.* XV. 1. XVII. 1. 2. dein cum ejus *Filiis*, tum *Israële* toto *Exod.* XIX. 6. *Lev.* XXVI. 12. quin & *Davide* 2 *Sam.* XXIII. 5. [5] &c. *Sacramentis & Sacrificiis* pluribus additis, quæ non poterant non mysticæ esse significationis; β cum *Mediatoris Personam*, *Officia*, *Status*, & *Beneficia*, πολυμερῶς ϗ πολυτρόπως, etiam profani Bileami ministerio *Num.* XXIV. 17. [6] delineavit, coram auribus & oculis, ad illum Fide prospicere jussis, *Jes.* XXVIII. 16. LIII. 11. [7] *Hab.* II. 4. [8] *Zach.* IX. 9. [9] *&c.* γ cum *rei Cognitionem* testati sunt Sancti, cum sui diffidentia in hoc Fœdere recumbentes & gloriantes *Gen.* XLIX. 18. [10] 2 *Sam.* XXIII. 5. [11] *Job.* XIX. 25. [12] *Psal.* CXXX. 3. 4. *&c.* Missis levioribus pro Fide Patrum argumentis, qualia indicavimus *Cap.* XIII. §. VI. *Cap.* XV. §. XIX. quibus & annumera *Noachi* nomen, à *Lamecho* illi datum *Gen.* V. 29.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XL. P. V. [3] *Exerc. Text.* XXXVIII. P. IV. [4] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* II. *&c.* [5] *Exerc. Text.* IX. P. VI. [6] *Comm. in Pentat.* [7] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [8] *Comm. in Loc.* [9] *Comm. in Loc.* [10] *Comm. in Pentat.* [11] *Exerc. Text.* IX. P. VI. [12] *Exerc. Text.* XII. P. I.

Adversantur cum aliis Sociniani. Et solvuntur Loca.

XII. Adversantur magnoperè post antiquos *Legis Adversarios*, & *Pelagianos*, hodiè *Sociniani*, *Anabaptistæ*, & *Remonstrantes*, qui *Carnalia & Legalia* omnia fingentes de *Veteribus*, seu absolutè, seu cum qualicunque restrictione, *Patribus* ante Christum *negant*

negant Promissa Vitæ Æternæ, *Remissionis Peccatorum*, *Spiritus Sancti*, *Officiumque Fidei in Christum*, atque sic universum hoc Euangelicum Fœdus. Quem errorem gravem gratis stabiliunt. 1. Iis locis, quibus *Euangelium* olim *Promissum*, *Tacitum*, *Absconditum*, & nunc demum *Prædicari Cœptum*, esse dicitur *Rom.* I. 2. 3. XVI. 25. 26. *Eph.* III. 9. *Col.* I. 26. *Joh.* I. 17. *Hebr.* II. 3. *&c.* Quæ omnia ex contextu sunt necessario restringenda; α vel ad Euangelium Impletionis; β vel ad Gentes olim à Deo relictas; β vel ad eum Claritatis Gradum qui Novo Test. est proprius; δ & retorsionem aptam patiuntur, propter respectum ad Prophetica vaticinia in iis jugem. 2. Iis locis, quæ *Mosen Vet. Test. Christum* verò *Novi Test.* faciunt *Mediatorem*, *Gal.* III. 19. *Hebr.* VII. 22. VIII. 6. qui etiam, vel *Non Existens* olim, vel saltem *Nondum Homo* factus, *Mediatoris* munus tum quoque obire non potuerit. Verum α Moses, typicè & externe Mediatorem adumbrans, Verum hunc non magis exclusit, quam omnia Sacrificia Umbratica Veram Christi Oblationem; β & Novi Test. Mediator dicitur Christus, tum in oppositione ad Operum Fœdus, quale prius illud Mosaicum externa specie erat, tum respectu Temporis quo se obtulit ipse incarnatus; γ & non exstitisse olim respectu Deitatis Christum, vel nullas Mediatoris functiones intuitu futuræ certò Incarnationis potuisse præstare, blasphemè supponitur. 3. Iis locis, quæ *Promissa Spiritualia Veteribus auferre* videntur; tum *indirectè*, *Jer.* XXXI. 31. 33. *Hebr.* VII. 22. VIII. 6. *Act.* X. 43. *&c.* tum *directè* magis, *Hebr.* VII. 19. XI. 39. 40. 1 *Petr.* I. 10. 12. *Hebr.* IX 8. 2 *Tim.* I. 9. 10. 1 *Joh.* I. 2. *Act.* XIII. 38. 39 *Luc.* XI. 13. *Joh.* VII. 39. *&c.* Ad quæ addunt; nec *Deum ut Patrem* tum fuisse cognitum, ex *Matt.* XI. 27. nec *Perfectam* latam fuisse *Legem*, nec *Judæos* peritissimos Interpretes, quicquid Legem extollant, *Vitæ Æternæ Promissum* in illa agnoscere Sed ad hæc est notandum; α Promissa Novi Fœderis huic non esse soli Propria, nisi vel Veteris Speciei Externæ Legali opponatur, vel Modus, Gradus, Extensio, & Claritas major spectetur, quo omni sensu *meliora* hæc dici merito fatemur; β perperam *Remissionem* per Christum à Prophetis indefinitè *Credentibus* omnibus promissam ad Novum Test. restringi, nisi hic iterum sola respiciatur *Universalis* ad Gentes extensio; γ *Legis* Ceremonialis, imo totius, *Impotentiam* non tollere perficientem Euangelii Vim, ex qua, non autem Lege Mosis, omnis Justificatio

quæ Euangelium ad Nov. Test. videntur restringere. Juxta Christi Mediationem. Et Fœderis Beneficia omnia. Et Fœderis Officia tandem.

catio olim quoque juxta *Act.* XIII. 39. fluxit, Perfectiori interim Ecclesiæ Statu sub N. T. exspectando; δ τὴν ἐπαγγελίαν à Patribus non reportatam, ex *Hebr.* XI. 13. & contextu omni, notare Christum autorem beneficiorum implendorum, qui idem apud *Petrum* sensus est de *Gratia* loquentem; ε Vitam Æternam, sicuti & Sanctuarii Terrestris Viam, de qua agi adhuc videtur *Hebr.* IX. 8. non quidem planè incognitam dici, sed magis clariusque & potissimum inter Gentes nunc φανερωθεῖσαν, *declaratam*, juxta *Vitam* ipsam, h. e. autorem vitæ Christum; ϛ *Spiritus*, copiosius sub Novo Test. promissi, non negari ante Christi glorificationem Existentiam, aut Dationem, sed *Effusionem* Uberrimam & Visibilem; 3. Deum, non obstante clariori patefactione gratiæ, & majori fiducia sub Novo Test. olim tamen quoque per Beneficia & Verbum Gratiæ, ut Patrem se patefecisse, *Exod.* IV. 22. *Jer.* XXXI. 20. *Mal.* I. 6. *&c.* & prò tali fuisse agnitum *Psal.* CIII. 13. *Jes.* LXIII. 16. LXIV. 8. *&c.* etiam tunc ex Filii revelatione; η Perfectionem Legis Veteris suo loco satis esse assertam; ϑ denique *Judæorum* excæcatorum *Consensum* adduci, & *frustra*, cum illum parum curemus, & *perperam*, cum hodie illi æquè quam olim Tsadducæismum palam impugnent. 4. Iis Locis, quæ *Obedientiam Legis ad Vitam* obtinendam Veteribus præscribere *Lev.* XVIII. 4. 5. *Deut.* XXX. 16. *&c.* & Fidem in Christum Novo Test. propriam facere videntur *Gal.* III. 23. *Ioh.* XIV. 1. *&c.* Cum α prioribus illis Nexus Vitæ & Obedientiæ tantum ostendatur, ad Israelis convictionem, perinde ut *Matt.* XIX. 17. *&c.* β & posterioribus, vel *Fides* prò Objecto fidei, Christo sc. & Euangelio impletionis, opposite ad Legem ponatur, vel Modus genuinus Credendi in Deum Omni Tempore aperiatur, Fide Patrum à multis effectis *Hebr.* XI. *& alibi*, quidem commendata, sed quæ fiduciam in Christo non excludant.

Notantur varii, qui in re, vel in phrasi, ad Socinianos appropinquant nimium.

XIII. Ad Socinianos interim nimis prope hic accedunt *Papistæ*, cum *Limbum* fingunt *Infernalem Patrum*, in quem usque ad Mortem vel Ascensionem Christi Animæ illorum fuerint detrusæ; postea confutandum. Similiter *Lutherani*, cum juxta *Pontificios* Sacramenta Vetera nimis deprimunt, ac ut Meras fere nostrorum Umbras considerant; ulterius phrasin nostram in sententia Anti-Sociniana quandoque temere impugnantes. Tandem & *Recentiores ex Nostris*, qui Hæresin Socinianam omnino detestantes, phrases tamen durissimas non tantum usurpant, sed easdem ut

ut Scripturæ & rei conformes nimium inculcant. Quales sunt; *Christum sub Vet. Test. non posse dici Expromissorem*; *Deum Jus sibi tum retinuisse in Electos ad infligendam pœnam, si Christus non satisfaceret*; *non esse Patribus collata Vera & Permanentia Bona*; *nec ipsam Salutem reipsa patefactam*; *Circumcisionem Cordis, Inscriptionem Legis, Remissionem Peccatorum, Adoptionem, Conscientiam Tranquillam, &c. esse Propria N. T. Bona*; *fuisse Patres sub Maledictione & Ira, & multiplici Mortis Metui subjectos*; *eos magis Sperasse quam Credidisse, &c.* Quæ omnes cum locis illuc tractis singulatim postea examinandæ erunt, nec rectè probari posse videntur.

XIV. Uti verò hactenus patuit *Fœderis Gratiæ Unitas*, & *Euangelii Extensio* ad priora tempora, ita nunc notanda adhuc est ejus *Oeconomia* varia. Hanc sane dici *Triplicem* haud illubenter patimur α *Ante Legalem*, respectu Legis Scriptæ, & Consummatæ quoad Ceremonias, quæ *Promissionis* hodie dici solet, ob hujus tum factam revelationem; fluxitque à Prot-Euangelio ad Mosen. β *Legalem*, quæ *Veteris Test.* etiam dicitur, quatenus id per Mosem consummationem suam nactum est, clareque Israëli propositum, quò respicitur *Rom.* v. 13. *Deut.* v. 2. 3. *&c.* fluxitque a Mose ad Christum. γ *Euangelicam*, seu *Novi Test.* quæ à Christo ad Finem Seculorum protenditur. Quæ τριχοτομία, absque fermento ullo *Sociniano* aut *Pelagiano*, (de Triplici Salutis Via, & Patribus ante Mosen secundum Naturæ dictamen viventibus,) legitur apud plures ex *Nostris*; atque prò fundamento habet multiplicem Differentiam inter Tempus Ante & Post Mosen, dum α per hunc verbum antea ἄγραφον primò scriptum est, β Ecclesia Deique Fœdus ad Israëlem plane restrictum, γ Lex solenniter lata cum terrore magno, δ jugum Ceremoniarum magnoperè aggravatum, ε populus ex Ægypto eductus, mox in Canaanem introducendus, &c.

Fœderis & Euangelii Oeconomia varia. Ubi Non est absolute Improbanda Trichotomia.

XV. Sed fatemur simul, magnoperè displicere nobis. 1. Quod quidam Theologi *Recentiores* ita deperiant hanc τριχοτομίαν, ut communiorem longe inter Reformatos, etiam in Symbolicis & Liturgicis Scriptis, διχοτομίαν prorsus tanquam ἀντίγραφον ineptam & confusam repudient; dum interim nusquam Scriptura, vel *Vetus Vestamentum* plane ad tempora Mosis, vel *Promissionem* ad Patres anteriores restringit, sed & hanc & illud quoquè ad omne ante Christum tempus extendit *Act.* XIII. 32. *Rom.* I. 2. IX. 4. *Eph.* II. 12. *Hebr.* IX. 15. 26. *&c.* 2. Quod & iidem cum τριχοτομία jun-

Sed nec nimium urgenda. Nec cum aliis hypothesibus jungenda. Nedum per novas Testamentorum & Fœderum explicationes & divisiones recepta vel doctrina vel docendi methodus plane turbanda.

jungant hypotheses, de *Libertate Patrum ante Mosen à Lege, Jugo, Exprobratione Peccati*, de *Legis* & Ceremoniarum *Datione in Pœnam* μοσχοπιίας, de introdicta *Servitute Angelorum & Hominum* sub Vet. Test. &c. de quibus partim actum est *Cap.* XI §. XVIII. XIX. XX. partim agetur postea. 3. Quod plane in explicatione Vet. & Novi Test. recedant mero suo arbitrio ab utiliter & rectè trita hactenus viâ; α dum *Testamentum* prò Æterno Dei Consilio habentes, illud planè à *Fœdere* ut ex eo fluente distinguunt, cum interim unâ voce διαθήκης hic utatur Spiritus, illa juxta διατιθεσθαι nunquam Consilium, sed tantum ejus Declarationem, etiam *Luc.* XXII. 29. notet, nec sit etiam Testamentum apud *Ictos* interna morientium Voluntas, sed *Voluntatis nostræ Justa Sententia de eo quod quis post mortem fieri velit*; β dum *Testamentum* ponunt Dei *Triplex*, *Vetus*, *Novum*, & *Æternum*, & hoc quidem nominant, quo Electis Salutem & Gratiam Salutarem per omnia tempora destinavit, quodque à Veteri & Novo Essentialiter planè sit Distinctum, cum interim non nisi Duplex Testamentum agnoscat perpetuâ Veteris & Novi oppositione Scriptura, & sive Utrumque hoc junctum, sive Novum ob durationem ipsum *Æternum* dicitur *Hebr.* XIII. 20. *coll. Matth.* XXVI. 28. *Apoc.* XIV. 6. [1] *&c.* γ dum statuunt *Essentiale Discrimen inter Testamentum Vetus* & *Novum*, illud describentes ut *Propositum Dei de danda Israeli terra Canaan, ut Pignore melioris & permanentis Hæreditatis*, hoc ut *Propositum* simile *de danda illi Hæreditate Gentium cum reliquis Bonis Melioribus*, variè enumerari solitis, cum interim Essentiale hoc Discrimen æque Scripturæ quam Theologi ignorent, Testamentum Duplex diversi temporis Diversam Hæreditatem nequaquam inferat, terra Canaan olim quidem destinata & promissa fuerit Israëlitis in Possessionem Hæreditariam, verum non ut Principale nedum ut Unicum sed tantum ut Secundarium Bonum, Gentes magis Novi Test. sint Hæredes quam Hæreditas, variè à variis exposito textu *Rom.* IV. 13. [2] denique vel ex hac expositione Testamenti Utriusque Vetus Testamentum non possit inchoari à Mose, Introductione in Terram post eum demum secutâ, & Promissione cum determinato temporis articulo factâ Abrahamo, imò ei obsignatâ, & confirmatâ per Ceremoniarum & Circumcisionis ipsius Legislationem.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Tex.*. XLV. P. IV.

XVI.

Præferenda videtur Oeconomiarum Dichotomia.

XVI. Regiâ nos itaque potius viâ, quam tenuerunt *Belgæ Interpretes*, *Liturgiæ Eucharisticæ* Autores, & *Patres* ipsi *Dordraceni*, progredimur, & *Duplicem Fœderis Gratiæ* dicimus esse *Oeconomiam*; α præeunte passim Scriptura *Act*. XIII. 32. *Rom*. I. 2. 3. *Gal*. IV. 3. 4. *Hebr*. I. 1. XI. 39. 40. *&c*. β & docente idem Rei Natura. Cum Differentia non omnis, sed maxime Principalis, in hac divisione prima attendi debeat, cæteroquin ob differentiam inter tempus ante & post Abrahamum non Triplici sed Quadruplici minimùm, vel Sextuplici fortè juxta *Augustinum*, Oeconomiâ admittendâ; & Oeconomia omnis ante Christum conveniat, α in Promissione Messiæ venturi, β ejus Revelatione Minus Clara, γ ejus Typica per Ceremonias Adumbratione, δ Infantili adeo & magis Servili fidelium Tractatione, ε quin & horum Minori Numero.

Et appellatur recte prior Oeconomia Vet. Test. vel Fœderis, incipiens a Prot-Euangelio Paradisiaco. Cujus Gradus seu Momenta iterum sunt Tria.

XVII. Isthæc verò *Oeconomia Fœderis Gratiæ ante Christum* omnis, inde à *Prot-Euangelio*, *Fœderis* vel *Testamenti Veteris* nomine venit; quamquam appellatio ea quandoque ad Fœdus Operum, cujus Speciem Externam maximè tempore Mosis accepit, transeat. Et rectè quidem extendi retro Vetus Test. vel Fœdus, usque ad Adamum, contra *Recentiores* probatur; α ex Scripturæ phrasi, non nisi Duplex Fœdus Salutis agnoscentis, Libros Temporis ante-Mosaici Historiam complexos nomine *Fœderis Veteris* comprehendentis 2 *Cor*. III. 14. & potissimum Patres ante Mosen inde *à Mundi Jactu* sub illo Fœdere constituentis *Hebr*. IX. 15. 26. β tum & ex Rei Consideratione, quæ docet ante Mosen fuisse *Eandem* quoad modò recensita præcipua Capita Euangelicæ *Administrationis Rationem*, *Eademque* ex parte *Sacramenta*, quale fuit *Circumcisio*, nec minus debuisse cum Novi Fœderis adventu veterascere prorsus ea quæ ante quam quæ post-Mosaicæ Oeconomiæ fuerunt. Et putamus gratis omninò objici. 1. Loca *Deut*. V. 2. 3. *Jer*. XXXI. 31. 32. *Hebr*. IX. 18. 20. *Gal*. IV. 24.[1] &c. Cum primus ille Mosis, vel *cum Patribus tantum* Proximis in Deserto *Fœdus* hoc *Erectum* esse neget, vel potius eum *Erectionis Modum* cum externa pompa *Patriarchis* auferat; alter Vatis perinde, *Fœdus* hoc, dudum antea expositum, *solennius* in Exitu ex Ægypto cum populo Israël fuisse *Erectum* declaret; tertius Pauli, vel forte primum generalius ad Victimas mactatas etiam tempore Adami respiciat, Mosis facto in exemplum addu-

cto, vel potius non primam Originem, sed ἐγκαινισμὸν, h. e. *Renovationem*, & *Dedicationem* solennem, *coll.* 1. *Macc.* IV. 54. *Joh.* X. 22. à Mose factam doceat; postremus tandem Apostoli ejusdem, vel tantum pertineat ad *Fœdus Operum*, cujus Summa ad montem Sinai proposita est, vel respiciat plane ad *Complementum Oeconomiæ* ibi factum; quomodò alias *Circumcisio & Lex* universa à Mose *Joh.* VII. 22. I. 17. *Rom.* V. 13. ac *Promissio Euangelica* ab Abrahamo repetitur *Gal.* III. 17. cujus utriusque prima Origo indubiè longè antiquior est. 2. Multiplicem *Differentiam in Fœderis Administratione* ante & post Mosen. Quam α lubenter damus, verum in solis Accidentalibus, non Essentialibus istius Oeconomiæ; β quam reperiunt Viri Docti utique longe maximam iterum ante & post Vitulum fusum; γ dum rectius Oeconomiæ Vet. Test. Triplex statuitur Articulus. *Initium* sc. ab Adamo currens ad Abrahamum, ubi Prot-Euangelium per Sacrificia & Ceremonias alias Patribus fuit confirmatum; *Progressus* ab Abrahamo ad Mosen, quandò Messiæ Nativitas magis declarata, Terrestris Canaan promissa, Circumcisio instituta, & ad Gentium Rejectionem via strata fuit; *Complementum* denique à Mose ad Christum, quando clarius Messias descriptus, Israel in Possessionem Typicam introductus, Pascha Circumcisioni additum, Moralis Lex solenniter repetita, Ceremonialis multum adaucta, atque Israel solus in Populum Peculiarem assumptus fuit. Ad quos Gradus Fœderis forte, juxta Momenta temporis varia, Tabulas, & Præstantiam, Paulus respexit, memorans διαθήκας seu *Fœdera Rom.* IX. 4. *Eph.* II. 12.

[1] *Exerc. Text.* L. P. V.

Altera Oeconomia est Novi Test. Quæ per Gradus quosdam cœpit, sed durabit ad finem.

XVIII. Altera post Christum Oeconomia *Novi Fœderis* vel *Testamenti* audit; iterum appellatione hac quandoque ad Fœdus Gratiæ, utpote hic clarius propositum, simpliciter traductâ. Atque in hac α Messias præsens exhibetur; β Gratia ejus, Legis rigore cessante, palam prædicatur; γ Ceremoniarum umbræ corpori cedunt; δ liberaliter tractantur Fideles Adulti; uberiorem Spiritus gratiam potissimum nacti; ε latissimeque ad Fines Terræ Regnum Dei extenditur. Habet verò Fœdus hoc Novum, non minus quam Vetus, suos *Gradus*, quibus paulatim perfectum est ipsum, ac Vetus abolevit. Sumit enim, α *Initium* primum ab *Incarnatione* Christi *Luc.* I. 69. II. 10. 11. *Gal.* IV. 4. β *Progres-*

gressum ab ejus *Manifestatione*, per Johannis Baptistæ hinc Novi Test. æquè quam Vet. Ministris annumerandi, propiamque Prædicationem, *Marc.* I. I. *Luc.* XVI. 16. *Hebr* I. I. II. 3. *&c.* quando mansit adhuc, & Prædictio futuræ Mortis ac Gloriæ Christi, & restricta ad Judæos Vocatio *Matt.* X. 5. 6. XV. 24. & præceptus Sacramentorum veterum & Sacrificiorum usus *Matt.* V. 23. 24. VIII. 4. *Luc.* II. 21. *Matt.* XXVI. 19. *&c.* γ tandem *Consummationem* accepit, de jure in Christi *Morte* & secuta mox *Resurrectione Hebr.* II. 3. 4. IX. 15. 16. 17. *Joh.* XVII. 4. *Eph.* IV. 10. *&c.* ita ut de facto adhuc manserint Vet. Fœderis reliquiæ plures ad Templi & Urbis Eversionem oportunè secutam. Quantopere porrò varient dein Ecclesiæ Fata Externa, Novum hoc Fœdus certò manebit ad Consummationem Seculorum, Bonumque summum Fœderis electis collatum, cum sit idem ἀμετάπτωτον, nec Novi alterius promissio usquam legatur; quicquid Fœdus prius *Pontificii*, aliique plures, post veteres *Hæreticos*, reipsa denuò introducere conentur.

XIX. Non putamus necessum, ut quidpiam nunc amplius moneamus; vel de *Vet.* & *Novi Test. Unitate* Substantiali, satis asserta supra §. XI. & XII. nec ab iis Theologis eversa, qui Vetus Fœdus, intelligentes Operum illud, Substantia Diversum à Novo dixerunt; vel de *Utriusque Fœderis Differentia*, quoad Initium, Durationem, Amplitudinem, Facilitatem, Libertatem, Claritatem, Suavitatem, Perfectionem, &c. vel de prioris *Defectibus Singulis*, ac posterioris *Prærogativis Plurimis*; utpote quæ ex antecedentibus facilè peti possunt, & singulatim suis locis amplius explicanda erunt. Testamenti Novi & Vet. Convenientia & Differentia.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM

De Mediatore Fœderis Gratiæ.

FOEdus Gratiæ cum Peccatore erectum dum totum MEDIATORE nititur, estque hic ipse verè Euangelii Compendium ac Medulla, *coll. Luc.* II. 10. II. I *Cor.* II. 2. *&c.* meritò de hoc nunc agimus; & primo quidem generatim, dein speciatim ad Personam, Officia, Statusque, Jesu Nazareni transituri. Transitus ad Mediatorem.

Nominis Origo. Synonyma. Et Homonymia. Per quam etiam Mosi tribuitur. Nominis Mediatoris strictissima & plenissima significatio, quæ contra Socinianos urgenda.

II. Nomen Latinum est, à *Medio* dictum, quomodo μεσίτης apud Græcos ἀπὸ τοῦ μέσου derivatur; quamquam nec hoc apud Exoticos Græcos nec illud apud Latinos familiare sit, imò forte prorsus non legatur. Est enim fere Scripturæ & Patribus ex ea proprium, legiturque in Novo Test. universum sexies *Gal.* III. 19. 20. 1 *Tim.* II. 5. *Hebr.* VIII. 6. IX. 15. XII. 24. Respondet plane apud *Syrum* מציעא / apud Græcos ἔγγυος, σωτήρ, εἰρηνοποιός, διαλλακτής *&c.* apud Latinos *Sponsor*, *Interventor*, *Sequester*, *Arbiter*, *Internuncius*, *Intercessor*, *Pacificator*, *Pacator*, *Reconciliator*, *Liberator*, *Sospitator*, *Servator*, *Salvator* denique, quod nomen supra priora Emphaticum, apud Latinos tamen ab ævo Suspectum fuit; apud Hebræos tandem משיח / ob *Unctionem* præ reliquis excellentem, ad Functiones plures, quæ hic requiritur. Sumitur porro *Mediatoris* nomen. 1. *Latissime*, prò eo qui quacunque ratione *Medius* est inter plures, uti sic apud *Vulgatum* Dominus *Mediator & Testis* dicitur *Iud.* XI. 10. & Joh. Baptista Vet. & Novi Test. μεσίτης à Patribus[1] cognominatur; quo etiam pertinet significatio vocis μεσιτεύειν *Hebr.* VI. 17. 2. *Latius*, pro *Internuncio* inter partes dissidentes mutuo, quo sensu non Christus, sed *Moses* Christi typum gerens, in deferendis Dei verbis ad populum, populique ad Deum, μεσίτης nuncupatur *Gal.* III. 19. secundum sententiam variorum Patrum, hodiè communiorem, nixamque α Historiâ *Legislationis Lev.* XXVI. 46. *Deut.* V. 5. *&c.* β oppositione manifesta Christi ut *Mediatoris Novi Fœd. Hebr.* VIII. 6. γ & loci ipsius *Contextu*, ubi Mediator Angelis subordinatur, ac phrasis planè ministerialis ἐν χειρὶ, quæ talis etiam est *Act.* VII. 25. 35. adhibetur. Quamquam, post complures *Veteres*, multi etiam hodie illic Christum ipsum intelligant; moti α loco *Act.* VII. 30. 38. ubi Legislatio Christo ipsi tribuitur, β facili sic magis conciliatione textus cum Unitate Mediatoris, & hinc fluente *Pontificiorum* & *Socinianorum* obturatione, γ denique Legis Commendatione majori, quam ipsis videtur Paulus intendisse. Quæ tamen argumenta prioribus minus valida esse nos judicamus. 3. *Strictius* pro eo, qui præter *Internuncii* & *Intercessoris* opus, *Satisfactione Dei ut partis læsæ ab homine, ac Merito Gratiæ spiritualis Efficacis ad hominis conversionem & Gloriæ æternæ, Deum cum homine reconciliat, & perfectissimè unit.* Qui significatus vocis, ex origine sua magis indifferentis, urgeri solet & debet, adversus Satisfactionis

Chri-

Christi hostes *Socinianos*, qui Christum prò mero *Interprete* Euangelii, Vitæ exemplo & Mortis passione confirmati, habentes, sic notionem *Mediatoris* exhaustam credunt. Contra α *Partium* hic *Dissidentium naturam*, quæ Mediatorem absque Satisfactione & Spirituali Efficacia nullum verum admittunt; β vim synonymorum, *Sponsoris*, *Servatoris*, *Pacificatores*, *&c.* γ & *contextum locorum citatorum*, in quibus Christo ut Mediatori mox *datio* ἀντιλύτρȣ, *mors*, ἀπολύτρωσις, *sanguisque*, tribuitur. Haud obstante sane; α vel *Mosis* simili appellatione, quæ illi ut Typo non nisi sensu leviori competit, dum ad excellentiam Christi notandam hic veri nominis *Unicus Mediator* palam dicitur 1 *Tim.* II. 5. β vel *Testimonii* hic v. 6. subjecta mentione, cum Beneficium & Munus hoc Christi Summam Euangelici Testimonii esse Paulus tantum innuat.

[1] *Exerc. Text.* XXVIII. P. IV.

III. In reali tractatione primum caput est *Mediatoris Necessitas*, ad Fœderis Gratiæ erectionem & exsecutionem; fluens, α ex Dei *Justitia* Judiciaria, tum *Remunerativa*, tum *Vindicativa*, atque etiam *Veritate* post erectum semel Operum Fœdus, β tum ex *Hominis* multiplici per Peccatum *Miseria & Indigentia*, quæ omnem ad Deum accessum absque Mediatore præcludit, *coll. Jer.* XXX. 21. [2] *Eph.* II. 12. *&c.* Et agnoverunt eandem necessitatem ipso opere Gentiles, in stupendo Sacrificiorum, Sacerdotum, Vatum, Angelorum Intercessorum, & Minorum Deorum, numero; sic palam clamantes, *Curtio* vel *Anchuro* aliquo opus esse, ad voraginem Divinæ iræ complanandam. Interim si forte suaserit Dei Misericordia ut conjicerent, aliquem fore talem, de ejus tamen Existentia certò persuasi illi esse nequiverunt, nedum quis esset cognoscere.

Mediator est omnino Necessarius, fassis id Gentilibus ipsis.

[2] *Exerc. Text.* XXI. P. VI.

IV. Mediatoris Necessitatem in communi excipit ejus *Qualitas*; tum respectu *Operis*, tum *Personæ*. Priori intuitu Mediatorem requiri dicimus; α non modò *à Parte Hominis*, ad hunc à Deo per Peccatum aversum iterum ad Deum adducendum *Rom.* I. 30. VIII. 7. 1 *Petr.* II. 24. III. 18. *&c.* β sed etiam à *Parte Dei*, ad iram illius placandam *Jes.* LIX. 2 *Rom.* I. 18. III. 19. *Gal.* III. 13. *&c.* Quod posterius, ob negatam Justitiam Dei Vindicativam & Satisfactionem Christi, pessimè negant *Sociniani*, prætexentes frustra; α nunquam Deum nobis, semper *nos Deo reconci-*

Qui nontantum Hominis sed & Dei Inimicitiam tollat. Sit adeo Propheta Sacerdos & Rex.

ciliatos dici, *Rom.* v. 10. 2 *Cor.* v. 18. 19. *Eph.* II. 16. *Col.* I. 20. 21. cum in Mutua hac Pace phrasis una utrumque dicat, & de Dei Ira antiqua in Peccatum ac novo Amore per Christum, Peccatisque cum Maledictione ablatis, sexcentis agatur locis; β *Amorem Dei* in antecessum patere ex ipsius Mediatoris Datione *Joh.* III. 16. *&c.* cum Amor hic sit *Benevolentiæ*, non Complacentiæ, qui iram placabilem in Christo non evertit sed infert, cæteroquiu in mortem non tradendo; γ præter alia memorata *Cap.* IV. §. XLVII. & memoranda *Cap.* XX. *de Officio Christi.* Unde porro fluit *Necessitas Triplicis Muneris*; α *Prophetici*, per quod insciis *annunciaret* salutem; β *Sacerdotalis*, per quod reis merito & intercessione eam *acquireret*; γ *Regii*, per quod servis peccati gubernatione eam *applicaret*. Uti hæc omnia à Prophetis quoque prædicta leguntur.

Debuit esse idem Verus Homo. Et Verus Deus. Unaque & Sanctissima Persona. Etiam juxta Prophetias veteres.

V. Operis Munerisque Qualitas porro docet *Qualitatem Personæ*, quæ 1. Respectu *Naturæ* debuit esse; α & *Verus Homo*, ob *Dei Justitiam*, innocentem naturam pro rea non punituri, ob *Mortis Pœnam*, qualis in Hominem solum cadit, ob *Legis Obedientiam*, quæ exigit Amorem Proximi, Deique in Anima & Corpore Glorificationem, atque sic ab Homine solo præstari potest, denique ob *Fiducialem* nostri ad ipsum *Accessum*, qui fraternitatem requirit *Hebr.* II. 17. IV. 15. β & *Verus Deus*, ob requisitam *Vim Divinam*, in ablatione iræ infinitæ, Satanæ & instrumentorum ejus contritione, peccati inhabitantis cohibitione, & gratiæ ac gloriæ Divinæ collatione, tum etiam ob necessariam *Divinam Majestatem*, in fidelium subjectione per fidem & obedientiam, ipsiusque ad Deum propinquo accessu. 2. Respectu *Attributorum*; α & *Una*, quò Apotelesmata Theandrica præstare, & Media ipsa inter Deum & hominem Mediationem obire posset; β ac in primis *Sanctissima* plane, ne Mediatore alio ipsa egeret, atque ut fungeretur præcipue Munere Sacerdotali, sanctitatem Sacerdotis, Altaris, & Victimæ, exigenti; quod urget Apostolus, *decuisse nobis* scribens *Pontificem* ὅσιον, *sanctum*, virtutisque studiosum, ἄκακον, *innocentem*, malique patrari expertem, ἀμίαντον, *impollutum*, scelerisque innati purum, κεχωρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, *segregatum à peccatoribus*, cœlesti origine ac impiorum odio *Hebr.* VII. 26. Quæ omnia iterum *Prophetæ* memorarunt; α *Humanitatem* sc. *Gen.* III. 15.[1] *Deut.* XVIII. 18.[2] *Jes.* IV. 2.[3]

IX.

IX. 5. [4] *Psal.* XXII. 23. [5] *&c.* in Apparationibus veteribus quoque præfiguratam; β *Divinitatem Ps.* II. 7. [6] XLV. 8. [7] CX. I. [8] *Jer.* XXIII. 16. [9] *Hos.* I. 7. [10] *&c.* γ tum Personæ *Unitatem Jes.* VII. 14. [11] IX. 5. 6. [12] *&c.* δ tandem *Sanctitatem Jes.* XI. 2. [13] XLII. I. LIII. 9. 11. [14] *Dan.* IX. 24. [15] *&c.*

[1] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* IV. [2] *Exerc. Text.* XIV. P. V. [3] *Exerc. Text.* XII. P. VI. [4] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [5] *Exerc. Text.* XVI. P. III. [6] *Exerc. Text.* XV. P. II. [7] *Exerc. Text.* XIII. P. I. [8] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [9] *Exerc. Text.* V. P. VI. [10] *Comm. in Loc.* [11] *Exerc. Text.* XIV. P. VI. [12] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [13] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [14] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [15] *Exerc. Text.* XXV. P. VI.

VI. Vix memoratu digna nobis videtur quæstio, à *Veteribus* nonnullis, *Scholasticis*, imò & *Nostris* mota, an Deus prò Sapientia & Potentia sua Infinita *haud Alio Medio lapsos homines salvare potuisset*, ad quam etiam affirmativè, & nonnulli validè nimis, vere in præjudicium Satisfactionis Christi, responderunt. Constat enim; α Deum *non Aliud Nomen* dedisse *Act.* IV. 12. β nec *Convenientorem Modum Alium* sanandæ nostræ miseriæ esse potuisse; γ nec *Viam Aliam Misericordiæ & Justitiæ Divinæ*, quæ pariter Deo Essentiales sunt, simul demonstrandæ, *à nobis posse excogitari*; δ uti hanc non nisi post sapientissimi Numinis revelationem cognoscimus. Nimia autem Curiositas Deo displicet, nec Christianos decet. An Deus Alio Medio electos potuisset salvare?

VII. Qualitate hac Mediatoris præmissa, eam *Jesu Nazareno* juxta Munus ipsum vindicamus, adversus incredulos *Gentiles* & *Judæos*. Et contra utrosque illos urgemus merito quidem, præter illa quæ ἐξαγώνια sunt, *Præconium* sc. *Passionem*, *Intercessionem*, *Humanitatemque Veram*, constare satis posse *Regiam Jesu Majestatem*, *Deitatem*, *& Sanctitatem*; ex α *Ecclesiæ* ipsius per orbem universum potentissima *Collectione*, justissima *Gubernatione*, ac mirabili *Conservatione*, quæ absque insana adversus historiam omnem reluctatione negari nequeunt: β tum ex *ipsius Prædicatione* sanctissima ac efficacissima, *Miraculis* innumeris & stupendis, *Resurrectione* denique & *Adscensione* gloriosa. Quæ omnia testimonium habent à *Prophetis*; à plurimis αὐτόπταις & fide dignis nec gloriam sed opprobria & mortem per illud meritis *Testibus*; ab *Angelis* cœlestibus; ab ipsis Christiani nominis Adversariis, *Muham-* Mediatorem hunc esse Jesum Nazarenum, urgetur contra Gentiles.

hammedanis ſcil. & *Judæis*, tum *Talmudiſtis*, tum *Joſepho*, cujus illuſtris Locus immerito integer Eruditis quibuſdam ſuſpectus eſt, & *Gentilibus*, tum Militibus, ad mentiendum contra omnem veri ſpeciem corruptis *Matth.* XXVIII. 11. 12. tum Philoſophis, qui Miracula hæc faſſi, etiam quando cum *Hierocle* parem ei facere voluerunt Apollonium, tum Imperatoribus, *Alexandro Severo*, *Hadriano*, *Tiberio*, *Auguſto*, niſi tribui his ſolita Facta ob quaſdam pugnare viſas Circumſtantias nimis forte ſint Incerta, vel Fabuloſa plane, juxta Apollinis, Hecates, & Sibyllarum Oracula, quæ nimium quandoque urſerunt Veteres.

Et contra Judæos, ex Tempore Adventus Meſſiæ juxta Jacobum Gen. XLIX. 10. Juxta Jeſaiam Cap. XI. 1. Cujus tamen textus Cap. VII. 8...11. huc non ſpectat. Juxta Danielem Cap. II. 44. 45. & Cap. IX. 24. 25. 26. Et Juxta Haggai Cap. II. 8. 10. & Malachiam Cap. III. 1

VIII. Facilior cum *Judæis* eſt diſputatio, ex Propheticis Oraculis, quæ delineationem Mediatoris uberiorem, præter enumerata requiſita, nobis ſuppeditant; & quidem ante omnia evidentiſſimè per hiſtoricas notas *Tempus Adventus* ejus determinarunt, ſic ut illud non modo dudum elapſum ſit, ſed &, quod ſecundò urgetur, Jeſu noſtro conveniat. Quo refer. 1. *Vaticinium Jacobi Gen.* XLIX. 10. [1] In quo; α de *Meſſiæ Adventu* certò agitur, ſub nomine *Schiloh*, ſive à שׁלח / ſenſu *mittendi*, ſive potius à שלה / *tranquillando*, ſive etiam à שיל *effluxu* & Affixo ה *ejus*, ſive ex ש / præfixo, & לה cum τοῖς LXX. ſive aliunde adhuc cum nonnullis Viris Doctis, derivetur, ob Nominis hujus Emphaſin, prædicatam hinc Judæ Beatitatem, Populorum ad eum Aggregationem, ac conſenſum *Targumim*, *Talmudiſtarum*, & *Iudæorum* veterum; β *Temporis Terminus* indicatur vocibus עד כי / quæ non ſunt ſeparandæ ob Accentum *Iethibh*, ſæpe non diſtinguentem *coll.* v. 7. 9. 11. ſed jungendæ ob antecedens *Athnach*, uſum particulæ עד in medio orationis, cum ſequuntur אשר / אם / כי / עתה / הנה / כה / או / מתי / מה / *&c.* oppoſitum in Gentes Regnum, breviuſque alias futurum Regnum Judæ, ita ut Terminus hic tamen notetur ἐν πλάτει; γ *Nota* ponitur in *Regni*, Davidis tempore ad Judam devoluti, tum Monarchici, tum Ariſtocratici, ſimul notati per שבט / *Sceptrum*, quamquam alii *Tribum*, alii aliter quoque vertant, & per מחוקק / *Legiſlatorem*, illud tenentem, uti Conjunctio hæc Vocum, oppoſitio Regni Gentium, & Judæ elogium docet, *Ablatione Finali* à Semine ex Juda orto vel Judæ poſt Captivitatem accenſito. Quæ ob *Regum*, *Aichmalotarcharum*, *Ducum*, *Pontificum*, *& Synedrii*, continuatem ſucceſſionem ad id tempus, cœpit maximè in *Herode Idumæo*, & per *Imminutam* primum *Synedrii Poteſtatem*, dein

& prorsus dein *Eversam Rempublicam*, successive consummata est à Romanis, ut per secula jam plurima nulla penes Judæos Regiminis alicujus superfuerit species vel forma, ac gratis plane confugiant Judæi, vel ad *Capita Familiarum*, vel ad Regnum *Benjaminis Tudelensis* Bagdadicum, aut simile aliud, contra omnem Geographiæ & Historiæ fidem confictum. 2. *Vaticinium Jesaiæ Cap.* XI. 1.[2] Ubi patet; α agi de *Messia*, ex descriptione Generis, Donorum, Operum, Beneficiorum, Subditorum, &c. ϐ & prædicitur, venturum illum *Tempore Status Despecti Familiæ Davidicæ*, quæ hodiè non amplius distinctè cognoscitur, & despectissima tum fuisse noscitur ex historia Euangelica, & ex noto *Domitiani* facto. Addunt alii hodie *Jes.* VII. 8... 14[3]. quasi significatum ibi foret, *Damascum non prius fore Caput Judææ, quam Himmanuël natus foret*, quando etiam Archelao relegato Judæa Syriæ à Romanis tributa est, quò respexerit *Lucas Cap.* II. 2.[4] Sed nexus ille apud Prophetam non deprehenditur; nec fuit ad Messiæ Nativitatem Damascus Caput Syriæ; nec post Christum tantopere Judæa Syriæ subjecta fuit quam quidem antea sub Antiocho; ut alia quæ observationem hanc enervent mittam. 3. *Vaticinium Danielis* geminum, *Cap.* II. 44. 45.[5] & *Cap.* IX. 24. 25. 26.[6] Priori illo; α certissimè agitur de *Messia* ejusque *Regno*, utpote cui soli competit emblema *Lapidis* firmissimi & exigui, *Non* existentis *in Manibus*, per defectum humani roboris & existimationis, *Abscissi à Monte* Reipublicæ Judaicæ, sive per nativitatem sive per mortem, *Comminuentis* regna omnia, non corporali sed spirituali modo, *Crescentis* denique in Montem maximum & perpetuum, uti hæc *Judæi* ipsi quoque observarunt; ϐ prædicitur autem, venturum hunc *in Diebus Regum Istorum*, sive Monarchiæ Syro-Ægyptiæ cessantis, sive Romanæ vigentis. Quod utrumque tempus dudum elapsum est. Altero hoc; α *Messiæ* legimus *Nomen*, *Attributa*, *Beneficia*, *& Fata*, quæ omnia docent, ad Cyrum, vel Nehemiam, vel Josuam, vel Zerubbabelem, vel Agrippam, gratis hic quandoque confugere Recutitos, quos imprudenter nonnulli Christianorum ex parte sequuntur; ϐ & prædicitur, hunc *Venturum ante Abolitionem Sacrificii*, *& Terræ Desolationem*, *post Septimanas Septuaginta Annorum*, quarum undecunque repetatur initium, lapsum plenum utique diffiteri nequeunt Judæi, & in quarum determinatione quoad Initium Terminumque simplicissime Scripturam sequuntur illi,

qui *Exitum Verbi* (varium à Cyro inchoatum, sed ab Artaxerxe Consummatum jungunt, & hinc ad Quadriennium ferè post Mortem Christi Annos hos supputant. 4. *Vaticinium Haggæi Cap.* II. 8. 10.[7] & simile *Malachiæ Cap.* III. 1.[8] Ubi utrobique; α ad *Messiam* respicitur, in *Gentium Desiderio*, *Gloriæ Divinæ Implemento*, *Gloriæ Templi*, cæteroquin vilioris, *coll. vers.* 4. *Hezr.* III. 12. (etiam ob Defectus Judæis memoratos, & ex deficiente *Hagg.* I. 8. litera ה probatos,) *Augmento*, *Pacis* promisso, *Domini* denique *Desiderati* & *Angeli Fœderis exspectati* mentione; β prædicitur autem, *venturum* illum *ad Templum*, non Tertium aliquod quod gratis exspectatur, sed secundum *Zerubbabelis*, uti ex demonstrativo ה / & הזה / ex scopo consolatorio, & ex contextu omni liquet, & propterea *ante* ejus *Destructionem*. In quod verè venit Jesus, licet successivè Renovatum, & magnopere Adauctum per Herodem, nunc verò per tot secula irreparabiliter Dirutum venire non potest. Ad quæ omnia inanissimæ *Judæorum* sunt *Exceptiones*, de Adventu Messiæ conditionate determinato, hinc propter Peccata dilato, de eodem alibi Latente, de Inquisitione in tempora Messiæ Indecenti, &c. Quæ facilè, etiam ex *Divisione Temporis Eliana*, in bis mille Annos ante Legem, bis mille sub Lege, & bis mille sub Messia, & *passiva Exspectatione Messiæ* circa tempora Jesu inter Judæos, ad Gentes etiam latè disseminata, &c. confutantur.

[1] *Comm. in Pentat.* [2] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [3] *Exerc. Text.* XVII. P. I. & XIV. P. VI. [4] *Exerc. Text.* XXXII. P. II. [5] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. & *Mant.* VI. [6] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. & *Exerc. Text.* XXV. P. VI. [7] *Comm. in Loc.* [8] *Comm. in Loc.*

Ex Loco Nativitatis, juxta Micham Cap. V. 1.

IX. Accedit *Locus* Nativitatis Messiæ, quem determinavit *Micha Cap.* V. 1.[1] & ex eo agnoverunt *Scribæ Matt.* II. 5. imò & Judæi vulgo *Joh.* VII. 42. Sicuti certum est, ex mentione *Dominatoris* κατ' ἐξοχὴν, *Æterni Exitus*, non certè per Promissionem sed per Generationem, *Spiritualis Regiminis*, *Pacis*, atque hinc oriturae *Excellentiæ Bethlehemi*, de *Davidis Filio Messia* hic agi; vanissimè hujus distinctionem à Domino, & Servilem Jesu Statum objicientibus *Judæis*. Et clarum simul; Jesum in Galilæa educatum, mirabili tamen Providentiæ Divinæ ductu natum esse *in Bethlehem* urbe seu suburbio, ubi & ἐν φάτνῃ *Præsepi* stabulario depositus fuit *Luc.* II. 7. 12. 16.[2] uti cum Euangelista notat *Judæorum Chronicon.*

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XXXI. P. I.

X.

X. *Genus* quoque Messiæ in Prophetis expositum reperimus; α & *generalius* magis, cum *Mulieri*, seu Evæ, *Semo*, & dein *Abrahamo Isaaco & Jacobo*, ut Filius promissus fuit *Gen.* III. 15 [2]. IX. 27. [3] XVIII. 18. [4] XXI. 12. *Num.* XXIV. 17. [5] *&c.* β & *specialius*, nominatâ Tribu *Judæ*, Familia *Davidis*, quam & nominabant olim Pharisæi ipsi *Matt.* XXII. 42. hodieque Judæi nominant, & matre *Virgine*, *Gen.* XLIX. 10. [6] 2 *Sam.* VII. 12. 13. 14. [7] *Jer.* XXIII. 5. [8] *Jes.* VII. 14. [9] *&c.* Quo postremo loco; α Messiæ Nativitatem promitti, liquet ex nomine *Himmanuëlis*, Nativitatis futuræ *Miraculo*, & *Terra* illi assignata *Jes.* VIII. 8. haud obstante ratione *Signi* Achazo hic propositi, cum per futura & majora Divinæ gratiæ & potentiæ documenta præsentia minora promissa Deus rectè confirmet, vel quæ additur ante *Pueri Hujus* adolescentiam Terræ derelictione v. 16. cum hic aut intelligatur Puer alter digito monstratus *Schear Jaschub*, aut innuatur spatium Temporis, quod à Messiæ Nativitate ad ejus Adolescentiam fluxurum erat; β dicitur verò oriturus, non ex *Juvencula*, sed *Virgine*, quam העלמה/ ex origine vocis à *latendo* in paternis ædibus & latente viris ejus nuditate dictæ, & usu perpetuo, *Gen.* XXIV. 43. *Exod.* II. 8. *Psal.* LXVIII. 26. *Cant.* I. 3. VI. 7. etiam *Prov.* XXX. 18. [10] & *Signi* magni datione, & *Chaldeæ* LXXviralisque Versionis consensu, notat. Conferunt vero multi, Veteres & Recentiores, tanquam parallelum, dictum *Jer.* XXXI. 22. [11] de *Fœmina Virum Amplexura*; verum frustra, cum agatur illic, non de Virgine sed *Fœmina* נקבה/ simpliciter, non de Puero sed גבר/ *Viro* robusto, non de Gestatione, sed *Circuitu* vel *Amplexu*, & contextus nos optimè ducat ad insolitum robur, quo effœminati prius Judæorum animi in reditu ex Babele induendi erant, ut exegeses alias obvias mittam. Nec aliter judicamus de *Via Viri in Virgine Prov* XXX. 18. [12] huc quoque à nonnullis tracta.

Ex Genere Israelitico, Tribu Judæ, Familia Davidis, & Matre Virgine, juxta Jes. VII. 14. Quorsum non spectat Jer. XXXI. 22. nec Prov. XXX. 18.

[2] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* III. *&c.* [3] *Exerc. Text.* II. P. IV. [4] *Exerc. Text.* III. P. IV. [5] *Comm. in Pentat.* [6] *Comm. in Pentat.* [7] *Exerc. Text.* VIII. P. VI. [8] *Exerc. Text.* XX. P. VI. [9] *Exerc. Text.* XIV. P. VI. [10] *Exerc. Text.* XIX. P. II. [11] *Exerc. Text.* XXI. P. II. [12] *Exerc. Text.* XIX. P. II.

XI. Hæc omnia in *Jesu Nazareno* concurrunt; qui *Filius Hominis* passim vocatur, ut *Abrahamida* circumcisus fuit, atque ex *Juda & Davide* est ortus; secundum α publicam Apostolorum Prædicationem *Act.* XIII. 23. *Rom.* I. 3. *Hebr.* VII. 24. *&c.* β om-

Quæ omnia ad Jesum Nazarenum applicantur. Etiam Nativitas ex Virgine. Quæ

non ex Voto Speciali. mansit Virgo. Nec necessario credi debet, sed tamen pie creditur, semper Mansisse Virgo.

β omnium obviam Professionem *Matt.* xx. 30. xxi. 9. *&c.* γ & Genealogiam geminam, tum Mariæ apud *Lucam Cap.* iii. tum Josephi apud *Matthæum Cap.* i. quæ & ipsa, quicquid cavillentur *Iudæi*, *Gentiles*, & *Docetæ* veteres, arguit Christi licet à Josepho neutiquam prognati Genus, ob legem de servanda ὁμοφυλίᾳ & συγγενείᾳ in ineundis Conjugiis *Num.* xxxvi. 8. 9. à sanctis, licet minus forte ἐπικλήροις quales Joseph & Maria, religiose servatam, Fœminarumque inter Judæos ad Virorum familiam relationem etiam ante Conjugium consummatum, δ haud pugnante συγγενείᾳ Elisabetæ, dum ob libertatem Tribus Levi ab illa lege, vel hæc respectu generis Materni fuit ex Juda, vel Maria ex Levi similiter. Quin & amplius natus Christus est ex Maria; *desponsata* quidem Josepho, missis rationibus aliis vel minus probabilibus vel ludicris, ut curaretur melius ineunte ætate Christus, certiusque pudicitiæ testimonium Maria haberet, ab infamia simul immunis; sed tamen omnino adhuc *Virgine Matt.* i. 18. 25. *Luc.* i. 34. *&c* Quod Incredibile non debet videri *Gentilibus*, qui plures temere ipsi finxerunt Virginibus Prognatos; nec *Iudæis*, qui Protoplastorum Creationem, fœminarumque Sterilium Fœcundationem credunt, quique Jesum ex Adulterio natum hodie ferentes, majores suos nimiæ negligentiæ ac inscitiæ reos agunt, utpote qui nunquam tale quid Christo objecerunt, neque hoc nomine ex Ecclesia ejecerunt eum. Uti verò ad Euangelii in hoc capite corroborationem contra *Infideles*, (à quibus tamen hic dissentiunt *Muhammedani*,) & nomine Christiano indignos *Cerinthianos* & *Ebionitas*, facere potest simile *Simonis Magi* de se commentum; ita narrationes antiquas, de *Maria in Templo inter Virgines collocata cum cæde Zachariæ*, [1] *& dè Iesu in adolescentia in Sacerdotem electo*, ut *Filio Dei Viventis & Mariæ Virginis*, vere fabulosas, adducere non audemus. Interim non fluxit Virginitas Mariæ ex *Voto*, sive *Parentum*, sive *Ipsius*, quale cum multis aliis fabulis, contra gentis praxin, & Conjugii initi rationem fingunt *Papistæ*; inaniter prætexentes verba *Luc.* i. 34. quæ sive in Præterito per frequentem temporis Enallagen, sive in Præsenti, sive etiam cum respectu ad *Vaticinium Iesaiæ* in Futuro interpretemur, non Votum, sed *Factum* tantum certum arguunt. Nec exigit porrò Fides Christiana, ut *in perpetuum ultra Iesu Nativitatem Virginitas Mariæ* protendatur; quemadmodum prætextu Voti, atque

Ex-

Excellentiæ Virginitatis, & loci *Ezech.* XLIV. 2. allegoricè huc tracti, volunt iterum *Pontificii.* Quibus tamen contra *Helvidianos* & *Antidico-Marianitas* hactenus adstipulamur, ut *Probabilius* esse credamus, *à Mariæ Contactu Conjugali Josephum*, etiam post Nativitatem Jesu, miraculi gratiosi intuitu, *abstinuisse.* Quod non evertitur; α per *Desponsationem* vel *Conjugium* secutum, unde *Viri* & *Uxoris* fuit appellatio, cum hæc ad Cohabitationem inseparatam absque carnali libidine possint restringi; β per Negatum Congressum *Usque ad* Nativitatem Jesu *Matt.* I. 18. 25. cum συνελθεῖν explicetur *vers.* 20. per παραλαβεῖν, & *donec* sæpe non terminum ultimum, sed certum aliquem cum ulteriori continuatione, notet, *coll. Gen.* VIII: 7. XXVIII. 15. 2 *Sam.* VI. 23. *Ps.* CX. I. CXXIII. 2. *Matt.* XXVIII. 20. *&c.* γ per appellationem πρωτοτόκου, *Primogeniti*, Christo tributam, quæ non ad actu natos alios postea sed antea suam habet relationem, & per *masculum aperientem vulvam* exponitur *Exod.* XIII. 12. *Luc.* II. 23. *&c.* δ per *Fratres* Christi alibi memoratos, qui tales non sunt ulli propter communem matrem proximam, sed plures secundum familiarem Hebraismum, ratione *Naturæ* humanæ, *Gentis* Judaicæ, *Affectus* singularis, *Cognationis* denique propinquæ.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

XII. Addimus adhuc contra *Judæos*, reperire nos in *Jesu Nazareno impleta* omnia. I. Quæ *præcedere* debebant *Messiæ Adventum.* Quale quid est, & *Exspectatio* ardens *Mal.* III. I. [1] *coll. Luc.* II. 25. 38. *Mac.* XV. 43. *Joh.* IV. 25. & *Viæ Præparatio* per Prodromum *Eliam*, quæ facta per Johannem Bapt. in Spiritu Eliæ *Jes.* XL. 3. [2] *Malach.* III. I. [3] IV. 5. [4] *coll. Luc.* I. 17. 76. *Matt.* XI. 10. 14. XVII. 12. & spectante huc *Josephi* de Johanne testimonio. 2. Quæ Messiæ *Statum*, *Dicta*, & *Opera* concernunt. Uti sunt *Miseria* summa *Gloriam* maximam præcessura; doctrinæ *Euangelii* gratissimæ *Prædicatio*; ejusque per *Miracula*, maxima, plurima, & publica, Confirmatio *Jes.* XXXV. 4. 5. [5] *coll. Matt.* XI. 4. 5. *Joh.* V. 36. *&c.* quibus & testimonium *Judæi* ipsi in mediis suis blasphemiis dant. 3. Quæ mox erant hunc *Consecutura.* Uti est; α Terræ Israëlis & *Urbis Vastatio Dan.* IX. 27. [6] *&c.* β *Idololatriæ Eversio Jes.* II. 18. 20. *Zach.* XIII. 2. [7] *&c.* quam *Oraculis* ad stuporem Gentium paulatim *silere jussis* successivè perfecit; γ *Gentium* denique *Vocatio*, ex *Gen.* XLIX. 10. [8] *Jes.* XI. 10. [9] *&c.* mirabiliter

In Jesu Nazareno porro impleta Antecedentia, Opera & Gesta, imo Consequentia, Messiæ.

ter instituta, sive Christi humilem Statum, sive Doctrinæ genus, sive Doctores primos, sive docendi Modum, &c. spectemus [10].

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XIX. P. I. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Iuven. Disp.* XV. & XVI. [5] *Exerc. Text.* XVIII. P. VI. [6] *Exerc. Text.* XXV. P. VI. [7] *Comm. in Loc.* [8] *Comm. in Pentat.* [9] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [10] *Orat. de Admir. Christ. Propag.*

Objectiones vanæ Judæorum solvuntur.

XIII. Et sunt oppido debilia, quæ *Iudæi* heic opponunt; *Præjudicia* sc. mera. 1. Vel de *Persona Messiæ*, ut futuro *Rege Mundano*, *Salutem Corporalem* Captivis adducturo, & *Ceremonialem Legem* restituturo. Quæ ex Regis ut *Pauperis* descriptione *Zach.* IX. 9. [1] solita Spiritualium per Corporalia Beneficia Adumbratione, & Ceremonialis Legis Imperfectione, per Fœdus Perfectius corrigenda, satis confutantur. 2. Vel de ejus necessaria à *Iudæis Acceptione*. Dum α sufficit hunc ex Judæis ortum, se iis obtulisse; β Judæorum Incredulitas fœda, & Rejectio, abundanter prædicta est *Ies.* VIII. 14. LIII. 1. [2] LXV. 2. *Psal.* CXVIII. 22. *&c.* γ esseque hos ad Davidem hunc per Resipiscentiam seriam aliquando *reversuros* ex Vaticiniis adhuc speramus. 3. Vel de *Tempore Adventus*. Quasi α *Finis Dierum* hic non Totum Novi Test. Tempus, quod *Ultimum* vere est, sed hujus Postremum Punctum solum notaret, contra magnitudinem & multitudinem rerum in isthoc Dierum Fine agendarum, quæ etiam obstat recentiori quorundam interpretationi, secundum quam *Finis Dierum* Ultimos Vet. Test. Dies notaret; [3] β & quasi *Elias* ipse *Thisbites*, in Joh. Baptista dudum præsens, necessarius foret *Præcursor*. [4] 4. Vel de *Connexis Adventus*. Quasi *Gog & Magog* corporaliter essent mox debellandi, *Mons Domini* localiter extollendus supra alios montes, *Lux Solis & Lunæ* naturalis incredibiliter augenda, *Templum Tertium* ædificandum ex lapidibus inanimatis, *Pax* denique *Temporalis*, & maximè quidem Israeli, adferenda. Quæ omnia ob contextum spiritualiter intelligenda, & vel impleta vel partim adhuc implenda sunt; cæteroquin *Pugnis ex Euangelio* per Satanæ oppositionem orituris, juxta prædictionem *Matt.* X. 24. *Luc.* XII. 51. 5. Vel & tandem de *Iohannis* ipsius *Incredulitate*. Quasi is *Matt.* XI. 1. 2. non magis Discipulorum, quam Sui Ipsius causa, Christum rogasset, dudum ante satis ipse confirmatus *Ioh.* I. 29. 32. 33.

[1] *Comm.*

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [3] *Exerc. Text.* XLV. P. II. [4] *Exerc. Juven. Disp.* XV. & XVI.

XIV. Dolemus vero, non tantum cum *Infidelibus*, Gentilibus & Judæis, sed & nomine tenus *Christianis*, nobis hic esse rem; *Socinianis* sc. qui Mediationem Jesu sic extenuant, ut vix aliquid præter inane nomen supersit, & plurimos heic habeat ipse socios; ac *Pontificiis* etiam, quandò, juxta *Platonicam* Gentilium & Hæreticam ipsius *Simonis Magi* disciplinam, quasi Christo soli diffidentes, vel gloriam illi suam invidentes, *Plures* ponunt *Mediatores*, *Angelos* præcipuè & *Sanctos Cœlites*, hoc nomine ab ipsis quoque *Invocatos*. Quod verbo hic notamus esse; α plane ἄγραφον, nusquam Mediatoris nomine aut re significata per illud his tributâ; β ἀντίγραφον, dum Christus *Unus Mediator* dicitur, eodem pacto quo *Deus Unus* audit 1 *Tim.* II. 5. re eadem alibi quoque inculcata *Act.* IV. 12. *Joh.* XIV. 6. *&c.* γ ἄλογον, ob Christi Sufficientem Bonitatem & Virtutem, ac Creaturarum omnium Defectum multiplicem. Nec juvat illos distinctio inter Mediatorem *Primarium* & *Secundarium*, plane conficta; item *Intercessionis* & *Redemptionis*, α cum hæc duo inseparabilia sint, β & Merita Satisfactionemque pro aliis illi hic Creaturis quoque theoreticè & practicè tribuant. Mediationem Jesu vere tollunt Sociniani. Et Pontificii per junctos Mediatores Plures alios.

XV. Mediator porrò nobis est Christus *secundum Utramque Naturam*, quæ suum ad ἀποτελέσματα confert. Quod patet; α ex Deitatis Humanitatisque in Mediatione palam facta mentione *Act.* XX. 28. 1 *Cor.* II. 8. *Hebr.* IX. 14. 1 *Joh.* I. 7. *&c.* β ac Utriusque ad Muneris Exsecutionem & Beneficiorum Collationem necessario Concursu; γ quemadmodum & Honore illi ut Mediatori, in Fide, Obsequio, ac Invocatione, deferendo. Ubi aberravit α ab una parte *Osiander*, Mediationem Christo secundum Deitatem solam tribuens, propter Efficaciam hinc fluentem; β ab altera *Stancarus* ejus Collega, cum quo vulgò faciunt *Pontificii*, Christum *secundum Solam Naturam Humanam*, ut *formale principium*, Mediatorem statuentes. Qui quidem *Arianismi* & *Eutychianismi* nos hic temerè accusant; & frustra obtendunt. 1. *Locum* Pauli 1 *Tim.* II. 5. Ubi Christus *Homo* appellatur, non ad excludendam ab Officio magis quam à Persona Deitatem, sed ad Fiduciam nostram augendam; estque non Naturæ in abstracto, sed Personæ in concreto nomen; cui mox in Datione Sui Ipsius in Est Jesus Mediator secundum Utramque Naturam.

ἀντί-

ἀντίλυτρον Deitas ſatis apertè tribuitur; quæque ſic à Deo vel ὁσιωδῶς Trino, vel ὑποςατικῶς Patre diſtinguitur, ut ſimul ab Hominibus ut parte altera diſtinguatur. 2. *Rationes*; α ex *Mediatoris* neceſſaria *Diſtinctione* à parte læſa, quæ nec alibi ſemper Totalis obtinet, & hic ob Perſonarum Diſtinctionem in Deo, ac Perſonam Judicis à Patre repræſentatam, ſufficiens eſt; β ex Mediatoris *Subjectione*, quæ Voluntaria Naturam eandem non tollit; γ ex requiſita *Paſſione*, quæ in Perſona Mediatoris tantum neceſſaria eſt, Divinâ Naturâ valorem addente, δ ex *Unitate* denique *Naturæ Divinæ* Tribus Perſonis communis, quæ tamen characterizata heic eſt in Filio, & qua talis ad Munus hoc refertur, perinde ut ad Perſonam Mediatoris.

Mediator eſt Omnium & Solorum Electorum. Etiam eorum qui ſub Vet. Teſt. vixerunt.

XVI. Mediatorem etiam Jeſum dicimus; α non *Angelorum*, uti oſtenſum eſt *Cap.* IX. §. XVI. *&* XXVII. β non *Hominum Singulorum*, juxta *Univerſaliſtarum* variorum opinionem, quod nec *Effectus* Mediationis verus, nec *Opera* Mediatoria Chriſti, ut Prophetæ, Sacerdotis, & Regis, ad omnes extendantur, etiamſi Chriſti Sufficientiam lubentes agnoſcamus; γ ſed *Electorum Matt.* I. 21. *Eph.* v. 23. *&c.* ultra quos Præconium Externum Euangelii tamen extenditur, ut communioris Divinæ gratiæ fructus. Et horum quidem *Omnium*, abſque ætatis, ſexus, conditionis, nationis, temporiſque, diſcrimine ullo, *Gal.* III. 28. v. 6. *Col.* III. 11. *&c.* Unde liquet, eſſe illius Mediationem etiam ad *Veteris Teſt.* tempus extendendam; quatenus Spiritu & Verbo ut *Propheta* tum erudiit Eccleſiam, ac in Promiſſionibus & Typis mactatus prò Eccleſia, actu prò ea ut *Sacerdos* interceſſit, denique ut *Rex* eam potenter gubernavit ac defendit, quod innuunt loca *Act.* IV. 11. *Joh.* XIV. 6. 1 *Tim.* II. 5. *Hebr.* XIII. 8. *&c.* quodque ut Vivus Dei Filius, reſpectu Sponſionis factæ, & certò futuræ Incarnationis ac Paſſionis, præſtare potuit, magis tamen Mediatoris munus adimiplens in Adventu ſuo, Paſſione, Aſcenſione, & adimpleturus adhuc in Hoſtium Deletione, Eccleſiæ Extenſione, Mortuorum Suſcitatione, & habendo olim glorioſe Judicio.

Mediator hic eſt Conſtitutus Conſilio Dei Æterno. Quod etiam per

XVII. Id adhuc ſupereſt, ut de *Modo* dicamus, quo *ipſe Mediator factus eſt.* Ubi adſcendere debemus primum ad infinitam *Dei Sapientiam*, quâ Mediatorem hunc hominibus cæcis incognitum reperire potuit; ejuſque Æternum *Conſilium*, quo actu cum ta-

talem constituit, quod sub nomine fortè *Statuti Psal.* II. 7.[1] & *Unctionis Prov.* VIII. 23. *Electionis Jes.* XLII. 1. *Sanctificationis Joh.* X. 36. *Præcognitionis* 1 *Petr.* I. 20. *Constitutionis Hebr.* I. 2. *&c.* venit. In isthoc verò Consilio cum Filius à Sui parte spondeat Præstationem Paternæ voluntatis prò Electis, hinc *Sponsor* dictus *Hebr.* VII. 22. solent Theologi illud quoque considerare per modum *Pacti Æterni Patrem inter & Filium*, quod fundamentum sit Pacti in tempore cum Electis initi; ducente illuc, α non tantum *Sponsionis* natura, sed β & Patris διαθήκη *Luc.* XXII. 29. γ appellatione *Dei Christi* quæ Patri datur *Psal.* XLV. 8.[2] *Joh.* XX. 17. 1 *Petr.* I. 3. *&c.* Atque in hoc Pacto. 1. *Stipulatur* Pater à Filio *Obedientiam plenam ad Mortem* prò Electis *Jes.* LIII. 10.[3] *Joh.* X. 18. *&c.* quæ Incarnationem, Prædicationem, ac reliqua omnia Salvatoris Opera, includit. 2. *Promittitque* illi numerosum *Electorum* ex omni gente *Semen*, quorum ille, ut à se liberatorum, futurus sit *Gloriosissimus Dominus*, *Psal.* II. 8.[4] *Jes.* XLIX. 6. 7. 8. LIII. 10. 11.[5] *&c.* 3. Filius vicissim *Adstipulatur* Patri, se *Obedientiam* hanc præstiturum *Ps.* XL. 7. 8. 9.[6] *Joh.* IV. 34. *&c.* 4. Et *Restipulatur* simul *Mercedem* promissam *Job.* XXXIII. 24[7]. *Jes.* XLIX. 4. L. 8. *Joh.* XVII. 5. *&c.* Addi quoque solet, ad Pacti hujus Confirmationem *Sacramenta* spectasse, quibus *Christus* usus est; quatenus Fœdus Gratiæ per illud Christo & Semini ejus fuit obsignatum. Atque hinc porrò derivatur *Meritum Christi prò Se*, quod tamen in Bonum Electorum iterum tendit.

Modum Pacti inter Patrem & Filium solet considerare.

[1] *Exerc. Text.* XV. P. III. [2] *Exerc. Text.* XIII. P. I. & *Anal. Exeg. post Cant.* [3] *Anal. Exeg. Ies.* LIII. [4] *Exerc. Text.* XV. P. III. [5] *Anal. Exeg. Ies.* LIII. [6] *Exerc. Text.* XXIII. P. V. [7] *Mant.* III. *post Anal. Exeg. Ies.* LIII.

XVIII. Ista sic benè pieque dicuntur, & hodie magis quam antea inculcantur. Fatendum tamen est, *Loca ad Partes Fœderis* comprobandas adducta magis spectare *ad Exsecutionem ejus in Tempore*, quam quidem ad ipsam Pactionem Æternam, uti ex examine & contextu illorum apparet. Adducuntur etiam sæpe *Loca alia* ad rei hujus probationem, quæ nobis quidem plane videntur ἀπροσδιόνυσα. Qualis est. 1. Utique *Psal.* XVI. 2.[1] Quasi ibi foret *Adlocutio Patris ad Filium*, narrantis Filii Voluntariam Subjectionem, suamque in præstita Obedientia Complacentiam; & non verius, ex integro contextu, phrasi, adhibito Fœminino

Loca quædam notantur, quæ ad istud Fœdus minus spectare videantur.

Genere, & Soliloquiis in Scriptura plurimis, *Adloquium Davidis*, typice Christum quoque repræsentantis, ad *Animam* suam, quâ Dei summam Beatitatem Obedientia nostra neutiquam augendam declaravit. 2. Tum *Zach.* VI. 13.[2] Quasi *Consilium Pacis inter Duos Illos* notaret Pactum Patrem inter & Filium de Pace, vel inter Judæos & Gentes futura, vel Homini cum Deo procurandâ; & non verius, ne alias plures nunc memorem exegeses, loquens hic ipse in Persona Prima Jehovah intelligeret per *Duos Illos* in Persona Tertia *Regem* & *Sacerdotem* promissum proximè, arctissime conspiraturos in Ecclesiæ Bonum in Uno Christo; vel etiam, si de Filio & Patre agatur, in Futuro Illius Incarnati ac Munera exercentis cum Patre Harmonia perpetua innueretur. Ad Decretum utique Æternum, absque nimia vi, & textus conversione, *Futura* hæc juxta præcedentes omnes *Promissio* referri non potest, ut *erit* exponatur per *fuit*, aut *fuisse monstrabitur*; cujus necessitas nullo hactenus argumento est adstructa. 3. Etiam *Gal.* III. 17. Ubi in διαθήκη προκεκυρωμένη respicitur, non ad Æternam Pactionem, sed ad *Fœderis Gratiæ Confirmationem*, factam ante Legem tempore Abrahami, quæ ad Christum ut Semen Benedicens Abrahamum ducebat; quo sensu v. 16. Promissio non tantum *Abrahamo*, sed & consequenter *Semini ejus*, h. e. Christo, *dicta* ferebatur.

[1] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [2] *Exerc. Misc. Disp.* VI. & *Comm. in Loc.*

Juxta Constitutionem hanc Immutabilem Christus ut Mediator in Tempore est Manifestatus, Delineatus, Missus, Unctus, Muneri admotus, & latissime per Euangelium Revelatus.

XIX. Secundum Æternam vero hanc *Constitutionem*, verè *Immutabilem*, à parte *Patris* ob Juramentum *Psal.* CX. 4.[3] & à parte *Filii*, qui ob stabilem Dei Fratrumque Amorem Sponsioni à Patre propositæ *obluctari*, aut semel voluntariò susceptæ se postea *subducere non potuit*, quicquid contrarium fingant, Prædestinationem Mutabilem asserturi, *Remonstrantes*; secundum eam, inquam, mox hominibus ut Mediator *a Manifestatus* est in *Prot-Euangelio*, per innumeras postea *Promissiones* explicato latius; *b Delineatus* in *Typis*,[4] tum *Eventualibus*, ut Noachi in Arca per Aquas salute, Abrahami mandata τεκνοθυσίᾳ, Aquæ & Mannæ in Deserto suppeditatione, Ænei Serpentis Erectione, &c. tum *Realibus*, ut Sacrificiis, Tabernaculo, Arca, Propitiatorio, &c. tum *Personalibus*, ut Sacerdotibus, Mose, Josua, Davide, Salomone, &c. quos equidem latiori sensu *Imaginis* seu *Similitudinis* nu-

nudæ plurimos ubique reperire licet, sed in quibus sensu Theologico & strictiori *Imaginis Præsignificantis*, præter *Convenientiam*, necessaria est Probatio *Divinæ Destinationis* ad adumbrandum Antitypum, sive à priori sive à posteriori, sive generalis sive specialis, quæ haud paulo difficilior est; γ actu *Missus* in mundum, in Præstituti *Temporis* Adultæque Ætatis *Plenitudine* per Incarnationem; δ solenniter *Unctus*, variis quidem gradibus, sed potissimum & visibiliter in Baptismo; ε *Admotus* ad Muneris administrationem actualem olim quidem, sed clarius in publica Euangelii Prædicatione, quam Oblationis Implementum secutum est; ς *Revelatus* latissimè, postquam ad Dextram Patris solenniter exaltatus ipse Spiritum copiosè misit, & per hunc se ut Mediatorem omnibus terræ universæ finibus annunciari fecit; ζ videndum se ut talem omnium oculis adhuc clarissimè præbiturus *in Novissimo Judicio*.

[3] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [4] *Exerc. Text.* XLII. P. V.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Persona Jesu Christi.

MEdiatoris qualiscunque intuitus cum animam fidelem salutisque suæ studiosam non satiet, nec satiare possit, *Personæ*, *Officii* omnis, & *Status*, conspectus hic dari debet uberior. Et PERSONAM quidem ejus non melius declarare nos posse autumamus, quam justa expositione, α *Nominum* ejus, β *Naturarum*, γ *Unionis* harum, δ & *Effectuum* ex ea fluentium. Specialior declaratio Personæ Jesu Nazareni.

II. NOMINA ejus *Propria*, quæ in ipso ut fratribus simili necessaria fuerunt, quæque dignitatem ipsius nobis aptè declarant, Duo notissima sunt, *Iesu* scil. & *Christi*; posita quidem frequenter separatim, vel ordine inverso 1 *Tim.* I. 15. II. 5. *Hebr.* III. 1. *&c.* sed tamen sæpissime sic juncta, ac in isthoc *Vocum Ordine* observato mysterio, Salutis Judæis ante Gentes ab hoc adducendæ & offerendæ, uti *Conjunctionem* Utrorumque Salutem innuere volunt. Est enim nomen JESU non Græcæ originis, quamquam commoda hic sit allusio Veterum ad verbum ἰάομαι *sano*, unde forte *Jasones* dicti, & alterum ἵημι *mitto*, sed Hebrææ; derivatum nempe ab A Nominibus, quorum primum est Jesus. Cujus exponitur Etymon & Significatio;

הושיע / *Salvare*, unde familiari additione Literæ *Iod*, Formativæ Nominum Propriorum, fit *Jehosuah*, & contracte *Josuah*, ac apud Chaldæos Syrosque *Jesuah*, prò quo per abbreviationem primum innocuam, hodie verò per blasphemiam Cabbalisticam dicunt Judæi ישו / *Jesu*, juxta initiales literas vocum, vel ימח שמו וזכרו / vel ישו שקר ותועבה / aliis simili lusu melius adducentibus Jacobi illud ex *Gen.* XLIX. 10. יבא שילה ולו / & pro quo ponunt terminatione mutata Græci Ἰησοῦς *Act.* VII. 45. *Hebr.* IV. 8. Latinis quandoque scribentibus cum aspiratione *Ihesus*, & *Iesuitis* illud ferè etiam mutantibus in suum IHS. Posita verò hac origine vocis, frustraneæ sunt conjecturæ ulteriores, de Nomine hoc composito, vel ex יהוה / & איש / ad notandam Christi Utramque Naturam, vel ex יהוה / & שוע / ad exprimendum ejus ad Dominum Confugium, vel ex יהוה / & הושיע / quod statuunt Viri quidam Eruditi, ob α Nomen Tetragrammaton illud vere juxta ejus Significationem Christo competens, β Literas Nominis ejus Priores hic repertas, γ & nomen *Hoseæ* olim in alterum *Jehosuæ* mutatum *Num.* XIII. 19. haud absque mysterio Deitatis Christi quem Josua præfigurabat. Quos tamen hic non possumus cum fiducia sequi; α ob simpliciorem Angeli Interpretationem *Matt.* I. 21. β regularem satis derivationem ab הושיע absque conjunctione Nominis Iehovah; γ radicis ipsius perditionem, si priores Tres Literæ ad nomen Jehovah pertineant; δ mysterium denique in mutato *Hoseæ* Nomine aliud, quam Messiæ Deitatem, non unum, sed præcipuum, ut innueretur, per Jod Characteristicum quoque Futuri, Salutis corporalis per eum Israëli adducendæ Certitudo.

Id nomen aliis olim commune, tributum etiam est Salvatori nostro. In quo habet Plenitudinem Significationis. Quæ ab Hæreticis variis tollitur. Superstitio circa nomen hoc vitanda.

III. Nomen hoc adeo origine non tantum *Hebræum* est, sed & *apud Hebræos familiare* fuit; factumque credi debet speciali Providentiæ Divinæ ductu, quod nomen idem *Iosuæ* habuerint, ne memorem *Bethsemitam* 1 *Sam.* VI. 14. unus *Filius Nun*, & alter *Filius Iotsedek Hagg.* I. 12. uterque Typus insignis nostri *Iesu*, ille in Populi Ductu in Canaaneæ possessionem, ad quem non aptus erat Moses, hic in Populi & Templi Restitutione post Captivitatem Babylonicam. Ut *Nomen* hoc Salvatoris α rectè dicatur *Prædictum* esse, tum in his Typis, tum Locis, ubi Dominus se מושיע / *Salvatorem* proclamat *Ies.* XLIII. 11. & Regem Tsionis describit ut נושע / *Salutarem* potius quam vel *Salvantem* vel *Salvatum*, *Zach.* IX. 9. [1] *coll. Ps.* LXVIII. 20. 21. [2] *Ies.* XXV. 9. [3] *&c.* β sic-

ſicuti eſt *Præſcriptum* Divino juſſu per Angelum ante Nativitatem *Matt.* I. 21. *Luc.* I. 31. γ & *Datum* ſolito more in Circumciſione *Luc.* II. 21. in qua per Sanguinis fuſionem mox Salvatio Electorum ſuſcepta & declarata fuit. Competit itaque hoc Nomen excellentiori modo Mediatori quam omnibus aliis; tum ob antecedentem Dei Juſſum; tum ob Rei ſignificatæ Plenitudinem veram, dum Jeſus Autor eſt princeps unus & perfectus, certæ & plenæ ſalutis, per mali ſummi ablationem bonique collationem, tum acquiſitæ merito tum applicatæ efficaciâ Spiritus, *Ieſ.* XII. 2. *Luc.* II. 30. *Act.* IV. 12. *Ioh.* XIV. 6. *Eph.* V. 23. *&c.* Quam Nominis hujus gloriam ipſi auferunt; α *Sociniani*, ad *Doctrinam & Exemplum* Salvatoris titulum reſtringentes; β *Arminiani*, Salutis *Impetrationem* ab incerta ſecundum eos Applicatione ſeparantes; γ & *Pontificii*, inter Jeſum Hominemque ipſum, quin & Homines alios ac Angelos, *Salutis Opus dividentes*, ne temere adoptatum ab Ordine celebri *Ieſuitarum* nomen, aut Franciſcum *Minoritarum Ieſum Typicum* addam. Uti à Perſona ad Literas ſuperſtitioſe gloriam debitam transferunt; α qui ex *Pontificiis* ad collum vel ædes Nomen hoc certo ritu ſcriptum tanquam Prophylacticum vel Apotropæum ſuſpendunt, aut Literis prolatis, tanquam dignioribus Dei Nomine Tetragrammato, vim magicam tribuunt; C ſimiliter qui, cum *Pontificiis* & *Lutheranis*, Honorem Externum Nomini prolato vel ſcripto deferunt. Prætextu vano; α maximè loci *Phil.* II. 10. ubi *Nomen* ipſam Perſonam Dignitatemque Chriſti Cognitam notat, ex collatione v. 9. & *Ieſ.* XLV. 23. *&c.* ſive conſideretur Chriſtus ibi ut Ultimum Cultus Objectum, ſive ut is per quem Patrem invocamus; β tum *Miraculorum* per hoc Nomen factorum *Act.* III. 6. IV. 10. XVI. 18. XIX. 13. ubi iterum Autoritas Chriſti Fideſque in eum innuitur.

[1] *Exerc. Text.* XXIV. P. I. [2] *Exerc. Text.* XX. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XVII. P. VI.

IV. Alterum Christi nomen *Græcum* eſt, notatque juxta Hebræum משיח / *Meſſiæ*, *Unctum* *Joh.* I. 42. IV. 25. Pro eo *Gentiles*, ſive per ironicum ἐκφαυλισμὸν, ſive per ignorantiam veræ originis, ſive per confuſum potius ob ſoni viciniam τὸ η cum τῷ ι dixerunt *Chreſtum*, ludentibus egregiè in commodo *Benignitatis* ſignificatu *Veteribus*. Commune hoc fuit *Unctis* omnibus, quales erant olim; α *Prophetæ*, vel omnes vel aliqui, ex *Pſal.* CV. 15.

Alterum Nomen Chriſti, olim Prophetis, Sacerdotibus, & Regibus datum.

15. & exemplo *Elisei* 1 *Reg.* XIX. 16. ubi Unctio Regis & Prophetæ pariter & similiter mandata est, & similiter propterea instituta à Fideli Servo Dei credi debet, etiamsi non ita explicitè hæc v. 19. quam illa fortè 2 *Reg.* IX. 1. memoretur, perperam id propterea negantibus nonnullis *Veteribus*, *Pontificiis*, quin & *Reformatis*, ac confugientibus ad Metonymiam Signi, quæ hic nimis sanè dura est, si nunquam in Prophetis Unctio obtinuerit; β *Sacerdotes*,[2] ex mandato *Exod.* XXX. 30. *coll. Lev.* VI. 22. *Psal.* CXXXIII. 2.[3] *&c.* quod ad *Primi Templi* tempus, solosque *Pontifices*, primos *Aharonis Filios*, & *ad Bellum Unctos Sacerdotes* ex *Deut.* XX. 2. restringunt *Judæi*; γ tandem *Reges*,[4] juxta exemplum Saulis, Davidis, Salomonis, &c. appellationemque Regibus, etiam peregrinis uti Cyro *Jes.* XLV. 1. hinc datam. Quamquam iterum *Judæi*, forte minus recte, Unctionem hanc restringant ad eos, qui vel *Primi in Familia* ad regnum ascendebant, vel *Competitores* alios habebant; & præterea Regibus ex tribu Juda vindicent, tum *Oleum Mosis Sacrum*, tum Unctionem *ex Cornu*, durabili præ Lagenâ; uti & hi *Formam Unctionis* Sacerdotum & Regum distinguunt.

[1] *Exerc. Text.* XI. P. I. [2] *Exerc. Text.* IV. P. I. [3] *Exerc. Text.* XXIII. P. IV. [4] *Exerc. Text.* IX. P. I.

Per Excellentiam Jesu competit. Cujus Unctio multiplex exponitur. Recte ab eo fideles Christiani dicuntur. Nominis hujus apud Hereticos lætio.

V. Vindicatur idem Nomen Mediatori, tum in Prophetarum Vaticiniis 1 *Sam.* II. 10.[5] *Psal.* II. 2.[6] *Dan.* IX. 25. 26.[7] tum in credentium sermone illinc petito *Matt.* I. 16. *Joh.* I. 42. *&c.* Et optime quidem; dum α concurrit in hoc Mediatore *Triplex Munus*, de quo *Cap.* XX. β & *Unctio* ad illud, tum *Æterna*, notans ejus Prædestinationem *Prov.* VIII. 23. *Jes.* LXI. 1. *&c.* tum *Temporalis*, notans & *Declarationem* variis modis gradibusque successive in Euangelicis Promissionibus, Nativitate, Cœlesti Testificatione, Passionibus, & Gloria omni consecuta factam, & *Collationem Donorum* Spiritus, cum Oleo comparati, ob præstantiam, vim penetrantem, emollientem, exhilarantem, &c. *Psal.* II. 6[8]. XLV. 8.[9] *Joh.* III. 34.[10] *Actor.* X. 38. *&c.* Quæ Abundantissima, non tamen Infinita planè fuit, hinc quoque Gradatim facta est, in Nativitate, Progressu Ætatis *Luc.* II. 52. Baptismo *Matt.* III. 16.[11] & Exaltatione summa *Psal.* LXVIII. 19.[12] *coll. Eph.* IV. 8. alludentibus hic quibusdam ad Ter factam Davidis Unctionem 1 *Sam.* XVI. 13. 2 *Sam.* II. 4. V. 3. Nomen verò hoc Christi

non

non lædunt *Christiani*, appellationem hanc ab ævo *Antiochiæ* primum & hinc ubique nacti, *Act.* XI. 26. XXVI. 18. 1 *Petr.* IV. 16. &c. nullâ hinc vel *Urbis* illius vel *Petri* Prærogativâ colligenda; quod merito gerunt Fideles, α ob suam ut Discipulorum, Subditorum, Servorum, Filiorum, Fratrum, Membrorum, & Conjugis, ad Christum relationem, β ob Unctionis utilissimæ & gloriosissimæ cum eo Communionem *Psal.* XLV. 8. [13] 2 *Cor.* I. 21 [14]. 1 *Joh.* II. 20. 27. *&c.* γ denique ob spiritualem cum eo Participationem dè Triplici Munere, *Joël.* II. 28. 29. [15] 1 *Petr.* II. 9. *Apoc.* I. 6. [16] *&c.* Quæ in praxi latissimè ostendi solent. Lædunt vero omninò gloriosum hoc Domini nomen; & *Sociniani*, in Munera Christi nefariè involantes; & *Pontificii*, Pluribus similem Unctionem tribuentes; & *Schismatici* omnes, qui juxta varios Pontificios Monachorum Ordines, Nomina Humana sibi sumunt, contra interdictum Pauli, rationesque plures quibus id muniit 1 *Cor.* I. 12. III. 4. *&c.*

[5] *Exerc. Text.* VII. P. VI. [6] *Exerc. Text.* XV. P. III. [7] *Exerc. Text.* XXV. P. VI. [8] *Exerc. Text.* XV. P. III. [9] *Exerc. Text.* XIII. P. I. [10] *Exerc. Text.* XXXIV. P. II. [11] *Exerc. Text.* XXVII. P. III. [12] *Exerc. Text.* XVIII. P. III. [13] *Exerc. Text.* XIII. P. I. [14] *Exerc. Text.* XL. P. I. [15] *Comm. in Loc.* [16] *Comm. in Loc.*

VI. Præter hæc Nomina Duo Propria, notamus, Plura tribui Messiæ apud Prophetas, *Himmanuelis* scil. *Ies.* VII. 14. [1] *Admirabilis*, *Consiliarii*, *Dei Fortis*, *Patris Æternitatis*, *Principis Pacis*, *Ies.* IX. 5. [2] *Germinis Zach.* VI. 12. [3] *Iehovæ Iustitiæ Nostræ Ier.* XXIII. 5. 6. [4] *Davidis Ier.* XXX. 9. *&c.* atque etiam plura notari à Judæis, *Iinnon*, *Chanina*, *Menachem*, *Leprosi*, *&c.* quibus non tam Appellatio Messiæ innuitur, quam qualis re ipsa *Futurus*, *qualem se Demonstraturus*, *& pro quali Agnoscendus esset*. Jesu quoque nostro Nomina dantur, Gentilitia vel Patronymica. α *Galilæi*; quo per contemptum cum Discipulis illic natis vocatus est Dominus ibi educatus & revelatus primum *Matt.* XXVI. 69. *Marc.* XIV. 70. *Act.* II. 7. *&c.* & quo odium contra victorem Jesum declarasse adhuc Julianum Imperatorem morientem, ferunt ex incerta fama Veteres Christiani, obloquentibus Gentilibus. β *Nazareni*, ναζαρηνȣ̃, & ναζωραίȣ, *Marc.* I. 24. *Ioh.* XIX. 19. *Act.* II. 22. XXII. 8. *&c.* Quod fluxit ex Habitatione Na-

Varia alia Nomina apud Prophetas. Etiam Patronymica in Euangeliis. Inter quæ nomen Nazareni, quod quo sensu à Prophetis prædictum sit, declaratur. Et nomen Filii Josephi. Impia apud Talmudicos appellatio Ben Stada.

Nazarethana, & fuit simul prædictum à *Prophetis Matt.* II. 23 [5]. Non loco aliquo uno hodie deperdito, uti volunt post *Patres* quosdam *Pontificii*, contra phrasin *Matthæi* forte ipsa verba non spectantis, & plures potius quam Unum Prophetam citantis; non etiam *Ezech.* XVII. 22. [6] *coll. Luc.* IV. 29. ubi Christi post mortem glorificati Prædicatio, vel in Ecclesia vel in integra terra Judæa, innuitur; nec *Jer.* XXXI. 6. ubi per נוצרים simpliciter significantur *Custodes*, estque inanis ad *Nazarenorum* nomen per contemptum Christianis datum quorundam allusio; forte nec ubi, vel similis *Soni Nomen* datum, sive Typis Christi, illud נזיר *Gen.* XLIX. 26. *Iud.* XIII. 5. *Num.* VI. 2. sive *Christo* ipsi, illud נזר sc. *Iob.* VII. 20. *&c.* vel proposita *Res per Nomen hoc Significata*, sc. Excellentia, & Segregatio Sancta, tum & Conversatio in Galilæa apud humiles & hinc enatus Contemptus *Ies.* VIII. 23. IX. 1. *Zach.* XI. 7. *&c.* sed ut putamus clarissimè, ubi Christus sub nomine *Germinis*, aliisque cognatis, venit passim, dictus נצר/חטר/ &c. *Zach.* III. VI. *Ies.* IV. *Ier.* XXIII. XXXIII. *Ies.* XI. 1. *&c.* Transiit verò & hæc Appellatio per contemptum ad Christianos omnes *Act.* XXIV. 5. *coll. Ioh.* I. 47. VII. 52. speciatim quoque vindicata *Iudaizantibus* Hæreticis. γ *Filii Davidis*, *Matt.* I. I. IX. 27. XXI. 9. 15. *&c.* quod ex Davide Oriturum & Ortum eum esse, ejusque fore hunc Successorem, palam constaret *Matt.* XXII. 42. δ *Filii Iosephi*, & *Fabri*, *Matt.* XIII. 55. *Ioh.* VI. 42. *&c.* juxta communiorem sc. non tamen universalem, de eo Opinionem *Luc.* III. 23. Quo refer omninò Appellationem Talmudicam *Ben Stada*, sive *Filii Adulteræ*; quâ notasse *Iudæos*, quicquid negent recentiores & Christiani quidam, Jesum nostrum, liquet, α ex nota Judæorum blasphemia de Christo *Spurio*, β nomine *Mariæ* matri dato, γ *Pandiræ* mentione, quod cognomen majoribus sive Mariæ sive Josephi tribuitur à *Veteribus*, δ iis denique quæ ipsi porro tribuuntur, qualia sunt *Populi Seductio*, *Magiæ Peritia*, *Suspensio in Vespera Paschatis*, *&c.* Adversus quæ omnia gratis quædam cum Euangelio ac inter se pugnantes Circumstantiæ objiciuntur, quæ partim Inscitiæ, partim Malitiæ, partim Prudentiæ Politicæ Judæorum, tribui debent.

[1] *Exerc. Text.* XIV. P. VI. [2] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [3] *Exerc. Misc. Disp.* VI. [4] *Exerc. Text.* XX. P. VI. [5] *Exerc. Text.* XXVI. P. IV. [6] *Exerc. Text.* XXIII. P. VI.

VII.

Post Nomina sequitur Natura Gemina, quarum prima est Divina, characterizata in Persona Filii Ut non debeat Natura, sed Persona Divina dici Incarnata.

VII. Nunc ad NATURAS accedimus, quæ secundum requisitam Mediatoris qualitatem, & Vaticinia plurima, & Novi Test. effata luculenta, atque ipsa tandem Attributa ac Opera Jesu, in ipso *Duæ* agnosci debent, *Divina & Humana*. DIVINAM Naturam asseruimus latè *Cap.* V. §. XXI. XXII. & clarè illa proponitur *Joh.* xx. 28. *Act.* xx. 28. *Tim.* III. 16. *&c.* ubi ob prædicata locis his addita Patrem intelligere non possumus. Est vero ea hic neutiquam consideranda simpliciter in se, uti *Tribus Personis* est communis, sed quatenus terminatur & characterizatur in *Filio*; α ob nomen *Filii*, quod gerit ubique Jesus, *Matt.* III. 17. *Ioh.* V. 20. *Gal.* IV. 4. I *Ioh.* IV. 14. *&c.* β *Unitatem Mediatoris*, quæ Tribus Deitatis Personis si Incarnatio tribuatur salva satis esse nequit I *Tim.* II. 5. γ *Unitatem Naturæ Humanæ*, quæ ut Finita Tribus Personis communis esse non potest; δ *Mediatoris* Christi tandem à Deo reconciliando *Distinctionem*, quæ alias plane tolleretur. Quod tenemus, tum contra *Patripassianos* veteres, tum contra *Scholasticos* varios, & *Lutheranos* quoque; à quibus Incarnatio sive Actualis sive Possibilis *Naturæ Divinæ*, non *Personæ*, tribuitur, phrasi omninò incongrua. Licet α *Inchoative & Effectivè concurrant ad Incarnationem*, & consequenter etiam Salvationem, *Personæ Tres*, quod similitudine Vestis, à pluribus Consutæ sed ab uno Indutæ, dudum illustrarunt *Veteres*; β & *Totam* habeat *Essentiam Divinam Filius*, hinc *Deus* hypostaticè dictus, *Eandemque Numero cum Patre*, non tamen propterea *Eundem cum Patre Subsistendi Modum* habens, secundum cujus diversitatem Uni Personæ aliquid peculiare esse potest; γ & *nos Deo Triuni* simus *uniendi*, cum hæc non sit Unio Personalis, sed gratiosæ tantum Communicationis & Fruitionis. Cur verò *Deus Filius* magis, quam Pater vel Spiritus, *Mediatoris munus* susceperit plures, dantur rationes: quod scilicet, α ob ordinem & *mitti & mittere* potuerit, β *media* foret *Persona* naturaliter, γ *per quam* omnia primum *creata*, δ *Imago Patris*, ε *Filius* filios nos facturus, ς & *Amoris Divini* maximum *Signaculum*, *&c.*

Altera Natura Humana est, cujus asseritur Veritas.

VIII. Altera Natura HUMANA est. Cujus ante omnia asserenda erit *Veritas*, opposita nudæ *Apparentiæ* Externæ. Quam directè olim negarunt *Simoniani*, *Cerdoniani*, *Marcionitæ*, *Manichæi*, *Proclianitæ*, *&c.* communi *Docetarum* vel *Docitarum* nomine propter hoc dogma appellati, atque à *Johanne* ad literam notati

tati 1 *Joh.* IV. 2. 3. indirectè verò *Aphtardocetæ*, & quotquot vel Integritatem humanæ Naturæ lædunt, vel Qualitates ejus Essentiales. Contra quos omnes urgemus; α appellationem *Hominis*, *Virique*, obviam *Rom.* V. 15. 1 *Cor.* XV. 21. 1 *Tim.* II. 5. *Act.* II. 22. *&c.* nec temere ad Formam Externam referendam; β nomen *Filii Hominis Matt.* XX. 28. XXVI. 24. *Joh.* I. 52. V. 27. *&c.* quo non tantum ad Humilitatem, ac Prot-Euangeli Promissum, sed & ad Veritatem Naturæ respicitur; γ *Historiam totam*, Nativitatis, Educationis, Conversationis in terra, Gestorum, Passionum, & Gloriæ insecutæ, quæ omnium ferè *Sensuum* testimonio comprobata fuit 1 *Joh.* I. I. *Luc* XXIV. 39. *Joh.* XX. 27. Ut nulla prorsus ratione conferri possint *Apparitiones* ad breve momentum olim in forma visibili factæ; nec mereantur ferè considerationem Objectiones I. Ex locis *Rom.* VIII. 3. *Phil.* II. 7. 8. Quibus α vel de *Similitudine* nuda *Carnis Peccaminosæ*, per Mala indita & immissa, agitur; β vel *Similitudo Vera & Universalis* cum aliis Hominibus clare significatur. 2. Ex factis Christi, qui ἐγένετο ἄφαντος *Luc.* XXIV. 31. & *foribus clausis* se stitit in medio *Joh.* XX. 19. Cum prius non contigerit evanescendo, sed *Subductione sui* ipsius celerrima; & posterius *Tempus* innuat *Vespertinum Metumque Apostolorum*, non Modum Ingressus per fores clausas. 3. Ex *Perfectionibus & Operationibus Divinis.* Quæ cum Imperfectionibus Humanis junctæ alteram hanc Naturam non excludunt.

Dein ejusdem Integritas. IX. Est Natura hæc Humana *Integra.* Dum habuit Christus, & *Corpus* humanum, *Carnem*, *Sanguinem*, *Ossa*, *Caput*, *Manus*, *Pedes*, reliquaque Membra omnia, *Matt.* XXVI. 26. *Hebr.* X. 5. *Joh.* I. 14. *Hebr.* II. 14. *Joh.* XIX. 36. *Matt.* VIII. 20. *Luc.* XXIV. 39. *&c.* & *Animam*, Intelligendi & Volendi *Facultatibus Rationalibus* præditam, *Matt.* XXVI. 38. [1] *Luc.* XXIII. 46. *Marc.* XIII. 32. [2] *Matt.* XXVI. 39. [3] *Joh.* V. 30. VI. 38. &c. Quod tenendum contra *Arianos*, *Carnem* Christi ἄψυχον *inanimatam* statuentes; *Apollinaristas*, ac *Enthusiastas* varios, *Deitatem* Animæ loco obtrudentes; *Monothelitas*, *Unam* solum *Voluntatem* in Christo agnoscentes; *Eutychianos* denique omnes, qui *Humanam Naturam* ita *cum Divina Confusam* fuisse urserunt, ut illa per hanc absorpta foret. Nequaquam autem ipsos juvat; α *Carnis* frequentissime Christo tributæ mentio *Ioh.* I. 14. 1 *Tim.* III. 16. *&c.* Cum hæc minimè excludat Animam, synecdochicè pars Visibilis Invisibilem simul no-

notet, & alibi de *Spiritu* legamus; β *Contrarietas* ex Humanæ Divinæque Voluntatis diversitate oritura, quæ ob Humanæ Subjectionem liberam hic non est mutuenda. Nec obstat etiam *Propriæ Personalitatis Defectus*, postea asserendus; cum illa ad Naturæ Constitutionem non pertineat, & gloriosissimè per Unionem Personalem τȣ̃ λόγȣ compensetur.

[1] *Exerc. Text.* XXXIII. P. V. [2] *Exerc. Text.* XXXII. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XXXIV. P. V.

X. Ad Integritatem hanc adjicimus *Qualitates* Naturæ Humanæ; α tum *Essentiales*, uti est *Dependentia* & *Finita* perfectio, ab *Enthusiastis* quandoque delirè negata, & in specie Animæ *Invisibilitas*, *Inscitia* naturalis, *Libertas*, *&c.* Corporisque certa *Quantitas*, *Præsentia* determinata, *Visibilitas*, *Palpabilitas*, *&c.* quæ neque in Glorificatione sunt depositæ; β tum *Accidentales*, etiam eas, quæ ex Peccato ortæ sunt, & hinc *Imperfectiones Miserabiles* dicuntur, uti sunt *Tristitia*, *Fames*, *Sitis*, *Fatigatio*, *Matt.* XXVI. 38. [4] *Joh.* XI. 35. *Matt.* IV. 2. *Joh.* XIX. 28. IV. 6. *&c.* & quæ post Exinanitionem cessarunt. Ubi tamen duplici restrictione opus est; α ad *Imperfectiones* sc. ex *Communi* lapsæ naturæ *Necessitate* ortas, non ex peculiari quadam causa singulis propria, quod in *Morbis Corporeis* videmus, hinc Christo nusquam tributis; β dein ad *Imperfectiones Culpa* omni *Carentes*. Dum à Christo arceri debet omne *Peccatum* simul & *Peccandi Potentia* omnis; ut α Sanctissimo in ipsa Nativitate *Luc.* I. 35. *Hebr.* VII. 26. & in Vita universa 2 *Cor.* V. 21. *Hebr.* IV. 15. 1 *Petr.* II. 22. *&c.* β & ipso Θεανθρώπῳ, quem non obstante Unione Personali τȣ̃ λόγȣ, & excellenti Spiritus Unctione, *potuisse* tamen & *peccare* & æternum *damnari*, intoleranda *Scholasticorum* quorundam est blasphemia, à *Remonstrantibus* temere defensa. Nitensque vano prætextu; α tum *Similitudinis nobiscum* in Omnibus, excepto Peccato *Hebr.* II. 17. ubi Actuale non tantum sed & Possibile intelligere debemus; β tum *Tentationum* alias ludicrarum, quæ utique Impeccabilitatem illius monstrarunt; γ tum *Libertatis* in Obediendo, quæ per Sanctitatem naturalem in Christo non magis, quam in Cœlitibus, tollitur.

Ad quam spectant etiam Qualitates, tum Essentiales, tum Accidentales magis. Excepta tamen omni Infirmitate Peccaminosa.

[4] *Exerc. Text.* XXXIII. P. V.

XI. Connectitur verò cum isthac ὁμοιȣσίᾳ & ὁμοȣσίᾳ, Christi Hominis Nobiscum, *Humanitatis*, non quoad Animam sed Corpus, *Ori-*

Humana hæc Natura Christi ex

Substantia Mariæ Virginis est repetenda. Quod & plane Necessarium erat, ac agnosci debet.

Origo ex Substantia Mariæ Virginis. Cujus probamus. 1. *Veritatem*; α ex plurimis Euangelii locis, quibus vel indefinite *Filius Hominis*, vel definite *Filius Mariæ* solius, & *Fructus Ventris* ejus dicitur *Matt.* I. 25. *Luc.* II. 7. I. 42. *&c.* non intelligendis *putativè* aut respectu simplicis *exitus* ex ejus ventre, sed de Vera Nativitate *ex ea* in Euangelio expositâ, *coll. Gal.* IV. 4. *&c.* β ex illis magis adhuc, quæ ab *Israelitis*, *Davide*, *Abrahamo*, *Eva* ipsa, Ortum ejus derivant, *Rom.* IX. 5. *Luc.* I. 32. *Act.* II. 30. *Rom.* I. 3. *Matt.* I. I. *Gen.* III. 15.[s] *&c.* haud sane possibilem, si ipse ex Mariæ substantia non sit, sed aliunde; γ ex generali denique assertione Pauli, ipsum instar parvulorum *carnis & sanguinis* παραπλησίως *participem factum esse Hebr.* II. 14. 2. *Necessitatem*; quoad α *Ortum ex Maria*, ex necessario Christum inter & nos Sanguinis Nexu, ob Dei justitiam, antiquam Goëlatus Legem *Lev.* XXV. 25. & *sanctificantis* personæ vel rei ad τὸ *sanctificatum* relationem *Hebr.* II. II. β & quoad hujus *Virginitatem*, ex necessaria hujus sanctitate, ejusque demonstratione, quæ neutra propter hominum omnium naturaliter progenitorum in Adamo lapsum consistere potuit absque Nativitate ex Virgine. 3. *Necessariam Cognitionem & Fidem*; ex Fiduciali ad Christum ut Fratrem Accessu, quæ hoc fundamentum præsupponunt.

[s] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* IV.

Adversarii varii nominantur. Quorum objectiones diluuntur.

XII. Adversantur heic nobis, præter *Socinianos*, Immediatam Creationem quandoque statuentes, Veteres *Valentiniani* & *Apollinaristæ*, ac hodierni *Enthusiastæ* & *Anabaptistæ*; qui *vel Ignorantiam* in hoc capite profitentur & defendunt, vel *Corpus Christi Cœlitus illapsum* per Mariam ut canalem transiisse volunt, ex *Substantia* sc. *Cœlesti*, vel *Dei*, vel *Spiritus*, vel *Semine Patris*, vel *Sermone Vitæ*, &c. factum, uti variè loquuntur. Nequaquam autem valent eorum objectiones. 1. Ex locis *Joh.* III. 31. VI. 33. VIII. 23. *Eph.* IV. 9. I *Cor.* XV. 47. *&c.* Quæ non de Natura Humana, sed *Personæ Christi Præstantia* agunt; uti is verè ex Cœlo descendit, Deitate per Incarnationem in his terris patefacta, & secundum Utramque Naturam, diverso licet modo, Panis Fidelium est. 2. Ex locis *Matt.* XII. 47. 48. *Joh.* II. 4. *Hebr.* VII. 3. *&c.* Quibus non negatur, Mariam ejus esse Matrem, quod alibi toties asseritur *Matt.* II. II. 14. *Luc.* II. 33. 34. *Joh.* II. I. XIX. 25. *&c.* sed vel *Spiritualis Cognatio* carnali præfertur, vel com-

communi *Sexus* nomine se intempestive ingerens Maria redarguitur, vel ad *Naturam Divinam*, secundum quam Patrem tantum agnoscit, respicitur. 3. Ex *Mulierum* omnium, adeoque etiam Mariæ, tum *Impuritate*, cum Puritate Christi non concilianda *Job*. XIV. 4. [1] *Joh*. III. 6. [2] *&c.* tum *Seminis Defectu*, ut habeant se in Generatione Passive potius quam Active. Dum Supernaturali cooperatione *Spiritus* Impuritas Matris hic ad Filium non transiit; & *Semen* Mulieribus tribuit palam Scriptura *Gen*. I. 28. III. 15. IV. 25. XVI. 10. *Lev*. XVIII. 9. 10. *Hebr*. XI. 11 [3] *&c.* ratio similiter plusquam una, & omnis Medicorum turba. 4. Denique ex Paulo, negante, Christianos Christum *secundum Carnem* nosse 2 *Cor*. V. 16. [4] Ubi sane non de Cognitione Originis Carnis Christi, magis quam omni Carnis ipsius, sed hujus quoad Modum potius quam Formam externam *Carnali* agitur, quam non habent hi, sed spiritualem.

[1] *Exerc. Text*. XIX. P. V. [2] *Exerc. Text*. XXXVII. P. V. [3] *Mant*. XII. *post Anal. Exeg. Jes*. LIII. [4] *Exerc. Text*. XXXVIII. P. II.

XIII. Ad Hominis verò ex Virgine Nativitatem, & quidem Sanctissimi, cum Naturæ non sufficiat Ordo; considerationem heic meretur *Modus Generationis*, qui fuit partim *Naturalis*, partim *Supernaturalis*. Et *Naturalis* quidem. 1. Tum in *Nativitate* solita *ex Utero Aperto*, & cum *Dolore*, licet fortè minori; ex locis *Luc*. II. 22. 23. *Gen*. III. 16. *Ioh*. XVI. 21. & ex Rei quoque quoad prius caput Natura. Perperam contrarium fingentibus cum *Lutheranorum* applausu *Papistis*, prætextu vano; α *Puritatis Mariæ* à Peccato, quæ falso supponitur; β & *Virginitatis* ejusdem, quæ non Partu sed Coitu tollitur; γ & *Majestatis Iesu*, quæ in confictis Miraculis non est quærenda; δ & *Praxis ejus* in penetrandis Sepulcri & Domus clausis Foribus, quæ fabulosa est plane; ε & *Prædictionis* Propheticæ *Ezech*. XLIV. 2. quæ allegorice & minus commodè huc torquetur; ς & *Roboris* Matris in Filii prompta Curatione *Luc*. II. 7. quod in aliis mulieribus quandoque deprehenditur etiam. 2. Tum in *Gestatione*, molesta & diuturna, unde *Dies Partus Impleti* dicuntur *Luc*. II. 6. 3. Tum etiam in *Formatione Corporis Successiva*; & quoad partium *Incrementum*; & quoad earum *Integritatem*: Quod liquet; α ex Gestatione solita, hunc usum habente; β Miraculi hic facti silentio; γ imò Christi

Fuit hæc Christi Generatio partim Naturalis. In Aperto cum dolore Utero matris. Nec non in Gestatione solita, & Corporis etiam Successiva Formatione.

nobiscum in Carnis Assumptione Similitudine asserta *Hebr.* II. 14. Nec evertitur, partim à *Scholasticis*, partim à *Nostrorum* etiam nonnullis; α per *Dei Virtutem*, ex qua sola nihil concludere licet; β *Typum Adami*, cui, licet neque momento indivisibili factus sit, Christus in Modo Ortus per omnia Similis non est; γ *Corpus* & *Carnem* Christo *aptata*, quod successive factum est; δ aut *Imperfectionem* tandem Informis Molis λόγυ Assumptione indignam, cum Perfectio Gradibus fuerit aucta, nec in prima Fœtus formatione Perfectio Membrorum omnium requiratur.

Partim Supernaturalis per accedentem Virtutem Spiritus Sancti. Qui Tertiam Personam notat. Cujusque Actus negativè & positive hic exponuntur. In primis Sanctificationis massæ.

XIV. *Supernaturalis* autem Operatio *Spiritus Sancti*, ab *Infidelibus*, *Ebionitis*, *Cerinthianis*, & *Carpocratianis*, impie negata, accessit; juxta *Christiani Symboli* vocem, ab Angelo acceptam *Matt.* I. 20. *Luc.* I. 35. Per quem *Spiritum S.* mox dictum ipsum *Altissimum*, intelligimus nos *Tertiam Deitatis Personam*; α utpote cujus hoc Nomen est Ordinarium; cui Charismatum in Christum Collatio & nostra Regeneratio tribuitur; γ potissimum cum τὸ γεννηθὲν à *Spiritu* expresse distinguatur. Rejicimusque adeò sententiam *Veterum* quorundam & *Recentiorum*, qui *Tres Personas* per *Spiritum*, *Virtutem*, & *Altissimum*, intellexerunt; vel etiam *Spiritum S.* hic de *Persona* λόγυ *Secunda* explicarunt. Licet α *Concursus Trinitatis*, & ipsius *Filii*, in Formatione Corporis, ex loco *Psal.* XL. 7.[5] quem, synecdochicè *Effossione Aurium* intellecta dè Corporis totius apta Præparatione, potius quam Lege Mosaica de Servilis Auris Perfossione spectata, egregie illustravit Paulus *Hebr.* X. 5. aliisque *Jer.* XXIII 5.[6] *Zach.* III. 8.[7] *Phil.* II. 7. *&c.* haud satis aptè tamen ex *Templi Jehovæ Ædificatione Germini* tributa *Zach.* VI. 12.[8] constet; β & *Pius horum Interpretum sit Scopus*, ut *Sociniana* hypothesis, de Christo Dei Filio per hanc Generationem, melius convellatur, satis interim convulsa, si ritè observetur, non dici apud *Lucam*, *propterea* futurum, sed *vocandum* Christum, agnitione publica, *Dei Filium*. Neutiquam autem Spiritus ad hanc Generationem aliquid contulit dè *Sua Substantia*, verè immutabili & indivisibili, particulâ ἐκ non materialiter sed *efficienter* hic intelligendâ, uti *Act.* V. 39. *Rom.* XI. 36. 2. *Cor.* III. 5. I. *Joh.* III. 6. *&c.* neque debet illi hoc nomine titulus dari *Patris*, Christi, quem unum Divinæ, nullum Humanæ Naturæ respectu, hic agnovit *Matt.* XI. 25. *Hebr.* VII. 3. etiamsi latiori minusque proprio sensu & non Personæ sed Naturæ creatæ

tæ respectu in abstracto ita forte dici posset. *Actio* interim *Spiritus*, notata duplici voce, *Superveniendi*, & *Obumbrandi Virtute* sua, generatim & honestissimè, gratis mysteria *Inhabitationis*, *Defensionis*, *Arcanæque Operationis*, hinc colligentibus multis, *Triplex* hic observari commode potest; fuitque, α omnipotens *Seminis Virginei Fœcundatio*, β *Humanæ Naturæ Formatio*, per Membrorum structuram Animæque unitionem, γ *Præservatio* denique *ab omni Labe*, quam alii *Sanctificationem* dicunt, propter Christi in ea segregationem ab omnibus, & donorum oppositorum collationem. In cujus *Præservationis Modo* explicando, non est confugiendum; α ad *Immaculatam Mariæ Conceptionem*, vel *Sanctificationem ejus Totalem*, cum *Pontificiis* confutatis *Cap. XV. §. XXX.* β non ad *Partem* quandam *Carnis Adami à Labe servatam*, & *ad Mariam delatam*, cum *Galatino*; γ non ad Reatus & Peccati *Propagationem per solum Virum*, cum aliis nonnullis etiam *Nostrorum*, notatis *Cap. XV. §. XXXIII.* δ sed ad veram *Propagatæ Labis Rationem*, ibidem expositam, juxta quam Christus ut Supernaturali virtute ex Lapsum secuta Promissione tanquam alterius Fœderis Caput natus, Reatui Adamico per se non fuit subjectus, atque hinc massa Seminis, à Virginis Persona ad Filium constituendum segregata, absque omni Merito Gratiæ antecedenti, debuit à Corruptionis Pœna, Reatum solum consequente, eximi. In quam rem non inelegans est *Libri Perniciosi & Damnati*, à quo *pars Marginalis* pura separari & sic salvari à combustione potest, Similitudo.

[5] *Exerc. Text.* XXIII. P. V. & *Mant. V. post Anal. Exeg. Jes.* LIII. [6] *Exerc. Text.* XX. P. VI. [7] *Comm. in Loc. & Exerc. Text.* XXV. P. II. [8] *Comm. in Loc. & Exerc. Misc. Disp.* VI.

Nativitatis Christi Circumstantiæ variæ. Potissimum Tempus. Quod incertum est respectu horæ, diei septimanæ & mensis. Mensis ipsius. Imo & Anni determinati.

XV. Uti *Bethlehem* tanquam *Locus Nativitatis* Jesu, multis *Pontificiorum* fabellis temerè involutus, satis constat ex *Euangelio* [1], juxta *Antecedentia & Consequentia* varia, *Nuncium* sc. *Angelicum*, *Nativitatem Joh. Baptistæ*, *Cæsaris Augusti Edictum* [2], *Pastorum Vocationem*, *Angelorum Hymnum* [3], *Magorum Adventum ac Adorationem*, [4] *Simeonis Amplexum*, [5] *Fugam in Ægyptum* [6], *Infanticidium Bethlehemiticum* [7] &c. quæ singula fere ob difficultates varias multum exercent Interpretes: ita *Certum* est ἐν πλάτει ejus *Tempus*, ob Characteres in Euangelio notatos plures, quod ad Horas *Nocturnas* nos quoque ducit, electas à Christo, ut α Mundi

Na-

Naturalem Statum, β suæque Majestatis velatos Radios significaret. *Non constat* interim satis certo. [8] 1. *Hora*; quam vel *Tertiam*, vel *Septimam*, vel aliam aliquam *post Mediam Noctem*, fuisse temerè definiunt quidam *Veteres*, & *Papistæ*, 2. *Dies*; tum *Septimanæ*, fueritne *Sextus*, ob Adamum tum creatum, an *Primus*, ob Dominum tum suscitatum, an *alius*; tum etiam *Mensis*, an *Sextus Ianuarii*, an *Vigesimus Quintus Decembris*, an aliquis ex *Postremis Septembris*, vel *Primis Octobris*. 3. *Mensis* ipse. Quem juxta recensionem modò factam; α *Orientales* veteres volunt *Ianuarium*; β *Latini* cum Græcis Recentioribus *Decembrem*, nixi potissimum allegoricâ expositione loci *Iob*. III. 30. & falsa hypothesi de Summo Pontificatu à Joh. Baptistæ Patre Zacharia administrato; γ *Chronologi* recentiores Eruditi *Septembrem* vel *Octobrem*, ob incidentia tum Festa varia, præcipuè Tabernaculorum, Mundi tum factam Creationem, Traditionem antiquam de Natali Joh. Baptistæ in mense Aprili, & ordinem Ephemeriarum Sacerdotalium; quæ omnia vel non satis cohærent, vel demonstrari neutiquam possunt. Quod perinde dicendum est de argumentis nuper adductis pro XXI. *Octobris*. 4. Imo & *Annus*; sive ad Mundum Conditum ascendamus, ob Dubia Chronologica varia memorata *Cap. VIII. §. XX.* sive ad *Æram Olymp. Iphiti*, *Urbis Conditæ*, *Nabonassaris*, *&c.* vel *Periodum Iulianam* tanquam communem mensuram respiciamus, ad hæc nostra tempora etiam descendentes, & Annos inde lapsos putantes. Sunt enim; α latiores *Characteres* ab Euangelistis notati, in universum Tres vel Quatuor, *Regnum* sc. *Herodis Magni*, *Imperium Augusti*, *Descriptio* οἰκουμένης, sive *Prima Syrenio Præside* Extraordinario, sive *Prior Cyrenii Præsidio*, [9] & *Baptismus Christi circiter Tricenarii à Iohanne* administratus, aggresso munus *Anno Tiberii* XV. ut nunc de XLVI. Annis Templi Ædificati *Iob*. II. 20. taceam [10] β & est Æra C. N. à Christianis primis neglecta, serius introducta à *Dionysio Exiguo Sec. VI.* ac passim in scriptione sancita demum circa tempora Caroli M. Constat autem, quod sufficit ad fidem Christianam, *Æram Dionysianam*, quæ ob Christianorum communem usum *Vulgaris* etiam appellatur, non multum à rei veritate posse aberrare; & verius *Triennii* tantum aut *Biennii*, quam Sexennii integri *Defectu*, vel Septennii aut Octennii Excessu laborare. Ut sic ἐν πλάτει 4000. fere Anni effluxerint à C. M. ad N. C. volente sic Deo; α ad fidem Patrum exercendam;

dam; β desiderium eorum augendum; γ magnitudinem rei declarandam; δ & memoriam firmius ad finem servandam.

[1] *Exerc. Text.* XXXI. P. I. [2] *Exerc. Text.* XXXII. P. II. [3] *Exerc. Text.* XXXIII. P. IV. [4] *Exerc. Text.* XXVI. P. V. [5] *Ibid.* [6] *Ibid.* [7] *Ibid.* [8] *Ibid.* [9] *Exerc. Text.* XXXII. P. II. [10] *Exerc. Tex.* XXXVI. P. IV.

XVI. Tandem notandum, *Naturam Humanam assumpisse Dei Filium* solummodo *ad Hominis à Peccato Liberationem*; ut, si homo perstitisset, non magis hic in Carne venturus, quam Passurus, fuisset. Quod constat; α ex *Prædestinatione Christi in hunc Finem* 1 *Petr.* I. 20. β ex *Promissione* illius, demum factâ *Post Peccatum*, atque iterum cum promisso *hoc Fine* junctâ *Gen.* III. 15. [3] *Dan.* IX. 24. 25. [4] *&c.* γ ex *Fine* hoc denique *in ipso Adventu* solenniter *declarato Matt.* I. 21. XVIII. 11. *Joh.* III. 16. *Gal.* IV. 4. 1 *Tim.* I. 15. *&c.* Cui thesi, ex diversa licet hypohesi, adversantur ex Scholasticis *Scotistæ*, tum *Sociniani*, & *Osiander*, frustra prætexentes. 1. *Hominem* Integrum factum esse *ad Imaginem Christi Incarnandi*; quod figmentum explosum est *Cap.* XIV. §. IV. 2. Christum deinde; α & esse *Benedictionis* omnis *Fontem Eph.* I. 3. β & debuisse Hominem etiam Integrum ut sua natura Mortalem *servare à Morte*; γ & *exui sua* supra Angelos & Homines *gloriâ*, Humanitate sublata; δ & *apparuisse* olim sub Vet. Test. *absque Passione* secuta; ε & *potuisse* tandem incarnari *ad communem demonstrationem Divinæ* φιλανθρωπίας. Quæ concidunt, si consideremus; α loqui Paulum de Benedictione Hominis Peccatoris, licet omnis felicitas Adami à Christo ut Deo quoque fluxerit; β Mortem non esse consequens Naturæ, sed Pœnam Peccati, à qua Integer Homo non fuit propterea servandus; γ Gloriam Principalem Christi supra omnia ipsi ut Deo manere illibatam; δ Apparitiones in Forma Humana præludia fuisse Iucarnationis, & supponere Peccatum; ε Possibilem per Dei Decretum Nativitatem denique à certò Futura multum differre. *Finis Nativitatis Christi, Peccatorum Liberatio.*

[3] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* III. *&c.* [4] *Exerc. Text.* XXV. P. VI. & *Anal. Exeg. Jes.* LIII.

XVII. Ad NATURARUM pergimus UNIONEM, quæ vulgò *Hypostatica* vel *Personalis* dicitur; cujusque Initium, quod *Unitionem* non incommode dixeris, *Græci* Patres vocant λόγου ἐνσάρκωσιν, ἐνσωμάτωσιν, ἐνανθρώπωσιν, ἐνδημίαν, ἐπιφανείαν vel θεοφανείαν *Naturarum Duarum Unio Personalis. Quæ maxime venit nomine*

Assumptionis. Ubi de sensu loci Hebr. II. 16. disseritur.

νώσιν, οἰκονομίαν, &c. Latini *Corporationem*, & *Incarnationem*, appellatione hac derivata ex *Ioh.* I. 14. *Col.* II. 9. I *Tim.* III. 16. I *Ioh.* IV. 2. 3. 2 *Tim.* I. 10 &c. Maximè recepta est vox Ἀναλήψεως, vel *Assumptionis* Naturæ Humanæ; quam petunt, tum ex *Phil.* II. 7. ubi Christus dicitur λαβὼν μορφὴν δούλου, *accepisse Formam Servi*, quæ sic Abjectissimam ejus Conditionem notat, ut simul Humanam Naturam comprehendat, tum ex *Hebr.* II. 14. & 16.[1] ubi Christo tribuitur μετοχὴ, *Participatio Carnis & Sanguinis*, & ἐπίληψις, *non Angelorum*, *sed Seminis Abraham.* Quem locum posteriorem exponunt Antiquiores Theologi satis constanter de ipsa *Incarnatione ex Semine Abrahami*; nixi α nativo *Assumendi* seu *Accipiendi* significatu I *Tim.* VI. 12. 19. &c. β exclusione *Angelorum*, qui Sustentationis Christi cæteroquin sunt participes *Col.* I. 16 17. γ propria *Seminis* notione, δ emphatico *Præsentis Temporis* usu, qui æternam Incarnationis Durationem innuat, ε denique *Scopo Pauli*, qui inde à *vers.* II. est, ut adstruat ὁμουσίαν & ὁμοιουσίαν Christi nobiscum, & secundum quem propositâ *Incarnatione vers.* 14. 15. cum ejus præstantissimo *Fine*, subjicit hic, vel ad illius vel ad hujus probationem, *Ortum ex Abrahamo*, Similitudinem Passionum memoraturus *vers.* 17. 18. Recentiores verò plurimi, non *Incarnationis Modum*, sed vel *Causam* à priori, vel *Rationem* à posteriori, hic contineri volunt; existimantes sic, uti excipiunt alias *Sociniani*, procul tamen missâ horum Hæresi, opponi hic *Semen Abrahami*, i. e. verè Fideles collective, *Angelis* perditis, & notare ἐπίληψιν *Opitulationem*, sive liberationem ex miseria, & *Vindicationem* connexam. Quibus dum non parum favet, α *Seminis Abrahami* alibi occurrens significatio *Rom.* IV. 16. *Gal.* III. 29. β minus conveniens ejus per Naturam Humanam ex Semine Abrahami expositio, γ non Naturæ Angelicæ, sed Angelorum ipsorum plurium oppositio, δ frequens usus vocis ἐπιλαμβάνεσθαι *Matt.* XIV. 31. *Hebr.* VIII. 9. &c. ε atque apta sic satis cum prioribus & posterioribus connexio; Optionem hic Alterutrius Exegesios putamus debere esse liberam, nec male posteriorem fortè præferri.

[1] *Exerc. Text.* XLVII. P. II

Vitari hic debet Nestorianismus; quæ Hæresis exponitur, & refutatur.

XVIII. In explicando ipso *Unionis Modo* abstruso, procul esse jubemus, cum *Ephesinis* Patribus in Synodo Oecumenica III. temere nobis à *Lutheranis* & *Pontificiis* quandoque imputatum, *Ne-*

Nestorianismum, qui ex male negato Mariæ titulo θεοτόκου, *Genitricis Dei*, ab *Anastasio* Presbytero, & *Nestorio* Episcopo Constantinopolitano, per nimis fervidam quoque *Cyrilli Alexandrini* oppositionem, ortus *Seculo V*. ac à *Theodoro Mopswesteno*, *Iba Edesseno*, *&c.* defensus, quin & ab *Adoptianis Seculo* VIII. quadantenus renovatus, Christum Hominem statuit non θεὸν sed θεοφόρον, & si non totidem verbis, utique per hypotheses id necessariò inferentes, in Uno Christo *Plures*, seu *Duas*, *Personas*. Ad cujus Hæresios rejectionem rectè notarunt Patres, Unitas esse in Christo Duas Naturas ἀδιαιρέτως καὶ ἀχωρίστως, *inseparabiliter & indivulsè*. Pugnamusque hic; α locis, quæ *Unitatem* Mediatoris & Christi palam inculcant 1 *Cor*. VIII. 6. *Eph*. IV. 5. 10. 1 *Tim*. II. 5. *&c*. β illis amplius, quæ Christo à Natura Divina denominato tribuunt quæ sunt Humanitatis, uti Ortum ex Davide ac Maria, Passionemque & Gloriam insecutam, *Matt*. XXII. 43. *Luc*. I. 35. 43. *Gal*. IV. 4. *Act*. XX. 28. 1 *Tim*. III. 16. *&c*. γ denique ratione petita à Necessaria Unitate Personæ ad Apotelesmata præstanda. Objectiones verò Adversariorum concidunt, si spectemus; α confundi ab ipsis perpetuò *Naturam Divinam & Humanam* in abstracto cum *Persona Christi Dei* vel *Hominis* in concreto; β & supponi perperam, *Naturam Humanam Singularem* in Christo *non* magis quam in hominibus aliis nudis *posse esse absque Personalitate*, sive proprio Subsistendi Modo, quod est contra rationem hujus mysterii, in quo *Humanitas* respectu *Substantiæ*, non verè *Subsistentiæ*, *Completa* Christo tribuitur. Idololatricum porrò *Pontificiorum* abusum adversus Mariam, ex hac doctrina illorum vitio derivatum, parum curamus.

XIX. Vitandus haud minus ab altera parte est scopulus, à *Flaviano Constant*. & *Chalcedonensibus* in Synodo Oecumenica IV. damnatus, *Eutychianismus* sc. qui ex oppugnato Nestorianismo & *Valentinianorum* ac *Apollinaristarum* lacunis eodem *Seculo* V. & sequentibus fluxit; autores fautoresve habuit *Eutychen* Archimandritam Constant. *Dioscorum*, *Ælurum*, *Mongum*, *Gnapheum*, *Severum*, eosque qui porro dicti fuerunt *Monophysitæ*, *Acephali*, *Theopaschitæ*, *Aphtardocetæ*, *Monothelitæ*, *Armenii*, *Iacobitæ*, *&c.* haud multum abeuntibus pluribus *Anabaptistis* hodiernis; firmatus est in Synodo *Pseudo-Ephesina*, ob apertam vim λῃστρικὴ dictâ; statuitque *Naturarum Confusionem*, vel *Mixtionem*, qualis in

Vitare perinde oportet Eutychianismum; qui etiam exponitur & improbatur.

Ferro Candente, Guttaque Mellis in Mare effusa, &c. vel *Mutationem*, qualis Aquæ in Vinum, & Uxoris Loti in Columnam Salis, uti hæc exempla posteriora adducunt *Mennonitæ*. Contra quam Hæresin Patres Naturas Unitas dixerunt ἀτρέπτως ϗ ἀσυγχύτως, *inconvertibiliter & inconfusè*. Opponimusque nos; α Utriusque *Naturæ Veritatem*, ob quam neutra talem Confusionem vel Mutationem admittit *Jac.* I. 17. I *Tim.* I. 17. *&c.* β *Distinctionem Naturarum* perpetuam post Unionem *Rom.* I. 3. 4. IX. 5. *Hebr.* IX. 14. I *Petr.* III. 18. *&c.* γ manentia Utriusque Naturæ *Distincta Attributa*; δ tandem Utriusque Naturæ *ad Apotelesmata Necessariam Perpetuitatem.* Nec obstat; α phrasis, *Sermo Caro factus est*, *Joh.* I. 14. quæ semper non notat Conversionem, *coll. Gen.* II. 7. *Rom.* I. 3. 2 *Cor.* V. 21. *Gal.* III. 13. IV. 4. *&c.* cum aliis antea adductis est conferenda, & satis mox explicatur, cum Λόγῳ tribuitur σκήνωσις *habitatio* tanquam *in tabernaculo*, *coll. Col.* II. 9. β aut *Exinanitio Dei Filio* tributa *Phil.* II. 7. 8. *Joh.* XVII. 5. 2 *Cor.* VIII. 9. &c. quæ respectu Divinæ Naturæ *velatos* solum voluntaria demissione *gloriæ radios* notat; γ aut *Attributorum Divinorum & Humanorum de Uno & Toto Christo* prædicatio, cum hæc Unitatem Personæ tantum inferat; δ aut *Divinæ Naturæ Majestas* summa, quæ alteri transfusione nulla communicari potest.

Unio Naturarum qualis sit, positive traditur. In qua nec Compositio propriè dicta locum habet. Nec Coalitio Personalitatem λόγυ tollens.

XX. Positivè itaque dicimus, *Unionem* hanc, cui nulla alia similis est plane, multumque dissimilis illa Mentis & Corporis, Lucis & Aëris, Arboris & Surculi, Hominis & Vestimenti, &c. constare in *Conjunctione Personali & Indivisibili Personæ τῦ Λόγυ cum Natura Humana, ab illa assumptâ & sustentata.* Quo ipso Unio hæc distinguitur ab omni Unione σχετικῇ, παραςατικῇ, δραςικῇ, μυςικῇ, φυσικῇ, ὐσιώδει, *&c.* Et ut distinctius dicam, multum differt. I. A *Compositione* propriè dictâ; sive *ex his*, h. e. Partibus Essentialibus, sive *cum his*, h. e. Subjecto & Accidentibus; licet σύνθεσιν seu *Compositionem*, latius dictam, impropriam, hyperphysicam, *hujus ad hoc*, concedant Veteres pariter & Recentiores. Cæteroquin α *Tertia* hinc surgeret *Natura*, β ipsa Divinâ *Perfectior*, γ illamque *Perficiens*; dum omnis Perfectio nova hinc fluens terminatur in Natura Humana, Munere, & Ecclesia, uti beneficiorum hæc Christi particeps fit. 2. A tali *Personæ Coalitione*, per quam Dei Filius suam æternam ὑπόςασιν amiserit, il-

lam-

lamque cum Humana communicaverit, aut nova θεανθρώπυ commutaverit. Qualem hic fingunt *Lutherani* vulgò, *Hypostasin Communicatam* esse, & *Humanitatam subsistere* Subsistentia τῦ λόγυ, docentes; & reipsa *Recentiores* nonnulli quoque ex Nostris, ob hypothesin verè periculosam, de *Personalitate* consistente in mera *Conjunctionis Negatione*, [1] hinc in *Sustentationem Personalem*, ut *figmentum Scholasticorum*, invecti. Obstat verò huic Coalitioni, a *Subsistentiæ* Filii Dei *Æternitas & Immutabilitas*, b & *Defectus Subsistentiæ in Humanitate*, hinc ἀνυποστάτῳ dicta simul & ἐνυποστάτῳ, qui Integritatem Naturæ non lædit, nec per Subsistentiam Filii Dei transfusam aut communicatam suppleri potest, nisi Humana Natura Persona & quidem Divina evadat. Adversus quæ impios *Socinianorum* lusus, ex ratione corrupta & rerum finitarum similitudine petitos, non memoramus, utpote ex rei hujus sublimitate facilè solutos.

[1] *Narratio Apol. cum Append.*

XXI. Unionis hujus *Initium* repetimus, non demum *à Nativitate*, sed respectu complementi inde *à Prima Perfectione Naturæ Humanæ* in utero, & respectu specialis relationis ac sustentationis, inde *à Primo Conceptionis Momento*, etiam ante consummatam Corporis structuram; unde Elisabet Personam à Maria conceptam *Dominum suum* jam tum vocavit *Luc.* I. 43. Nec indecens id fuit Filio Dei, qui parvulorum nostrorum instar incarnari utique voluit. *Finem* verò Unionis hujus nullum agnoscimus, ne quidem in ipsa Morte, ubi separata Anima à Corpore mansit tamen cum illo in Personâ λόγυ Omnipræsente, uti gladius & vagina in manu ejusdem hominis denudantis. Neque habet hic locum alterius *Novi Corporis* post mortem aut adscensionem adoptatio, quam urgent quandoque *Sociniani*, contra loca expressa *Luc.* XXIV. 39 & *Act.* I. 11. licet ignominiâ omni positâ juxta infirmitates miserabiles, *Gloriosis Idem Qualitatibus* prædituṁ tum sit. **Unionis hujus Initium. Et Duratio.**

XXII. Ex Unione hac porro ut EFFECTUS fluit COMMUNICATIO quadruplex, *Charismatum*, *Apotelesmatum*, *Idiomatum*, & *Honoris* ac *Affectus decentis*. Communicatio CHARISMATUM spectat ad *Naturam Humanam*, quatenus illa ob Unionem Personalem cum Divina præstantissimorum *Donorum Spiritus Copiosissimè est facta particeps & Immutabiliter*; quorsum pertinent loca *Psal.* XLV. 8. [2] *Jes.* XI. 1. 2. [3] LXI. 1. *Joh.* III. 34. [4] *&c.* adducta quoque **Unionis Effectus est Communicatio Successiva Charismatum abundantium. Ubi Pontificiorum error exploditur.**

que nonnulla *Cap.* I. §. VIII. & *Gradus ac Momenta Unctionis* diversa, notata ex *Luc.* II. 52. *Matt.* III. 16.[5] & *Eph.* IV. 8. *Cap. hoc* §. V. Unde *Charismata* hæc plane *Infinita*, cum *Lutheranis*, dici non possunt, quorum neque Natura Finita capax foret; licet α *mensura* in datione adhibita *non* sit, quod à parcè distribuentibus fieri solet, *coll. Ezech.* IV. 10. 11. β & *Plenitudo Gratiæ* sufficientis habitet in *Persona* θεανθρώπου, *coll. Joh.* I. 16. *Col.* I. 19. *&c.* quæ à Natura Humana in abstracto distingui debet. Concidit etiam figmentum prorsus otiosum *Pontificiorum*, somniatæ *Lutheranorum* Omniscientiæ haud admodum dissimile; *Animam Christi ab ipsa sua Creatione repletam fuisse Scientia & Gratia, ut nihil postea didicerit, quod antea nesciret.* Ad cujus defensionem; α uti miserè torquent textus *Luc.* II. 52. *&* *Marc.* XIII. 32.[6] quasi non de *Incremento Vero Sapientiæ* & *Coram Deo*, æque quam *Staturæ* & *Coram Hominibus*, illic, sed tantum *Apparente* ageretur, & heic *Ignorantiam* Diei Judicii ad eum aliis *declarandum*, vel *Practicam* per experientiam, quæ utique Patri etiam tribuenda foret, innuisset Salvator; β ita inepte idem probant, tum ex *Omniscientia*, Christo secundum Deitatem tributa, tum ex *Unctione Eximia*, quæ nec ejus Debilitatem sustulit, tum ex *Inscitiæ Inutilitate* ad Redemptionem, ad quam potius mediatè & immediatè utilis est; γ imo tandem ineptissimè nobis *Agnoëtarum* Hæresin imputant, qui Christo, uti est *Dei Sapientia*, Ignorantiam tribuebant. Dum ipsi verè errorem errore novo cumulant, ex hoc fundamento, Christum simul *Viatorem* & *Comprehensorem* dicentes, omnemque *Fidem* & *Spem* illi pessimè denegantes, contra *Psal.* XVI. 8. 9.[7] XXII. 10. 11.[8] *Jes.* L. 7. 8. 9. *&c.* Precesque in ipsa Cruce fusas *Matt.* XXVII. 46.[9]

[2] *Exerc. Text.* XIII. P. I. *& Anal. Exeg. post Cant.* [3] *Exerc. Text.* XVI. P. V. [4] *Exerc. Text.* XXXIV. P. II. [5] *Exerc. Text.* XXVII. P. III. [6] *Exerc. Text.* XXXII. P. IV. [7] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [8] *Exerc. Text.* XVI. P. II. [9] *Exerc. Text.* XXXV. P. V.

Dein fluit ex Unione Apotelesmatum Communicatio.

XXIII. Apotelesmata notant *Opera Muneris Mediatorii*, quæ alias θεανδρικὰ quoque dicuntur, horumque ad fideles redundantes *Fructus*. Isthæc sic communicantur *Personæ* θεανθρώπου, tanquam ἐνεργοῦντι, ut conveniant singulis *Naturis* tanquam Principio ἐνεργητικῷ, quarum duplici & distincta ἐνεργείᾳ concurren-

rente, prodit ipsum ἐνέργημα. Uti id in *Redemptionis* exemplo, quam procuravit Christus, Utriusque Naturæ sed diverso modo operantis Concursu, clarum est; & illustrari amplius solet similitudine Operationum Humanarum, quæ ab Anima & Corpore pariter, sed aliter tamen atque aliter, procedunt.

Quin & Communicatio Idiomatum facta Personæ.

XXIV. Idiomata sunt *Proprietates Naturæ Utriusque*, quæ *Communicatæ* vere & realiter sunt *Personæ θεανθρώπου in concreto*; quin & si Unionem arctissimam Naturarum respicias, nec Transfusionem ullam aut Confusionem ineptissimè hinc somnies, quadantenus oppositæ *Naturæ in abstracto*; uti æque verè dicere possumus *in Humanitate Christi*, tanquam templo, *inhabitasse Scientiæ Divinæ*, quam *Deitatis* ipsius Omnisciæ, *Plenitudinem*. Estque hæc Communicatio fundamentum, ob quod *Idiomata Divina & Humana prædicantur de Persona Christi*; sive prædicatio hæc magis sit *Directa*, denominatione Personæ facta ab illa Natura cujus Proprietas memoratur, sive *Indirecta*, ubi Nomen & Attributum ad aliam atque aliam Naturam spectant *Joh.* 11. 25. *Act.* xx. 28. 1 *Joh.* 1. 1. 7. *&c.* Prædicationes verò *in Abstracto*, ut v. g. *Divinitas ipsa Passa & Mortua* dicatur, nec reperimus usquam in Sriptura, nec veritati rei satis convenire existimamus; ut malè hæ à *Lutheranis* pluribus defendantur, prætextu inani, tum *Patrum*, sic durius quandoque locutorum, tum prædicationis aptæ de *Toto Christo*, unde ad *Totum Christi* non valet sequela.

Lutheranorum de Communicatione hac sententia exponitur & exploditur.

XXV. Monstrosa verò amplius est Lutheranorum *Ubiquitariorum* sententia, per *Concordiam Torgensem*, seu *Bergensem*, editam Anno M. D LXXX. stabilita, quæ, ob hypothesin de Consubstantiatione, *Proprietates quasdam Divinas*, *Operativas* dictas, ponit *Actu Personæ*, *per Gratiam*, κατὰ συνδύασιν, κατ' ἄλλο, κατὰ χρῆσιν, *Communicari cum Natura Humana*, *quoad Actum Primum* inde ab initio Unionis, cujus Quidam primò voluerunt hanc esse Formam, quoad *actum Secundum* inde à Glorificatione. Sunt autem illæ *Proprietates*, præter *Remissionem Peccatorum*, & *Judicium Universale*, quæ magis pertinent ad ἀποτελέσματα, ὑπόστασιν item, de qua actum §. XX *Omnipotentia*, *Omniscientia*, *Omnipræsentia*, & *Virtus Vivificandi.* Opponimus nos. 1. *Attributorum* horum *Divinorum Incommunicabilitatem*, *Indivisibilitatem*, *Unitatemque*, tum inter se, tum cum Divina Essentia. 2. *Finitam Naturæ Huma-*

manæ Capacitatem, quæ Infinita Attributa excludit. 3. *Unionem* ἄτρεπτον, καὶ ἀσύγχυτον, quæ sic tollitur plane. 4. Incongruas parumque inter se convenientes Hypotheses, de *Proprietatibus Humanis non* vicissim *Communicatis* Naturæ Divinæ, de *Quibusdam Proprietatibus Divinis non Communicatis*, de *Actu Secundo* fluente demum *ex Glorificatione*, *&c.* 5. Denique Loca manifesta, quæ singulatim evertunt *Humanitatis*; α *Omnipotentiam*, dum docent ipsius *Passibilitatem*, *Precesque* ad Omnipotentem Patrem fusas *Matt.* XXVI. 39.[1] *Hebr.* V. 7.[2] IX. 28. *&c.* β *Omniscientiam*, dum declarant *Profectum* ejus, & quorundam *Ignorantiam*, *Luc.* II. 40. 52. *Marc.* XIII. 32.[3] *Matt.* XXI. 19. *&c.* γ *Omnipræsentiam*, dum inculcant *Veritatem Naturæ Humanæ*, cum Ubiquitate incircumscripta & invisibili non conciliandam, ac *loco uno Præsentem* atque *altero Absentem* Christum faciunt, tum in statu *Exinanitionis Luc.* II. 7. II. 27. 39. 43. *Joh.* VI. 24. XI. 15. *&c.* tum & in statu *Exaltationis Matt.* XXVIII. 6. XXVI. 11. *Joh.* XVI. 28. *Act.* III. 21. *Hebr.* VIII. 4. 1 *Thess.* IV. 16 17. *&c.* δ. Denique *Vim Vivificantem*, dum *Carni* hanc adimunt, illique *Imbecillitatem & Mortem* tribuunt *Joh.* VI. 63. 2. *Cor.* XIII. 4. 1. *Petr.* III. 18. *&c.*

[1] *Exerc. Text.* XXXIV. P. V. [2] *Ibid.* [3] *Exerc. Text.* XXXII. P. IV.

Objectiones Ubiquitatiorum solvuntur prò Omnipotentia. Pro Omniscientia. Pro Omnipræsentia. Pro Vi Vivificante.

XXVI. Multa nobis tamen opponunt illi, quæ facillimè solvuntur omnia. Etenim non stabilitur. 1. *Omnipotentia*; vel *Miraculis*, quæ verè facta virtute Deitatis; vel *locis Dan.* VII. 13. 14. *Matt.* XI. 27. XXVIII. 18. *Eph.* I. 20. 1. *Cor.* XV. 26. *Apoc.* V. 12.[4] *&c.* quæ α plurima agunt non de *Potentia* seu robore, sed *Potestate* ac ἐξουσίᾳ, β nec ad Naturam Humanam sed *Personam* totam debent referri, γ Datione quoque de *Declaratione & Fructu* dationis factæ, vel *novo Titulo* exponendâ. 2. *Omniscientia*; vel Munere *Prophetico*, quod est *Personæ*; vel *textibus Joh.* II. 24. 25. XVI. 30. XXI. 17. *Col.* II. 3. *&c.* qui α priores etiam pertinent ad *Personam* θεανθρώπου, β dum ultimus longe rectius videtur de *Doctrina Christi* intelligendus. 3. *Omnipræsentia*; vel *Sessione ad Dextram Dei*, de qua suo loco dicetur; vel *Unione* cum Omnipræsente Deitate *arctissimâ Col.* II. 9. quæ neutiquam est concipienda per modum *Coëxtensionis* Localis; vel *locis Joh.* III. 13. *Matt.* XVIII. 20. XXVIII. 20. *Eph.* I. 22. IV. 10. *Apoc.* I. 13.[5] *&c.*

quæ

quæ α spectant iterum ad *Personam*, β & Præsentiam ac Impletionem *Omnium Membrorum Ecclesiæ* per Gratiam, γ vel etiam intelligi debent de *Implemento Vaticiniorum & Munerum Omnium*. 4. *Vis Vivificans*; vel effatis Christi *Joh.* VI. 48. 51. 53. 56. quæ aut ad Personam Christi quoque debent referri, aut ad Meritum, cujus Dignitas & potens Applicatio est non sane ab Humanitate sed à Deitate; vel Apostoli textu 1 *Cor.* XV. 45. in quo Persona Christi & Adami, non utriusque Natura Humana, confertur, uti in Ortu, sic quoque in in Virtute concessa.

[4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Loc.*

XXVII. Finimus tandem Caput hoc consideratione AFFECTUS FRATERNI, quo Θεάνθρωπον ob Humanitatem amplecti, & HONORIS DIVINI, quo ipsum etiam *qua Talem ac* nostrum *Mediatorem*, venerari debemus. Cujus Honoris *Communicationem* malè terminant in *Natura Humana*, ad *Socinianorum* gustum, *Lutherani* & *Papistæ*; cum illa ut *Finita & Creata* hinc debeat excludi *Deut.* VI. 13. *Jes.* XLII 8. *Jer.* XVII. 5. *Gal.* IV. 8. *&c.* Dum ab altera parte dubitari non potest, cum quibusdam *Socinianis*, de *Honore* deferendo *Personæ*; α ob Exempla infinita *Matt.* II. 11. VIII. 2. 5. XIV. 33. XV. 25. XVII. 14. XXVIII. 17. *Joh.* XX. 26. *Act.* VII. 59. *Apoc.* V. 12. 13.[1] *&c.* β Vaticinia luculenta *Psal.* LXXXII. 11.[2] *Jes.* XLV. 23. 24. XLIX. 7. *&c.* γ Mandata aperta *Psal.* II. 12.[3] XLV. 12.[4] XCVII. 7. *Joh.* V. 23. XIV. 1. *Phil.* II. 9. 10. *&c.* δ Officia, Fidei, Fiduciæ, & Obedientiæ, ipsi ut Prophetæ, Sacerdoti, ac Regi debita, ε Naturam denique Divinam in Incarnatione & Munere neutiquam deperditam, sed potius in Apotelesmatibus efficaciter se exserentem. Quæ sic semper manet *Unicum & Ultimum Fundamentum hujus Honoris*, ut tamen recte omnino etiam *qua Mediator*, quod Officii Naturam Divinam planè supponentis nomen est, honorari & adorari debere statuatur; perperam & gratis urgentibus nonnullis, α vel sic *Duplex* statui *Fundamentum Divini Honoris*, β vel *in Participationem ejus venire Naturam Humanam*, ad quam utique non extenditur Omniscientia, Omnipotentia, &c. quæ Christo ut Mediatori competunt, sicuti neque Passio ad Deitatem, quam tamen Christus qua Mediator indubiè subiit. Nec est hic ulla inter Orthodoxos Quæstio Realis; quare Terminos adhiberi in hac λογομαχίᾳ solitos mittimus.

Effectus tandem Unionis est Communicatio Affectus Fraterni, & Honoris Divini. Qui posterior non terminatur in Natura Humana, sed Persona Θεανθρώπου, etiam qua Mediatore.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XIX. P. III. [3] *Exerc. Text.* XV. P. III. [4] *Anal. Exeg. post Cant.*

CAPUT VIGESIMUM.

De Officio Jesu Christi Mediatorio Triplici, Prophetico scil. Sacerdotali, & Regio.

Specialis magis Muneris Mediatorii declaratio.

Post generalem Officii seu Muneris Mediatorii, quod *Onus* simul & *Honorem* notat, *coll. Joh.* x. 18. xii. 49. xvii. 4. *cum Matt.* xxiii. 8. *Eph.* i. 22. *Hebr.* v. 4. 5. *&c.* expositionem, datam *Cap. XVIII.* & subjectam Personæ Jesu Christi, illud gerentis, tractationem, ad specialem & magis distinctam Muneris hujus enucleationem in *Partibus* & *Functionibus* ejus singulis nunc properamus; reperturi ubique multiplicem Divinæ Gloriæ demonstrationem, Veritatem Prophetiarum in Jesu Nazareno prorsus impletam, & veræ Consolationis ac infucatæ Pietatis Fundamenta solida.

Est illud Triplex, secundum vaticinia, effata Euangelica, &c.

II. Respectu variarum Functionum & Operationum, in uno *Mediatoris* Munere necessario concurrentium, idem Triplex esse, *Propheticum*, *Sacerdotale*, *&* *Regium*, satis innuimus *Cap. XVIII.* §. *IV.* Quo nos porrò ducunt 1. *Vaticinia* Vet. Test. in quibus proponitur ut *Propheta*, potissimum *Deut.* xviii. 15. 18. [1] *coll. Joh.* i. 46. *Act.* iii. 22. vii. 37. & *Jes.* lxi. 1. 2. 3. *coll. Luc.* iv. 17. ut *Sacerdos Psal.* cx. 4. [2] *coll. Matt.* xxii. 43. & *Zach.* vi. 13. [3] atque ut *Rex Psal.* ii. 6. [4] & *Zach.* ix. 9. [5] *coll. Matt.* xxi. 5. imò quandoque *Triplex* hoc *Munus* non quidem explicitè sed tamen implicite conjungitur, uti observant Viri Docti plures id fieri *Psal.* cx. 2. 3. 4. [2] *Jes.* ix. 6. [6] *Zach.* vi. 13. 14. [7] *&c.* Quibus Vaticiniis addi quoque possunt *Typi* illustres Messiæ in his ejus Muneribus. 2. Effata *Euangelica*, quibus iterum, vel memorantur *Munera Singula Luc.* xxiv. 19. *Hebr.* v. 5. *Matt.* ii. 2. vel *Plura* simul; quorsum referunt *Joh.* xiv. 6. 1 *Cor.* i. 30. *Hebr.* i. 2. 3. iii. 1. 6. *&c.* 3. *Partes* humanæ *Miseriæ* totidem, Inscitia, Reatus, & Servitus. 4. *Actus Mediatorii* his respondentes, Annunciandæ, Acquirendæ, & Applicandæ Salutis. 5. *Beneficia* etiam præcipua Vocationis, Justificationis, & Sanctificationis. Ut de *Triplici Virtute Dei*, Sapientia sc. Misericordia & Potentia, in opere Redemptionis in primis declaranda; de *Triplici* item *Virtute Cardinali Christianorum*, Fide, Spe, & Chari-

rita-

ritate, Muneribus Christi respondente juxta multos, nunc non dicam.

[1] *Exerc. Text.* XIV. P. V. [2] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [3] *Comm. in Loc. & Exerc. Misc. Disp.* VI. [4] *Exerc. Text.* XV. P. III. [5] *Comm. in Loc.* [6] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [7] *Comm. in Loc.*

Non sunt Munera hæc vel Confundenda, vel Divellenda.

III. Sunt vero *Officia* ista varia, α nequaquam *Confundenda*, cum *Socinianis*, qui *Sacerdotium* re ipsa à *Regno* non distinguunt, imò non nisi solum *Propheticum Munus* sic in Christo agnoscunt, ob distinctionem in Scriptura & Rei Natura hic repertam, quam sequens tractatio declarabit; β sed neque etiam *Divellenda*, cum concurrant *in Eodem Christo*, ad *Eundem* Salutis *Finem*, *Eodem Tempore* exercita, & adversus *Eosdem*, in Plenitudine sc. Actus sui, cum alias externe Verbum non solis salvandis annuncietur. Ad quem Munerum Nexum & amicam Conspirationem satis commode refertur Textus præter alios, de *Consilio Pacis inter Duos Illos Zach.* VI. 13. [1] & pertinet etiam observatio, de *Cruce*, Schola simul, Ara, & Trophæo, de *Euangelio*, Lege simul, Gladio secante, & Sceptro, de *Spiritu*, Sapientiæ simul, Consolationis, & Roboris Autore, &c.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* VI.

Triplex hoc Munus vix in alio præter Christum concurrit.

IV. *Nexum Triplicis* hujus *Officii in solo* quoque observant *Christo* reperiri; qui α sufficiens sc. præ hominibus omnibus, ad plura hæc peragenda, β & umbraticis Typis singulis pariter & omnibus Excellentior fuit. Licet α *Regnum* quidem *cum Sacerdotio* junctum fuerit, uti in Melchisedeco, & Regibus Maccabæis; β *Sacerdotium* quoque cum *Prophetia*, uti in Sacerdotibus Vet. Test. quorum & simul erat docere populum, *Samuele* tamen ob genus suum ex *Kahath* & *Korah* Sacerdotibus constitutis non annumerando, quod agunt quidam ob Extraordinarios Actus ejus memoratos 1 *Sam.* VII. 9. XVI. 2. γ *Prophetia* denique *cum Regno*, uti in Salomone ac Davide, cui utique Sacerdotium temerè adscribitur propter *Ephod*, quo ad humilitatem declarandam Levitarum instar 1 *Sam.* II. 18. indutus fuit 2 *Sam.* VI. 14. 1 *Chron.* XV. 27. δ Licet etiam Actus forte Singulares Sacerdotii fuerint juncti cum Prophetico & Regio Munere, v. g. in Mose, *Rege* vocato *Deut.* XXXIII. 5. [2] & quæ Sacerdotis erant ante Aharonem inauguratum agente *Exod.* XXIV. 6. 8. quo spectare quoque potest locus *Psal* XCIX. 6. ε Licet denique in variis ante Mosen Patribus *Dominium* haud exiguum

guum cum *Prophetico & Sacerdotali Munere* potuerit esse connexum.

[2] *Comm. in Pentat.*

Ordo Munerum horum varius.

V. De *Munerum* horum trium *Ordine* parum sumus solliciti, dum illa inter se tempore plane sunt connexa. Uti enim dubium non est, quin ex Natura Rei, & externæ in terra Exsecutionis Ordine, Sacerdotium juxta Regnum præcedat, ita tamen Publicæ Administrationis Complemento spectato, & Difficultatis gradu, & Fine Mediationis totius, *Propheticum* Munus præmitti, *Sacerdotale* subjici, & *Regium* ultimo loco poni solet.

Prophetici Muneris Nomina exponuntur.

VI. PROPHETÆ nomen Græcum est, à prædictione futurorum petitum, pro quo Hebræi dicunt נביא/ quod ad Divini eloquii Effusionem nos ducit, & Latini *Vatem*, satis verisimiliter à *fando*. Usurpatur autem hic non strictius prò *Munere Prædicendi Futura*, quo tamen Christus quoque functus est, sed paulò latius pro *Munere Docendi*, & quidem *Infallibiliter secundum* extraordinarium *Spiritus ἀνυπευθύνε dictamen.* Quod jam Christo Mediatori tribuitur sub nomine vario, non tantum *Sapientiæ* & Λόγε, quæ ex parte & consequenter solum huc pertinent, sed & *Consiliarii Jes.* IX. 6. [3] *Testis Jes.* LV. 4. *Pastoris Ezech.* XXXIV. 23. *Doctoris Joel.* II. 23. (nisi מורה/ heic potius *Pluviam* notet [4]) *Angeli Interpretis Primi ex mille*, vel *Unius præ mille*, *&c. Job.* XXXIII. 23. [5] καθηγητε *Matt.* XXIII. 8. 10. *Apostoli Nostræ Confessionis Hebr.* III. 1. [6] *&c.* quin & *Prophetæ*, & quidem cum ἐπεξηγήσει, *Illius in mundum Venturi Job.* VI. 14. quem à Messia inepte quandoque distinxerunt Judæi *Joh.* I. 21. VII. 40. 41. *&c. Potentis Opere & Sermone Luc.* XXIV. 19. *&c. Similis* denique *Mosi Deut.* XVIII. [7] Quod elogium uti nemini præter Christum competit *Num.* XII. 7. 8. *Deut.* XXXIV. 10. [8] ita *Mosen* in omnibus *Christo Parem non* constituit *Hebr.* III. 3. sed tantum docet magnam Convenientiam Utriusque, *α in Ortu*, per Divinam Suscitationem ex Fratribus, β in *Excellentia* summa, quoad Dicta, inprimis Fœderalia, & Facta; γ in *Fidelitate*, per Prædicationem constantem *Verborum Dei*, quæ hic notare *Verba quæ solus Deus eloqui potest*, non vero quæ præcipit aliis eloqui, contextui & textui *Job.* III. 33. 34. [9] adversatur, δ in *Subjectione* denique omnium absoluta & necessaria.

[3] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Mant.* III. *post Anal.*

Anal. Exeg Jes. LIII. [6] *Exerc. Text.* XLV. P. III. [7] *Exerc. Text.* XIV. P. V. [8] *Comm. in Pentat.* [9] *Exerc. Text.* XXXIV. P. II.

VII. Supponit Munus hoc in Christo; α tum *Potentiam* supremam, in Cordis flexione & Miraculorum patratione necessariam; β tum *Sapientiam*, infallibilem & Divinam, quæ illi ut Deo vere competit, cujusque gratiosa quædam communicatio, major longe quam hominibus sapientissimis, sed finita, facta est Naturæ Humanæ, successivè, uti contra *Lutheranos* & *Pontificios* observavimus *Cap.* XIX. §. V. XXII. XXV. XXVI. Ex quo fundamento repudiandum hic omnino est *Socinianorum* figmentum, verè *Muhammedicum*, dè *Christo Tricenario Corporaliter in Cœlum Rapto*, fortè *plusquam semel*, & verisimiliter *Tempore Quadragesimalis Jejunii*, ad exemplum *Mosis & Pauli*, ut ibi disceret & videret à se docenda; cujus figmenti Scopus est enervatio facilior locorum, quæ per adscriptum Christo *Exitum à Patre & Missionem* ejus Deitatem adstruunt. Opponimus nos; α *Silentium Scripturæ*, quod in re adeo momentosa ac verè fundamentali, qualis hæc foret licet forte clam gesta, multum valet; β tum etiam *ejus Assertionem*, de Christo non in Cœlum tempore Jejunii, sed *in Desertum ad Tentationem subducto Matt.* IV. 1. [1] ac de Uno Christi in Cœlum Ascensu Descensum non antegresso sed secuto *Eph.* IV. 10. *Hebr.* IX. 12. quem solum *Symbolum Christianum* quoque habet; γ tandem Christi, ut Dei & Spiritum in his terris nacti, absque tali Adscensu sufficientem Sapientiam. Nec obstant nobis. 1. *Loca*, quæ Christi *Descensum* in hás Terras memorant *Joh.* III. 13. VI. 38. 62. *&c.* utpote respicientia manifeste ad ejus *Incarnationem*, in qua Sui in Carne Manifestatione de Cœlo descendit *Joh.* XVI. 28. 1 *Cor.* XV. 47. nec Adscensum priorem ponentia 2. *Adscensus* in Præterito memoratus *Joh.* III. 13. ubi vel est *Temporis Enallage*, vel de Adscensione Mentali per plenam cœlestium cognitionem potius agitur ex contextu & textibus *Deut.* XXX. 12. [2] *Prov.* XXX. 4. *&c.* 3. *Auditus Visusque* Christo tributus *Joh* III. 11. V. 19. 20. VIII. 38. XII. 49. *&c.* quem vere habuit Christus, & ante Incarnationem in Cœlo, & post eam in Terris quoque, per Deitatem & Personarum ἐμπεριχώρησιν 4. *Exemplum* tandem *Mosis & Pauli*; α dum Christus eodem institutionis modo cum nudis hominibus opus non habuit; β nec Moses raptus fuit in Cœlum, sed vocatus in Montem, perinde ut Christus in De-

Supponit illud Potentiam & Sapientiam supremam. Ad quam acquirendam Raptum Cœlestem gratis finxerunt Sociniani. Quorum Objectiones diluuntur.

Desertum; γ nec Pauli Raptus ipsi Apostolo satis cognitus fuit quoad Modum omnem 2 *Cor*. XII. 3. 4 [3].

[1] *Exerc. Text*. XXVIII. P. III. [2] *Comm. in Pentat*. [3] *Exerc. Text*. XLIX. P. V.

Actus Muneris hujus Primus est Prædicatio. Tum Legis. Tum Euangelii. Tum Futurorum.

VIII. Muneris hujus porrò *Actum* statuimus *Duplicem*; α *Prædicationem* scil. quam ad Regium vel etiam Sacerdotale munus alii minus rectè referunt; β & doctrinæ prædicatæ *Confirmationem*. Docet verò *Prædicatione* sua Christus. 1. Tum *Legem*, ejusque genuinum Sensum, *Act*. VII. 38. *Matt*. V. 20. 48. *&c*. ob rationes varias datas *Cap*. XI. §. XXV. tam sub Novo quam sub Vet. Test. licet tunc magis quam nunc hæc inculcata fuerit, ob variantem Ecclesiæ Ætatem, & Ceremoniali jugo multum adaucta, quod nunc cessat *Hebr*. VII. 12. Ita ut nullum hic discrimen in Lege Vet. & Novi Test. Morali admittamus, quale urgent *Sociniani*, *Anabaptistæ*, *Remonstrantes*, *Pontificii*, hinc Christum ut *Novum Legislatorem* male considerantes, quos confutavimus *Cap*. XI. §. XXXII. XXXIII. 2. Tum *Euangelium*, olim quidem *Promissionis*, hodie vero *Impletionis*, *Ps*. XLV. 3. 4. 5. [4] *Jes*. XLIII. 1. 2. LXI. 1. 2. 3. *Joh*. I. 17. *Hebr*. II. 2. *&c*. qua de re vide amplius *Cap*. XVII. §. XI. XII. 3. *Futura* quoque, tum α *Mundi*, tum β *Ecclesiæ*, tum γ *Sui Ipsius*, Fata, copiose in Utroque Testamento, & potissimum in *Apocalypsios Libro* delineata, ad omniscientiam suam declarandam, ac Fideles ad Officia sua melius incitandos.

[4] *Anal. Exeg. post Cant*.

Modus Prædicationis Christi declaratur.

IX. Docendi *Modus* hactenus omni Ætate Ecclesiæ *Idem* est, ut prædicet Christus, cum α Autoritate *Matt*. VII. 29. β Parrhesia *Matt*. XXII. 16. γ Zelo *Matt*. XXIII. 37. δ Prudentia *Matt*. XXII. 20. 21. ε Sapientia *Joh*. VII. 15. ϛ Facundia *Luc*. IV. 22. ζ & *Interna* maximè in animam *Potentia*, ad hanc vel convertendam vel convincendam per Spiritum, cum Verbo connexum, *Joh*. VI. 45. XV. 26. *Act*. XVI. 14. *Eph*. I. 19. *&c*. quæ uti Christo Soli Peculiaris est plane, ita circa omnes non exercetur externè Audientes, sed tantum circa *Electos & Salvandos*, ad horum Conversionem. *Differt* vero *Prædicatio* Christi eatenus, α quatenus Doctrinæ ipsius variat Circumstantia, β & Gradus Claritatis, Ætati Ecclesiæ sapienter accommodatus, γ & Extensio Institutionis, δ & denique Ratio administrationis, juxta quam est illa,

la, vel *α Mediata*, quæ facta olim per Angelos, Patresfamilias, Sacerdotes, Levitas, Prophetas, &c. hodiè fit per Ministros Extra-Ordinarios & Ordinarios *Eph.* IV. 11. *β* vel *Immediata*, quæ locum habuit, tum in diebus Carnis Christi ante & post Resurrectionem ejus *Rom.* XV. 8. *Joh.* XVII. 6. *Act.* I. 3. &c. tum in Revelationibus Extraordiariis, quales Patriarchis, Paulo, Johanni, &c. contigerunt, nec hodiè post completum Canonem amplius à nobis sunt exspectandæ. De *Personis* à Christo *Docendis* diximus, quoad Externam Prædicationem *Cap.* XVII. §. VIII. IX. *&c.* & dicemus quoad Internam Efficaciam *Cap.* XXIII.

X. Accedit ad Prædicationem Alter Actus *Confirmationis*. Ad quam fecit quidem in diebus carnis; *α Mors*, quam summa cum constantia subiit, *coll.* 1 *Tim.* VI. 13. *Apoc.* I. 5. [1] magis principaliter interim ad Sacerdotalem Satisfactionem pertinens; *β Vitæ* item intaminata *Sanctitas*, testimoninm habens, à Patre *Matt.* III. 17. *Jes.* LIII. 11. [2] *&c.* Fidelibus Discipulis *Act.* IV. 27. 1 *Petr.* II. 22. *&c.* Juda, Uxore Pilati, Pilato *Matt.* XXVII. 4. 19. 24. & Judæis promiscuè *Joh.* VIII. 46. qui hinc etiam studiose Falsas Accusationes conquirere debuerunt, dum porrò Christus ipse respectu hujus Sanctitatis, non vero Divinorum aut θεανδρικῶν Operum, aut quæ tanquam Judæus egit, se Fidelibus Imitandum proposuit *Matt.* XI. 29. XVI. 24. 1 *Petr.* II. 21. 1 *Joh.* II. 6. *&c.* *γ* sed præcipuè magnitudo & multitudo *Miraculorum*. Quæ non specie tenus sed *Verè Talia*, non transeuntia tantum, sed & *Permanentia*, non in quibusdam sed in *Omnibus Creaturis*, non privatim sed & *Publicè*, non in suum sed aliorum *Hominum Usum* Patrisque gloriam, non aliena sed *Sua Potestate* patravit Divina *Matt.* VIII. 2. IX. 28. X. 8. *&c.* *α* tum *Mediatè*, & per Prophetas olim & per Apostolos aliosque sub initia Novi T. *Joh.* XIV. 12. *Marc.* XVI. 17. *Act.* III. 6. 12. 13. IV. 10. V. 15. IX. 34. VIII. 17. XIX. 11. 12. *Hebr.* II. 3. 4. *&c.* *β* tum *Immediatè*, & in Apparitionibus olim factis, & in insolitis Operibus quæ hodie quandoque fiunt, & potissimum in Vitæ Initio, Progressu, ac Fine, secundum Prædictionem, *Jes.* XXXV. 5. 6. [3] Christi ipsius Provocationem *Matt.* XI. 4. *Joh.* V. 36. & Multitudinis Judaicæ consensum *Joh.* VII. 31. IX. 32. cui nec *Pharisæi*, nec *Talmudistæ*, nec infensissimi postea Christi Hostes obloqui potuerunt, ad conspira-

Alter Actus Muneris hujus, doctrinæ Confirmatio valida, præcipuè per Miracula.

ra-

rationem Magicam cum Dæmone, à Salvatore ipso dudum refutatam *Matt.* XII. 26. 27. aut ad somniatam Vim quandam Nominis Tetrogrammati, gratis confugientes.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [3] *Exerc. Text.* XVIII. P. VI.

Observationes quædam de Miraculorum Tempore De eorum mandato Silentio. De eorum denique Certitudine & Necessitate.

XI. De *Miraculis* vero his, quæ Potentiam Regiam quidem supponunt, magis tamen directè ad hoc quam ad Munus Regium spectant, amplius verbo notaudum est. 1. Patrasse illa Christum immediate; α *non* adeò *post Resurrectionem*, humili tum Ministerio & Conversatione communi cessante, licet adhuc suorum *Piscationi benedixerit* extra ordinem *Joh.* XXI. 11. β *neque* etiam *in Pueritia ante Baptismum*, secundum *Veterum* quorundam & *Pontificiorum* fabellas, ac si etiam Parentes tum per Miracula sustentasset, & ob experientiam hanc Maria ad Filium accessisset *Joh.* II. 3. licet Præludia quædam Potentiæ magis privata, post illa quæ cum Nativitate fuerunt connexa, negare nolimus; γ quam quidem *Durante Publico Ministerio*, uti ex Miraculorum scopo, & loco expresso *Joh.* II. 11. constat. 2. Voluisse quandoque Christum, ut *illa ad tempus celarentur Matt.* VIII. 4. IX. 30. XII. 16. &c. æquè quam doctrina de se & gloria sua, *Matt.* XVI. 20. XVII. 9. α tum ad implenda Vaticinia *Jes.* XLII. 1. 2. β tum ad vitandum Populi nimium Concursum, γ tum ad declinandas Judæorum Immaturas Conspirationes, δ tum denique per Arcanum Dei Judicium. 3. Mediatam tandem *Miraculorum Patrationem non esse necessariò cum Veritatis Prædicatione connexam*; α ut sola qualiscunque illa hanc inferat, dum Miracula à Falsis Prophetis etiam fieri & olim & hodiè voluit Deus *Deut.* XIII. 1. 2. *Matt.* XXIV. 24. 2. *Thess.* II. 9. &c. β aut hæc illam hodieque exigat, cum per plures post Apostolos annos illa singulari Dei gratia ad faciliorem Gentium Conversionem (incertum tamen quousque præcisè ob Fabulas historiæ ab Antiquitate mixtas,) continuata, ita abunde Nostram in substantia & circumstantia eandem cum Apostolicâ Doctrinam confirmaverit, ut nullis propter Fideles, nedum Infideles, Novis Miraculis hodiè opus sit. Quod utrumque adversus ineptientes & miracula fingentes *Papistas* meritò tenemus.

Munus Propheticum Omni Ætate

XII. Ex dictis liquere potest; α *Omni Ætate Ecclesiæ Propheticum Munus* exercuisse Christum, dum *Spiritu ejus* olim acti fuerunt

runt Prophetæ 1 *Petr.* I. 11. III. 19. & hodie Doctores omnes *ejus* sunt *Ministri* 2 *Cor.* v. 20. 1 *Tim.* IV. 6. *&c.* β Præterea esse *Munus illud Uni Christo Relinquendum* in sua ἐξοχῇ, secundum loca *Matt.* XI. 27. XXIII. 8. 10. *Job.* I. 18. 1 *Petr.* v. 4. *&c.* & requisitas Conditiones ac Operationes in hoc Munere. Quod tamen non obstat, quo minus *Fideles Omnes* modo spirituali, ob Sapientiam à Deo concessam Studiumque in aliis ædificandis; *Pastores* itidem Omnes Ecclesiæ, ob Ministerium quod Christo jussu ipsius præstant, *Prophetæ* dicantur. Obstat autem omninò hypothesibus; α *Socinianorum*, de *Ratione* juxta imò verè supra Christum audienda; ϐ *Enthusiastarum*, qui *Spiritum Privatum* longe supra Christi Verbum efferunt; γ & *Pontificiorum*, Papam ut Infallibilem & Supremum Interpretem adorantium; δ ut mittam *Muhammedis* aliorumque Impostorum deliria.

XIII. SACERDOS dicitur secundo Christus; quod nomen Latinum à *Sacro*, & forte *dando*, derivatur, sicut Græcum ἱερεὺς ab ἱερῷ. Pro eo Hebræi dicunt כהן / quod, sive ab *appropinquando* sive à *ministrando* originem ducat, ponitur & pro *Principalis Dignitatis Viris* 2 *Sam.* VIII. 18. XX. 26. *Job.* XII. 19. *&c.* & prò *Sacerdotibus*, seu ob magnam eorum Convenientiam, seu ob antiquum Concursum Dignitatis Utriusque. Hic verò non sensu Abusivo, de Falsorum Deorum Cultoribus; aut Metaphorice de Spirituali vel Singulorum Fidelium vel Ministrorum Cultu; neque restricte & opposite ad Pontificem; sed sensu proprio & maximè genuino accipitur, quicquid repugnent *Sociniani*, quorum impia hypothesis mox aperietur, & denudabitur. Atque sic appellatur Christus, non tantum *Sacerdos Zach.* VI. 13. [1] *Hebr.* VII. 24. VIII. 4. *&c.* sed & ἱερεὺς μέγας, *Sacerdos Magnus Hebr.* X. 21. ἀρχιερεὺς *Pontifex Hebr.* II. 17. IV. 15. V. 5. *&c.* *Pontifex nostræ professionis Hebr.* III. 1. [2] *magnus Hebr.* IV. 14. *futurorum bonorum Hebr.* IX. 11. *Sacerdos* denique & *Pontifex secundum Ordinem Melchitsedek Psal.* CX. 4. [3] *Heb.* V. 6. 10. VII. 17. 21. Quo titulo non omnis Christi cum Sacerdotibus Aharonicis, qui certissime illum præfigurarunt cum toto Cerémonialis Legis apparatu, Convenientia tollitur, sed *Major* eum inter & Melchitsedekum *Similitudo* innuitur.

Nomina Muneris Sacerdotalis.

[1] *Comm. in Loc. & Exerc. Misc. Disp.* VI. [2] *Exerc. Text.* XLV. P. III. [3] *Exerc. Text.* XVIII. P. II.

XIV. Hæc Similitudo ut melius intelligatur, ἐν παρόδῳ explicanda

Sententiæ variæ erroneæ de Persona Melchitsedeki proponuntur, & refutantur, & vera de illo sententia exhibetur.

canda est Mechitsedeci *Persona* & *Functio*. Circa prius caput existimamus omnino à vero aberrasse. 1. *Hierachitas*, qui per Melchitsedecum *Spiritum S. Melchisedecianos*, qui *Dei Virtutem* Christo augustiorem, *Origenem* & *Didymum*, qui *Angelum* aliquem intellexerunt; quique omnes dum *Hominem* fuisse *Verum negarunt*, nimis palam α Smplicitati Mosaicæ Narrationis *Gen*. XIV. 18.[1] & β Sacerdotio illi adscripto, *coll. Hebr*. V. 1. & γ Typicæ Præfigurationi Christi, repugnarunt. Parum adjuti ipsi; α *Excellentiâ* Melchitsedeci *supra Abrahamum*, quæ non de Fide & Sanctitate sed dè Muneris Dignitate & Exercitio est intelligenda; β titulo *Regis Justitiæ & Pacis*, qui ob allusionem Pauli non appellativè sed Propriè est intelligendus, nec appellativè acceptus horum Bonorum Autorem aut perfectum Possessorem ipsum ponit; γ *Parentibus ipsi Negatis*, juxta *Finem Dierum & Initium Vitæ*, non utique Absolutè, sed respectu Genealogiæ notæ, & Narrationis nusquam repertæ, quod in aliis quidem pluribus sed non simul cum alia multiplici Similitudine ac Typica ejus Præfiguratione reperitur; δ *Assimilatione Filii Dei*, quæ non ad Essentiæ Æqualitatem, sed Muneris & Personæ Adumbrationem spectat; ε *Ordine Melchitsedeci* Christo adscripto, qui Principalem magis Sacerdotii Dignitatem in Typo non ponit; ς aut denique *Prærogativa Abrahami*, qui, si vel Melchitsedek Homo Populum Fidelem habuerit, titulum *Patris Fidelium* non perdit. 2. Eos similiter ex *Veteribus* & *Recentioribus*, etiam Nostris, qui Melchitsedek putant fuisse ipsum *Dei Filium*, in præludium suæ Incarnationis *Forma Humana* apparentem. Quod iisdem argumentis refutatur; potissimum cum Sacerdotio Externo in Animalium Mactatione fungi sit infra Christi Dignitatem, & Regius Apparatus Christum in Forma Servili Incarnatum referre externè non potuerit. Quodque iisdem etiam rationibus frustra confirmatur; potissimum α ex *Benedictione* illi tributa, quæ Apprecationem non Collationem Actualem notans, Deitatem non infert; β & ex *Æternitate* Personæ & Functioni adscripta *Hebr* VII. quæ sensu leviori de Typo, pleno de Antitypo intelligi debet, perinde ut textus 2 *Sam*. VII. 12. 13. 14.[2] 3. Eos adhuc, qui ex *Judæis* etiam antiquissimis, *Pontificiis*, *Nostrisque*, illum voluerunt fuisse, seu *Chamum*, seu potius[3] *Semum*, *Noachi Filium*; contra rationem, non Temporis, malè ex versione τῶν LXX. à Veteribus adductam,

quæ

quæ Paucos tantum Annos Abrahamum post Semum superfuisse potius docet, verum α Sedis in terra Canaan, ex Semo non orti, β Peregrinantis ibidem Abrahami conditionem, γ Melchitsedeci à Levitico genere distinctionem, δ denique negatam illi, non tantum sub nomine Melchitsedeci & in hujus historia, sed in universum Genealogiam Nativitatisque & Mortis Memoriam. Et sunt Fundamenta sententiæ hujus levia; α ex ἐξοχῇ Melchitsedeci, quæ aliis præter Semum rectè tribuitur; β ex *Benedictione*, quæ aliunde quam ex Paterno Affectu provenire potest; γ ex collatione *Tentoriorum Semi Gen.* IX. 27. cum *Tugurio Dei in Salem Psal.* LXXVI. 3. quasi Semus in Vaticinio Noachi ipsam Personam & non potius Posteritatem notaret; δ denique ex *Testimonio Vitæ* Melchitsedeco dato, quasi id ad Vitam Æternam Cœlestem appellationemque *Dei Semi Gen.* IX. 26.[4] & non verius ad Mortem non memoratam Æternitatemque Messiæ & Muneris ejus respiceret. 4. *Pauciores* tandem alios, qui vel *Henochum* eum putarunt, septimum ab Adamo ex cœlo reducem[5], vel *Hominem à Deo Immediatè Creatum* eum statuerunt, Regem & Pontificem in Canaan, Assimilatum non Christo sed Adamo Dei Filio, in Creatione, Sanctitate, &c. Quod fingitur; α & præter Scripturam; β & contra eam *Gen.* III. 20. *Act.* XVII. 26. *Rom.* V. 12. γ & contra rationem Sacerdotii, ad quod Sanguinis cum Hominibus Nexus requiritur, δ denique sibi adversum est figmentum, ob multiplicem differentiam, quæ sic inter Adamum & Melchitsedecum foret. Ut sententiis his missis, omnino cum sapientioribus *Judæis*, plurimisque *Christianis*, dicendum sit; fuisse hunc *Hominem Verum ex* hominibus *Cananæis*, nomine proprio *Melchitsedecum*, Vita *Pium* inter plures impios reliquum, Munere *Pontificem simul & Regem, in Salem*, sive eâdem cum Jerusalem, sive altera Urbe.[6] Quæ palam apud Mosen lecta, Allegoricâ Allusione Pauli non evertuntur; & supra quæ hic sapere non debemus, cum *sileat* porro *Scriptura*, & in Silentio hoc *Mysterium* constituat Spiritus.

[1] *Exerc. Text.* II. P. V. [2] *Exerc. Text.* VIII. P. VI. [3] *Exerc. Text.* II. P. IV. [4] *Ibid.* [5] *Ibid.* [6] *Exerc. Text.* II. P. V.

XV. Functio ejus fuit; tum *Regia*, juxta quam *Panem & Vinum Protudit*, ad refectionem scil. Abrahami ac servorum ejus; tum *Sacerdotalis*, juxta quam *Benedixit* & *Decimas accepit*. Quæ duo

Additur Functio Melchizedeci Gemina; ad quarum

alteram, Sacerdotalem sc. non pertinet Panis & Vini Prolatio.

duo pessimè confundunt *Pontificii*, in gratiam *Sacrificii Missatitii* statuentes, rationem *Sacerdotii Melchitsedeciani* in eo constitisse, quod *Hostiam Incruentam Panis & Vini obtulerit*, idque frustra firmantes; α *Usu Vocis* הוציא *Proferendi*, pro *Oblatione Jud.* VI. 18. 19. qui ibidem gratis fingitur, non est Nativus saltem aut Communis, nec in loco hoc agnoscitur ab Hebræis LXX. *Vulgato* ipso, nec agnosci potest ob circumstantias omnes; β *Vilitate Panis*, sub quo Victum quemvis commodè intelligimus, tali in casu exhiberi solitum, *coll. Gen.* XVIII. 5. *Jud.* VIII. 5. *&c.* γ *Prolatione Melchitsedeci* in propria persona, quæ ex textu probari non potest; δ *Abundantia Abramidarum* ex victoria priori, quæ Victum recentiorem ex Liberalitate ab aliis dandum non excludit; ε *Benedictione Connexa*, quæ utique non ad Panem sed ad Abrahamum pertinuit, nec Sacerdotis liberalitatem in Oblationem vertit; ς particula Causali, *erat Enim Sacerdos*, quæ in *Vulgato*, non autem in Hebræo est textu; ζ denique *Discrimine Sacerdotii Melchitsedeciani & Aharonici*, quod in re oblata nusquam constituitur, dum tacens de illius oblatione Spiritus, materiam fuisse eandem, & quæ apte Christi Sacrificium Cruentum præfiguraret, satis declarat. Produntque satis desperatam causam *Papistæ*, cum ad *Alegoricas Patrum Glossas* confugiunt, vel *Symbola hæc prius Deo consecrata*, postea Abrahamo & sociis cessisse, & *Epulum* sic *Sacrificiale* institutum fuisse, verè somniant.

In quo consistat Melchitsedeci hujus Ordo.

XVI. *Secundum* hujus Sacerdotis *Melchitsedeci Ordinem*, (in quo Mosis *Narrationem* sunt qui non ineleganter intelligunt,) cum Christus Sacerdos à Davide dicitur, docuit Paulus, respici ad *Convenientiam*; α *Nominis*, cum Christus vere sit *Rex Justitiæ*, ratione Perfectionis Personæ, Administrationis regni, & Justitiæ communicatæ; β *Personæ*, cum Christus non sit Ortus ex Levi, Patre juxta humanitatem, Matre juxta Deitatem, & Genealogia solita, Initio item & Fine Vitæ vere carens; γ *Regni Pacis*, cum Sacerdotio arctè in Christo juncti; δ *Dignitatis* denique *Sacerdotalis*, quam habuit quoque Christus Superiorem Levitica, Unus ipse absque Successoribus, juxta stabile Juramentum Durantem in perpetuum. Quæ singula facilè latius diducuntur.

Requisita in Munere hoc Dignitas Infinita, & Sanctitas

XVII. Requirit Munus hoc in Christo; tum α *Infinitam Dignitatem*, ut ad Deum proximè accedere, & nostram Reconciliationem impetrare posset; tum β *Sanctitatem Intaminatam*, quam

per

per Victimæ Integritatem, Aræ Consecrationem, & Sacerdotum *Legalem Puritatem* potissimum, olim Deus adumbravit, verè necessariam hic esse docuit Apostolus *Hebr*. VII. 26. 27. verè etiam in Christo fuisse liquet, ex Sanctissimâ Nativitate Vitaque Integerrima, de qua dictum est §. X. & *Cap*. XIX. §. X. imo Obedientiâ summa quam ille ex amore fratrum & Patris huic præstitit *Phil*. II. 8. Istam verò Personæ Christi in Natura & Operibus Sanctitatem, quam *Satisfactionem Legalem*, *Obedientiam* item, & *Justitiam*, *Activam* vocant, atque sic recte à Passionibus, quibus Justitiæ Vindicativæ satisfecit, non quidem divellunt sed distinguunt, putamus non solum tanquam *Requisitum Personale* ad Bonum Nostrum ducere, sed & tanquam *Requisitum Officiale Sponsoris*, *Loco Nostro præstitum*, consideramus, quem ad modum olim & vice populi sanctificabantur Sacerdotes. Quo ducit; α frequens *Imputatæ nobis Obedientiæ* & *Justitiæ Christi*, quæ inobedientiæ & transgressioni opponitur, mentio *Jer*. XXIII. 6 [1]. *Dan*. IX. 24. [2] *Rom*. V. 18. 19. 2 *Cor*. V. 21. *Phil*. III. 9. *&c*. β *Obedientiæ Activæ & Passivæ intimus Nexus*, ob quem divelli una ab altera non potest *Phil*. II. 8. 1 *Cor*. I. 30. γ tandem *Debitum Nostrum*, præstandæ plenè Legis, quod per accedens ex Peccato Pœnæ Debitum non est sublatum, sed semper ex Æterno Dei Fœdere manet fixum, quodque cum non solvamus aut solvere nos unquam possimus, Christus tanquam Sponsor & Salutis Autor in se suscipere debuit, *coll*. *Rom*. VIII. 3. 4. Adversantur tamen heic non tantum *Justitiarii* omnes, sed & ex *Lutheranis* & *Nostris* quidam; perperam supponentes, Peccato Remisso solo, ob Passiones in quibus κατ' ἐπιτομὴν Lex impleta, Hominem ita Justum à Deo positive considerari, ut Jus Vitæ Æternæ habeat. Atque objiciunt illi frustra. 1. Frequentem memorationem solius *Mortis*, *Sanguinis*, *Passionis*, Christi, ubi de nostra Salute & Redemptione mentio est; α cum ad Redemptionem qua talem hæc sufficiat; β Passio Actualem Obedientiam alibi clare memoratam includat, neque Positio unius hic sit Exclusio alterius. 2 *Perfectionem Passionum Christi*; α quam iis in suo genere, & ad Auferendam Pœnam, non negamus, β quam habent quoque ex Conjuncta Obedientia Activa, γ quæque cum Sufficientia ad Salutem neutiquam est confundenda. 3. *Debitum Christi ipsius*, ut Hominis & Creaturæ Rationalis, *Pro Se*; quod α debitum

Perfectissima. Quæ etiam Pro Nobis præstita est. Quod contra aliter sentientes defenditur.

pro aliis à se repræsentatis à Christo non magis quam ab Adamo excludit, β cum assumptione ipsa humanæ naturæ est ex Vadimonio suscepto, γ neque tam est Fœderale in ipso absolutè absque electis spectato, quam quidem Naturale, ad quod Fœderalis ratio alia recte accedere potuit. 4. *Manentem Propriam nostram Obligationem* ad Obedientiam; per quam α non potest plena Legis Observatio tanquam causa Justitiæ nostræ intelligi, si salva erit Libertas Christiana & Justificatio gratuita, β sed debet intelligi sincerum Obedientiæ Studium, ad gratitudinem nostram declarandam, ac vitam adjudicatam acquirendam.

[1] *Exerc. Text.* XX. P VI. [2] *Exerc. Text.* XXV. P. VI.

Sacerdotii Actus Duo, quorum primus est Oblatio in his terris facta, quæ contra Socinianos asseritur.

XVIII. Sequuntur *Actus* Sacerdotii *Duo*, nempe *Oblatio*, alias *Immolatio*, & *Intercessio*. Quos α uti temere nonnulli augent, additâ, vel *Benedictione*, quæ utique species Intercessionis est, vel *Prædicatione*, quæ ad Sacerdotium qua tale non pertinuit; β ita impiè tollunt *Sociniani*, tum *Intercessionem* propriè dictam, tum maxime *Oblationem* veram negantes, illamque partim ad Preces in Passionibus fusas pro se, partim & maximè ad Gloriosam sui in Cœlis Exhibitionem trahentes: unde *Sacerdotem* illum nostrum tantum quacunque ratione *post Adscensionem in cœlis factum esse* contendunt. Plane contra; α naturam *Veri Sacerdotii* constanter Christo tributi, quod *Oblationem* veram, ab *Intercessione* distinctam, infert *Hebr.* v. 1. VIII. 3. IX. 7. 21. *&c.* nusquam in Actu sed omnino in Præstantia Actus, & Rei oblatæ, discrimine Aharonis inter & Christi Sacerdotium posito; β *Oblationis* Christo distinctè tributæ *emphaticam mentionem Eph.* v. 2. *Hebr.* 1. 3. VII. 27. IX. 12. 26. X. 10. *&c.* γ ejusque *Explicationem de Passione* his in terris semel suscepta, locis jam adductis. Nec repugnat; α geminus *Pauli Textus Hebr.* v. 5. 6. VIII. 4. quo priori non de Tempore Sacerdotii administrati sed dè dignissimi gloriosissimique Muneris Collatore Deo Patre agitur, & posteriori Imperfectio Sacerdotii Christi arguitur, si ille in his terris ut Atrio subsistens in verum Sanctuarium ad exemplum externum Aaronidarum non fuisset ingressus; β vel *Mortem & Passionem fuisse Præparationem ad Ingressum Cœli*, quod ita dari potest, ut tamen illa Præparatio Actum Sacerdotii Primum constituat in Christo, uti in Typis Veteribus.

XIX. *Oblatio* autem hæc uti *Vera* est, ita multum *differt ab omni*

omni Typica quæ præcessit; [1] α tum respectu *Unitatis* absque repetitione, ϐ tum ratione *Peccatorum*, *&* *Hominum*, prò quibus facta; γ tum intuitu *Fructus & Efficaciæ*; δ tum denique in *Victima*, & *Ara*, quæ hic à *Sacerdote* non differunt, nisi considerationis modo. Est enim *Christus*, (exclusis plane cum Juda Proditore Judæis & Romanis, qui aliud longè intenderunt, nec ullam in Christum à se potestatem, nedum plenam, habuerunt,) hic α ipse *Sacerdos*, secundum *Utramque Naturam*; Vitæ Potestate fluente à Divina, & Offerendi prò nobis Jure ab Humana, *Hebr.* II. II. IX. 14. *&c.* Est Idem β *Victima*, secundum *Humanitatem*, quæ sola pati potuit, eamque Totam, uti ex *Anima* & *Corpore* constat, unde quandoque *Christi*, quandoque *Animæ*, quandoque *Sanguinis* & *Corporis* ejus hic fit mentio *Eph.* V. 2. *Hebr.* IX. 14. *Jes.* LIII. 10. [1] *Matt.* XX. 28. XXVI. 28. *Hebr.* IX. 12. X. 10. *&c.* Est Idem tandem γ *Ara*, sive *Altare*, secundum *Deitatem*, quæ valore addito victimam hanc sanctificavit, atque insuper preces nostras sanctificat, *coll. Hebr.* XIII. 10. *Apoc.* VIII. 3. [2] Dum interim alii non immeritò annotant, Appellationem hanc posse quoque tribui, tum toti *Terræ Judææ*, tum maximè *Cruci*; quæ α ipsum oblatum sustinuit 1 *Petr.* II. 24. quæque β ut symbolum Maledictionis ad Consummationem Passionum Deo gratam quoque spectavit *Gal.* III. 13. *Phil.* II. 8. unde frequentissimè *Crux Christi* metonymicè totam illius Passionem notat 1 *Cor.* I 17. 18. *Gal.* V. II. VI. 14. *&c.* Quam verò hinc colligunt alii *Dignitatem Crucis supra Christum ipsum*, ob textum *Matt.* XXIII. 19. [3] illa non est admittenda; dum α Appellatio hæc Crucis non ultra scopum extendi debet; β & Dignitas omnis Altaris quoque fuit à Domino focum suum in illo fovente. Quam porro hinc *Crucis* non tantum, sed & *Imaginis ejus*, *Venerationem Religiosam* exsculpunt *Papistæ*, illa insanam horum Idolomaniam declarat, nunquam olim adorato Altari, quod Dei jussu erectum, stabile, atque sacrum erat, nedum ejus qualicunque Delineatione.

Oblationis hujus Discrimen ab omnibus aliis, in qua ipse Christus Sacerdos, Victima, & Ara. Quod postremum nomen Cruci tamen etiam tribui potest.

[1] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XXXI. P. IV.

XX. Habuit *Oblatio* Christi suos *Gradus*, ne de Sponsione, Promissione, & Præfiguratione, nunc dicam, in Temporis Plenitudine. Fuit enim illa; α sic *Inchoata* in Pauperrimâ & Vilissima Nativitate 2 *Cor.* VIII. 9. *Rom.* VIII. 3. *&c.* ϐ & *Continuata*

Oblationis Christi varii Gradus. Neque enim ab illa oporin

ver exclude-re Passiones Christi omnes præter Trihorariam Solis Obscurati tempore. Cujus hypotheseos fundamenta convelluntur.

in variis per universam vitam Molestiis & Laboribus *Jes.* LIII. 2. 3.[1] *Hebr.* II. 10. 1 *Petr.* II. 21. *&c.* γ ut *Complementum* potissimum accesserit per Ultima & Gravissima Mala, *Corporalia*, in Injuriis omnis generis, Flagris, Crucifixione, Morte, & *Spiritualia*, in Desertione Patris[2], ac Angore Extremo ex sensu Iræ Dei.[3] Quæ doctrina sana haud parum labefactatur per hypothesin periculosissimam de *Satisfactione Prò Nobis tantum Præstita Solis Obscurati Trihorio*, reliquisque Malis, quæ antecesserunt & consecuta sunt, *Convincentibus* & *Bellicis* potius, quam *Compensantibus* & *Judiciariis*, ac spectantibus *ad Promissionum & Typorum Implementum.* Ad cujus confutationem sufficit; α generalis *Passionum* omnium *prò nobis* susceptarum in Scripturis mentio; β specialis *Dolorum*, *Flagrorum*, *Vulnerum*, *Sanguinis*, *Mortisque*, nominatio *Jes.* LIII. 4. 5.[4] 1 *Petr.* II. 24. III. 18. *Rom.* III. 25. V. 10. *Hebr.* II. 14. *&c.* γ consideratio *Christi*, ut *Sanctissimi* in se, *Sponsorisque* æterni, collata cum Patris non tantum Justitia, sed & Amore in Filium intenso, imo & Malorum Trihorium antecedentium & consequentium gravitate, *Luc.* XII. 50.[5] *Joh.* XII. 27.[6] *Matt.* XXVI. 38. 39.[7] *Hebr.* V. 7.[8] II. 9. *&c.* δ denique necessarius *Concursus Judiciariæ Satisfactionis*, cum Vaticiniorum Impletione, Convictione de Peccato suscepto, Satanæque Impugnatione, in Sponsore, dum finem & rationem minus principalem non excludere aliam potiorem contra *Socinianos* defendimus. Nec obstant. 1. *Loca*, quæ dicunt Christum *Semel Passum* 1 *Petr.* III. 18. ac *Oblatum Hebr.* VII. 27. IX. 28. X. 10. hinc *Uno Die Peccatum Totius Terræ amotum Zach.* III. 9.[9] Cum hæc; α aut in oppositione ad repetita Aharonidarum Sacrificia, & instantem Christi Adventum gloriosum, Unam & Continuam Christi Passionem ab initio vitæ ad finem notent; β aut ad Complementum ejus Publicum, secutamque tum demum Expiationem plenam, respiciant. 2. *Consummatio*, cujus Christus ante mortem meminit *Joh.* XIX. 30. Quæ α vel restricte est intelligenda, *coll. Joh.* XVII. 4. vel β per Enallagen ob propinquitatem in Præterito proponitur, uti 2 *Tim.* IV. 7. 3. *Signa Gratiæ & Favoris Divini* in Vita priori *Luc.* II. 52. *Matt.* III. 17. XVII. 2 *Luc.* X. 21. & in ipso ultimo Agone *Luc.* XXII. 43.[10] ac Morte Placida, quibus oppositum fuit signum Defectus Solis. Cum α Ira Dei in Peccata omnem Favorem in Filium, in primis quo ad futuras passiones subeundas roboraretur,

non

non excludat; ϐ & Iræ exardeſcentis Gradus varios nemo neget. 4. *Neceſſitas Mortis & Malorum aliorum nobis adhuc incumbens.* Quæ α ad qualeſcunque Derelictiones Spirituales ſe quoque extendit; & ϐ à quibus Maledictionem ac Pœnæ Formale per Chriſtum ablatum eſſe conſtat. 5. Denique ratio *Typica*, *Victimarum*, quæ ante Septimum Diem offerri non poterant, & *Sacerdotum*, qui Trigeſimo demum Anno Munere ſuo fungebantur. Cum α illa non perinde quoad literam in Antitypo debeat quæri, in quo Integritas & Puritas ſufficiens mox adfuit; ϐ & Lex Ætatis iſtius Sacerdotibus, perinde ut Levitis *Num.* IV. 3. VIII. 24. præſcripta non legatur, imò contra Hebræorum Traditionem merè ponatur; γ quin & totum hoc ad Sacrificii Publicum Complementum tunc debeat referri. Quæ ex *Symbolo*, de *Paſſione ſub Pontio Pilato*, & *Catecheſios Heidelb. Quæſtione* XXXVII. objiciuntur, utpote nimium detorta, & ex prioribus facilè ſolvenda, mittimus.

[1] *Anal. Exeg. Jeſ.* LIII. [2] *Exerc. Text.* XXXV. P. V. [3] *Exerc. Text.* XXXIII. P. V. [4] *Anal. Exeg. Jeſ.* LIII. [5] *Exerc. Text.* XXXIII. P. V. [6] *Ibid.* [7] *Ibid.* [8] *Ibid.* [9] *Comm. in Loc.* [10] *Exerc. Text.* XXXIII. P. V.

Oblatus eſt & Obtulit ſe Chriſtus, ut Pro Peccatis Aliorum Divinæ Juſtitiæ ſatisfaceret. Quod Neceſſarium non tantum erat. Sed & Verè factum eſſe demonſtratur.

XXI. Sic ad præcipuum devenimus caput hic explicandum & defendendum, *Oblationis* ſcil. *Cauſam*, ſive *Meritoriam*, ſive *Impellentem*; quam generatim dicimus, α *Peccata* aliorum *Hominum*, β & ſpeciatim *Electorum*, tum *Omnium*, tum *Omnia*. Uti ſcilicet Oblatio olim Victimarum fiebat pro Peccatis Hominum, tum Sacerdotum, tum Populi, qui Manibus Victimæ impoſitis additaque Confeſſione *Subſtitutionem Typicam* teſtabantur *Lev.* I. 4. IV. 4. 15. XVI. 21. *&c.* ita credimus quoque, *Chriſtum non Pro Se*, cum ipſe ſanctiſſimus nullas infirmitates culpabiles habuerit, oggannientibus impiè *Socinianis*, ſed *Pro Aliis Hominibus Peccatoribus*, *ſe ita obtuliſſe*, ut *illorum loco* ſubſtitutus, non tantum Voluntati *Patris*, ſed & ejus *Juſtitiæ*, abſque *Acceptilatione* ulla *Precaria*, *ſatisfecerit*, *Pœnaſque Nobis Debitas vere luerit*. Cujus *Satisfactionis*, cum Fundamentum Salutis noſtræ & Religionis Chriſtianæ ſit præcipuum, diſtinctè probari ſolet. 1. *Neceſſitas*, ut ſcilicet ab aliquo alio præſtaretur pro Electis & Salvandis Hominibus. Quæ fluit; α ex Naturali *Dei Sanctitate & Juſtitia*, aſſerta *Cap. IV.* §. *XLVII.* ejuſque β *Veritate*, tum in exſequenda Commina-

minatione *Gen.* II. 17. *Deut.* XXVII. 26. *&c.* tum in implendis Vaticiniis & Typis, qui præcesserunt Christi Adventum. 2. *Veritas* ipsa, quæ abundanter patet. α Ex Locis, quæ Christum dicunt *Pro Nobis*, *nostrisque Peccatis*, esse passum *Joh.* X. 15. XI. 51. *Rom.* IV. 25. V. 6. 7. VIII. 32. 1 *Cor.* XV. 3. 2 *Cor.* V. 15. *Gal.* II. 20. *Eph.* V. 25. 1 *Petr.* III. 18. 1 *Joh.* III. 16. *&c.* non utique tantum *Bono*, sed & *Loco Nostro*, ob Peccata nobiscum hic juncta, quorum Bono non potuit pati Christus, ob usum omnium Præpositionum. περὶ, διὰ, ὑπὲρ, ἀντὶ, ex quibus quædam sæpe, & aliæ semper Substitutionem notant, ob diversam hic Hominum denique Aliorum, qui pro Ecclesiæ Bono omnino quoque passi sunt, & Christi, rationem, 1 *Cor.* I. 13. *coll. Col.* I. 24. β Ex illis similiter, quæ Christo tribuunt *Portationem nostrorum Peccatorum* in Pœnarum perpessione, instar Victimæ prò Peccato, reique Devotæ, *Joh.* I. 29. 2 *Cor.* V. 21. *Gal.* III. 13. 1 *Petr.* II. 24. *&c.* & potissimum *Jes.* LIII. 4. 5. 6. 7. 8. 10.[1] Ubi pro verborum numero Argumenta sententiæ nostræ ferè multiplicantur; nec alium quam Messiam, nequidem ut Typum Christi, fingere licet cum *Judæis*, vel *Grotio*; vanissimaque sunt *Socinianorum* effugia, quibus & verborum omnium vim temere minuunt, & totum contextum impiè discerpunt, abusi quoque Citatione Euangelistæ *Matt.* VIII. 17. quæ ad rei futuræ externum & symbolicum initium spectat. γ Ex iis porrò, quæ Christum vocant *Sponsorem*, non Divinorum Promissorum, quæ satis sunt infallibilia, & ab aliis Prophetis variis modis jam antea confirmata, sed Nostrum, qui Impotentes eramus, apud Deum; atque hinc porrò Passionem ipsius considerant, ut כפר / גאלה / τιμὴν, λύτρον, ἀντίλυτρον, λύτρωσιν, &c. *Hebr.* VII. 22. *Job.* XXXIII. 24.[2] XIX. 25.[3] 1 *Cor.* VI. 20. 1 *Petr.* I. 19. *Matt.* XX. 28. 1 *Tim.* II. 6. *Hebr.* IX. 12. *&c.* & quidem propriissimè dictam. δ Ex iis tandem, quæ Christi Passionibus tribuunt Fructus, nostræ *Acquisitionis Act.* XX. 28. *Expiationis*, sive *Purgationis*, à peccatis *Hebr.* I. 3. IX. 14. X. 22. 1 *Joh.* I. 7. 9. *Propitiationis Rom.* III. 25.[4] V. 11. *Hebr.* II. 17. 1 *Joh.* II. 2. IV. 10. *Reconciliationis Rom.* V. 10. 2 *Cor.* V. 18. 19. *Eph.* II. 16. *&c.* *Liberationis Gal.* III. 13. *Eph.* I. 7. 1 *Petr.* I. 19. *Salutis Matt.* I. 21. *Eph.* V. 23. *Sanitatis* ac *Pacis Jes.* LIII. 5.[5] 1. *Petr.* II. 24. *&c.* Quos omnes optimos Fructus ita extenuant *Adversarii*, ut vix aliud præter nu-

nudum Nomen superſit, & volunt Paſſionibus Chriſti non aliter quam *Impropriè*, *Metonymicè*, vel *Declarative*, tribui.

[1] *Anal. Exeg. Jeſ.* LIII [2] *Ibid. Mant.* III. [3] *Exerc. Text.* XII. P. I. [4] *Exerc. Text.* XXXIX. P. III. [5] *Anal. Exeg. Jeſ.* LIII.

Satisfactionis Chriſti Hoſtes varii, potiſſimum Sociniani. Quorum Argumenta diluuntur.

XXII. *Judaica* & *Muhammedica* impietate, Chriſtianiſmi verum hoc Fundamentum, juxta connexa alia Trinitatis, Deitatis Chriſti, Incarnationis, &c. poſt *Pelagianos* & *Petr. Abailardum Pariſienſem* cum Sectatoribus, (quem tamen alii defendunt,) evertunt palam *Sociniani*, ac ex his magiſtris ſapientes ſæpe rudiores *Anabaptiſtæ*, dum *negatæ Satisfactioni Pœnali Loco Noſtro* ſubſtituunt *alias Cauſas Fineſque Mortis Chriſti*, nobis utiles, α *Confirmationem* ſc. *Euangelii* ab ipſo prædicati, ϐ *Experientiam Malorum*, in quibus nobis ſuccurreret, γ *Exempli* à nobis imitandi *Exhibitionem*, δ denique *Acquiſitionem Dignitatis ſummæ & Regiæ*; in *Satisfactionem*, & connexum Chriſti *Meritum pro Nobis*, ut *Falſitatem*, *Blaſphemiam*, *Sententiam Pernicioſam*, *Humani Commenti Impietatem*, *&c.* paſſim invecti, dum alias impio in Scripturæ phraſibus luſu coram ſimplicioribus ſe tegunt. Conantur autem probare. 1. *Rei* hujus *Iniquitatem*; ex α Dei Juſtitia; & ϐ Declaratione ejus facta *Ezech.* XVIII. 4. Quam facile amolimur; α conſideratâ Naturæ Chriſti cum aliis Hominibus Communione; ϐ Vadimonio voluntariè ſuſcepto ab eo, qui ſui poteſtatem plenam & potentiam emergendi habuit; γ Subſtitutione in caſu Pœnali obvia in Victimis, Obſidibus ἀντιψύχοις, quin & quadantenus in *Curtiis*, *Anchuris*, *Deciis*, *Codris*, *Leonidis*, *Zaleucis*, *Pythiis*, *&c. coll. Rom.* v. 7. δ Textus denique Prophetici manifeſta reſtrictione ad Judæos querulos, ex quo generalem regulam de Dei Viis circa Homines nudos, nedum circa proprium Filium, facere non licet. 2. *Rei Impoſſibilitatem*; ex eo, α quod ſic ſatisfecerit, vel Diabolo, vel Sibi ipſi quoque, & ϐ quod debuerit pati Pœnas Æternas cum Deſperatione, γ & quod Unus pro Pluribus ſimul non potuerit ſolvere, quod pro ſingulis debebatur, δ & quod denique ſimul non potuerit Satisfacere Debitum & Mereri. Quæ iterum concidit; α conſideratione Satisfactionis non Diabolo lictori, ſed Deo Patri ut Judici, Sibique ipſi ſub alia σχέσει, præſtitæ; ϐ diſtinctione ejus quod Pœnam conſtituit, quodque eam ſequitur ex Finitate & Imperfectione Hominis nudi, & propterea in Θεανθρώπῳ non habet locum; γ attentione juſta ad Infinitam Chriſti

 Digni-

Dignitatem, secundum quam in Pœna ferenda idem potest quod Sacrificium Anniversarium respectu totius Israëlis, & Sol ratione Universi; δ denique observatione voluntarii Vadimonii Christi, & connexæ cum Passione Obedientiæ Activæ. 3. *Rei Falsitatem*; ex α Silentio de Satisfactione & Merito in Scripturis; β & Remissione Peccatorum, qualis nobis quoque commendatur; & Misericordia Deo heic tributa; γ Finibusque aliis Passioni Christi adscriptis 1. *Tim.* VI. 13. *Hebr.* II. 17. 1 *Petr.* II. 21. 1 *Joh.* III. 16. *Luc.* XXIV. 26. *&c.* Dum interim; α Terminos illos κατὰ τὸ ῥητὸν non adhibens Scriptura, Rem ipsam luculenter nobis exponit; β Remissio ad ipsum Peccatorem refertur, cui Sponsorem inveniens, dans, indicans, applicans, Misericordiam suam infinitam non minus quam Justitiam declarat Deus, quique simili cum affectu & sinceritate fratribus remittere propterea debet; γ Fines denique Minus Principales Præcipuum, ibidem expositum quoque, neutiquam tollunt. 4. Tandem *Rei Absurditatem*; ob secuturam hinc Securam Impietatem. Cum potius sic potentissimè incitemur ad veram Pietatis praxin; intuitu, α tam Justitiæ Dei rigidissimæ *Luc.* XXIII. 31. *Rom.* III. 25.[1] β quam Gratiæ Patris ac Filii stupendæ 1 *Joh.* IV. 9. 10. 11. 2 *Cor.* V. 14. 15. *Tit.* II. 12. 14. III. 8. *&c.*

[1] *Exerc. Text.* XXXIX. P. III.

Satisfactio hæc præstita est, pro Solis Hominibus Electis.

XXIII. Substitutione piaculari generatim assertâ, porro dicimus, illam non spectare ad *Angelos*, sive *Malos*, quorum status est Irreparabilis, sive *Bonos*, qui non peccantes Victimâ quoque non eguerunt, secundum dicta *Cap. IX.* §. *XVI. XXVII.* neque ad *Homines Omnes*, sed tantum ad *Electos*, prò quibus solis se obtulit Christus, Paterque Oblationem hanc accepit, alias in se *Prò Omnibus Sufficientem.* Quod constat. α Ex manifesta Restrictione Oblationis, & *Typicæ* olim ad Israëlem, & *Veræ*, tum ad *Multos Ies.* LIII. 12.[2] *Matt.* XX. 28. XXVI. 28. *Rom.* V. 15. 19. *Hebr.* II. 10. IX. 28. qui quidem non semper, sed tamen sæpe, & hic ob contextum Omnibus opponuntur, tum ad *Populum* Christi, ejusque *Oves*, *Ecclesiam*, *Corpus*, *Amicos*, *Fideles*, *Filios Dei*, *Datos à Patre*, *Matt.* I. 21. *Tit.* II. 14. *Ioh.* X. 11. 15. *Act.* XX. 28. *Eph.* V. 25. *Ioh.* XV. 13. 1 *Tim.* IV. 10. *Ioh.* XI. 52. XVII. 2. *&c.* In quibus omnibus locis gratis urgent; vel *Exclusionem* aliorum explicitè non reperiri, quæ omnino illic est implicita; vel de *Applicatione* Salutis agi, quæ etiam ex Impetratione necessario fluit; vel de *Redem-*

demptione Absoluta esse sermonem, præter quam alia Conditionata gratis fingitur. β Ex *Connexione Oblationis & Intercessionis*, quam docet, tum Scriptura *Rom.* VIII. 34. I *Joh.* II. 1. 2. tum Actus Utriusque mutua Relatio, tum & Minor hujus quam illius Difficultas; dum Intercessio restringitur ad Electos *Joh.* XVII. 9. *Ps.* LXIX. 28[3] etiam ex Eventu, semper hanc sequente *Joh.* XI. 42. atque alia magis universalis malè Christo tribuitur, vel ex locis *Jes.* LIII. 12.[4] *Luc.* XXIII. 34.[5] quibus indefinitè de omnibus peccatoribus non agitur, sed quibusdam ex Inscitia errantibus, hinc postea conversis, *Act.* II. III. *&c.* vel ex communi Humanitatis Affectu, multum à Precibus Intercessoriis diverso *Luc.* XIX. 41. 42. γ Ex *Oblationis Fonte*; qui est Summus Patris Filiique Amor *Ioh.* III. 16. XV. 13. *Rom.* V. 7. 8 VIII. 32. *&c.* & qui vasis iræ tribui nequit, ne quidem Operis Externi respectu. δ Ex *Fructibus Oblationis*, non Possibilibus & Conditionatis, quos statuentes Adversarii veram Satisfactionem evertunt, sed Actualibus & Certis planè; qui sunt Salus, Reconciliatio, Redemptio, Justificatio, Expiatio, Sanctificatio, Spiritus Gratia, Fides, &c. *Ioh.* XVI. 7. *Rom.* V. 9. 10. VI. 6. VIII. 32. 34. 2 *Cor.* V. 15. *Phil.* I. 29. *Hebr.* II. 14. 15. XII. 2. *&c.* quique non possunt tribui nisi solis Electis. ε Ex *Absurdis* denique gravissimis & plurimis, quibus Universalis Satisfactio premitur; Frustra scil. plane sic Mortuum potuisse esse Christum, in Pluribus scopo suo excidisse cum Filio Patrem, Misericordiam Dei utpote Inefficacem nimium deprimi, Bis satisfieri Deo, Hominem ipsum Salutis suæ Fabrum constitui, non esse Christum plenum Salvatorem, mortuum hunc quoque esse prò iis quibus nunquam innotuit, quos odit, qui damnandi, imo damnati tum erant. Ne Adversariorum hypotheses, de Infantium Puritate, multorumque Salute extra Christum, parum cum Universali Satisfactione convenientes, nunc adducam.

[2] *Anal. Exeg. Ies.* LIII. [2] *Exerc. Text.* XXIV. P. V. [4] *Anal. Exeg. Ies.* LIII. [5] *Exerc. Text.* XXXVI. P. V.

XXIV. *Universalem* tamen *Extensionem Oblationis Christi ad Omnes Homines*, actualem Reconciliabilitatem & conditionatam Conciliationem hinc nactos, urgent *Pelagiani* & *Semi-Pelagiani* omnes, *Jesuitæ* sc. *Jansenistis* reipsa obloquentibus, & *Remonstrantes*; ac in phrasi & methodo convenientes, tum *Lutherani* recentiores, tum plures ex nostris *Universalistæ*, qui tamen à speciali magis

Adversarii varii Universalistæ norantur. Quorum objectiones iterum solvuntur.

magis Gratia Efficaciam Oblationis hujus, non ab Arbitrio Humano, derivant. Opponunt hi. 1. Loca plurima quibus disertè *prò Omnibus* mortuus dicitur Christus *Jes.* LIII. 5. 6.[1] *Rom.* v. 18. VIII. 32. 1 *Cor.* xv. 22. 2 *Cor.* v. 15. *Col.* 1. 20. 1 *Tim.* II. 6. *Hebr.* II. 9. *&c.* Ad quæ notandum est; α vel *Omnes*, in Contextu, & in ipso sæpe Prædicato, limitari ad actu Justificatos ac Vivificatos, qui ex Datione Patris ad Christum pertinent ut Caput, & in eum credunt, ob multitudinem suam Christisque Sufficientem ac solùm Salvantem Gratiam sic dictos; β vel Omnes poni prò *Omnis Generis* Hominibus, sublato sic Temporum, Locorum, Gentium, Sexus, Conditionis, &c. discrimine, secundum loca *Rom.* x. 11. *Col.* III. 11. *Tit.* II. 11. *Apoc.* v. 9. *&c.* & ipsum contextum 1 *Tim.* II. 1. 4. 7. 8 & usum frequentem Syncategomatis *Omnis* alias obvium *Exod.* IX. 6. 2 *Reg.* VIII. 5. *Matt.* IV. 23. *Act.* II. 17. x. 12. *&c.* 2. Loca, quæ hic meminerunt *Mundi*, & *Totius* quidem, etiam ut videtur *in Oppositione ad Electos*, *Ioh.* 1. 29. III. 16. 17. IV. 42. VI. 33. 51. 2 *Cor.* v. 19. 1 *Ioh.* II. 2. *&c.* & quousque *perditus* est *Matt.* XVIII. 11. Ad quæ dicimus nos; α vel *Mundum* hic *indefinite* notare *Homines*, quos rectè Deus in oppositione ad Angelos amasse & Christus redemisse potest dici, etiamsi quibusdam id tantum contingat; vel β potius *Mundum* notare *Electos ex Mundo*, hoc nomine dictos ob Multitudinem, Præstantiam, Dispersionem, & Miseriam Naturalem, uti idem alibi sæpe notat solos Impios *Ioh.* xv. 19. XVII. 9. *&c.* sæpe Pios *Ioh.* XVII. 23. *Rom.* XI. 12. 1 *Tim.* III. 16. *Hebr.* II. 5. *&c.* etiam cum *Totius* epitheton additur 1 *Ioh.* v. 19. *Apoc.* XII. 9. *Col.* 1. 6. *&c.* quo modo hic accipi quoque debere ostendunt locorum Prædicata, Circumstantiæ, ad oppositionem, non Electorum & Reproborum, sed Judæorum & Gentilium, vel Doctorum & Populi, vel Illius & Sequentis Ætatis, nos ducentes; unde γ *quod Perditum erat* venit quidem salvaturus Dominus, sed non id Omne, vel id Omne quod perditum Re ipsa simul & Sensu suæ perditionis. 3. Loca, quæ *Redemptorum* quorundam *Interitum* videntur innuere; tum implicite *Rom.* XIV. 15. 1 *Cor.* VIII. 10. 11. x. 12. *&c.* tum explicitè magis *Ioh.* XVII. 12. *Hebr.* x. 29.[2] 2 *Petr.* II. 1. 20. *&c.* Ad quæ respondemus; α prioribus, vel ex judicio humanæ charitatis *Redemptos* à Christo dici, qui tales se profitebantur, & hinc putabantur, vel Perditionem intelligi non Totalem, vel *Scandali in se* innui *Efficaciam*

ciam, cujus Effectum interim impedit Deus, vel denique ad *Officium* circa alios & se *decens* incitari Redemptos: β posterioribus partim εἰ μὴ esse Adversativum, & notare *sed*, *coll. Cap. VII. §. XIV.* partim de *Gratia non Salutari*, & quidem *Conditionatè*, agi, partim denique *Abnegationem* non κυρίου sed δεσπότου Pseudo-Prophetis tribui, qui illos non sibi acquisiverat in peculium, sed *liberaverat ab Externa Idololatria*, atque ut *servos* in opere suo constituerat, hinc redemptos quoque ab ipso secundum suam professionem & aliorum persuasionem. Addunt alii, *abnegasse* hos Doctores, non tam Dominum, qui ipsos emerat, quam ipsius *Emptionem*; quod tamen ob Emptionis ad ipsos Applicationem, quam vere non erroneè negassent, & explicationem v. 20. non adeo placet, quam prius. 4. Tandem *Rationes* petitas. α Ab Officio *Credendi Christum Pro Se Mortuum esse*, quod omnibus incumbat, ob Incredulitatem alias damnandis. Sed id nequaquam omnibus incumbit credere absolute & immediatè, sed tantum si cum Resipiscentia Christum amplectantur, qui Actus Fidei præcedere debet, cujusque neglectus vera Damnationis gravioris est Causa externè vocatis. β Ex *Præconio Euangelii*, alias futuro Illusorio. Sed id nec ullatenus Universale est; nec aliud docet quam Christi Sufficientiam, Salutisque & Fidei certum Nexum, homini exhibitum, ut de Dei Bonitate convincatur & in Incredulitate perseverans sibi suum imputet Exitium. γ Ex *Infinitâ Sufficientia*, tum *Divinæ* Patris & Filii *Misericordiæ*, tum *Meriti Christi*; quod nisi & omnibus imputetur, injustè Deus ultra debitum solutionem admiserit. Sed Misericordia Dei Infinita non eodem Modo & Gradu adversus homines omnes se exserit; Affectus Christi humanus, quo pereuntibus condoluit, Voluntati Divinæ subjectus, multum à Sponsione θεανθρώπου differt; Meritumque Christi ita Sufficiens est pro Omnibus, ut idem pro singulis deberetur, unde ex hac sufficientia Consilium Patris aut Filii se substituendi pro omnibus colligi non potest; ut hoc nomine rejici quoque debeat phrasis ἄγραφος & ἄλογος, Christum *sufficienter prò omnibus mortuum esse*, quam etiam quidam ex Nostris sano sensu habent. δ Ex *Bonis ad Pereuntes redundantibus ex Oblatione Christi*; quale est Euangelii præconium, Idololatriæ ablatio, Spiritus illuminatio, &c. Sed hæc, utpote Communiora, & Occasionaliter ex Passione Christi fluentia, non secundum Principalem ejus Intentionem, mul-

multum à Substitutione pro Peccatore differunt. ε Denique ex *Fide* hominum, in *Desperationem* alias vertenda. Quod perperam hinc educitur; dum Sufficientiam Meriti Christi, Officium illud apprehendendi omnibus vocatis incumbens, certumque Salutis si obediant Promissum, utique inculcamus jugiter.

[1] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [2] *Exerc. Text.* XLIX. P. III.

Satisfactio Christi ad Omnes pertinet Electos, etiam Vet. Test.

XXV. Universalitati itaque Hominum nos substituimus *Universalitatem Electorum*; nullum omninò agnoscentes Discrimen, sicut in aliis, ita maximè in Tempore quod Christum antecessit & secutum est. Quod α clamat ubique Scriptura *Act.* X. 43. XIII. 38. 39. *Rom.* III 25. 26.[3] *Hebr.* II. 10. IX. 15. *&c. coll. Cap. XVII.* §. *XI. & XII.* β & Fundamentum fuit Consolationis Patrum, dum Victimæ illius ætatis non sufficiebant *Hebr.* VII. 19. IX. 9. 13. *&c.* hinc sæpius repetitæ; γ nec difficultate ulla laborat, cum Christus tum exstiterit, Vadimonium susceperit, certissimè persoluturus tempore ab ipso Judice statuto, ut hinc Efficacia Futuri Actus, non Physica sed Moralis, ad priora tempora rectè retrotrahi potuerit.

[3] *Exerc. Text.* XXXIX. P. III.

Et præstita est pro Omnibus horum Peccatis.

XXVI. Quin & *Universalitatem* addimus *Peccatorum*, inter quæ *discrimen Lege Mosis* positum erat *Num.* XV. 27. 30. 31. *Lev.* IV. 2. ast *Euangelium discrimen nullum* agnoscit *Act.* XIII. 38. 39. 1. *Joh.* I. 7. *&c. Peccato in Spiritum* S. de quo legitur *Hebr.* X. 26.[4] in Electis locum non reperiente. Ut exulare plane debeat *Papistica* Distinctio, quam, Propriis Satisfactionibus patrocinaturi, faciunt; α inter *Peccata Mortalia* & *Venialia*, quæ non agnoscimus nos ulla ex se, secundum dicta *Cap. XV.* §. *XXXVIII.* β itidem inter Transgressiones *Ante* & *Post Baptismum* commissas, quorsum non respicit Paulus, vel *Rom.* III. 25.[5] agens ibidem de Peccatis Fidelium Vet. Test. perinde ut *Hebr.* IX. 15. vel *Hebr.* VI. 4. 6. disserens de proterva Apostasia Illuminatorum per Spiritum plane Irremissibili; γ tandem inter Peccati *Culpam* & *Pœnam*, maximè *Temporalem*, quæ à se invicem divelli nec debent nec possunt, uti notatum est *Cap. XV.* §. *VIII.*

[4] *Exerc. Text.* XLIX. P. III. [5] *Exerc. Text.* XXXIX. P. III.

Satisfactio Christi sic est Æquivalens, ut nec

XXVII. Fuit porrò Oblatio Christi plane his peccatis sic *Æquivalens*; ut α nec ab una parte somnianda sit, cum *Remonstrantibus*, *Acceptilatio Precaria*, veræ & sufficienti Solutioni opposita, quæ

quæ & Satisfactionem evertit, & Christi Passionem non Necessariam facit, & Infinitam Personæ Patientis Dignitatem abnegat, toties inculcatam 1 *Cor.* vi. 20. *Hebr.* ix. 14. 1 *Joh.* 1. 7. *&c.* ob quam Infinita Duratione hic opus non fuit, licet vox hæc sano sensu de *Grata Acceptione* Oblationis Filii pro Electis, *Apochaque* à Patre data in Suscitatione ejus, possit intelligi ac adhiberi; ϐ nec ab altera parte admitti debeat, cum *Papistis*, *Redundantia* talis, quæ cum Sanctorum Operibus Supererogatoriis & Meritis coalescat in Indulgentiarum Thesaurum, à Papa administrandum. Ad quam hypothesin ineptè torquentur loca, quæ περισσείαν, ὑπερπερισσείαν, ὑπερπλεονασμὸν, τὸ ὑπερβάλλον, *&c.* Gratiæ Dei in Christo tribuentia *Rom.* v. 15. 20. 1 *Tim.* 1. 14. 2 *Cor.* ix. 14. 2 *Cor.* ix. 14. *&c.* vel α simpliciter notant ejus *Magnitudinem* sufficientissimam, *coll. Luc.* vi. 38. vel ϐ respiciunt ad Peccata illorumque *Magnitudinem à Gratia superatam*; vel γ *Gratiam Dei in Christo* illi opponunt quæ Primo Homini facta est; vel δ denique ad demonstrationem magis luculentam *in uno quam in alio Peccatore* nos ducunt.

defuerit, nec abundaverit quicquam.

XXVIII. Fluunt propterea, certissime & infallibiliter, ex hac Oblatione *Fructus Omnes* enumerati §. *XXI. & XXIII.* Quos omnino evertunt. 1. *Arminiani*, per somniatam nudam *Reconciliabilitatem*, ac *Jus Patri acquisitum nobiscum Fœdus redintegrandi & de Remissione peccatorum contrahendi*, *quacunque vellet conditione.* Quæ omnia à plena Expiatione, Propitiatione, Reconciliatione, Salute, &c. multum differunt. Nec stabiliuntur; α vel per *Admonitiones ad Reconciliationem cum Deo* 2 *Cor.* v. 20. quæ de illius Acceptione & Approbatione à parte Hominis per Fidem, eaque non dubia sed Certa in Electis, intelligi debent; ϐ vel per *Mutationem* alias Deo adscribi visam, qui fiat ex nolente salutem peccatorum eam volens, cum Voluntas Æterna fuerit in Deo se Peccatori in Christo reduniendi. 2. *Pontificii* similiter, cum statuunt. α Tum *Satisfactiones Humanas*, & hic & posthac in *Purgatorio* præstandas. Quas distinctius suis locis confutabimus, & quas ita generatim convellit Scriptura *Rom.* viii. 1. 18. *Luc.* xvii. 10. *&c.* ut gratis plane objiciantur; vel *Mala*, hominibus non ad satisfaciendum sed ad alios fines plures immissa; vel ὑστερήματα *Afflictionum Christi* à Paulo expleta *Col.* 1. 24. quæ tum ad reliquas adhuc Pauli Passiones ob Causam Christi, tum ad Ædificationem

Satisfactionis Christi Fructus, eversi perperam ab Arminianis. A Pontificiis item per Satisfactiones Humanas. Et per Sacrificium Missaticum.

Ecclesiæ spectant; vel *Expiatio* & *Redemptio* Operibus Bonis tributa *Dan.* IV. 27. *Prov.* XVI. 6. *&c.* ubi aut simplex Abruptio, aut qualiscunque peccatorum consequens Velatio, aut Gratia Dei innuitur; vel *Oblatio*, fidelibus tributa activè & passive, *Rom.* XII. 1. 1 *Petr.* II. 5. *Phil* II. 17. 2 *Tim* IV. 6. *&c.* quæ non est *Hilastica* sed *Eucharistica*; vel denique *Satisfactio* Ecclesiastica propter Scandalum datum, quæ à Divina multum differt. ϐ Tum *Repetitionem Sacrificii Propitiatorii* Christi Quotidianam in Missa. Quæ est plane adversa textibus *Rom.* V. 10. *Hebr.* I. 3. VII. 27. IX. 12. 25. 26. 27. 28. X. 11. 12. 14. *&c.* & *Naturæ Sacrificii Propitiatorii*, quod Cruentum olim esse debuit *Hebr.* IX. 22. haud obstantibus locis *Lev.* V. 11. & *Num.* XXXI. 50. ubi partim est Dispensatio ex Necessitate, partim Extraordinarium in Casu Extraordinario Factum ad liberationem ab anathematis pœna; & tandem *Naturæ Sacramenti Eucharistici*, uti Christus id instituit. De quibus etiam postea latius dicetur.

Alter Actus Sacerdotii Christi est Intercessio. Quæ est Necessaria, Efficax, Oblationi juncta, & variè Exercita.

XXIX. Alter Sacerdotii Actus est *Intercessio*; quæ uti Sacerdotibus Veteribus incumbebat *Num.* VI. 23. *Joël.* II. 17. *&c.* ita & Christo tribuitur, sub nomine *Postulationis*, ἐρωτήσεως, ἐμφανισμȣ͂, ἐντεύξεως, παρακλήσεως, *Thurificationis*, *Psal.* II. 8. [1] *Joh.* XIV. 16. XVII. 9. *Hebr.* IX. 24. VII. 25. *Rom.* VIII. 34. 1 *Joh.* II. 1. *Apoc.* VIII. 3. [2] *&c.* Non intelligitur autem hic; α qualiscunque Oratio, ex Humanitatis Affectu communi orta, qualis legitur *Matt.* XXVI. 39. [3] temere autem à nonnullis Viris Doctis statuitur *Luc.* XXIII. 34. [4] β neque Supplicatio illius pro se *Hebr.* V. 7. nisi quatenus Gloria Christi in nos redundat, γ sed *Oblationis à se faciendæ aut factæ Repræsentatio, ut illius intuitu nostras necessitates & preces gratiosè expleat Deus.* Quæ uti plurimum differt à *Socinianis* somniato *Studio perficiendi quæ ad Salutem nostram spectant*, fatentibus ipsis, *nimis plane figurate* Interpellationem Christo tribui; ita non evertit, ut urgent eidem, sed potius infert, *Veram* ejus *Deitatem & Summam Potestatem*, hinc illi secundum Utramque Naturam competens. Atque debet amplius notari; α tum Intercessionis hujus *Necessitas*, fluens ex necessitatibus nostris quotidianis, ac repetitis Diaboli accusationibus, 1 *Joh.* II. 1. *Apoc.* XII. 10. [5] *Zach.* III. 1. [6] ϐ tum *Efficacia*, jure Christi nixa *Joh.* XI. 42. XVII. 24. *Rom.* VIII. 34. quæ Fundamentum certum est Fiduciæ Christianæ ac Precationis in illius Nomine *Joh.* XIV. 13. 14. *Hebr.* VI. 19. 20. γ tum *Extensio Æqualis cum Oblatione* ad omnes & solos

los Electos, etiam Singulos *Joh.* XVII. 9. 20. *Luc.* XXII. 32. β tum *Administrationis* varia secundum temporis varietatem *Ratio*. Uti sic intercessit; α *necdum Incarnatus Zach.* I. 12.[7] quo aptissimè refertur textus *Job.* XXXIII. 24.[4] *Deprecatione* Christi apud Patrem cum argumento ejus memoratâ, post magni Angeli illius & Interpretis apud Ægrum Instructionem v. 23. præmissam; β humiliter magis *in diebus Carnis & Passionis Joh.* XVII. γ denique gloriosissime *post Oblationem Factam*, & ante Ascensionem, *Joh.* XX. 22. *Luc.* XXIV. 51. & potissimum post Adscensionem, quam hinc, ad exemplum Pontificis in Sanctuarium olim ingredientis, necessariam omnino fuisse arguit passim Scriptura *Joh.* XVI. 7. *Hebr.* VI. 20. VIII. 4. IX. 12. *&c.* Unde tamen perperam nonnulli Intercessionem tunc demum incepisse colligunt.

[1] *Exerc. Text.* XV. P. III. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XXXIV. P. V. [4] *Exerc. Text.* XXXVI. P. V. [5] *Comm. in Loc.* [6] *Comm. in Loc.* [7] *Comm. in Loc.*

XXX. Iterum ex dictis satis constare putamus; α & *Omni Ætate* Ecclesiæ Sacerdoticum Munus verissimè exercuisse Christum, quamquam Modus ejus plurimum differat, dum Virtute Sanguinis ejus Patri repræsentatâ salvantur Electi omnes; β & præterea esse Munus hoc *Uni Christo*, tum Oblationis tum Intercessionis respectu, integrum relinquendum, secundum naturam Sacerdotii Melchitsedeciani, Requisita enumerata, & Functiones expositas. Quod tamen non obstat; quo minus olim fuerint *Sacerdotes Typici*, beneficentiam Christi venturi externè tantum adumbrantes; aut sint hodie *Ecclesiæ Præpositi*, qui se totos in Ecclesiæ bonum, & Fideles ipsos, Deo offerant, ac pro ea in nomine Christi intercedant; aut sint denique *Fideles* omnes *Sacerdotes Spirituales* I *Petr.* II. 9. *Apoc.* I. 6.[1] in Oblatione Sui, Contriti Cordis, Precum, Gratiarum, Eleëmosynarum, ac perpetua per charitatem Intercessione *Rom.* XII. 1. *Psal.* LI. 19. CXLI. 2. *Hebr.* XIII. 15. 16. I *Tim.* II. 1. *&c.* Obstat verò omnino hypothesibus *Pontificiorum*; qui α statuunt *Plures* hodie juxta summum Pontificem *Sacerdotes*, corporales & propriè dictos in terra, quorum Ordo institutus nusquam legitur, qui Victima æquè quam Altari destituuntur, Christique Sufficientiam sic palam evertunt; β dein *Merita*, & *Intercessionem Iis Nixam*, Particularem, ob quam ad eos sit confugiendum, tribuunt, tum *Angelis*, de quibus diximus *Cap. IX.* §. *XVII. XVIII.* tum *Hominibus Sanctis*, & Viventibus, & maximè *Mortuis*. Plane,

Sacerdotium, quo Christus semper in Ecclesia functus est; ipsi Soli est relinquendum. Quod non agunt Papistæ, plures constituentes Sacerdotes in terris. Et Cœlitibus Intercessionem tribuentes. Quorum varia fundamenta subruuntur,

 con-

contra α Unitatem Mediatoris, assertam *Cap. XVIII. §. XIV.* ε Meritum omne Humanum exclusum *Cap. XI. §. XXXVII. & Cap. hoc §. XXVIII.* γ Cultum eorum Interdictum *Cap. XI. §. VI.* δ Intercessionem Christo vindicatam 1 *Joh.* II. 1. per Numerum Singularem, (alibi παρακλήτȣ appellatione relate ad Conscientiæ nostræ tribunal Spiritui datâ,) & addita in textu Intercessionis Fundamenta, ε Defectum denique, & Expiatorii Sanguinis, cum quo solum ingrediebatur olim Pontifex *Lev.* XVI. *Hebr.* IX. 7. & Scientiæ Necessitatum ac Precum nostrarum *Job.* XIV. 21. *Eccl.* IX. 5. *Ies.* LXIII. 16. *&c.* quam figmentis meris ipsi supplent. Non stabilitur autem fœdus error hic; α per adducta *Loca* 2. *Macc.* XV. 11. 14. *Apoc.* V. 8. VI. 10.[2] quæ vel continent *Somnium* nudum, nec sunt *Canonica*, vel *Preces Sanctorum Cœlitum Proprias* simpliciter innuunt, vel *generale Sanctorum* pro Ecclesiæ Bono *Votum* tantum arguunt, nisi *objectivè* Clamorem potius intelligere lubeat, uti *Hebr.* XII. 24. β neque per *Mutuas Viventium Preces*, ex charitate & causæ cognitione profectas, hinc alterius plane generis, ad quas quoque spectant textus *Ier.* XV. 1. *Ezech.* XIV. 14. γ neque per *Sanctorum Communionem*, quæ nihil præter mutuum Affectum gratiæque Divinæ communem Participationem arguit; δ neque tandem per *Consuetudinem Regum & Principum*, ad quos per Pararios aulicos accedere decet, cum hanc personam Sancti sustinere nequeant, & Pararius noster apud Patrem sit Christus, omnes pro Bonitate sua immediatè ad se invitans, *Hebr.* VII. 25. X. 19. 29. *Eph.* II. 18. II. 18. III. 12. *Joh.* XIV. 13. 14. *&c.*

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.*

Regni Christi Nomina.

XXXI. Tandem Christus Rex est; quod nomen latinum à *regendo* dicitur, uti Græcum βασιλεὺς quasi βάσις τȣ̃ λαȣ̃, & Hebræum מלך / à *consulendo.* Usurpatur hic non latius, prò eo qui quacunque ratione Præest, ut *Iud.* XVII. 6. XVIII. 1. aut pro Domino minoris territorii *Iud.* I. 7. 1. *Reg.* XX. 1. *&c.* sed pro *Monarcha*, cujus latius extensum est Imperium. Atque sic Christus appellatur non tantum *Rex Psal.* XLV. 2.[3] *Cant.* I. 4.[4] *Matt.* XXV. 34. *&c.* sed & *Dominus* 1 *Cor.* VIII. 6. *Eph.* IV. 5. *Princeps Jes.* IX. 5.[5] *Dux Dan.* IX. 25.[6] *Dominator* 2 *Sam.* XXIII. 3[7]. *Mich.* V. 1.[8] *Caput Eph.* IV. 15. *Col.* II. 19. *&c.* & cum epexegesi *Rex Sionis*, *Judæorum*, *Regum*, *Justitiæ & Pacis*, *Psal.* II. 6. *Matt.* II. 2. *Apoc.* XIX. 16.[9] *&c.* *Dominus Gloriæ*, *Dominorum*, *Domus*, 1 *Cor.* II. 8.[10] *Apoc.* XIX. 16.[11] *Hebr.* III. 6. *Caput*

put Ecclesiæ Eph. I. 22. v. 23. *&c.* Neque competit tantum Christo *Regnum* ut Uni cum Patre & Spiritu Deo, quod *Naturale*, *Providentiæ*, ac *Divinum* dictum, hic à nobis non consideratur; sed etiam ut θεανθρώπῳ ac *Mediatori*, quod hinc *Mediatorium*, *Gratiæ*, & *Oeconomicum*, dicitur, & differt à priori non *Majestate*, quæ utrobique Divina & Independens est, sed α *Subjecto*, sive Persona tenente, β *Objecto*, circa quod versatur ut subditos, γ *Fundamento*, quo nititur, δ ac *Fine* etiam, ad quem tendit.

[3] *Anal. Exeg. post Cant.* [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [6] *Exerc. Text.* XXV. P. VI. [7] *Exerc. Text.* IX. P. VI. [8] *Comm. in Loc.* [9] *Comm. in Loc.* [10] *Exerc. Text.* XL. P. III. [11] *Comm. in Loc.*

Est illud Regnum Verum, Amplissimum prorsus. Spirituale planè, nec unquam futurum Mundanum. Et Æternum absolutissime.

XXXII. Nomina & Epitheta addita cogitationem mox injiciunt de *Splendore Regni* hujus; ad cujus intellectum uberiorem facit. 1. *Veritas* ejus; quatenus non appellatur impropriè *Regnum*, omnia Regni habens requisita; nec cum Sacerdotio debet confundi, uti fit à *Socinianis*, à quo tum respectu α *Actuum* suorum, tum β *Objecti*, multum differt, utpote apud *Homines*, non apud Deum exercitum. 2. *Amplitudo*; dum se extendit; α ad *Omnes* plane *Creaturas*, sive ut devictos Hostes, sive ut regni Ministros, sive ut regnandi Instrumenta, sive ut *Fideles Subditos* *Psal.* VIII. 7. [1] *Matt.* XXVIII. 18. *Eph.* I. 22. β dumque subditi hi subjiciuntur ipsi *Animæ* non minus quam *Corporis* respectu, & cum Corpore *junctæ*, & ab illo *separatæ Phil.* II. 10. γ dum tandem *Subditi* hi dispersi sunt *per Omnia Tempora*, *Gentes*, *Ætates*, *Status*, *&c. Psal.* II. 8. [2] LXXII. 8. [3] *Gal.* III. 28. *&c.* Quæ Amplitudo maximè sub Novo Test. conspicua est, unde huic Oeconomiæ *Regni Dei* & *Regni Cœlorum* appellatio frequenter κατ' ἐξοχὴν tribuitur *Matt.* III. 2. IV. 17. *&c.* alias etiam ad *Regnum Gloriæ*, in quo hæc consummabitur, pertinens. Quæ verò *Amplitudo* turpiter in omnibus partibus à *Socinianis* evertitur. 3. *Spiritualitas*, Mundanæ Gloriæ & Regiminis Formæ opposita; liquens, α ex locis expressis *Luc.* XVII. 20. *Ioh.* XVIII. 36. collato nomine *Regni Cœlorum*, β ex descriptione Regis *Zach.* IX. 9. [4] Throni *Psal.* CX. 1. [5] Sceptri *Psal.* CX. 2. [6] Legis *Rom.* VII. 14. Subditorum 1 *Cor.* II. 15. Ministrorum 1 *Petr.* III. 22. Hostium *Eph.* VI. 12. Armorum 2 *Cor.* X. 4. Præmiorum quo-

que & Pœnarum *Ioh.* XIV. 27. *Rom.* XIV. 17. 2 *Theff.* I. 8. *&c.* γ denique ex Regis, cum his in terris verfaretur, externa Subjectione, fecundum quam Regni Temporalis oblationem quoque effugit, Jus etiam dudum à Familia Davidis Divino judicio devolutum, cæteroquin plane incertum, non habens ad illud *Ief.* XLIX. 7. *Matt.* XX. 28. *Ioh.* VI. 15. *Ier.* XXII. 30. *&c.* Adverfus quæ uti perperam excipiunt *Chiliaftæ* feu *Millenarii*, olim tempus aliud effe exfpectandum; uti urgent gratis etiam *Papiftæ* Divinum in omnia Imperium quod Chriftus habuit, fimile tum in Temporalia Pontifici, directè five indirectè, vindicaturi; ita temerè objiciunt *Judæi* & *Iudaizantes*, alia Mundana de Meffia & Inferiora cogitantes, vel α *Corporales* Prophetarum *phrafes* *Pfal.* LXXII. [7] *&c.* fpiritualiter ex Contextu & Parallelis explicandas, β vel *Succeffionem in Davidis Patris throno* 2 *Sam.* VII. 12. [8] *Luc.* I. 32. *&c.* quæ iterum myfticè debet intelligi, cum Sceptrum à Juda veniente Schiloh effet auferendum *Gen.* XLIX. 10. [9] γ vel *Corporalium* regum & regnorum *Everfionem* *Pfal.* II. 9. [10] *Dan.* II. 44. utique non corporaliter fed fpiritualiter, quatenus fe opponebant, futuram. Iterum verò *Spiritualitas* hæc fub Novo Teft. magis declaratur, ubi nec Leges amplius funt Carnales, nec Populus aliquis unus & integer Theocraticè gubernatur. 4. *Æternitas*, non qualifcunque reftricta, fed *Abfoluta* planè; α palam afferta *Pfal.* XLV. 7. [11] LXXXIX. 37. 2 *Sam.* VII. 13. [12] *Dan.* II. 44. VII. 14. *Luc.* I. 33. *&c.* β & fluens ex Regis, Subditorum, Gloriæ illius, horumque Obedientiæ, & Remunerationis, Æternitate, *Apoc.* VII. [13] 1 *Theff.* IV. 17. *&c.* Quam propterea gratis evertere conantur *Sociniani*. 1. Per *Limitatam Promiffionem* *Pfal.* CX. 1. Ubi עַד כִּי / *donec*, non Terminum Ultimum, fed potius Certitudinem rei, quoufque difficultas effe poffet, notat, uti *Gen.* XXVIII. 15. 2 *Sam.* VI. 23. *Pfal.* CXXIII. 2. *&c.* dum flueret dein fponte ex hoftium fubjugatione Æterna Gloriæ Continuatio. 2. Per *Traditionem Regni*, & *Finem* memoratum 1 *Cor.* XV. 24. Cum illa fpectet ad *Subditos* Patri offerendos *Hebr.* II. 13. vel juxta hunc ad *Regiminis* hactenus exerciti inter hoftes medios *Formam*. 3. Per *Subjectionem* Filii, *Deique* in omnibus folius *plenitudinem* 1 *Cor.* XV. 28. Cum illa ad Humanitatem Munufque à Patre datum fpectet, hæc verò Dei Influxum per Chriftum non evertat, fed tantum Defectus, & Media, quæ in ftatu Gratiæ obtinebant. Qui

vero

vero ex nostris *Regnum Mediatorium Temporale* dixerunt, hi ad Oeconomiam & Administrationem ejus præsentem omnino respexerunt.

[1] *Exerc. Text.* XVI. P. III. [2] *Exerc. Text* XV. P. III. [3] *Exerc. Text.* XXII. P. IV. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [6] *Ibid.* [7] *Ibid.* [8] *Exerc. Text.* VIII. P. VI. [9] *Comm. in Pentat.* [10] *Exerc. Text.* XV. P. III. [11] *Anal. Exeg. post Cant.* [12] *Exerc. Text.* VIII. P. VI. [13] *Comm. in Loc.* [14] *Exerc. Text.* XVIII. P. II.

In Munere hoc requiruntur Dignitas, Potentia, & Sapientia Suprema.

XXXIII. Requirit Munus hoc; præter α *Dignitatem Infinitam* Personæ, absque qua Pater illud Christo conferre sine sui læsione non potuisset; β *Potentiam* pariter; & γ *Sapientiam Supremam*, in Actibus singulis plane necessariam; quæ hinc Personæ θεανθρώπου quoque, non tamen Humanæ Naturæ, amplissimis licet donis instructæ *Jes.* XI. 2. [1] *Joh.* III. 34. [2] tribuuntur, neque ex Donatione aliqua liberali Patris cnm *Socinianis* sunt repetenda.

[1] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [2] *Exerc. Text.* XXXIV. P. II.

Actus Regni est Gubernatio, Sanctissima Potentissima & Æquissima. Et dein Defensio Validissima.

XXIV. *Actus* porro Regni præcipui sunt *Duo*; α *Gubernatio* Populi, ab ipso ex Patris donatione per sanguinis pretium & virtutem Spiritus in peculium acquisiti; β & *Defensio* ejusdem. Atque ad *Gubernationem* iterum pertinent α Externa *Legis* sanctissimæ *Latio*, quæ sub Vet. & Novo Test. in substantia est Eadem, licet in circumstantiis ad Statum Ecclesiæ singularem sit accommodata, atque hinc olim Legis Moralis rigor cum Ceremoniali jugo fuerit junctus. β *Interna Obedientiæ Operatio*, per illuminationem Intellectus, Voluntatisque Suasionem & Flexionem, *Psal.* XXIII. 3. CXLIII. 10. *Cant.* I. 3. [3] *&c.* Quam eousque in patrocinium Liberi Arbitrii Humani Christo denegant *Sociniani*, ut *Obedientiam Subditorum ad Regnum* Christi planè *non* esse *Necessariam* somnient; quasi illud solo *Regnandi Jure*, & *Hostium Punitione*, absolvi posset. γ Sequens hanc læta *Remuneratio*, ex Regia Liberalitate & Fide, non verò ex aliquo subjectorum Merito; quam præstat per Bona, & *Corporalia*, & maximè *Spiritualia* 1 *Tim.* IV. 8. & *hic* dum Obedientia est inchoata, & potissimum *posthac*, tum *in morte*, tum in *resurrectione* futura 2 *Tim.* IV. 8. *Rom.* II. 5. 6. *&c.* *Defensionem* autem ille præstat tutissimam; α & *Ecclesiæ* toti, tum *Triumphanti*, tum *Militanti*, ut licet hæc aliquando amisso splendore deficere videatur, nunquam

quam tamen planè his in terris per Satanæ ac instrumentorum vim astumve deficiat *Jes.* LIV. 10 LIX. 21. *Ezech.* XXXIV. 25. *Matt.* XVI. 18. *&c.* & *Singulis Fidelibus* ejus Membris *Joh.* X. 28. *&c.* ϵ non tantum *Intercessione* suâ Sacerdotali *Luc.* XXII. 32. *Joh.* XVII. 11. 17. 24. *Hebr.* VII. 24. 25. & sed *Potentia sua Divina*, ac *Efficacia Spiritus* à se missi *Joh.* X. 28. *Eph.* IV. 30. 1 *Petr.* I. 5. *&c.* γ in *Cœlo* quidem omnium malorum remotione ac hostium totali oppressione *Apoc.* XX. 14. XXI. 4. [4] *&c. hic* vero, tum per *Ecclesiæ* in malis *Sustentationem* *Jes.* XLIII. 1. 2. *Psal.* XXIII. 4. 2 *Cor.* XII. 9 [5] *&c.* tum per *Malorum Hostiumque* internorum & externorum *Cohibitionem* potentem *Matt.* VIII. 26. 1 *Cor.* X. 13. *&c.* sive *per media* ordinaria aut extraordinaria, sive etiam *absque mediis*.

[3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XLII. P. III.

Regnum Semper gessit Christus, etiam ante Glorificationem.

XXXV. Hoc Munus, perinde ut priora, gessit Christus, *Omni Tempore Ecclesiæ*; cum fuerit ita α olim *Legislator & Redemptor*, *Act.* VII. 38. *Jes.* LXIII. 9. 16. *&c.* β ut *Natus* quoque & *Passus* titulum *Regis* merito habuerit *Jes.* IX. 5. 6. [1] *Zach.* IX. 9. [2] *Matt.* II. 2. *Joh.* XIX. 19. 1 *Cor.* II. 8. [3] *&c.* Quamquam id *Socinianis*, Regnum Christi à gloriosa ejus Exaltatione demum repetentibus, sit concedendum, tunc fuisse α Regnum hoc & magis *Declaratum*, β & latius *Extensum* inter Gentes, quod volunt loca *Matt.* XXVIII. 18. *Act.* II. 36. *Eph.* I. 22. *Phil.* II. 9. *&c.* ab ipsis objici solita; sicuti ulteriorem ejus Declarationem & Extensionem adhuc continuo precamur, quotidiè clamantes, *Veniat Regnum Tuum.*

[1] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XL. P. III.

Est Regnum Soli Christo relinquendum. Etiam sub Vet. Test. quando Consortes Regni Angelos & Homines multi hodie perperam & gratis fingunt.

XXXVI. Postremò debet Regnum hoc Christo, æquè quam aliæ Muneris Mediatorii Partes, linqui inviolatum; α secundum loca *Jes.* XXXIII. 22. 1 *Cor.* VIII. 6. *Eph.* IV. 5. ϵ ac requisitas Conditiones & Operationes Regni, quæ finitas superant vires. Quod tamen non obstat, quò minus *Reges* dicantur *Fideles* omnes *Spiritualiter*, ob sui per Christi gratiam Gubernationem & Conservationem adversus hostes; *Magistratus* itidem, ob Gubernationem & Defensionem externam, ipsis à Christo mandatam; quin etiam in Participationem Ministerialem Christoque sub-

ſubſervientem Utriuſque Actus veniant *Miniſtri Eccleſiæ*, hinc quoque ſub Novo Teſt. appellationem *Paſtorum*, *Patrum*, *Gubernationum*, *Ductorum*, *Antiſtitum*, *Inſpectorum*, *&c.* nacti. Obſtat verò prorſus idem. 1. Anti-Chriſtianis theſibus *Papiſtarum*, de Vicario *Pontificis Romani Dominio*, Corporali & Spirituali, ejusque *Poteſtate Suprema*, in ferendis Legibus, dandis Diſpenſationibus, concedendis Indulgentiis, &c. Quæ partim exploſæ antea ſunt, partim poſtea explodentur latius. 2. *Recentioribus* hypotheſibus *Noſtrorum*, qui ad ravim ubique inculcant *Conſortes Regni*, quos habuerit olim ſub Vet. Teſt. inde à Moſe Chriſtus, *Angelos* ſcil. de quibus dictum *Cap.* IX. §. XVIII. *&* *Cap.* XI. §. XXV. & *Homines*, Sacerdotes ac Seniores, quibus tum Eccleſia, ut *Diis* & *Dominis*, ſerviliter fuerit ſubjecta, per ipſius Dei voluntatem, in *Præceptis* illorum, & *Pœnis* prò lubitu ſumptis, quibus verò Eccleſia ſub Novo Teſt. ſit liberata per communem omnium Fidelium Fraternitatem, quæ Nomina illa nunc quoque cum omni Poteſtate in Eccleſiam tollat, utpote in ἀντιδιαστολῇ Populi Iſraelitici *Eccleſiam Dei Vivi Ejuſque Populum* 1 *Tim.* III. 15. *Tit.* II. 14. *&c.* Quæ quantopere urgeantur & commendentur, nobis omnino diſplicent; α ob *Generalia Loca* antea adducta, quæ ad Tempus Novi Teſt. ineptè reſtringuntur; β ob *Conditionem Antiquam*, tum *Angelorum*, qui in Legiſlatione & exſequendis Dei Judiciis fuerunt tantum Miniſtri, tum *Seniorum* in Republica, qui juxta *Sacerdotes* aliosque Eccleſiæ Præfectos in Mandatis Pœniſque ad Dei Placitum planè fuerunt alligati, etiam ſupra Magiſtratus noſtros, ut Legem Forenſem à Deo præſcriptam non habentes, quorumque Uſurpatio humana poſteriori tempore Jus Divinum non infert, tum *Populi Dei*, qui tunc etiam hujus unius fuit Peculium, & Fraternitatis Officia inter ſe exercere debuit; γ ob *Statum Præſentem*, tum *Angelorum*, qui in Euangelii Præconio, futurorum Prædictione, Deique Judiciis, ſub Novo Teſt. Eccleſiæ etiamnum miniſtrant Dei nomine *Luc.* I. 31. II. 11. *Matt.* XXVIII. 5. *Act.* I. 11. *Apoc.* I. 1. *Act.* XII. 23. tum *Magiſtratuum*, qui nomine Dei cum Poteſtate ſumma omnino adhuc præſunt *Rom.* XIII. 1. 2. 3. 4. tum *Paſtorum*, quibus Eccleſiæ Spiritualis ſecundum Dei Verbum ac formandas à ſe ordinis Leges Gubernatio, cum ἐξουσίᾳ à reliquis Fratribus ipſos diſtinguente, eſt conceſſa *Eph.* IV. 11. 2 *Cor* XIII. 10. 1 *Cor.* XII.

5. &c. tum *Populi Christiani*, qui Angelos suspicere 1 *Cor*. XI. 10. 1 *Tim*. V. 21. Magistratibus obedire *Rom*. XIII. 1. Præpositisque in Ecclesia obsequi debet *Hebr*. XIII. 17. δ denique ob sequentem hinc omnino *magis Difficilem Papisticæ* in Ecclesia *Ambitionis Repressionem*.

Solvuntur Argumenta, quæ pro Angelis adducuntur. Et quæ pro Hominibus item proferuntur.

XXXVII. Ad Objectiones continuas respondemus. 1. Nomina *Deorum*, *Dominorum*, *Sociorum*, &c. nihil concludere; cum α *Dei* nusquam *Sacerdotes* qua tales, non etiam *Joh*. X. 35.[1] sed tantum *Angeli* & *Magistratus* ob Gloriæ Divinæ qualemcunque Participationem vocentur, eandemque hi hodiè habeant Majestatem, quare nec Nomen hoc, magis quam alia dignissima *Principatuum* & *Potestatum*, amisisse dici debent, Morte Personali intelligendâ *Psal*. LXXXII. 7.[2] & Paulo non Veteris Test. Fideles Nobis, sed Idololatras Christianis opponente 1 *Cor*. VIII. 4. 5. 6.[3] β ac *Socii Psal*. XLV. 8.[4] sint Fideles omnes, Unctionis ejusdem & Muneris cum Christo spiritualiter participes, vel alias vocentur Sponsi Paranymphi, quales sunt etiam hodie *Joh*. III. 29. 2 *Cor*. XI. 2. &c. vel sint tales solo fere nomine tenus, seu per qualemcunque Ministerialem Analogiam. 2. *Angelos*, nec per α *Ministerium* olim *visibiliter* magis præstitum, nec β per *Christi* in Passione *infra eos Exinanitionem*, nec γ per *Depressionem infra Christum*, Ecclesiæ suæ, quæ à Novo Test. ob majorem gloriam denominatur, Dominum *Hebr*. II. 5.[5] nec per δ illorum declaratum *in Christi Glorificatione sub hunc Subjectionem Eph*. I. 21. 1 *Petr*. III. 22. nec per ε appellationem *Conservorum* sub Novo Test. illis datam *Apoc*. XIX. 10.[6] sed absque ulla minima oppositione ad Vetus, *Dominos Ecclesiæ Vet. Test*. constitui; etiamsi Illis sano sensu, h. e. metonymicè Legi per illos latæ, Ecclesia subjecta dici posset. 3. Loca ad *Hominum Dominium* trahi plane ἀπροσδιόνυσα, qualis est; α *Matt*. XXIII. 2. 3.[7] ubi non de Potestate Nomothetica, sed dè *Institutione ex Mose* agitur, quam neglectis Pharisæorum Operibus, & Additionibus quoque impuris *Matt*. V. 20. XV. 3. XXIII. 16. *Luc*. XII. 1. sequi debebant, referendo ibidem v. 4. ad *Usurpationem Pravam* Pharisæorum, cui suos neutiquam subjicit Salvator; β *Gal*. III. 23. 24. IV. 1. 2. 3.[8] ubi φρουρᾶ, παιδαγωγᾶ, οἰκονόμων, καὶ ἐπιτρόπων, similitudinem, non ad Personalem sub Hominibus ullis Subjectionem, sed ad *Legem* hujusque *Statuta Divina* Paulus continuo & unice applicat, cujus hinc Exactores

&

& Custodes simili nomine nequaquam insignit; γ *Col.* II. 15 [9]. ubi *Imperia* ac *Potestates* non notant Antistites ab ipso Deo Christoque Ecclesiæ datos, quos ille pro Vestimento ad se velandum habuerit, & modo ipse deposuerit, quo modo nusquam Sacerdotes considerantur, plane ab hac re alienis locis *Psal.* CII. 27. 2 *Cor.* III. 14. sed Hostes Infernales, gloria & robore suo exutos, in Denudatione & Cruce Christi, quorsum ducit horum obvia Appellatio *Eph.* VI. 12. Christi cum his Pugna *Gen.* III. 15. 1 *Joh.* III. 8. Consuetudo Triumphantium, qui non Se sed Hostes exuunt, Victoria de his in Cruce acquisita *Hebr.* II. 14. denique Operis hujus maxima in se Præstantia, & cum Ceremoniarum abrogatione Connexio quoque certa; δ *Hebr.* XII. 9. 10 [10]. ubi per *Patres Carnis nostræ* non notantur Judæorum Præstites, sed omnino Parentes Naturales, à quibus Carnem habemus, Deo Animam creante, qui hinc Jus habent nos Castigandi, qui exercent illud ad Breve Pueritiæ Tempus, secundum Lubitum sæpe non bonum, quibusque ex Præcepto Divino subjicimur, uti non plane cæcus hæc omnia in textu legere potest. 4. *Nullam* fuisse Hominibus *Potestatem Ferendi Leges*, ob Additiones omnes interdictas, Traditionesque promiscue damnatas, quicquid Circumstantias quasdam, in Lege non satis determinatas, cessante Prophetia, descripserint de Jure aut Facto, uti *Iter Sabbathi*, similiaque, quod hodie jure agunt quoque Ministri; at verò *Inculcationem* & *Exsecutionem Divinæ Legis*, quæ tunc Ceremonialis quoque à Deo ipsò data erat, Opus esse non Dominii sed Ministerii, hodiè similiter obtinens. 5. Tandem Appellationes *Ecclesiæ Dei Vivi*, *Populi Christi & Dei*, *&c.* plane præter rem torqueri ad Oppositionem adversus Fideles Veteris Test. qualis & perperam fingitur *Psal.* CXXXIII. 1. [11] *Matt.* XXIII. 8. [12] & alibi passim.

[1] *Mant.* VIII. *post Anal. Exeg. Jes.* LIII. [2] *Exerc. Text.* XVII. P. II. [3] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [4] *Anal. Exeg. post Cant.* [5] *Exerc. Text.* XLVI. P. II. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Exerc. Text.* XXVII. P. II. [8] *Exerc. Text.* XXXIX. P. II. [9] *Exerc. Text.* XLIII. P. II. [10] *Exerc. Text.* XLVIII. P. II. [11] *Exerc. Text.* XXIII. P. IV. [12] *Exerc. Text.* XLIX. P. II.

XXXVIII. Corollarii loco notamus, non minus vanam esse connexam Virorum Doctorum Hypothesin, ad Propheticum Chri-

Nulli etiam olim in Prophetico Munere Christo Socii sunt tribuendi.

Christi Munus propriè spectantem, de *Clave Scientiæ* olim Sacerdotibus data, ob quam debuerint tunc fideles *ab Horum Ore Pendere*, hisque *Subjici* in Doctrina, quo pacto Subjectio hæc sub Novo Test. iterum cesset. Cum constet; α non obstante Docendi Legemque Servandi Officio *Mal.* II. 7.[1] & *fallibiles* olim fuisse *Sacerdotes vers.* 8. hinc non semper audiendos, & Deum per Verbum suum scriptum, publicè & privatim lectum, suos quoque erudiisse, ex quo omnis Catechesis & Institutio tunc peti secundum Domini dictum hoc debuit, cujusque genuina & Spiritualis Interpretatio ipsa *Scientiæ Clavis* est *Luc.* XI. 52.[2] pessimè à Legisperitis quoque rapta; β non obstante Dei Institutione sub Novo Test. certo *Ministrorum & Doctorum Ordini* esse locum, per quos nunc, uti olim per Sacerdotes, Levitas, & Prophetas, ipse suos communiter erudit; γ Loca adeo, quæ opponuntur ex *Jes.* LIV. 13. *Joh.* VI. 45. *Jer.* XXXI. 34. *&c.* esse omnino non absolute sed *Comparatè* intelligenda, de Uberiori Spiritus Gratia, & Scientiæ Salutaris Extensione, uti contra *Enthusiastas* & Ministerii publici hostes alias ostendi solet.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XXXIII. P. II.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De Statu Jesu Christi Duplici, Exinanitionis & Exaltationis.

Transitus ad Statum Mediatoris.

POst Triplicem Muneris Mediatorii, distinctissimam & simul conjunctissimam, Partem, STATUM sive *Conditionem* Mediaturis geminam, EXINANITIONIS scil. & EXALTATIONIS, nunc exponere aggredimur; ubi major adhuc *Oppositio*, nec tamen minus arcta *Conjunctio* deprehendetur.

Qui Duplex omnino est agnoscendus.

II. Generatim *Statum* hunc *Duplicem* probat; α non tantum *Novi Test. Historia*, compendio proposita *Rom.* IV. 24. 25. XIV. 9. I *Cor.* XV. 3. 4. *Phil.* II. 7.... II. *&c.* β sed & *Vet. Test. Prædictio* multiplex, dum præter *Typos* illustres, Josephi, Davidis, Jonæ, & Israëlis totius, habemus ibi, & Duplicem Diversissimam Messiæ *Descriptionem*, & assertam iisdem locis *Gloriam* ejus simul

simul & *Ignominiam* summam *Gen.* III. 15.[1] *Psal.* VIII. 6.[2] *coll. Hebr.* II. 7. 8. 9. *Psal.* XVI. 10, 11.[3] XXIII. 2. 23.[4] CX 7.[5] CXVIII. 22. *Jes.* XLIX. 7. 8. LII. 13. 14. LIII. 2. 10.[6] *&c.* Quorsum hinc respicitur *Luc.* XXIV. 26. 27. 1 *Petr.* I. 11. *&c.* & respexisse quoque creduntur communiter *Judæi*, prò cæcitate ipsis immissâ fingentes *Messiam Duplicem*, quorum alter foret *Filius Davidis*, *& Judæ*, ac Rex gloriosus, alter *Filius Ephrajim*, *& Josephi*, ante illum in Pugna cum *Armillo* moriturus. γ Accedit *Utriusque Status Necessitas*; fluens potissimum ex Muneris Sacerdotalis gemina Functione, & salutis Impetratione ac Applicatione conjuncta.

[1] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* II. *&c.* [2] *Exerc. Text.* XVI. P. III. [3] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [4] *Exerc. Text.* XVI. P. II. [5] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [6] *Anal. Exeg. Jes.* LIII.

Nexus inter Utrumque Statum exponitur, qui etiam potest statui ut Laboris & Mercedis promeritæ.

III. *Nexum Utriusque Status* variè concipiunt Theologi; dum hunc α alii volunt esse merè *Antecedentis* & *Consequentis*, ex Decreto, Prædictionibus, & Decentia rei, ne Christo aut Meritum pro Electis auferatur, aut novæ Gloriæ secundum Deitatem Accessio tribuatur; β alii vero esse præterea *Laboris* & *Promeritæ Mercedis*, etiam strictissimè acceptis his nominibus, α tum propter *Scripturæ Phrasin* obviam *Jes.* XLIX. 4. LIII. 11. 12[7]. *Hebr.* XII. 2. & *Phil.* II. 9. ubi vox ἐχαρίσατο ad gratiosum Patris affectum in Filium potius quam ad Meritum excludendum refertur; tum β propter Naturam Rei, dum intercessit hic *Pactum* veri nominis, & intrinseca *Dignitas Exinanitionis* Christi tanta fuit, ut hanc Exaltationem consequentem omnino flagitaret. Quæ sententia nihil absurdi habet in se, si modò notemus; α omne quod Sibi meruit Christus, *in Bonum Electorum* cedere, ob arctam Capitis & Membrorum Unionem; β & non tam Suum quam *Electorum Commodum* in eo *intendisse* Christum; γ nec tandem aliquid *Intrinsecæ Perfectionis* accessisse Naturæ *Divinæ* sed tantum *Humanæ*.

[7] *Anal. Exeg. Jes.* LIII.

Ad quam Naturam pertineat hic Status Duplex.

IV. Enim vero ad hanc *Naturam Humanam solam Uterque Status*, quatenus *Internam Mutationem* significat, propriissime refertur, uti Gradus singuli docent: dum satis recte dicitur tamen, temere calumniantibus nos *Papistis*, Christum *Exinanitum esse secundum Deitatem quoque*, α voluntariâ Sui Subjectione, β & Gloriæ Divinæ Occultatione, licet ad fidei nostræ ἀσφάλειαν per Carnis velum illa sæpius transparuerit in Nativitate, in Vita omni,

maxime quidem dum in Monte apud eum transformatum ſtiterunt ſe Moſes & Elias *Matt.* XVII. 2. 3. [1] quin & in ipſa Morte; & pariter *ſecundum Eandem Naturam Exaltatum* eſſe ipſum, majori Gloriæ Patefactione, quo ducunt textus *Joh.* XVII. 5. *Phil.* II. 6. 7 8. 9. 10. 2 *Cor.* VIII. 9. *&c.*

[1] *Exerc. Text.* XXXII. P. III.

Primus Statu Exinanitionis, cujus Nomen exponitur & Definitio traditur.

V. Præceſſit EXINANITIO; ad quam notandam adhibentur voces Græcæ, κενώσεως & ταπεινώσεως, Latinæ etiam *Inanitionis*, *Exhauſtionis*, *Evacuationis*, *Annihilationis*, *Humiliationis*, *Servitutis*, *&c.* Quæ ita συνωνύμως uſurpantur, ut tamen diſcrimen aliquod inter κένωσιν ſeu *Exinanitionem*, & ταπείνωσιν ſeu *Humiliationem* poni poſſit. Non quaſi prior illa *Incarnationem*, hæc poſterior Incarnatæ Perſonæ *Depreſſionem* ulteriorem notaret, quod *Phil.* II. 7. 8. non eſt ex vi vocum ſed ex ſolo contextu: verum quod illa magis exprimat *Terminum A Quo*, ſive Gloriam ex qua ſe demiſit Dei Filius, hæc *Terminum Ad Quem*, ſive Miſeriam in quam ſe dedit. Hic verò promiſcue uſurpatis his vocibus, per Exinanitionem intelligimus; *Statum Mediatoris Antecedentem, in quo velata Divinæ Majeſtatis Gloriâ Infirmitates Pœnaſque noſtras cum Subjectione ſub Divinam Legem ſuſcepit, ad Patris gloriam, Electorum ſalutem, horumque in Peculium ſuum acquiſitionem.*

Primus Exinanitionis Gradus eſt Humilis Incarnatio.

VI. *Exinanitionis* hujus *Gradus*, uti rectius *Quintuplex*, aut *Sextuplex*, quam *Triplex*, etiam ſecundum *Symbolum Apoſtolicum*, ſtatuitur; ita *Primus* omninò eſt agnoſcendus in *Incarnatione Servili*, Infirma, Pauperrima, & verè Humili. Quam huc refert, α Scriptura 2 *Cor.* VIII. 9. *Gal.* IV. 4. *Eph.* IV. 9 *Phil.* II. 7. *&c.* & β referre jubet *Forma*, *Modus*, *&* *Finis*, rei omnis, quæ antea *Cap.* XIX. §. X. XIII. XVI. expoſita ſunt. Nec obſtat; α vel *Humanæ Naturæ Perpetuitas* in Gloria, quæ ab Humili ejus Aſſumptione & Infirmitatibus plurimum differt; β vel *Signa Majeſtatis*, in Nativitate ex Virgine, cum Nuncio Cœleſti, Adventu Magorum, &c. quæ Humilem Servi Formam non abſtulerunt; γ vel *Exinanitionis requiri Subjectum*, quod ante Nativitatem nullum fuerit, cum præexſtiterit Perſona τῦ Λόγυ, vere licet abſque mutatione Exinanita, & Natura Humana in Humilitate aſſumpta tunc utique adfuerit.

Secundus Gradus Vita Ærumnoſa Privata pr

VII. *Secundus Exinatinionis Gradus* eſt inſecuta *Vita Ærumnoſa*, tum *Publica*, tum *Privata*. Hanc vocamus, qua non plane in angulo aliquo terræ latuit incognitus, ex adverſo etiam mox manife-

nifestatus per Angelos, Magos, Simeonem, Annam, &c. sed *quia Propheticum Munus immediate in carne non exercuit*, & sic non adeo palam & clare se omnibus notum fecit. Extenditur autem hæc *ad Annos circiter Triginta Luc.* III. 23. α ut *major* ad munus grave esset *Præparatio*, β ac *spectabilior* id gerentis *Autoritas*, γ ac sapiens *Accommodatio* ad Ætatem Levitis constitutam *Num.* IV. 3. 1 *Chron.* XXIII. 3. In ea expertus est ipse *Ærumnas Communes*, inter quas numeranda quoque dolorifica *Circumcisio*; tum etiam *Speciales*, uti *Fugam in Ægyptum*, quam confictis Miraculis multis temere insigniunt *Papistæ*, & ex qua revocatus secundum *Vaticinium Hos.* XI. 1.[1] non literaliter sed *mystice* huc pertinens, habitavit *Nazareti*, ut hinc Nomen quoque nancisceretur, de quo *Cap.* XIX. §. VI. non vero ut *Casa Mariæ* Nazaretana *Lauretanæ* postea Idololatriæ consecraretur, secundum seriora *Papistarum* dè ea figmenta putidissima. Ulteriora *Vitæ hujus Acta* ferè ignorantur, nisi quod memoret Lucas; α *Incrementum*, tum *Staturæ*, tum *Sapientiæ*, & *Gratiæ* omnis, Verum, non apparens tantum *Luc.* II. 40. 52. quod susceptas ab ipso Infirmitates nostras Non Culpabiles omninò arguit; β *Obedientiam* Josepho & Mariæ ut Parentibus præstitam *Luc.* II. 51. quam nec durante Ministerii publica Functione prorsus neglexit, hanc tamen sibi integram relinqui volens *Matt.* XII. 48. *Joh.* II. 4. & quæ ad Servilem Christi Domini Demissionem iterum spectavit; γ *Documentum* insigne *Sapientiæ, à Puero Duodecenni in Templo datum Luc.* II. 46. 47. In quo *Initium Gesti Muneris Prophetici, ac Doctoris Actum*, plures absque fundamento, & contra rationem Ætatis, ac Status Christi, à Judæis necdum agniti, ponunt; dum α qui eodem Conclavi cum Doctoribus pluribus consident, Auditores etiam rectè *in Eorum Medio Sedere* dicuntur; β *Interrogatio* in Catechesi non est Doctorum tantum, sed & Discipulorum; γ & Christus fassus *decere*, *ut esset ἐν τοῖς τοῦ πατρός*, non respexit ad Publicum Muneris Exercitium, sed vel ad Locum Templi, vel ad Præparationem ad Munus à Patre quoque mandatam, vel potissimum ad Res Divinas à se cognoscendas & inquirendas. Uti vero indubie rerum Divinarum meditationi annis sequentibus vacavit multum Christus; ita non caret veritatis specie traditio *Veterum*, de exercita simul apud Josephum ab ipso *Arte Fabrili*, quò alluserit juxta nonnullos in sermonibus suis *Matt.* XI. 29. *Luc.* IX. 62. *&c.* Etenim α id

mum. Cujus pauca quædam Gesta nobis occurrunt. Inter quæ Specimen Sapientiæ à Duodecenni datum. Et probabiliter Artis Fabrilis tractatio.

id videtur Nazaretanorum, quibus cognitus erat, & qui reliqua verè recensent, turba innuere *Marc.* VI. 3. haud repugnante etiam textu parallelo *Matt.* XIII. 55. qui ex Marco supplendus; β & confirmat amplius Vita Extra Scholas acta *Joh.* VII. 15. Parentum Paupertas, Officium Filiifamilas ad hujus bonum cooperandi, ac præmatura Josephi Mors, recte collecta ex Silentio ulteriori dè eo *Joh.* II. 1. *Matt.* XII. 46. *Joh.* XIX. 25. 26. γ nec fuit Christo Indignum, sed potius Decens, ut sic summam *Dejectionem & Subjectionem* sub communem Peccati Pœnam quoque declararet.

[1] *Comm. in Loc. & Exerc. Text.* XX. P. I.

Publica dein Vita, inchoata; à Baptismo & Tentatione. Cujus Duratio inquiritur.

VIII. Postquam privatim sic juxta *Johannem Bapt.* vixisset, paulò post hunc præmissum Præcursorem se *publicè Manifestare* cœpit Israëli; α *Baptizatus* primum à Johanne, ex ejus sub Legem omnem subjectione, sed cum Demonstratione Visibili & Audita Gloriæ ejus ex Cœlo *Matt.* III. 15. 16. 17. [2] *Luc.* III. 21. 22. β & mox post *Abductionem à Spiritu Sancto*, potius certè quam Malo aut proprio suo, *in Desertum*, temporariam, & *Jejunium*, verè Miraculosum XL. dierum, à nobis neutiquam imitandum, *Tentatus* à Diabolo immediate, ter, & vehementissimè, uti ob rationes varias, ita ad nostri Consolationem, Christique ad Certamina secutura Præparationem *Matt.* IV. [3] & *Luc.* IV. Duravit *Vita* hæc *Publica*; α nec ad *Annum* tantum *Unum*, uti quidam voluere Veteres; β nec ad *Annos Decem* & ultra, uti alii conjecerunt ex *Joh.* VIII. 57. γ nec etiam ad *Quatuor Integros*, uti maximi quidam statuunt *Chronologi*, Paschatibus apud Johannem lectis addentes *Sabbatum* δευτερόπρωτον ex *Luc.* VI. 1. quod nos, missis aliis sententiis variis, tum ob Nominis Compositi rationem, tum ob Temporis memorati Circumstantias, interpretamur de *Sabbatho Primo Vernali Anni Sacri*, & quod ad aliquod Pascha à Johanne memoratum satis commodè reducitur; δ sed ad *Annos Tres* integros *cum Mensibus* quibusdam. Quo ducit; α præter Vaticinium *Danielis Cap.* IX. 27. [4] & β Parabolam *Luc.* XIII. 7. γ *Numerus Paschatum* à Christo celebratorum publicè, & à Johanne memoratorum *Joh.* II. 13. *Joh.* V. 1. (ubi *Pascha* intelligi per *Festum* ex *coll. Cap.* IV. 35. apparet,) *Joh.* VI. 4. denique *Joh.* XI. 55. ubi memoratum Pascha vulgo ob Christi mortem θανάσιμον seu *Emortuale* vocari solet, fuitque non minus θύσιμον quam

quam priora, licet Pridie Paschatis Judæorum sit habitum cum Discipulis. Istius verò *Vitæ Publicæ Acta*, uti copiose descripserunt Euangelistæ, Veritatis suæ Testes quandoque habentes Exoticos Scriptores, licet, dum ad Res magis quam ad earum Ordinem plerumque attenderunt, difficilior sæpe sit eorum in Circumstantiis Conciliatio; ita in primis hic notari debent *Calamitates*, tum *Communes*, quales fuere *Fames*, *Sitis*, *Fatigatio*, *Tristitia*, *&c.* tum *Speciales*, ut *Calumniæ*, *Opprobria*, *& Persecutiones* continuæ, satis ex Vaticiniis & Euangeliis notæ.

[2] *Exerc. Text.* XXVII. P. III. [3] *Exerc. Text* XXVIII P. III. [4] *Exerc. Text.* XXV. P. VI.

Tertius Gradus Exinanitionis Passio Ultima Corporea sub Pilato. Quæ fuit Gravissima. Necessaria plane, multiplici ratione. Voluntaria prorsus. Et Utilissima.

IX. *Tertius* adhuc major *Gradus* Exinanitionis fuit in *Passione Finali Corporea*, inchoatâ ferè per *Judæ Proditionem*, & terminata in *Crucis Supplicio*, ad quam, Vita Ærumnosâ non exlusâ, respicitur in *Symbolo*; additâ etiam rectè *Pontii Pilati* mentione, ad α indicandum rei Tempus, β Judæorumque Servilem Statum, γ & Judicialem in speciem, sed Injustissimum simul, Processum, ex hominis hujus durissimi propriâ & repetita confessione. De hac vero Passione generatim observari debet. 1. Fuisse eam *Veram* non tantum, sed & *Gravissimam*, si spectemus; α *Personas inferentes*, ipsos Discipulos, Judæos populares, Gentiles, & ex Patris directione, Satanam ipsum; β *Malorum Multitudinem*, in Proditione, Derelictione, Ligatione, Abductione, Accusatione, Condemnatione acerba, Injuriis illatis, Flagris dirissimis, & Crucifixione immiti, cum Circumstantiis durissimis; γ *Mali* illati *Speciem*, in primis in Crucifixione, Supplicio Acerbissimo, Contemptissimo, & Maledicto, *coll. Deut.* XXI. 23.[1] 2 *Sam.* XXI. 6. 9. δ denique ejus *ad priora Mala Diuturna Sequelam.* 2. Fuisse & *Necessariam*; α tum ob Divinam *Justitiam*, cui utpote infinitæ & multis modis læsæ non nisi per multiplicem hanc & subjectum destruentem Pœnam potuit satisfieri, quicquid fingant de sufficiente *Una Sanguinis Gutta* varii *Scholastici*, cum eversione & Divinæ *Sanctitatis*, quæ προσωποληψίας expers est, & *Amoris* Dei *Paterni*, qui non necessariam Filii Passionem non admisisset; β tum ob ejus *Veritatem*, & in Denunciatione Pœnæ homini facta, & in Vaticiniis ac Typis omnibus, quibus Mala hæc & generatim fuerant proposita *coll. Luc* XXIV. 26. 1 *Petr.* I. 11. *&c.* & speciatim exposita, ut *Psal.* XXII.[2] LXIX.[3] *Ies.* L. LIII.[4] *Zach.* XI[5].

&c. ne quidem excepto *Crucis Supplicio*, ad quod præter alia refer *Serpentem Æneum Joh.* III. 14.[6] & textus notissimos, non tam *Zach.* XIII. 6.[7] quam *Zach.* XII. 10.[8] & *Psal.* XXII. 17.[9] etiamsi, uti putamus merito fieri, hic retineatur lectio כארי & vertatur vox, *sicut Leo.* 3. Fuisse tamen eam *Voluntariam*, in Actuali Susceptione non minus, quam Sponsione; secundum *α* loca *Ps.* XL. 9.[10] LXIX. 10.[11] *Jes.* LIII. 7.[12] *Gal.* II. 20. *Eph.* V. 25. *coll. Matt.* XXVI. 31. 46. 54. *Joh.* XVIII. 7. 8. *&c.* *β* & Passionum harum Satisfactoriarum requisitum, quæ absque Obedientia Interna Deo placuisse non possent. Nec obstant *Preces Matt.* XXVI. 39.[13] *Hebr.* V. 7.[14] *&c.* Utpote quibus; *α* vel, cum Subjectione prompta sub Dei Voluntatem, *Naturalem à Malo* imminenti qua tali Humanæ Naturæ *Aversionem* testatus est, uti exemplo Laboris à Jacobo ad Rachelem obtinendam tolerati, & sumpti Poculi Amari sed unicè Salutaris, id illustrari solet; *β* vel *Liberationem* ex Malo futuram tantum spectavit. 4. Ducere illam, præter Effectum nostræ Liberationis Spiritualis, ad Officium quoque Crucifigendi similiter Veteris Hominis, & Mundi, *Rom.* VI. 6. *Gal.* V. 24. VI. 14.

[1] *Exerc. Text.* IX. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XVI. P. II. [3] *Exerc. Text.* XXIV. P. V. [4] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [5] *Comm. in Loc.* [6] *Exerc. Text.* VIII. P. IV. [7] *Comm. in Loc.* [8] *Comm. in Loc.* [9] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. *&* *Exerc. Text.* XVI. P. II. [10] *Exerc. Text.* XXIII. P. V. [11] *Exerc. Text.* XXIV. P. V. [12] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [13] *Exerc. Text.* XXXIV. P. V. [14] *Ibid.*

Recensentur incerta de Passionis hujus Modo & Circumstantiis omnibus.

X. Mittimus porrò; tum Passionis hujus *Modum* & *Circumstantias* omnes, quæ sæpe haud faciles, ex *Euangeliis & Commentatoribus* peti debent; tum *Philologicas* & *Historicas Quæstiones* complures, de *Crucis* Distinctione à Patibulo & Furca, de Crucis *Forma* referente literam X. vel T. de ejusdem *Altitudine*, majori aut minori, de Eminenti *Ligno*, *Sedili*, *Suppedaneo*, & *Assere* annexo, de *Fixione* per Funes vel Clavos, pauciores iterum vel plures, facta ante Erectionem Crucis vel post eam, Capite sursum vel deorsum verso, de antecedenti *Verberatione*, *Portatione*, & *Denudatione*, eaque vel totali plane, vel ad pudenda non extensâ, & similes complures. In quibus nonnullis Viri Eruditissimi gratis se fatigant; dum Supplicium Crucis, non Judæis sed Romanis usurpatum, Constantinus M. ante tam multa secula sus-

sustulit, & in multis Praxis ipsorum Romanorum olim videtur variasse; atque *Crucifixio Christi* potius *Solita* quam Extraordinaria statuitur; & *Crucis* Christi *Altitudo* modica, ac *Affixio per Clavos* satis demonstrative, *Pudendorum* vero *Velatio* satis probabiliter ex Matris & Mulierum præsentia constat. Fabulis porrò accensemus *Funes Clavosque* hodie cum aliis sic dictis Sanctis *Reliquiis* magno numero à *Papistis* servatos; quin & omnino antiquiorem longè narrationem de *Repertione Crucis Dominicæ per Helenam*, facta verè Divino impulsu ac indicio, cum annexis; ut α de qua *Eusebius*, Coætaneus, Vicinus, Gestorumque Constantini & Helenæ Scriptor fidelis, cum aliis Coævis, tacet; β quæ à sequentibus, nec indubiis omnibus, *Autoribus* variè proponitur; γ quæ mori Romano Tollendi Cruces, & Ligni citius Corrupti naturæ repugnat; δ quæ, nata denique ætate in Superstitionem prona, ad Idololatriam turpem stabiliendam nimium Christianos duxit.

XI. Crucifixionem *Quarto* secuta est *Mors*, quæ priores Passio- **Quartus**
nes omnes sub se sæpe in Scripturis complectitur. Fuit autem **Gradus Exinanitionis**
hæc. 1. *Vera*; uti contra omnes *Docetas* Veteres liquet, ex La- **Mors Vera.**
teris Transfossione, emphaticè idcirco quoque annotata *Joh.* XIX. **Necessaria.**
34. 35. ex Pilati curata Inquisitione *Marc.* XV. 44. 45. & ex secuta mox **Voluntaria. Apta in Circumstantiis.**
Sepultura. Quamquam nec simpliciter sic desierit esse Natura **Utilissima.**
Humana, nec ejus cum Persona Divina Unio. 2. *Necessaria Hebr.* II. 9. 10. IX. 15. 16. *&c.* tum α ad declarationem *Divinæ Justitiæ*, alienæ ab omni προσωποληψίᾳ, uti §. IX. contra *Scholasticos* monuimus; β tum ob Victimarum *Typos* omnes *Hebr.* IX. 22. & *Prædictiones*, tam Christi ipsius repetitas, quam Prophetarum veterum *Gen.* III. 15.[1] *Psal.* XXII. 16.[2] *Jes.* LIII. 10.[3] *Ezech.* XVII. 22.[4] *Dan.* IX. 26.[5] *Zach.* XIII. 7.[6] *&c.* 3. *Voluntaria Joh.* XI. 7. 18. XVI. 28. *Luc.* XXIII. 46. *&c.* quod Animalium olim mactatorum *Mansuetudo* quoque innuebat. 4. *Aptissima*, quoad Circumstantias; tum *Loci*, ob typum, & mysterium hic latens *Hebr.* XIII. 11. 12. 13. misso Veterum figmento de Adami in eodem Sepultura; tum *Temporis*, dum incidit, ut Annorum Periodos minus certas mittam, in Tempus anni Vernale, Paschale, Liberationisque ex Ægypto, & Horam Oblationis Vespertinæ. 5. *Utilissima* denique; tum ad nostram in vita & morte Consolationem, tum ad nostram Excitationem in Occidendo Veteri Ho-

 mi-

mine, 2 *Cor.* v. 15. *Col.* III. 5. *&c.*

[1] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.* V. [2] *Exerc. Text.* XVI. P II. [3] *Anal. Exeg Jes.* LIII. [4] *Exerc. Text.* XXIII. P. VI. [5] *Exerc. Text* XXV. P. VI. [6] *Comm. in Loc.*

Quintus Gradus Sepultura, multiplici ratione necessaria. Et Memorabilis, quoad Autorem, Antecedentia, Locum, & Tempus Tridui. Et Utilissima.

XII Mortis *Quinto* consequens fuit *Sepultura*; cujus est observanda. 1. *Necessitas*; ad α declarandam palam *Mortis Veritatem*, dum non sepeliuntur nisi mortui, & vivi in sepulchri angustiis necessariò exspirant; β *Liberandum Christum ab ulteriori Injuria* post mortem, ab hostibus vel feris inferenda; γ atque *Implenda* juxta *Typos Vaticinia* luculenta, *coll.* 1 *Cor.* xv. 4. Quæ exstant præcipue *Psal.* xvi. 9, 10.[1] *coll. Act.* II. 29. & *Jes.* LIII. 9[2]. Ubi *Sepulturam Cum Impiis* non debemus interpretari de *Impiis Sepulchri Custodibus*, vel dè *Calvariæ Vicinia*, vel dè ipsa *in Cruce Suspensione*, quæ à Sepultura distinguitur *Deut.* xxi. 23.[3] nec Sepultura appellari potest nisi cum ad Corruptionem ibidem manent homines, quo sensu etiam de *Asini Sepultura* legitur *Jer.* XXII. 19. sed de *Judæorum Intentione* prava in scrobem facinorosorum Christum conjiciendi, & facta jam *Præparatione*, quam Providentia optima Deus prævenerit, faciens ut *in Morte cum Divitibus esset*. 2. Memorabilis *Historia*, si respiciamus; α *Autorem*, Josephum Arimatheensem, cum Nicodemo, Virum nominis dignitatisque intuitu de multis nos monentem, ac in primis dè impleto *Jesaiæ Vaticinio*; β antecedentem *Involutionem* pretiosam, & allatam copiosissimam *Myrrhæ & Aloes Mixturam*, sive ad pollincturam solam, sive etiam ad combustionem,[4] utramque testem & Magnificentiæ Christi & Existimationis fidelium; γ *Locum*, moribus Judæorum accommodatum, *Alienum* simul, ob paupertatem, *è Saxo Excisum*, ad Christi veræ Petræ adumbrationem, *Novum*, ne alterius sepulti virtute, uti olim factum 2 *Reg.* XIII. 21. crederetur suscitatus, *in Horto*, ubi Peccatum Primum commissum, *Haud Procul à Loco Crucifixionis*, ut in loco pugnæ victoriæ trophæum erigeretur; δ *Tempus* tandem, tum *quo facta est* Sepultura, instante proximè Sabbatho, quod erat tempus antiquum Quietis & non Visæ in terra Mannæ, tum *per quod duravit*, quod fuit *Tridui*, secundum insignem *Jonæ*, non præcise à Balæna sed à *Pisce Magno* absorpti, Typum *Matt.* XII. 40.[5] & Prædictiones varias *Hos.* VI. 2.[6] ubi de Ecclesia in suo Capite Christo agitur, etiam *Matt.* XVI. 21. XVII. 23. *Joh.* II.

XI. 19. *&c.* hujusque Temporis *Aptitudinem*, ad monstrandam hinc Veritatem Mortis, & probandam Discipulorum Constantiam, inde ad Corruptionem & Infidelitatem avertendam. Est verò *Triduum* hic non intelligendum *Totum*; ut α vel cum *Chronologis* paucioribus contra manifestam Euangelii narrationem *Feria Quinta* dicatur *sepultus* Christus, β vel cum aliis Theologis confugiamus ad *Solis Obscurationem in Cruce*, [7] quæ unam constituerit *Noctem*, γ vel Sepulturam inchoemus *ab Horti Angoribus*, & terminemus in *Apparitione Vespertina post Resurrectionem*, uti volunt etiam Recentiores quidam Viri Docti; sed *Incboatum*, per familiarem Synecdochen, quam omnino hic statuere jubent textus, qui non *Quarto* sed *Tertio Die* Christum suscitandum fuisse dicunt, uti tunc à Vespera Feriæ Septimæ Initiali usque ad Matutinum Primæ Feriæ tempus, sive Judæorum sive Romanorum more dies computemus, reperimus, non quidem Partes *Trium Dierum & Trium Noctium* separatim intellectarum, sed tamen *Trium* νυχθημέρων, quod ob solitam Hebræorum phrasin sic Diem Naturalem vocantium sufficit. 3. *Utilitas*; in Ablata de terra & conspectu Dei Injustitia, Maledictione, & Lege Ceremoniali tota, Morte in Antro Confossa, Sepulchris Sanctificatis in κοιμητήρια, &c.

[1] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [2] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [3] *Exerc. Text.* IX. P. IV. [4] *Exerc. Text.* XI. P. II. [5] *Comm. in Jon.* [6] *Comm. in Loc. & Exerc. Text.* XXII. P. I. [7] *Exerc. Text.* XXXIV. P. IV.

XIII. *Sextus* tandem, non Temporis sed Gravitatis Mali ratione habita, *Gradus* Exinanitionis est *Mors Christi Spiritualis & Æterna*; sive *Dolor Animæ Infernalis*, qualis damnatis in gehenna infligitur, ex *Sensu Iræ Divinæ* adversus Peccata Electorum ortus. Quem *vere passum* esse Christum, & maximè quidem circa Supplicium ejus Extremum, liquet; α ex adscripta illi ταραχῇ, ἀδημονίᾳ, περιλυπίᾳ, ἐκθαμβήσει, ἀγωνίᾳ, *Joh.* XII. 27 [1]. *Matt.* XXVI. 37. 38. [1] *Marc.* XIV. 33. [1] *Luc.* XXII. 44. [1] *&c.* quæ neque ob Temporis rationem, neque ob Virilem Constantiam Christo supra Martyres tribuendam, ad *Nudam cum Corpore Compassionem* trahi possunt, neque ad *Sympathiam* etiam *cum Fidelibus*, nedum *cum Juda & Pereuntibus Judæis*, trahi debent, cum nonnullis *Nostrorum* quoque; β ex demonstratione facta *Opere* ipso, in *Sudore Sangineo* & copiosissimo, quem emisit *Luc.* XXII. 44 [2].

Sextus Gradus est Dolor Animæ Infernalis ex Iræ Dei sensu. Quem pessime negant multi.

(indubie putrefactum postea, quicquid Reliquias Sanguinis Christi miraculosa virtute insignes fingant *Papistæ*, & *Lutherani* nonnulli sententiam hanc exagitent ex 1 *Petr*. I. 18.) & *Ore*, in *Precibus*[3] *Joh*. XII. *Matt*. XXVI. *Hebr*. V. 7. ac potissimum in *Exclamatione* valida, de *Dei Derelictione*, quoad sensum gratiæ ejus priorem, *Matt*. XXVII. 46.[4] testimonium præbente, non Desperationis, sed Fiduciæ in medio Dolore acerbissimo in Deo repositæ, etiam secundum annotationes *Calvini*, *Bezæ*, aliorumque ex Nostris, quæ cum calumnia à *Papistis* hic temerè exagitantur; γ denique ex *Pœna* hac & Maledictione *nobis incumbente*, quam Christus propterea ut *Sponsor* in se suscipere debuit *Gal*. III. 13. Opponunt se tamen *Papistæ*, cum *Socinianis*, nonnullis *Anabaptistis*, & *Remonstrantibus*, tum adversus phrases nostras *Doloris Infernalis*, *Damnatorum*, *&c.* quas præter mentem nostram detorquent, tum adversus ipsas *Animæ Passiones*, quas vel planè negant, vel ad Partem Sensitivam & συμπάθειαν cum Corpore restringunt. Atque urgent hi frustra. 1. Mentionem perpetuam *Corporis*, *Sanguinis*, *Crucis*, *Mortis*, *&c.* Christi Cum hæc non sit unica, aut excludens Passiones alias Spirituales, alibi magis explicitè memoratas; sed tantum Frequentior, ob externam Visibilitatem, & verè Synecdochica. 2. *Nullam* factam *Doloris Spiritualis Expressionem*, vel in *Typis* Veteris Oeconomiæ, vel in *Sacramentis* nostris sub Novo Test. vel in *Imaginibus Ecclesiasticis*, vel in *Speciali* aliquo *Festo*. Quasi Umbræ non omnes infra Corpus subsiderent; & Invisibilis Dolor pingi atque visibiliter proponi posset; & in Passione Externa memorata Interna non includeretur. 3. Sic Christum *in Æternum* debuisse pati, & cum *Desperatione*. Quod utrumque nos consectarium negamus; α cum per Infinitatem Personæ patientis infinita peccati læsio absque Æternitate hic sit compensata, β & per prævisum Felicem ex Passione Eluctationem nullus hic Desperationi fuerit locus, secundum dicta *Cap. XVI.* §. *XIV.* Nec scio equidem, quid movere potuerit hodie quosdam, ut contra Dolores hos Christi Infernales objicerent Difficilem, ex ipsorum hypothesi magis quam reipsa, Conceptum eorundem; vel etiam Causas alias multum Leviores cum Veteribus conquirerent undique, quas cum Divinæ Iræ sensu inepte heic jungerent.

[1] *Exerc. Text.* XXXIII. P. V. [2] *Ibid.* [3] *Exerc. Text.* XXXIV. P. V. [4] *Exerc. Text.* XXXV. P. V.

XIV.

XIV. Pertinet huc expositio *Articuli* in Christiano *Symbolo*, de *Descensu Christi ad Inferos*; de quo generatim hæc notanda sunt. 1. *Non legi* hunc *Iisdem* planè *Terminis in Scriptura*; licet illic Christus *in Inferno* fuisse, etiamque *Descendisse*, & quidem *in Inferiores Terræ Partes*, dicatur *Psal.* XVI. 10. *Job.* III. 13. *Eph.* IV. 9. *&c.* Quo non obstante, sensu Scripturæ conformi rectè hic creditur. 2. *Non legi* eundem *in Symbolis* Antiquis, nec *Orientali*, nec *Romano*, non item *apud Varios* fidem exponentes *Patres*, atque ubi legitur, ibidem vulgo *Sepulturam non* memorari; ut videatur, per errorem primo Utrumque hunc fuisse conjunctum, temporis momento non ita certo, sed sensu eodem, uti dudum notavit quoque *Ruffinus*. 3. *Absque* ulla *specie referri* hunc, à nonnullis *Lutheranis*, *ad Statum Exaltationis*; *α* contra Phrasios ipsius naturam, *β* & Descensus ac Existentiæ in Inferno perpetuam contra Glorificationem Christi oppositionem, ubi illa in Scripturis memorantur. Nec juvat eos *Finis Descensus*, quem statuunt, *Triumphatio* sc. de hostibus; quæ uti perperam hic supponitur, ita Christo in ipsa Cruce tribuitur quoque *Col.* II. 15. propterea ad Exaltationem non pertinente. 4. *Diversam* admodum ejus *esse Expositionem*. Dum *α Pontificii*, *Lutherani*, aliique nonnulli, *Localem Christi Descensum in Infernum* hic intelligunt, factum tempore Mortis; in *Fine* interim ejus multum variantes, qui fuerit, sive Dolorum Infernalium Perpessio, sive Euangelii eorum Damnatis Prædicatio, sive de Satana & Hostibus devictis Triumphatio, sive Patrum Fidelium ex Limbo Liberatio, adductis ad probationem locis, *Matt.* XII. 40. *Act.* II. 24. 27. *Eph.* IV. 8. 9. 1 *Petr.* III. 19. IV. 6. *&c.* *β Nostri* verò, vel *Statum Locumque Animæ Separatæ* Invisibilem in Morte, vel simpliciter *Mortem*, vel denique *Dolores Infernales ante Mortem* toleratos hic innui, volunt. 5. *Non* tam debere nos esse *sollicitos de Mente Eorum*, *qui hunc Articulum primi in Symbolo posuere*, & incerti sunt, aut de *Phrasi in se spectata*, quid etiam secundum stylum Scripturæ significare possit, (quâ utraque ratione admitti commodè poterit expositio de *Morte* vel *Sepultura*, cum hæc in Christo locum repererit, & sub phrasi simili veniat in Scriptura, *Gen.* XXXVII. 35. *Jes.* XXXVIII. 10. *Ps.* XVI. 10. XLIX. 15. *&c.* & Sepulturâ memoratâ non memoretur apud Veteres Descensus hic;) sed magis inquirendum esse *in Sensum Commodissimum Articuli*, uti hodie

Observationes quædam de Descensu Christi ad Inferos generales.

die in *Symbolo* legitur, ad hujus Plenitudinem Nervosumque rerum Necessariarum Complexum, qui tamen Stylo Scripturæ non adversetur.

Descensus Christi Localis in Infernum exploditur, ejusque argumenta confutantur. Uti & explicatio Descensus de Statu Animæ Invisibili. De Morte item & Sepultura. De Doloribus vero Infernalibus commodissime exponi Descensum hunc docetur.

XV. Istis sic præmissis, omnino 1. *Rejicimus*. α Tum *Localem* Christi *Descensum ad Inferos*, cum Corpore in terra sepulto *Anima fuerit in manus Patris* commendata, ac in *Paradisum* Cœlestam translata *Luc.* XXIII. 43. 46. nec Finis rei justus adferatur ullus; Doloribus hic in Morte Consummatis *Joh.* XIX. 30. Euangelio Damnatis nec Utili nec Prædicato quoque inutiliter, Triumphatione facta coram Hominibus & Angelis in Cruce & Glorificatione, atque Fidelibus Patribus impie in Infernalem Limbum detrusis. Nec faciunt ad Descensum hunc stabiliendum Loca adducta, quibus; α *Cor Terræ Matt.* XII. 40. non meditullium, sed interiorem ejus Sinum Sepulchralem notat, *coll. Exod.* XV. 8. *Deut.* IV. 11. *Ezech.* XXVII. 4. *&c.* β *Dolores Mortis Act.* II. 24. innuunt, vel Mortem Dolorificam, vel *Vincula* in se dolorifica Mortis, *coll. Psal.* XVIII. 5. 6. missis Allegoricis expositionibus variis; *Infernus*, in quo *non reliquenda Anima* Christi *Act.* II. 27. γ est Sepulchrum corruptionis locus, in quo non relinquendus ipse respectu illic depositæ Carnis, per familiarem etiam alibi synecdochen *Act.* VII. 14. *Lev.* XIX. 28. *&c.* hic ex Contextu necessariam, nisi & heic ad Dolores Infernales spectare volueris; δ *Captivitas* in Adscensione Christi *Captivata Eph.* IV. 8. non constituatur à liberatis ex Limbo Patribus, sed ab Hostibus qui nos antea detinuerunt; ε *Descensus in Inferiores Terræ Partes Eph.* IV. 9. exponit, vel Extremam Exinanitionem metaphoricè, vel Sepulturam *Ezech.* XXVI. 20. XXXI. 14. vel optime ipsam Nativitatem, Partibus Terræ Cœlo oppositis, uti & fit *Psal.* CXXXIX. 15. & *Jes.* XLIV. 23. ς *Profectio Christi in Spiritu* 1 *Petr.* III. 19. pertinet ad Naturam Divinam *Rom.* I. 3. *Hebr.* IX. 14. *&c.* per quam se manifestavit in Prophetis, qui Resipiscentiam in diebus Noachi prædicarunt hominibus vivis, ob incredulitatem nunc dum ista scriberentur Carceri Infernali inclusis; ζ eodem sensu *Mortuis Euangelizatum* 1 *Petr.* IV. 6. dicitur, dum sc. adhuc viverent in terris. β Tum explicationem de *Statu & Loco Invisibili Animæ post Mortem*; quæ Scripturis, Diversissimum Locum piis & impiis post mortem tribuentibus, & Adscensum quidem piis, minime convenit; nec per Poëtarum, Philosophorum, vel etiam Pa-

Patrum opinionem de Communi aliquo ad tempus Receptaculo, ſtabiliri aptè poteſt. γ Tum explicationem de Morte & Sepultura; cum hæc prius jam in Symbolo ſit propoſita utraque, & clarius quidem, quare repetitio hæc in brevi verborum compendio minus commoda foret. 2. *Adoptamus* vero ſententiam, quæ ad *Dolores Infernales* Articulum hunc refert; α quod horum, verè à Chriſto Toleratorum, in Symbolo quoque deceat magis Explicitam fieri Mentionem; β atque illi per hanc phraſin rectè notentur, *coll. Pſ.* XVIII. 6. CXVI. 3. 1 *Sam.* II. 6.[2] *&c.* Dum leviſſima hic eſt Objectio, quæ petitur à Deſcenſu demum poſt Mortem & Sepulturam memorato, cum Dolores hi tempore præceſſerint: neque enim tam de apto *Ordine Symboli*, ſucceſſivè nati, quam de ejus *Perfectione* debemus eſſe ſolliciti, nec uſquam melius quam poſtremo loco Dolores hi poni poterant, ut Progreſſus eſſet à Malis Corporalibus ad Spiritualia, à Levioribus ad Graviora, ab iis tandem quæ Tempore ſe invicem exceperunt ad illa quæ continuò inter ea intercurrerunt.

[1] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [2] *Exerc. Text.* VII. P. VI.

XVI. Satis verò ex his Omnibus Malorum Gradibus apparet, *Paſſionem ad Naturam Humanam* debere reſtringi, nec ad *Deitatem* illorum haud capacem extendi, uti factum eſt olim à *Theopaſchitis*, ex *Eutychiana* Naturarum Confuſione, & fit hodieque re ipſa à *Mennonitis* variis, ac verbo tenus à *Lutheranis* pluribus nobis infenſis, hinc locutionem in abſtracto de *Deitate Paſſa* etiam adprobantibus. Quos non juvant; α Locutiones de Perſona Chriſti, à Deitate denominati, in Concreto *Act.* XX. 28. 1 *Cor.* II. 8. 1 *Joh.* I. 7. *&c.* non autem de Deitate ipſa, de quibus actum *Cap. XIX.* §. *XXIV.* β Infinitus Paſſionum Valor, qui ob Perſonalem Naturarum Unionem iis acceſſit; γ Gloria Redemptionis noſtræ, ſic Naturæ Humanæ tribuenda, quod ob hujus abſque Divinæ Perſonæ concurſu inſufficientiam omnino negamus. Non debet dici Deitas Chriſti paſſa.

XVII. Sequitur EXALTATIO; prò qua Paulus gradum ſummum notans ὑπερύψωσιν *Superexaltationem* dixit *Phil.* II. 9. & quæ alias dicitur potiſſimum *Glorificatio*, ex *Joh.* VII. 39. XVII. 1. 5. *Luc.* XXIV. 26. *Hebr.* II. 7. 1 *Petr.* I. 11. *&c.* licet vox hæc poſterior latius uſurpata ad tempus Exinanitionis quoque poſſit referri ex *Joh.* XII. 21. XIII. 31. & vox Exaltationis majorem quendam reſpectum ad præcedentem Humilitatem includat. Nobis Exaltationis Nomen & Definitio.

hic sumitur pro; *Statu Mediatoris Consequente, in quo patefactâ palam Divinæ Majestatis Gloriâ, humilitates Naturæ Humanæ cum summo Finitæ Gloriæ Gradu mutavit, ad Patris laudem, applicandam Electis salutem, suavemque Laboris exantlati Fruitionem.*

Exaltationis Gradus plures recensentur.

XVIII. Iterum observamus hic *Gradus* varios, per quos adscendit Dominus; α ut Convenientia & hic esset cum Exinanitione; β Mutatio non mox esset Nimia; γ Suscitatus & Assumptus Agenda his in terris perageret, mediatè & immediatè; δ atque etiam adumbraret Progressum Ecclesiæ & Fidelium ejus membrorum *Psal.* LXXXIV. 8. *Prov.* IV. 18. *&c.* Illi an statuantur *Tres*, uti fit vulgo, nominata α *Resurrectione*, β *Ascensione*, *&* γ *Sessione ad Dextram Dei*; an addatur *Quartus*, nempe δ *Judicium* ab ipso habendum; parum interest. Potest enim hoc postremum sub Sessione ad Dextram comprehendi, & ut illustrior demonstratæ Gloriæ Gradus, secundum Scripturam simul & Symbolum, ab ea distingui.

Primus Gradus est Resurrectio, sæpe dicta Resuscitatio, cujus utriusque vocabuli vis exponitur.

XIX. *Primus Gradus* non est *Descensus ad Inferos*, secundum dicta §. *XIV.* sed *Resurrectio ex Morte*, per Animam Corpori vero vere iterum Unitam. Quæ sæpe *Resuscitatio* dicitur, etiamque *Vivificatio*, & quidem *passive* cum relatione ad agentem, sive Divinam Naturam Christi ipsius Humanæ oppositam 1 *Petr.* III. 18. 2 *Cor.* XIII. 4. *&c.* sive Patrem, *Deum* quoque ὑποςατικῶς dictum, *Rom.* VIII. 11. *Eph.* I. 20. *Act.* II. 24. 32. XIII. 30. *&c.* (quo referunt multi etiam textum *Rom.* VI. 4. collata phrasi 2 *Petr.* I. 3.) α tum propter Unitatem Essentiæ Patris & Filii, β tum propter Ordinem Operandi, γ tum denique ob Judidicis Personam, quam Deus Pater in Redemptionis opere sustinet, cujusque apochâ nos de plene acquisita Justitia certi tantum esse poteramus, *coll. Jes.* L. 8. 9. *&c.* Sæpe vero *active* legimus *Resurrectionem*; quæ hic magis emphaticè, quam cum Fidelibus adscribitur, posita est *Matt.* XX. 19. *Act.* I. 22. II. 31. IV. 33. *&c.* ad notandum sc. præter Jus, propriam Christi Potentiam, de qua Salvator loquitur respectu Sui ipsius *Joh.* II. 19. X. 17. 18 *&c.* & suorum Membrorum *Joh.* V. 21. XI. 25. &c. & emphaticè admodum Paulus *Rom.* I. 4.[1] ubi debilis Deitatis Christi erit demonstratio ex *Resuscitatione* Passive intellecta, quam aliqui hic Paulo tribuunt, & cum magnâ sermonis extenuatione illud ἐν δυνάμει ad *Emphasin Nominis* Filii Dei potius quam ad realem Potentiam Personæ & Ope-

Operis à Nonnullis trahitur. Cæcitati vero voluntariæ *Socinianorum* imputari debet, quod Christum habentes pro ψιλῷ ἀνθρώπῳ, Dogma hoc *Ridiculum*, *Absurdum*, *ac Impium*, vocent; & tum loca priora de *Patre* nobis opponant, jam soluta, tum *Preces ad Patrem* fusas *Heb*. v. 7 [2]. quæ illius secundum Humanam Naturam naturalem & secundum Divinam voluntariam Subjectionem tantum docent.

[1] *Exerc. Text*. XXXVIII. P. I. [2] *Exerc. Text*. XXXIV. P. V.

XX. *Necessum* plane erat, ut Christus ex mortuis resurgeret, α tum ob *Personæ* Filii Dei *Dignitatem Act*. II. 24. III. 15. β tum ob *Justitiæ & Salutis* nostræ plenam non minus *Acquisitionem* quam *Applicationem* 1 *Cor*. XV. 15. 17. γ tum denique ob *Dei Iustitiam* in concedendâ Filio Mercede laboris exantlati, ejusdem *Bonitatem* erga hunc maximam; & tandem *Veritatem* in implendis Vaticiniis & Typis variis *Act*. XXVI. 22. 23. 1 *Cor*. XV. 4. *&c*. *Vaticinia* leguntur, præter repetitas Christi ipsius Prædictiones, non *Psal*. II. 7. [1] *coll. Act*. XIII. 33. ubi Apostolus non adhuc de Resuscitatione sed de Datione Christi agit, neque *Ier*. XXXI. 26. *Tseph*. III. 8 [2] *&c*. quæ loca alii ex *Nostris* huc trahunt, sed *Psal*. XVI. 10. [3] XXII. 23. [4] LXVIII. 2. [5] CX. 7. [6] *Hos*. VI. 2. [7] *Jes*. LIII. 10. [8] & LV. 3. unde Paulus *Act*. XIII. 34. solidè Resurrectionem Christi probavit, ex *Fidelibus Benignitatibus Davidis*, sive Regem Israelis corporalem sive Messiam ipsum notet illic David, cum Promissiones de Regno Æterno Davidi factæ absque Resurrectione Christi non subsisterent. Accedunt *Typi*, magis vel minus strictè sic dicti, magisque vel minus apti & certi, *Adami* ex Somno Expergefacti, *Isaaci* à Mactatione Liberati, *Josephi* ex Fovea Educti, *Simsonis* Fores Urbis hostilis Deportantis, *Ezechiæ* Sanati, *Jonæ* à Pisce Ejecti, &c. & Reales *Mannæ* postridie Sabbathi Visæ, *Virgæ* Frondentis, *Manipuli post Pascha* oblati, *Aviculæ* Dimissæ, & potissimum *Hirci Hazazelis*, seu *Emissarii*, & ἀποπομπαίου *Lev*. XVI. in Die Expiationis Anniversario, [9] cujus Nomen, Ceremoniam omnem, & Mysterium, diversis admodum nec ineptis modis exponunt varii. Sicuti vero displicet maxime hujus apud *Recentiores* tractio ad *Israëlis Increduli Rejectionem ac Dimissionem inter. Gentes*, α ob alienam hujus rei Die hoc memoriam, β rationem *Victimæ pro Peccato*, quam etiam hic Hircus habuit *vers*. 5. γ ejus *ad Dominum* Adductionem *vers*. 7. δ *Expiationem* factam עליו / *per*, vel *super*, *eum vers*. 10. ε denique imposita illi *Totius*

Resurrectionis Necessitas multiplex ostenditur. Etiam ob Vaticinia. Et Typos varios, inter quos est Hircus Hazazelis.

tius Israelis Peccata, quod ex collatione locorum satis dissimilium *Jes.* XLIII. 3. 4. & *Matt.* XXIII. 35. dè Israële Indurato dici non potest: ita placet opinio receptissima, secundum quam notavit *Christum ex Morte Resurrecturum*, vi Intercessionis Peccata longissime tunc amoliturum, atque Satanæ Potestatem virtute Divina aboliturum; haud obstante, α vel *Peccatorum Impositione*, cum talis per Preces fidelium & Intercedendi officium adhuc in Christo Redivivo locum habeat, β vel *Impuritate* ab Hirco contracta *vers.* 26. quæ ad Peccata, non autem ad Christum, debet transferri.

[1] *Exerc. Text.* XV. P. II. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [4] *Exerc. Text.* XVI. P. II. [5] *Exerc. Text.* XVIII. P. III. [6] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [7] *Comm. in Loc..* [8] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [9] *Exerc. Text.* VIII. P. V.

Argumenta pro Veritate Resurrectionis. Inter quæ sunt Christi Redivivi Apparitiones.

XXI. *Verè* eundem *Resurrexisse*, liquet. 1. Tum ex omnibus *Historiæ*, à fide dignis Viris scriptæ, *Circumstantiis*; Sepulchri potissimum sollicita Obsignatione, Militumque Custodia, collata cum Sepulcro Vacuo reperto. 2. Tum ex *Testimonio*; α *Angeli*, plusquam unius Cœlestis *Luc.* XXIV. 4. ϐ & *Hominum*, Inimicorum non minus quam Amicorum, licet illi ad frigidum & ab omni veri specie alienum mendacium postea corrupti fuerint *Matt.* XXVIII. 12. 13. 3. Tum ex *Apparitionibus* Christi Redivivi. Quæ α contigerunt *non* quidem *Judæis* promiscue, post spretam nimis longe ab ipsis Dei gratiam, *coll. Matt.* XXIII 39. sed *Apostolis*, & *Fidelibus* nonnullis, etiam *Mulieribus*; ϐ fuerunt *Familiarissimæ*, in Convictu & Contrectatione ipsa concessa, *Act.* I. 3. X. 41. *Luc.* XXIV. 30. 39. 43. *Joh.* XX. 27. XXI. 5. *&c.* γ sæpius *Repetitæ*, nec Numero earum quæ narrantur, quem Denarium esse, alii verò majorem volunt, nec Ordine earundem satis tamen Certo, propter diversam ex Dei sapienti dispensatione neutiquam autem adversam, Euangelistarum & Pauli narrationem; (quamquam non dubitemus, ob *Condictum Galilææ Montem*, memoratam *Nonnullorum Dubitationem*, repetitamque tunc *Apostolorum Missionem*, quin *Eadem* sit *Visio plusquam Quingentorum Fratrum* simul, descripta *Matt.* XXVIII. 16. & 1 *Cor.* XV. 6. [1]) δ obtigerunt etiam post Adscensionem Stephano *Act.* VII. 55. 56. Johanni *Apoc.* I. 13. [2] & Paulo *Act.* IX. 17. 1 *Cor.* IX. 1. XV. 8. [3] qui tamen *Ecstaticè* vel *Symbolicè* potius quam in Proprio Corpore Dominum viderunt, tum

tum ex Distantia magna Cœli & Terræ, tum ex manifestis Indiciis, etiam *Act.* IX. 8. XXII. 17. 18. non pereunte sic, vel Apparitionis Veritate, vel Gloriâ Apostolatus, uti alii malè existimarunt. 4. Tum ex *Operibus*, Vitam Christi arguentibus; quale fuit, *α Terræ Motus*, satis ingens in Suscitatione, etiam ad Sepulchrum aperiendum, & Custodes perterrefaciendos; *β* Mortuorum *Sanctorum Suscitatio Matt.* XXVII. 52. 53. [4] memorata quidem tempore Passionis, propter Aperta tum Sepulchra, sed tamen postea juxta Exitum & Apparitionem facta, neque ut ad hanc Vitam illi redirent, aut denuò Morerentur, sed verisimilius ut Christi mox in Cœlesti Gloria Comites essent; *γ Effusio* copiosa *Sancti Spiritus*; *δ* Jugis *Suorum Conservatio*; *ε* & *Hostium* omnium, atque mox quidem *Judæorum*, horrenda *Vastatio*.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XLVI. P. V. [4] *Exerc. Text.* XXXIII. P. III.

XXII. Resurrectionis hæc fuit *Ratio*, ut receperit Christi Anima *Corpus*. I. *Idem*; tum *α Specie* & *Qualitatibus Naturalibus*, *Visibile* adeo, *Palpabile*, suam habens *Dimensionem*, uti id ex Apparitionibus, Rebus Gestis, & ipsa Corporis Natura, ac voce *Resurrectionis*, manifestum est. Frustra obnitentibus *Pontificiis* & *Ubiquitistis*; vel *α* ex confictâ, contra apertam Historiam, *Lapidis* Sepulchralis & Clausarum *Forium Penetratione Matt.* XXVIII. 2. *Joh.* XX. 19. 26. vel *β* ex *Non Cognita Subtractaque* subito quandoque *Christi Facie Luc.* XXIV. 16. 31. *γ* vel ex *Glorificatione*, quæ Naturam non sustulit. *β* Tum *Numero Luc.* XXIV. 39. *Joh.* XX. 26. 27. 2. *Diversum* vero *Gloria* & Constantia *Immortali*, quam contra *Socinianos* tenemus in Resurrectione mox adfuisse, ex *Act.* XIII. 34. *Rom.* VI. 9. *&c.* etiam ex symbolo *Linteaminum* relictorum; licet *α* pro ratione Terrestris Mansionis, & Conversationis cum Discipulis, *Gloriæ* externi *Radii* fuerint quadantenus *Repressi*; *β* & ad confirmandos Discipulos, non verò ex ulla necessitate, tum *Ederit ac Biberit*, semel vel etiam sæpius, quin & retinuerit *Signa Vulnerum*, sive ea adhuc habeat, ostendenda die novissimo, ex *Apoc.* I. 7. [1] sive potius in Adscensione deposuerit; *γ* sit amplius Glorificatio Christi totius demum in Cœlis perfecta, ex *Hebr.* II. 9. *Phil.* II. 9. *Eph.* I. 21. 22. *&c.* Ex hac autem natura Resurrectionis Christi Nostra æstimari potest & debet *Phil.* III. 21.

Recepit per eam Christus Idem Corpus Sed Glorificatum & Immortale.

[1] *Comm. in Loc.*

Tempus Resurrectionis declaratur.

XXIII. *Tempus* fuit commodissimum; α *Diei* sc. post Mortem & Sepulturam *Tertii*, quem & antea nominaverat Christus, conisciis hostibus *Matt.* XXVII. 63. & indigitaverat Deus in Prophetiis *Hos.* VI. 2.[2] ac Typis, Isaaci, Hiskiæ, Jonæ, quemque aptissimum quoad moram fuisse antea monuimus; β *Diei Primi Septimanæ*, quo olim Lux primum orta, & qui à Christianis porrò religiosè observandus, addito ab ipsis citò admodum *Paschatis Festo* annuo, & *Geniculationis* interdicto, quem certissimè, non alium quemcumque in communi, ut vellent aliqui, notat ἡ μία τῶν σαββάτων;[3] γ denique non *Mediæ Noctis*, sicut aliqui voluere ex Typo Simsonis, & παρερμηνεία *Matthæi Cap.* XXV. 6. neque præcisè *Quadragesimæ Horæ post Mortem*, uti alii ob Quadraginta Dies Conversationis in Terra, & ob Quadragesimæ Jejunium, sed *Primi Diluculi*, quod etiam significavit *Matthæus* per suum ὀψὲ σαββάτων, & *Marcus* per illud, διαγενομένου τοῦ σαββάτου. Cujus rei ratio videtur hæc fuisse; ut α innueret ipse, & se *Justitiæ* esse *Solem*, surgentem *ex Alto*, & Lucem veram se in Tenebris adducturum, ac β simul ne gloriose resurgens ab omnibus promiscue videretur, imo γ ut suscitato ipso ante Mulierum Adventum omnis Raptus aut Collusionis suspicio abesset. Quorsum tamen respici, vel in *Inscriptione Psalmi* XXII. dum memoratur אילת השחר / *Cerva Auroræ*,[4] vel *Psal.* LVII. 9. ubi suum potius Deum mature laudandi propositum David declarat, demonstrari nequit.

[2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* VI. P. V. [4] *Comm. in Loc.*

Fructus Resurrectionis Triplex.

XXIV. *Utilis* nobis est Christi Resurrectio multis modis. Dum facit; α ad *Iustificationis* nostræ plenæ & Satisfactionis præstitæ Certitudinem, instar apochæ à Patre datæ *Rom.* IV. 25. I *Tim.* III. 16. β ad *Sanctificationem* nostram, quatenus ex Terra & Morte Resurgens Christus, Exemplum novæ vitæ, nec ipsius in terra, ne quidem in dudum vastato & incerto Sepulturæ loco more *Papistico*, amplius quærendi, nobis dedit, & Vim Vivificam à se diffundendam sic acquisivit, *Rom.* VI. 4. 5. *Col.* II. 12. III. 1. *Phil.* III. 10. *&c.* γ ad *Glorificationem* etiam respectu Corporis suscitandi nobis obsignandam, ob Unionem quæ inter Caput & Membra, Primitias & Messem, Primogenitum & Fratres, Principem & Subditos, est, *coll. Job.* XIX. 25. 26. 27[5]. *Joh.* XIV. 19. I *Cor.* XV. 12. 13. I *Thess.* IV. 14. *&c.* Quorsum tamen vulgo quoque allegari solitus locus *Rom.* VIII. 11.[6] non tam

tam quam quidem ad Sanctificationis Progressum & Complementum spectat; ex Pauli Scopo, Corporis adversus Spiritum oppositione, Morte ei in præsenti adscripta, Spiritu inhabitante autore, &c.

[5] *Exerc. Text.* XII. P. I. [6] *Exerc. Text.* XXXIX. P. I.

Alter Gradus Adscensio in Cœlum, quæ & Assumtio dicitur.

XXV. *Alter* Exaltationis *Gradus* est *Adscensio in Cœlos*, vel *Cœlum*, Phrasi hac quandoque ex Hebræorum Usu & Christi per Cœlos Visibiles Transitu permutatâ. *Passive* dicitur ὕψωσις *Act.* II. 33. V. 31. ἀναφορᾷ *Luc.* XXIV. 51. ἔπαρσις *Act.* I. 9. & ἀνάληψις *Marc.* XVI. 19. *Act.* I. II. 22. I *Tim.* III. 16. qua voce *Agnitionem Filii*, antea velut abdicati, notari volunt Eruditi quidam, licet ob additum Assumptionis Terminum Cœlum, Agnitionemque istam in Resurrectione jam factam, illud minus probabile nobis sit, rem ipsam libenter cæteroquin concedentibus. Ratio *Passivæ Phrasios* hic eadem est, quæ antea data fuit § XIX. *Unitas* sc. *Essentiæ* Filii cum Patre, hujusque in Salutis negotio *Persona Judicialis*, à qua glorificari decuit Filium *Hebr.* V. 5. *Joh.* XVII. I. 5. *&c.* Sæpissimè ab altera parte vox *Activa* legitur *Abitus Joh.* XIV. 3. *Ingressus Heb.* VI. 20. & ἀναβάσεως *Adscensionis Joh.* XX. 17. *Eph.* IV. 8. 9. 10. *&c.* ad notandam Christi Potentiam, ac Jus Acquisitum per Sanguinis fusionem.

Adscensionis Necessitas monstratur.

XXVI. *Necessum* fuit planè, ut suscitatus Christus in Cœlum Adscenderet; α tum ob nostram Consolationem & Instructionem; β tum ob ejus Gloriam summam, in omni Muneris parte; γ tum ob Dei, & Justitiam in dando Exinanitionis justo Præmio, & Veritatem in implendis, tam *Vaticiniis Psal.* XXIV. 7. 8. 9. [1] XLVII. 6. [2] LXVIII. 19. [3] *coll. Eph.* IV. 8. *&c.* quibus alii alia, & quædam satis temerè, addunt, quam *Typis*, Realibus Mannæ, Arcæ, Propitiatorii, &c. & Personalibus, non tantum Pontificis Hebræi, in Vestitu Aureo vel potius Albo, *Lev.* XVI [4]. *Hebr.* VII. 26. VIII. 4. IX. II. 12. sed & Henochi & Eliæ, quos non in Paradisum aliquem alium Inferiorem, uti nugantur *Pontificii*, sed in ipsum Cœlum translatos Anima & Corpore esse, satis liquet ex *Gen.* V. 24. *coll. Hebr.* XI. 5. 2 *Reg.* II. II. ita similes in hac re Christo, ut tamen in multis, juxta Typos alios, atque etiam in Morte non gustata, dissimiles ei fuerint.

[1] *Exerc. Text.* XVIII. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XIX. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XVIII. P. III. [4] *Exerc. Text.* VII. P. V.

XXVII.

Et Veritas probatur.

XXVII. Sed &, uti debuit, ita *Verè* Adſcendit Chriſtus, ex Teſtimonio non unius *Proculi*, vel etiam *Eliſæi* Vatis fide digni; ſed tum α *Reali* Operum, quibus de Cœlo ſe patefecit Dominus, & Conſpectus his in Terris Negati; tum β *Perſonali*, & Angelorum, & Diſcipulorum Duodecim, quibus videntibus contigit *Act*. I. 9 10. 11. & Stephani, Pauli, Johannis, quibus ſe poſtea ecſtaticè vel emblematice in Cœlis patefecit.

Natura ejus. Quæ conſiſtit in Locali Tranſlatione Humanæ Naturæ de Terra in Cœlum. Quod contra objectiones Ubiquitariorum defenditur.

XXVIII. *Ratio* ejus *Formalis* conſiſtit; α *non* in quadam *Deitatis Tranſlatione*, ob ejus Omnipræſentiam impoſſibili, niſi ad ejus in Carne Manifeſtationem reſpiciatur, ut tamen verè de *Eadem Perſona*, non Natura, quæ deſcendit Adſcenſus prædicetur *Eph*. IV. 10. β non in *Corporis* Corruptibilis cum Incorruptibili & Spirituali in cœlum illato *Mutatione*, quam ex hypotheſi mala notata §. XXII. & contra Chriſti noviſſimo die dandum Conſpectum fingunt *Sociniani*; γ non in *Diſparitione*, & mera *Status Mutatione* per additam gloriam, quam urgent contra Corporis Humani Naturam & vim Phraſium *Lutherani* Ubiquitiſtæ, ob ſuam Conſubſtantionem, faventibus haud parum *Papiſtis* per ſuam πολυτοπίαν; δ ſed in vera ejuſdem *Naturæ Humanæ* ſuſcitatæ *Tranſlatione* ex Loco Infimo ad Supremum. Quod probatur; α ex *vocibus* Loci Mutationem notantibus, ἀναλήψεως, διαστάσεως, ἀναφορᾶς, ἐπάρσεως, *&c.* quibus hic utitur Spiritus; ϐ ex notato *Termino A Quo*, Terra, quam non viſibiliter tantum ſed prorſus reſpectu Humanitatis reliquit *Matt*. XXIV. 26. 27. XXVI. 11. *Joh*. XVI. 28. & *Termino Ad Quem*, Cœlo Supremo *Marc*. XVI. 19. *Joh*. XIV. 2. 3. *Act*. III. 21. *Eph*. I. 20. *Col*. III. I. *Hebr*. VI. 20. *&c.* quod Verum eſſe Locum docuimus *Cap. VIII.* §. *XXIV.* γ ex *Medio*, tum *per quod* tranſiit, *Cœlis* ſc. Viſibilibus *Eph*. IV. 10. *Hebr*. IV. 14. VII. 26. tum *quo* uſus eſt, voluntariò ad ſui ſublevationem, declarato ſic Dominio Abſoluto *Pſ*. CIV. 3. & ad Proſpectum Diſcipulorum cohibendum, *Nube* ſcilicet; δ denique ex *Diſcipulorum Conſpectu*, qui in Diſparitione nuda obtinere non potuiſſet. Nec obſtant; α vel *Loca*, quæ *Præſentiam* Chriſti Gratioſam *in his Terris* declarant *Matt*. XXVIII. 20. [1] *Apoc*. I. 13. [2] ad Divinitatem magis quam ad Humanitatem pertinentia; β vel quæ *Adſcenſum* ejus deſcribunt, ut *Abitum ad Patrem*, ut *Cœlis Sublimiorem*, & factum *ut Omnia Impleret*, *Joh*. XIV. 28. *Hebr*. VII. 26. *Eph*. IV. 10. &c. cum Pater Omnipræſens in Cœlo habeat

Thro-

Thronum, Supremum Cœlum omnibus Visibilibus sit superius, ac Omnium Impletio non contradictoriè ad OmniPræsentiam Localem, sed ad Gratiam, Munera, & Vaticinia, spectet; γ vel quæ ab hominibus *Terrestribus Visum Christum* dicunt *Act*. VII. 56. IX. 27. *&c.* quod scilicet factum est, aut per Raptum in Cœlum, aut per Aciem Visus mirabiliter Protensam, aut per Emblema aliquod & Speciem Christi gloriosi, [2] nec ulla cum specie Ipsum perpetuo in Terris ubique præsentem ponit; δ vel incognita Cœli Supremi Constitutio, Distantia Immensa, Seculorum plurium iter exigens, & Via Impervia, cum esse illud Supremum & Gloriosum Dei Domicilium probè noverimus, Corporis Gloriosi Agilitas sit summa, Astrorum illâ haud minor, nec quidquam Divinæ Potentiæ sit impervium, Viæ Cœli difficultate per Aquas Supralunares ab *Ubiquitistis* frustra quoque adaucta.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XLVI. P. V.

XXIX. Accedunt *Modus* ac *Circumstantiæ* Adscensionis; quorsum facit. α Tum *Nubes* Christum suscipiens, de qua supra. β Tum *Consortium* Christi adscendentis; quod fingunt *Pontificii* constituisse *ex Limbo Infernali* liberatas *Animas Fideles*, sed quod verius alii conjiciunt fuisse *Sanctos Suscitatos* ex *Matt.* XXVII. 53. [1] non spectante huc tamen textu *Ps.* LXVIII. 19. [2] γ Tum *Tempus*, generatim interjectâ post Resurrectionem *Mora aliqua*, ad Confirmationem, Instructionem, & Benedictionem suorum, & speciatim spatio *Quadraginta Dierum*, quod in Mose, Elia, Christoque ipso, Exhibito in Templo, & Tentando in Deserto, ac Horarum Mortis ejus Numero circiter quoque, velut designatum erat. δ Tum tandem *Locus*; generatim Terra *Judæa*, & *Mons Oliveti*, ubi antea angustiâ fuerat pressus, præsentissimaque Spiritus mittendi erant emblemata; speciatim verò respectu Distantiæ ab Urbe Jerosolyma *Incognitus*, cum Mons Oliveti longius protensus, respectu primæ Altitudinis Notabilis *ad Iter Sabbathi Act.* I. 12. [3] sive *Quinque* sive *Septem Stadiorum*, respectu vero Præcipuæ Altitudinis & Termini Ultimi longius ab Urbe distare potuerit, Vicus etiam *Bethaniæ* Quindecim Stadiis ab Urbe distans *Joh.* XI. 18. cum Tractu ad eum pertinente non debeat confundi, nec tandem Christum *in Bethania* adscendisse, sed eousque Discipulos duxisse, regressu qualicunque non negato, narret Lucas *Cap.* XXIV. 50. [4] Fabulosa vero plane est Narratio *Veterum*, de

Modus & Circumstantiæ Adscensionis adducuntur. Difficultas circa Locum discutitur. Fabula de Vestigiis Pedum Christi in Monte Oliveti.

Vestigiis Pedum à Domino adscendente Monti impressis, quæ nec Lapidibus nec Tecto Superiori tegi potuerint in exstructo ab Helena Templo, sintque ex parte hodie secundum *Papistas* reliqua. Qua de re tacet *Eusebius*, Templi Structuram describens, cum Coætaneis, nugantur vero Superstitionibus magis addicti sequentis ætatis Patres; partim per παρερμηνείαν manifestam locorum *Psal.* CXXXII. 7. & *Zach.* XIV. 4.[5] partim ob malè intellectum *Eusebium*, ubi ἴχνια σωτήρια nominans intelligit Terram Judæam, calcatam à Salvatore, etiamque ut Suggestum & Altare ejus meritò consideratam. Nec hodiernas quæ monstrantur illic imposturas multum curamus.

[1] *Exerc. Text.* XXXIII. P. III. [2] *Exerc. Text.* XVIII. P. III. [3] *Exerc. Text.* XLI. P. IV. [4] *Ibid.* [5] *Comm. in Loc.*

Adscensionis Christi Fructus.

XXX. *Usus* Adscensionis Fidelium respectu magnus est; qui sic α instruuntur de Cœlesti Mansione & Gloria, tum tribuenda Christo, tum quærenda quoque in ipso; β & Consolationem accipiunt certam, intuitu Christi, ex Cœlo omnia inferiora Videntis, ibidem pro nobis Intercedentis, inde Dona in nos Effundentis, ibi locum nobis Parantis, & illuc certò nos ut membra sua, secundum Animam & Corpus, olim ad se Translaturi.

Tertius Gradus est Sessio ad Dextram Dei; ubi phrasios discrimen notatur.

XXXI. *Tertius* porrò *Gradus* Exaltationis venit nomine *Sessionis ad Dextram Dei*. Ubi non unum phrasios notari debet discrimen; dum α quandoque Dextræ *Dei*, quandoque Dextræ δυνάμεως, μεγαλωσύνης, θρόνου τῆς μεγαλωσύνης, θρόνου τοῦ θεοῦ, hic mentio est; β quandoque ponitur ἡ δεξιὰ *Dextra*, manus sc. quandoque τὰ δεξιὰ *Dextræ*, partes; γ promiscuè effertur ἐν δεξιᾷ & ἐκ δεξιῶν; δ tandem dicitur Christus, & *Esse* ad Dextram Dei, ad notandam ejus rei Perpetuitatem, & *Stare*, ibidem ob Promptitudinem Auxilii suis concedendi, & *Sedere*, tum ob Æternitatem rei, tum ob Quietem à labore exantlato, tum ob Dignitatem Christi summam & verè Regiam. Quin & phrasis hic non tantum adhibetur Passiva, *Collocationis*, cum relatione ad Patrem exaltantem, sed & *Consessionis*, intuitu proprii Juris & Potentiæ Christi. Vide loca plura *Matt.* XXVI. 64. *Marc.* XVI. 19. *Act.* VII. 55. 56. *Rom.* VIII. 34. *Eph.* I. 20. *Col.* III. 1. *Hebr.* I. 3. VIII. 1. X. 12. XII. 2. 1 *Petr.* III. 22.

Sessionis hujus Necessitas.

XXXII Erat Sessio hæc omninò *Necessaria*; α ob nostræ Salutis Perfectionem; β æternam Filii Majestatem Meritumque Exi-

Eximium; γ summum Patris in Filium Amorem; δ Præfigurationem denique Typorum, uti Josephi, Davidis, &c. magnopere exaltatorum, nunquam tamen ad Dextram Dei collocatorum *Hebr.* I. 13. ac Veritatem Prædictionum, tum Christi ipsius, tum Davidis *Matt.* XXVI. 64. *Psal.* CX. I.[1] quorsum & non ineptè prorsus refertur *Psal.* LXXX. 18.

[1] *Exerc. Text.* XVIII. P. II.

XXXIII. *Verissimè* quoque ea Christo tribuitur; α præeuntibus Apostolis, uti supra visum est; β & Domino in hac gloria se Conspiciendum dante, tum Piis *Act.* VII. 55. 56. *Hebr.* II. 9. tum etiam Impiis, per Opera Magnifica, & per habendum olim Judicium Universale *Matt.* XXVI. 64. Veritas ejus.

XXXIV. Male illius *Natura* constituitur. I. A *Lutheranis*, sive directè sive indirectè, *in Divinæ Potentiæ & Omnipræsentiæ* in Humanam Naturam *Transfusione*. Cum α Sessio hæc nusquam ad Naturam Humanam restringatur, nec ex rei natura restringi possit, uti pessimè eidem pertendunt; β non sit hic consideranda significatio *Dextræ Dei* alibi obvia *Exod.* XV. 7. *Psal.* XLIV. 4. LXXVII. II. *Jes.* XLVIII. 13. *&c.* sed integræ phrasios, *ad eam sedendi*; Sedens *ad Dextram Dei* Omnipræsentiæ non magis ejus, hoc sensu phrasi intellectâ, quam Æternitatis fiat particeps, uti Adjacentes Mari aut Fluvio Urbes non ejusdem cum Mari aut Fluvio sunt extensionis; δ Sessio denique hæc cum Adscensione in Cœlum jungatur. 2. A *Socinianis* nonnullis, aliisque, in *Favoris Divini Gloriæque Cœlestis Participatione*, *coll. Psal.* XVI. 8. CX. 5. *Matt.* XXV. 33. *Apoc.* III. 12. Cum α hæc aliis præter Christum sint communia, & Favorem sustentantem Patris jam in hac terrâ sit ille expertus; β phrasis *habendi Deum à Dextris*, & Considendi ab ipsius Dexteris, multum differant; γ uti *Constitutio à Dextris Christi* in habendo Judicio, & *Participatio Throni Christi* qualiscunque, huc quoque non spectant. 3. A *Socinianis* vulgo, & *Pontificiis* paucis, *in Dignitate Majori quam Divinâ*. Quæ mente concipi non potest, nedum nudo homini tribui; hinc æquè malè elicitur, ex *Judicio Omni Filio dato Joh.* V. 22. utique absque detrimento Gloriæ Paternæ, & *Futura Filii Subjectione* I *Cor.* XV. 28. quæ Obedientiam ejus præsentem non evertit, quam ex *Dextræ Honorato præ Sinistra Situ.* Ad quem nodum solvendum; α non est confugiendum cum *Papistis* variis, aliam de *Petri supra Paulum* ἐξοχῇ ac *Romani Pontificis Principa-*

Non consistit in Communicatione Omnipræsentiæ. Neque in Favoris Divini Participatione. Neque in concessa Majori, quam Divina, Dignitate. Quæ ex Dextra præ Sinistra Honorabili non potest elici. Neque tandem in Æquali cum Patre Gloria & Regno.

cipatu hypothesin simul sic stabilituris, ad postulatum precarium de *Sinistra olim Honoratiori habita*, quod, nè de moribus *Romanorum* magis hinc alienis ac ab aliis notatis dicamus, adversum est Scripturis *Gen.* XLVIII. 13. 18. 19.[1] *Job.* XXX. 12. *Eccl.* X. 2. *Matt.* XXV. 34. *Gal.* II. 9. *&c.* & rationi ob Dextræ majorem Agilitatem & Meridionalem situm; β non etiam cum aliis *Antiquis* & *Recentibus* fingenda allusio *ad Simulatos Hominum Mores*, qui, majores licet sint vere & opinione sua, Extraneis aut Hospitibus aliis Dextram sæpe cedunt, quique Deum dedecent, nec circa Christum commodè exerceri potuerunt; γ sed notanda *Regum Consuetudo*, juxta quam ab utroque latere hi claudi solent, *coll. Matt.* XX. 21. XXV. 33. I *Reg.* XXII. 19. *Psal.* XLV. 10.[2] *&c.* & Thronos habent reliquis eminentiores, quibus à Dextrâ sedentibus quoque præferantur, *coll.* I *Reg.* II. 19. 4. A variis *Scholasticis*, Aliisque, in *Æquali ejusdem cum Patre Gloriæ & Gubernationis Participatione.* Cum α hunc semper habuerit Christus, Sessionem non item; β competat illa æquè Spiritui quam Filio, dum Sessio huic peculiaris est; γ nec sic in Participationem venire queat Humana Natura. Uti in adversum, præter Historiam omnem, & Symboli naturam, ac Scripturæ Christo ipsi Sceptrum tribuentis phrasin, à nonnullis nimis ridicule huc adductus est Sceptri Medius inter Duos Situs, dum à Sinistris Sedens Unus illud Dextra teneat.

[1] *Comm. in Pentat.* [2] *Anal. Exeg. post Cant.*

Sed in Gloriosissimo Θεανθρώπου Statu, & Diffusissimi Regni Administratione Magnifica.

XXXV. Positivè itaque *Sessio* hæc notat *Summam Christi* Θεαν-θρώπου *Majestatem, in gloriosissimo Personæ Statu, ac illustrissima Regni latissimè extensi Administratione conspicuam.* Uti hæc descriptio liquet; α ex ipsa phrasi, à Regum Principumque Pompa indubie desumpta; β & explicatione lecta *Psal.* CX. I. 2.[3] *Act.* II. 34. 36. V. 30. 31. I *Cor.* XV. 25. *Eph.* I. 20. 21. *Phil.* II. 9. 10. I *Petr.* III. 22. *Hebr.* II. 7. 8. 9. *Apoc.* I. 18.[4] III. 21.[5] *&c.* Ut non sit illa consequenter restringenda cum *Lutheranis* ad *Humanam Naturam*, vere per Dona Animæ & Corporis copiosissima ac exercitum in illa Imperium, quousque finita id patitur natura, ejus tamen participem; dum fundamentum suum cum universo Mediatorio munere præcipuè habet in Persona τοῦ Λόγου. Ut non sit etiam simpliciter *Essentiæ Divinæ*, cum hæc Tribus sit communis, sed tamen *Personæ Divinæ*, cum finitum

in-

infinitæ hujus gloriæ non magis quam laboris prærequisiti capax sit.

[3] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Loc.*

XXXVI. Sessionis hujus *Duratio.* 1. *Repetenda* non est, vel α *ab omni Æternitate*, cum *Pontificiis* quibusdam; licet qua Filius apud Patrem fuerit, omnemque Plenitudinem Gloriæ in se habuerit, *Joh.* I. 1. XVII. 5. *&c.* vel β *ab Incarnationis momento*, cum nonnullis *Lutheranis*, licet tum velata adfuerit Divina Majestas, & Regnum possederit, *Matt.* II. 2. sed γ ab Adscensione, secundum ordinem ubique in Scriptura servatum locis adductis §. *XXXI.* & Gloriæ hujus ut Mercedis consequentis cum Passione connexionem obviam *Luc.* XXIV. 26. 2. *Extendenda* vero *in omnem* planè *Æternitatem*; secundum α loca *Hebr.* VII. 16. X. 12. *Apoc.* VII. 10. 17.[6] β naturam Regni ejus, monstratam *Cap.* XX. §. XXXII. γ vim verbi *Sedendi*, δ quin & locum ipsum opponi solitum *Psal.* CX. 1.[7] siquidem Hostibus subjugatis, Nullum auferendæ Dignitatis Periculum superest. Sessionis hujus Initium & Duratio.

[6] *Comm. in Loc.* [7] *Exerc. Text.* XVIII. P. II.

XXXVII. *Utilitas* vero ex hac Sessione, non minor quam ex prioribus Gradibus, ad Fideles descendit; dum hinc discunt, α Exaltatum tantopere Regem *amare*, *revereri*, *&* *audire* decenter, β simulque in omnibus Adversis & mediis Hostibus, ex quibus ipse est eluctatus, nunc factus eorum Moderator & Vindex, ac plenæ Beatitatis Diribitor, cum Fiducia similis gloriæ consecuturæ, *ad ipsum*, ut Paracletum, Dominum, Maritum, Caputque, *confugere.* Utilitas hinc ad nos fluens.

XXXVIII. Patefiet porrò hæc Gloria Capitis nostri, omnibus etiam impiis, luculentissime in *Novissimo Judicio*, cum Sessione hac meritò connexo *Matt.* XXVI. 64. *Marc.* XIV. 62. De quo, latius dein declarando, hic tantum notamus; α habendum illud esse *à Christo Matt* XXV. 31. *Joh.* V. 22. *Act.* I. 11. X. 42. XVII. 31. 2 *Cor.* V 10. 1 *Thess.* IV. 16. *Apoc.* I. 7.[1] *&c.* non obstante, vel *Judicio Dei*, quod in Filio habetur, vel Christi negatione *Joh.* VIII. 15. quæ restricte de isthoc Præsenti Tempore vel Judicio *secundum Carnem* intelligi debet; & β quidem Θεανθρώπῳ, secundum loca adducta, Divinâ Omniscientiam Potentiam & Autoritatem, Humana Visibilitatem, piis gratam, impiis terribilem, & Sen- Quartus Gradus Exaltationis est habendum olim Judicium.

 ten-

tentiæ Dictionem, adductura; γ etiam *in Præmium* Luctæ & Exinanitionis prioris, quod indicatur *Joh.* v. 27. ubi ὅτι Demonstrativum simul & Causale est, ac nomen *Filii Hominis* præter Naturam Exinanitionem notat; δ esseque illud pariter *summe Gloriosum Christo Joh.* v. 28. 29. *Matth.* 30. xxv. 41. *&c.* uti præter Opus judicandi, Vox præcedens, Comitatus Angelorum, & Circumstantiæ omnes quoque docent, & *Optabile Piis*, suam liberationem hostiumque deletionem meritò ab hoc Judice exspectantibus *Rom.* II. 5. VIII. 19. 23. *&c.*

[3] *Comm. in Loc.*

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De Officiis Fæderis Gratiæ, Fide scil. & Resipiscentia.

Officia seu Conditiones Fœderis Gratiæ quales non debeant admitti.

POst Mediatoris *Munera*, ac *Status* ad ea exsequenda necessarios, explicanda sunt *Fæderatorum* hominum OFFICIA; quæ Deus stipulatur, quæque ex modo propositionis in Scripturâ obvio alias CONDITIONES quoque dici solent. Ubi ad evitandam λογομαχίαν, quæ etiam hodie inter Theologo nostros obtinet, & ad arcendum omne *Pelagianum* Adversariorum virus, notari debet, procul hinc removeri debere *Officia*, & *Conditiones*; α quæ *Præstantur Propriis Viribus*, cum ob Hominis Impotentiam Omne Bonum Deus in hoc Fœdere operetur & promittat *Jer.* XXXI. 33. *Ezech.* XXXVI. 26. 27. *&c.* β quæ sint *Dubiæ* & *Incertæ*, cum Fœdus hoc sit Testamentarium, ejusque Promissum bonum Inamissibile *Rom.* XI. 29. VIII. 29. 30. *&c.* γ quæ principalem *Conditionem Plenæ Obedientiæ* Legis, in Fœdere Operum præscriptam, plane *Evertant*, cum ea ob Dei Veritatem munusque Mediatoris invariata maneat, alteri tantum Personæ ut Vadi incumbens; δ quæ tandem præstitæ *Fundamentum* sint *Juris ad Vitam*, & Causa eam petendi, quod Fœderi Gratiæ, & Justificationi gratuitæ, & Redemptioni ac Satisfactioni Christi, prorsus adversatur. Ut hic *Officia* nihil aliud sint, quam; *Opera ab homine Fœderato exacta ad Gratiæ omnis & Gloriæ beneficiorum Communionem ac Certitudinem obtinendam.*

II.

II. Istius modi *Officia*, vel *Conditiones*, negare certè non licet; α per evidentia & innumera loca, quibus *Præcepta* legimus, & *Conditionatè* proposita, cum *Promisso* salutis, *Jes.* XLV. 22. LV. 1. *Matt.* XI. 28. *Marc.* I. 15. *Act.* XVI. 31. *Rom.* X. 9. *&c.* β per naturam *Fœderis*, quod non tantum cum Christo sed & cum Electis erectum est, ac Stipulationem infert; γ per Nexum denique certum inter præscripta Opera & Dei Beneficia, ad quæ ipsa non magis, quam ad illorum certitudinem, absque præstitis Officiis unquam pervenitur. Neque debet opponi; α vel *Definitio Conditionis*, quod sit *Actio*, *quæ præstita homini Jus dat ad Præmium*, cum talem nemo Orthodoxus hic admiserit, nisi admodum *impropriè*; β vel nomen *Testamenti*, cum quo aliud *Fœderis* est conferendum, & in quo etiam Officia quædam præscribi possunt; γ vel *Euangelii*, ut in Meris Promissionibus consistentis, *à Lege distinctio*, cum illud latius & strictius sumi constet ex *Cap.* XVII. §. VII. atque pro *Doctrina Fœderis Gratiæ* sumptum, Officia Lege Morali generatim mandata, sed hic exposita, nequaquam excludat; δ vel denique *Fœderis Gratiæ Propositio absque ullis Mandatis Jer.* XXXI. 33. XXXII. 38. 39. 40. *&c.* quæ ibi tamen etiam proponuntur implicite, cum de *Lege* ejusque *Observantia* & Deo *pro Deo habendo* agitur, atque alibi magis explicite adduntur, & quæ Deus illic tantum *Promittit* se quoque virtute sua in suis velle efficere, quod apud Orthodoxos est ἐξαγώνιον, nec horum vel Officium vel Opus evertit. Unde tamen eas plane negare non decet.

III. Sunt illa potissimum duo, *Fides* sc. & *Resipiscentia*; quæ quandoque separatim proponuntur *Jes.* XXVIII. 16. *Marc.* XVI. 16. *Joh.* III. 16. *Act.* XVI. 31. *&c.* *Matt.* III. 2. *Luc.* XIII. 5. XV. 10. *Act.* II. 38. III. 19. XI. 18. *&c* uno Officio aliud tum non excludente, sed vere, seu ut Partem, seu ut necessariò Connexum, includente; quandoque junguntur *Marc.* I. 15. *Act.* XX. 21. *&c.* Estque de his generatim notandum; α illa sic *Lege* implicite *mandari* in præcepta Universali Dei Obedientia, ut tamen in *Euangelio* solo *exponantur*, ejusque Objectum Modus & vera Ratio declaretur; β esseque illa sic tempore simul, variorumque Actuum mutua in homine Mixtura, ut inanis sit *Pontificiorum* aliorumque disputatio, non minus de eorum Ordine, quam vera Distinctione. Officia hæc sunt Fides & Resipiscentia.

IV. A FIDE, uti vulgò fit, inchoamus; quam vocem derivant,

vel

Fidei Nomina & Homonymia.

vel à *fit dictum*, vel à *fido* & porrò Græcorum πείθω, unde illi πίστιν quasi *persuasionem* dicunt, ficuti Hebræi אמונה / & אמת / à אמן / vel sensu *stabilitatis*, vel *portationis* qualis est nutriciorum *Num.* XI. 12. *Jes.* LX. 4. LXVI. 12. *&c.* Sumitur autem; α vel *Objectivè*, pro ea *quæ creditur*, re vel doctrina, *Gal.* I. 23. III. 23. 1 *Tim.* IV. 1. *Jud.* 3. *&c.* quò significatus *Veracitatis* quoque pertinet *Rom.* III. 3. 1 *Tim.* V. 12. *&c.* β vel *Subjective*, pro ea *quâ creditur*, quæque generatim, Scientiæ & Conjecturæ opposita, est *Persuasio de Veritate rei*, *alterius Testimonio nixa.* Dividiturque tunc iterum in *Fidem Humanam*, & *Divinam*; quæ generali ista notione, neque *Homini Integro*, propter erectum cum eo Fœdus, neque ipsi *Christo* potest denegari, de Patris promissionibus certo, atque in eo confidenti, secundum notata contra *Pontificios Cap.* XIX. §. XXII.

Dicitur vulgo rectè Quadruplex.

V. Ad lapsum hominem vero *Fides* restricta, vulgo & rectè *Quadruplex* dicitur; sive *Distinctione Vocis* ambiguæ in significata varia, si significatum principale hic attendendum respiciamus, sive etiam *Divisione Generis in Species* æquivocas vel analogas, si ad significatum generale recurramus, non obstante solo *Singulari Vocis* apud Grammaticos *Usu*, qui Specierum non magis, quam Individuorum Habituum & Actuum Multitudini obstat. Atque est *Species* hæc *Quadruplex*, verè, sive in Objecto, sive in Formali Actu, uti in Subjectis quoque quibus inest, ita *Distincta*, temerè licet id negent *Papistæ*, atque Apostasiæ Sanctorum Patroni omnes; ut tamen vera *Fides Salvifica* species alias in Electis *formaliter* vel *eminenter complectatur*, sit adeò in his tantum *Una*, quæ à variis Actibus & Objectis variè denominatur.

Fides sc. Miraculorum, Activa & Passiva.

VI. *Prima* species dicitur *Fides Miraculorum*, quod consistat in *Persuasione de Miraculo à nobis vel in nobis patrando*; unde *Historica* quodammodo dici quoque potest, ut ad rem gerendam respiciens. Estque hæc. Tum α *Activa*, ubi *à nobis* Miraculum futurum credimus; de qua agitur 1 *Cor.* XIII. 2. *Luc.* XVII. 6. *Matt.* XVII. 20. *&c.* Parœmiali & Conditionato Salvatoris sermone in *Emblematicam Prophetiam*, *de Fato Judæorum*, *Gentilium*, *Anti-Christi*, *&* *Mundi* totius novissimo, nequaquam hic mutando. *Non* debet autem hæc Fides credi; *cum Salute* esse certo *Connexa*, ex *Matt.* VII. 22. X. 1. *&c.* neque *Necessaria* etiam vel *Decens*, ubi Dona Extraordinaria Spiritus cessant, ac Revelatio nulla ge-

generalis vel specialis est facta Divinæ voluntatis Miraculum producendi, Promisso quod legitur *Marc.* XVI. 17. restrictè aut emblematicè intelligendo. β Tum *Passiva*, ubi *in nobis*, vel *circa nos*, Miraculum exspectamus; de qua agitur passim *Matt.* VIII. 10. IX. 2. *Joh.* XI. 40. *Act.* XIV. 9. *&c.* Quæ iterum *non* debet statui; per se *Salutaris*, ex *Luc.* XVII. 17. Remissione aliunde fluente *Matt.* IX. 2. *&c.* neque *Necessaria* vel *Decens* absque Divina Revelatione; neque tandem *Absolute Necessaria* ad Miraculi patrationem, ex exemplo Obsessorum hominum, & Inanimatorum quoque, licet hanc vulgò exegerit Salvator in sanandis, ac per eam se illi obtulerint homines, quo utroque sensu in non Credentibus Christo *Impotentia* tribuitur *Marc.* VI. 5. *coll. Matt.* XIII. 58.

VII. *Altera* species *Fides* est *Historica*, sic dicta, quod *per illam Verbum Dei Historicè pro Vero habeatur*, *sive totum sive ex parte*, sive professio externa adsit sive absit; alias etiam appellata recte *Dogmatica*, *Theoretica*, & *Nudi Assensus*. Dum tamen non est rejicienda appellatio *Fidei Historicæ*, quasi; vel α Nomen illud *ad solas* spectaret *Historias*, Vaticiniis, Præceptis, Minis, alisque omnibus exclusis; vel ϐ persuasionem in *Historiographi* humana autoritate fundaret. Agitur de hac *Joh.* XII. 42. *Act.* XXVI. 27. *Jac.* II. 19. *&c.* & immediatè quoque cum respectu ad *Persuasionem Divinæ Complacentiæ Rom.* XIV. 22. 23. Non infert *Voluntatis Amplexum*, ob *Judicii Intellectus*, Theoretici & Practici, Absoluti item & Comparati, *Discrimen* frequens. Est tandem plane Necessaria hæc ad Fidem Salvificam & ad Salutem ipsam. — Fides dein Historica.

VIII. Fides *tertio* est *Temporaria*, seu πρόσκαιρος, *per quam homo agnitam Veritatem Euangelii etiam cum Gaudio aliquo & externo Fructu amplectitur*; alias dicta quoque *Simulata* & *Hypocritita*, latiori sensu ob externam Veræ Fidei Professionem, ac *Præsumptuosa*, ob salutem temere per hanc ab hominibus sibi adscriptam. Dum tamen rejicienda non est prior appellatio, ob ejus in multis ad mortem Perseverantiam; quoniam tunc utique hominem deficit, & deficere antea potuit, sua naturâ neutiquam radicata. Agitur de hac *Matt.* XIII. 20. 21. *Marc.* VI. 17. *Joh.* V. 35. *Hebr.* VI. 4. 5. 6. *&c.* & differt illa à Fide Salvifica non equidem *Nuda Duratione*, uti contendunt omnes Perseverantiæ — Fides tertio Temporaria

Fidelium hostes, sed amplius; α *Principio*, quod est hic Gratia, non verè salutaris, & interna Convertens Spiritus Sancti, sed Communior, & externum Verbi decus; β *Actibus*, *Notitiæ*, quæ est hic exterior, *Assensus*, qui est levior, *Fiduciæ*, quæ est inanis; γ & *Effectis*, veræ internæ atque Euangelicè perfectæ Sanctitatis, qui hic desunt. Hæc verò non nisi *Eminenter*, respectu Boni quod in ea est, commendari potest.

[1] *Exerc. Text.* XLVII. P. III.

Fides quarto Salvifica, quæ definitur.

IX. Tandem *Fides*, de qua hic propriè agitur, est *Salvifica*; sic dicta, ob fructum Salutis certum *Joh.* III. 16. 1 *Petr.* I. 9. *&c.* alias quoque *Justificans*, *Vera*, ἀνυπόκριτος, *Viva*, *per Charitatem Efficax*, *cor Purificans*, *Sanctissima*, *Pretiosa*, *Electorum*, *&c. Rom.* V. 1. *Jac.* II. 26. 1 *Tim.* I. 5. *Gal.* V. 6. *Act.* XV. 9. *Jud.* 20. 2 *Pet.* I. 1. *Tit.* I. 1. *&c.* Quæ cum per professionem externam pateat, vel pro hac ipsa quoque ponitur, vel ob hanc ex judicio charitatis hominibus tribuitur *Rom.* I. 8. *Act.* XI. 21. *&c.* atque iterum in *Actualem* & *Habitualem* commode dividitur, absque unius tamen ab altera indecenti separatione. Definimus verò illam; *Mentis Habitum, Electis à Spiritu per Verbi & Sacramentorum ministerium inditum, quo Verbum Dei, Euangelium in eo revelatum, ejusque Promissiones, hi agnoscunt, amplectuntur, & sibi cum fiducia applicant, ad salutem, justitiam, veram sanctitatem, & tranquillam animæ spem.*

Est hæc Habitus. Et quidem Mentis.

X. Generatim dicimus esse *Habitum*, & quidem *Mentis*; ut α radicem permanentem ab actu transeunte nec semper præsente distinguamus, uti fit in Scientia, Amore, & Virtutibus omnibus, viamque sic præcludamus Pelagianis *Remonstrantium* hypothesibus, secundum Scripturam *Marc.* XI. 22. *Col.* I. 23. II. 5. 7. 2 *Tim.* I. 5. *&c.* nomenque πιστῶν *Fidelium*, quod ad actum solum minimè respicit *Act.* X. 45. 2 *Cor.* VI. 16. *Eph.* I. 1. *Col.* I. 2. *&c.* haud admittendis hic Regulis Scholasticis, de *Habitibus per frequentes Actus tantum acquisitis*, *nec Cadentibus sub Præceptum.* β Ut Sedem ejus notemus esse; non *Corpus*, per quod tamen ejus fit Professio & Demonstratio; nec præcisè *Facultatem* unam, *Intellectus*, vel *Voluntatis*, uti prò hac vel illa vario scopo *Nostri* cum *Scholasticis* & inter se quoque pugnarunt; sed *Animam*, Intellectus pariter & Voluntatis ratione, præeunte Scriptura *Act.* VIII. 37. *Rom.* X. 9. 10. *Eph.* III. 17. *&c.* & ducente nos illuc

Actuum

Actuum Fidei diversorum natura; per quos diversis ejusdem Animæ Facultatibus una Fides, æquè quam Justitia Originalis, tribuitur. Nec dissentiunt *Nostri*, nisi ex Fidei strictiori acceptione pro uno alterove ejus Actu.

XI. Specialius est Habitus *Electorum*; α *Solorum* *Act.* XIII. 48.[2] *Tit.* I. 1. *Apoc.* XVII. 14.[3] non Omnium Hominum 2 *Thess.* III. 2. cum iis solis competat eam operans Gratia Spiritus *Joh.* VI. 44. VIII. 47. *&c* & Fructus Fidei certa Salus; & β *Omnium*, absque discrimine etiam Oeconomiæ Vet. & N. T. secundum genneralia dicta *Joh.* III. 36. *Hebr.* XI. 6. *&c.* specialia de Patribus testimonia *Matt.* XIII. 17. *Act.* XV. 11.[4] quin & nonnullorum adducta Exempla *Joh.* VIII. 56.[5] *Rom.* IV. 18. *Hebr.* XI. 9. 13. 24. 39. & propriam de se Confessionem 2 *Sam.* XXIII. 5[6]. *Job.* XIX. 25.[7] *&c.* Quamquam enim negare nec possimus nec velimus *Differentiam qualemcunque*, in α *Objecto*, olim ἐπαγγελίᾳ Christi Venturi Obscuriori, hodie Euangelio Adventus ejus Clarissimo, ϐ ac *Actibus*, Cognitionis minus distinctæ, Amplexus magis mediati per Sacrificia, ac Fiduciæ minus consummatæ vulgo, in minori Spiritus mensura, & in frequentius audita Maledictionis denunciatione: non tamen *Fidei Illorum cum Nostra Unitas* est neganda, vel quoad *Objectum*, Gratiam Christi Euangelicam, uti fit ab *Adversariis* variis, refutatis *Cap.* XVII. §. XI. & XII. β vel quoad *Autoritatem Divinam*, qua sola semper illa omnis nititur, secundum dicta contra *Recentiorum* phrases *Cap.* XX. §. XXXVIII. γ vel quoad *Actus* ipsos, sicuti *Recentiores* etiam quandoque magis eos *sperasse* quam *credidisse* volunt, ex *Eph.* I. 12. & *Gal.* III. 23. 24 male sic opponentes *Spem & Fidem*, quæ semper, etiam in nobis hodiè, conjuncta, distincte ad Rem futuram ac ad Verbum Dei præsens referuntur, nec non Fidem *Objectivam*, Christum & Euangelium ejus, Legi manifestè à Paulo oppositam, cum *Subjectivâ* confundentes.

Qui Electis Solis & Omnibus competit. Licet sit discrimen aliquod inter Fidem Patrum & Nostram.

[2] *Exerc. Text.* XXXVIII. P. III. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XL. P. V. [5] *Exerc. Text.* XXXVIII. P. IV. [6] *Exerc. Textt.* IX. P. VI. [7] *Exerc. Text.* XII. P. I.

XII. Discrimen hic porrò nullum est Generis, Loci, Conditionis, Ætatis; nisi quod ordinariò *Infantibus* ante rationis usum *Fides* omnino videatur *deneganda*, tam *Habitualis*, ipsis ubi omnis Actus exulat frustra à *Pontificiis* tributa, quam *Actualis*, à La-

Infantibus ante omnem rationis usum Fides non est tribuenda.

Lutheranis vulgo asserta, nec à *Recentioribus* quibusdam *Nostris* ob Philosophicam de Anima hypothesin rejecta. Quod imperat; α tum *Cognitionis* omnis Rationalis in iis *Defectus*, *coll. Deut.* I. 39. *Jes.* VII. 16. *Jon.* IV. 11. *&c.* à qua non ut Principio, sed ut Subjecto & Instrumento, Fides pendet; β tum *Boni & Mali* Actualis omnis *Negatio Rom.* IX. 11. γ tum medii *Verbi* ad illos *negata Extensio*, *coll. Rom.* X. 17. cui hic Baptismus à juncto Verbo Efficaciam habens male substituitur; δ tum denique *Absentia Indiciorum* omnium Fidei & in prima illa & in sequenti majori ætate ante institutionem. Nec obstant; α Loca *Matt.* XVIII. 6. *Marc.* IX. 42. ubi, vel per τὰς πιςεύοντας innuuntur *Parentes* quorum sunt parvuli, vel παιδία, μικροὶ, & τὰ βρέφη notant *Pueros* infantiam supergressos, ex collatione textus 2 *Tim.* III. 15. & Vocatione, Constitutione, ac Scandalizatione memorata, haud obstante, aut eorum Oblatione, aut Ulnarum Christi Complexu; vel denique potius *Pueruli* intelliguntur *Humilitate*, ad quam suos illic monebat Dominus; β Exempla *Jeremiæ* & *Johannis Baptistæ Jer.* I. 5. *Luc.* I. 44. quorum illud alienum est, ob intellectam Segregationem ad Munus, hoc Extraordinarium plane, nec ita per omnia planum; γ *Nexus* necessarius *Fidei cum Salute*, & *Regeneratione*, Infantibus non neganda, *Hebr.* XI. 6. *Act.* IV. 12. XV. 9. *coll. Marc.* X. 14. 15. *Joh.* III. 5. *&c.* qui ad *Adultos* debet restringi, vel Fide Parentum sufficiente ad Infantum Salutem, ex *Act.* XVI. 31. & ex simili Imputatione Peccati Adamici absque illius Cognitione, vel Merito Christi ipsis, si ea ætate decedant, per Spiritum nobis imperscrutabili modo applicato; δ Praxis *Pædobaptismi*, quæ per Fidem & Intellectum rei Consequentem defenditur; ε *Laus Dei* ipsis adhuc *Infantibus adscripta*, utique non Subjective & Formaliter, sed Objective & Efficienter in aliis; ϛ denique *Natura Animæ in perpetua Cogitatione* consistentis, quam absque ullo solido argumento à priori aut posteriori supponunt, quæ absque Rationis Usu ad Fidem non sufficit, quam cum negato Rationis Usu nos conciliare non possumus, quæque non mox Cogitationes de Christo Spirituales infert, cum has per Verbum se ordinario ingenerare Deus declaret. Interim lubentes fatemur, & defendimus contra *Socinianos* & *Anabaptistas*, Infantibus Fidelium, Electis & maturè Sanctificatis, competere juxta Christi Meritum, *Spiritus*, pro capacitate in natura cor-

rupta restituenda laborantis etiam, *Gratiam*, quam Fidem *Seminalem*, *Radicalem*, *Habitualem* etiam minus propriè, nonnulli appellant.

XIII. Autor ejus omnino est *Deus Eph.* II. 8. *Phil.* I. 29. tum *Pater Joh.* VI. 44. (quo alii etiam referunt *vers.* 29. ubi tamen *Opus Dei* potius est Officium illi gratum,) tum *Filius Cant.* I. 4. *Joh.* X. 16. XII. 32. tum œconomicè potissimum *Spiritus S.* 1 *Cor.* XII. 3. 2 *Cor.* IV. 13. *&c.* Qui quidem *rationali modo* cum homine agit; per α *Verbum*, auditum à Præconibus, & lectum, tum *Legis* hominem præparantis, tum *Euangelii*, quod speciatim hinc *Verbum Fidei* audit *Rom.* X. 8. 9. β & *Sacramenta*, ad Verbi confirmationem addita, ac ad Fidem fovendam sic facientia, ut haud raro in primis Baptizatis in pueritia eam quoque ingenerent; γ & accedentia *Beneficia*, ac Supplicia; sed tamen insuper, α internè *Intellectum illuminat Psal.* CXIX. 18. *Act.* XVI. 14. 2 *Cor.* III. 17. 18. IV. 6. *Eph.* I. 18. *&c.* β *Obedientiam Fidei* arcano modo *suadet*, γ & *potenter* insuperabili *voluntatis flexione operatur.* Uti id ex hominis Lapsi ad Bonum omne spirituale Impotentia, asserta *Cap.* XV. §. XXVI. satis constat, ampliusque constabit, ex exponenda adhuc Divinæ *Vocationis* natura; ubi Objectiones quoque habebis solutas.

Autor Fidei Deus est, per Verbum quidem, sed etiam per potentem Gratiam Spiritus operans.

XIV. *Versatur* Fides circa 1. *Verbum Dei*; α *Solum*, exclusa omni Ratione & Autoritate Humana; β & *Omne*, quod hic consideratur respectu *Argumenti* simul & *Patefactionis* ejus, ac *Objectum* illius dicitur tum *Materiale* tum *Formale*, cuique ob Dei Veracitatem nulla ratione Falsitas inesse potest *Num.* XXIII. 19. 2 *Tim.* II. 13. *Tit.* I. 2. *Hebr.* VI. 18. *&c.* Quam ob rem non admittenda quoque hic est imprudens nonnullorum assertio, *Fidei Divinæ*, quâ tali scilicet, & nitenti Divina Revelatione ac Spiritus ductu, non verò respectu Infirmitatum & Humanæ Opinionis, *posse subesse quandoque Falsum*; quæ male stabilitur, α vel *Deceptione Deo* tributa *Jer.* IV. 10. quæ non ad Verbum ullum à Deo revelatum, sed ad Providentiæ illius in Mali Permissione arcana efficacem & judicialem Ductum spectat, *coll.* 1 *Reg.* XXII. 20. *Jes.* LXIII. 17. *Ezech.* XIV. 9. 2 *Thess.* II. 11. *&c.* β vel Exemplis *Adami Integri*, ex Propria Obedientia Salutem exspectantis, *Abrahami*, Filium Offerendum credentis *Gen.* XXII. *coll. Hebr.* XI. 18. 19. *Hizkiæ*, Mortem præstolantis ex Sententia

Objectum Fidei est Verbum Divinum, Solum & Omne, cui non potest subesse Falsum. Et quod hodie Scriptum est. Speciatim vero Euangelium.

Dei declarata *Jes* XXXVIII. ut alia mittam, cum nec credidisse hos Eventum talem absolute constet, imo potius contrarium, nec Fides illorum talis ulla Revelatione tunc, sed sola propria conjecturâ, fuerit nixa 2. *Scripturam*; & *α Totam*, quousque illa illiusque Divinitas homini patefit, absque Vet. & Novi Test. discriminatione *Anabaptistica*; *β* & *Solam*, in oppositione, tum ad Traditiones Orales, quæ post Mosis tempora fundamentum fidei esse cessarunt, tum ad Revelationes Novas & Peculiares, quibus post obsignatum Novi Test. Canonem non amplius est locus. Quod utrumque contra *Pontificios* ac *Enthusiastas* docuimus *Cap.* II. §. XXVII.... XXXI. 3. Speciatim denique *Euangelium*, quatenus id Christum illiusque plenam Justitiam, & Deum in eo Propitium, Peccatori offert. Unde phrasis varia; *α credendi Euangelio*, *Marc.* I. 15. *coll. Jes.* LIII. I. 2 *Thess.* II. 12. I *Joh.* V. 10. *β credendi in Christum* & *Nomen ejus Joh.* III. 16. 18. 36. XIV. I. I *Joh.* III. 23. V. 13. *&c. γ credendi in Deum Joh.* V. 24 *Rom.* IV. 3. 5. *Tit.* III. 8. I *Petr.* I. 21. *&c.* nullâ cum *Socinianis* hic tali fingendâ Christi & Dei Subordinatione, qualis est inter Homines nudos & Christum sive Deum ipsum *Exod.* XIV. 31. *Matt.* XXI. 25. *Joh.* V. 46. *Act.* VIII. 12. *&c.* sed intelligendâ eâ, quæ Mediatore Θεανθρώπῳ & Filio Dei digna est.

[1] *Comm. in Pent.*

Distinctio an sit admittenda inter credere Deum, Deo, & in Deum.

XV. Prorsus hic prætermittere non possumus antiquam distinctionem phrasios *credendi Deum*, *Deo*, *& in Deum*, secundum quam sic notantur; vel distincta *Objecta*, vel *Species*, vel *Actus* maximè Fidei, ut *credere Deum* sit persuasum esse de ejus Existentia, *Hebr.* XI. 6. *Jac.* II. 19. *credere Deo*, ipsius Verbo assentiri *Joh.* III. 33. *credere in Deum*, cum solida fiducia in ipso recumbere *Joh.* XIV. I. Quæ distinctio, si ad Latinam phrasin, in *Symbolo* Christiano hodiè observatam, (dum *credimus in Deum*, non *in Ecclesiam*,) licet forte minus puram, ejusque emphasin, respiciamus, satis est commoda: sed ex Hebræâ & Græca Scriptura non potest repeti, cum *α credere Deum* hic nusquam sic legamus, *β* atque ex permutatione Hebraica præfixorum ל & ב cum האמין/ constructorum *Psal.* CVI. 12. 24. *&c.* phrasis reliqua gemina hic permutetur *Ioh.* VIII. 30. 31. XIV. 11. 12. *&c.* adeò ut *credere Deo* aut *Christo* quandoque fidem cum fiducia junctam notet *Joh.* V. 24. *Act.* V. 14. XVI. 34. *Rom.* IV. 3. *&c. & credere* in

in eum simplicem magis assensum *Exod.* XIV. 31. *Jon.* III. 5. *Joh.* II. 23. *coll.* 24. *&c.*

XVI. Circa Objectum hoc suum *Triplici* versatur fides *Actu*, *Cognitionis* sc. *Amplexus*, atque *Fiducialis Applicationis*; frustra augentibus hunc numerum nonnullis, vel ex varia Scripturæ Phrasi, vel ex intercurrentibus Resipiscentiæ actibus, vel ex Spei ac Charitatis fructibus, quin & eundem frustra minuentibus aliis. *Cognitionem* primo nominamus; non *Evidentem* causisque cognitis nixam; neque *Perfectam* τῦ ὅτι & διότι, rei & modi omnis, adeoque *Parem* omni tempore & in omnibus, & *Universalem* omnium revelatorum; sed tantum *Qualemcunque* Euangelicæ Doctrinæ connexorum capitum, ac Revelationis horum à Deo in Scripturâ factæ, pro ætate Ecclesiæ & Spiritus mensura variam. Et hanc quidem *Fidei* dicimus *Actum*; non *Unicum*, quasi isthac sola positâ jam poneretur Fides; non *Præcipuum* & *Justificatorium*, cujus respectu Antecedens & Prærequisitus Actus dici debet; sed tamen *Essentialem*, quatenus absque ea non subsistit Fides, & illa ad hujus magis, quam alterius Habitus, ambitum in Electis pertinet, uti Substantia Animæ spiritualis est Pars Essentialis Divinæ Imaginis. Quod facilè probamus. 1. Ex obvia *Fidei descriptione*, tum in abstracto *Ies.* LIII. 11.[2] *Ioh.* XVII. 3. *Tit.* I. 1. 2 *Tim.* III. 7. *&c.* tum in credentibus personis *Ioh.* XIX. 25. *Ioh.* VI. 69. 2 *Tim.* I. 5. III. 15. *&c.* collata quoque cum generali Assensus & Persuasionis natura, quæ absque Scientia Rei & Revelantis Autoritatis non subsistit. 2. Ex *Modo ingenerandi Fidem*, per auditum & lectionem Verbi ac Spiritus institutionem, *Rom.* X. 14. 17. *Ioh.* V. 39. *Act.* XVII. 11. *Ioh.* VI. 45. *&c.* 3. Ex consequente *Fidei Confessione*, juxta ipsam necessaria, *Rom.* X. 9. 10. 1 *Petr.* III. 14. *&c.* 4. Ex repetita tam sæpe *Scientiæ Commendatione*, *&* *Ignorantiæ*, ut summopere indecentis & noxiæ, *Condemnatione*, in Votis pariter Promissis & Monitis, *Ier.* XXXI. 34. *Col.* I. 9. III. 16. 2 *Petr.* III. 18. *Psal.* XXXII. 9.[3] *Ies.* I. 3. *Hos.* IV. 6.[4] *Matt.* XXII 29. *Ioh.* IV. 10. 22. *Act.* XVII. 23. *Hebr.* V. 12. *&c.*

Actus Fidei Triplex, quorum primus est Cognitio.

[2] *Anal Exeg. Jes.* LIII. [3] *Exerc. Text.* XXII. P. V. [4] *Comm. in Loc.*

XVII. Adversantur potissimum *Papistæ*, post veteres *Gnosimachos*, qui ita palam commendant *Fidem Implicitam*, *Cæcam*, *Carbonariam*, *ejus quod credit Ecclesia*, *&c.* ac *Ignorantiam* ut *Devotionis*

Hanc pessimè tollunt Papistæ; quorum Argumenta refutantur.

nis Matrem præ Scientia extulerunt olim, ut hodieque non admittant Cognitionem Credendorum ex ipsa Scripura, quam Plebi, ab Ecclesia pendere jussæ, subtrahunt, verè ex conscientia errorum suorum, secundum dicta *Cap.* II. §. XXXVI. Non juvant autem eos. 1. Loca *Jes.* VII. 9. *Iob.* I. 14. 1 *Cor.* XII. 8. 9. *&* 17. XIII. 2. 2 *Cor.* X. 5. *&c.* dum α primus male à *Vulgato* redditur, *nisi credideritis non intelligetis*, ubi in Hebræo est Comminatio *Instabilitatis ob Incredulitatem*, qui & ita versus Animam tantum Fidelem ad spiritualem Sapientiam requiri docet, quod magis nobis favet quam obstat; β alter per inanem allegoriam *Boum & Asinarum* huc nimis inepte torquetur; γ tertius *Fidem Miraculorum* ab insigni & Extraordinaria *Sapientia* distinguit; δ quartus *Donorum & Dignitatum variam* arguit mensuram; ε quintus iterum de *Fide* agit *Miraculorum*, neque amplius quidquam docere potest, quam ejus à nuda *Scientia* distinctionem; ς sextus denique *Captivationem Intellectus & Scientiæ Naturalis* Euangelio adversæ per Cognitionem & Fidem hujus inculcat. 2. *Fidei*, ut Inevidentis, & Imperfectæ 1 *Cor.* XIII. 9. 2 *Cor.* V. 7. *Hebr.* XI. 1. *&c. à Scientia distinctio.* Cum α Scientiam nec Evidentem nec Perfectam nos statuamus, sed Autoritate Dei nixam & Incrementi jugis Capacem; β qualis his ipsis locis clare asseritur piis per Fidem. 3. *Ignorantia multiplex*, Puerorum, Mulierum, Rusticorum, imò magis Provectorum, ex *Psal.* CXIX. 18. *Act.* VIII. 30. *&c.* Quæ si *nimia* sit, veram Fidem evertit; si *magna*, summopere cum aliis defectibus culpanda & corrigenda est; si *aliqua* tantum, Imperfectionem communem Scientiæ & Fidei in hac vita docet, Gradibus inæqualem. 4. *Curiositas*, *Arrogantia*, aliaque Cognitionem sequentia *Vitia*; quæ ex Scientia non per se sed per accidens, neque Fideli adeo quam Naturali, fluunt, *coll.* *Jac.* III. 17.

Recentior adversus hanc Thesin Crisis examinatur.

XVIII. Dolendum vero est, & hic inanissimam litem movere *Recentiores* quosdam, dum admodum fervidè negant, *Cognitionem Essentialem Actum Fidei esse, aut dici posse*; quod ipsa scil. α sola non constituat Fidem, β ab ea etiam queat separari, γ & Fides, aut in integro suo Complexu, aut respectu Actus assentiendi cum notitia juncta, sic ab illa videatur distingui *Joh.* VI. 69. 1 *Iob.* IV. 16. Dum α utique constat satis, quo sensu *Nostri* cum *Pontificiis* heic disputent, in phrasi publicè recepta impruden-

denter propterea taxati; ϐ non omnis Pars Essentialis, imo nulla, sola rem totam constituit, ex exemplo Corporis in Homine; γ vera interior à Spiritu gratiæ profecta Scientia Euangelii à Fide heic est Inseparabilis, nec separata tum desinit esse Pars Essentialis cum juncta est, iterum ex exemplo Corporis Humani; δ certum denique est, Notitiam tum à Tota Fide tum ab Assensu differre, quod nihil facit ad rhombum, nec tamen ex Locis adductis necessario elicitur, cum Duobus Nominibus exegetice idem Fidei Habitus notari possit, in primis ex hypothesi Recentiorum, qui Amorem faciunt alias Actum Essentialem Fidei, ob ejus cum Fide conjunctionem, *Eph.* III. 17. VI. 23. *&c.*

XIX. *Quousque* se hæc *Notitia Explicita* porrò extendere necessariò debeat, hic non repetimus. Videri possunt quæ de *Articulis Necessariis*, vel *Fundamentalibus*, eorumque *Criteriis*, *Speciebus*, *Numero*, & *Fide* tandem, dicta sunt *Cap.* III. §. IX. XII..... XVI. Et notari debet, esse hanc hujus Cognitionis naturam, ut sua dulcedine fideles ad *Progressum* jugem, industriamque Verbi lectionem & auditum, ac reliquorum Mediorum Curam, incitet, uti & Spiritus plura per industriam humanam docendo semper pergit *Psal.* I. 2. CXIX. 18. *Prov.* IV. 18. 1 *Petr.* II. 2. 2 *Petr.* I. 19. III. 18. *&c.* Ita ut *Oblivio* priorum, vel *Acquiescentia* torpida in Cognitione Acquisita, minori vel majori, pessimum, si non Infidelitatis, certe Imperfectionis turpis, sit indicium. De Cognitionis hujus Extensione disseritur.

XX. *Alter* Fidei *Actus* venit nomine *Assensus*, vel *Amplexus*; estque α *Theoreticus*, sive Judicii Intellectus; ϐ & *Practicus*, sive Voluntatis. 1 *Prior*, per quem *Credenda omnia pro Veris*, *&* *Euangelii Promissa simul pro Bonis habentur*, ex generalissima Fidei notione constat, nititur Dei Infallibili Veritate, subservientibus tantum Ministris & Sensibus ipsis *Joh.* III. 33. 1 *Joh.* V. 9. 10. 2 *Petr.* I. 16. 18. *&c.* est consequenter *Certissimus* & *Firmissimus*, uti arguunt voces πληροφορίας, ὑποστάσεως, ἐλέγχου, βεβαιώσεως, στερεώματος, &c. cum Fide junctæ, *Hebr.* X. 22. XI. 1. *Col.* II. 2. 5. 7. *&c.* & *Dubitationis* oppositio quoque docet *Matt.* XXI. 21. XXVIII. 17. *Rom.* IV. 20. *Jac.* I. 6. *&c.* Ita ut in Fidelibus, ob perpetuam Imperfectionem, varii quidem *Certitudinis* hujus sint *Gradus*, *coll. Marc.* IX. 24. *Luc.* XVII. 5. & robustissimi etiam *Dubitatione* gravi sæpe tententur: sed in abstracto vel idea Fides hanc excludat, semper in vitio ponendam, nec inani *prætextu Philoso-* Alter Actus Fidei est Assensus. Tum Theoreticus, qui describitur. Tum Practicus, qui exponitur & astruitur similiter.

phico unquam suadendam, juxta notata *Cap.* III. §. VII. Atque huc refer *Fiduciam Generalem*, de Remissione Peccatorum & Salute futura Credentibus, quin & *Particularem Conditionatam*, de eadem Mihi futura si credam. 2. *Posterior*, per quem *fideles Promissa Euangelii in Se singulis vera esse volunt*, *atque prono Affectu Christum cum ipsius Merito & Gratia*, *tanquam suæ Salutis*, *si futura est ipsis ulla*, *Unicum Autorem*, *cum Abnegatione sui & Aliorum omnium desiderant*, *actuque amplectuntur*, principaliter Fidem Salvificam ut Actus ejus Justificatorius constituit; venitque α in Scripturis sub nomine, *Receptionis Joh.* I. 12. *Rom.* v. 17. *Col* II. 6. 1 *Tim.* I. 15. *&c. Apprehensionis Cant.* III. 4. *Jes.* XXVII. 5. *Indutionis Rom.* XIII. 14. *Gal.* III. 27. *Famis Sitisque Matt.* v. 6. *Intuitus Joh.* VI. 40. *Accessus Matt.* XI. 28. *Desiderii Hag.* II. 8 [1]. *Mal.* III. 1. [2] *Quæstionis Jes.* LV. 6. *Amplexus Hebr.* XI. 13. *Reclinationis Psal.* LXXI. 6. *Jes.* X. 20. *Emptionis Jes.* LV. 1. *Apoc.* III. 18. [3] *Comestionis & Bibitionis Joh.* VI. 54. *&c.* ad quas locutiones relatione institutâ Fides *Manui*, *Oculo*, *Pedibus*, *Ori*, *Brachio*, *&c.* comparari solet; β & occurrit nobis in Exemplis variis *Cant.* II. 3. [4] *Psal.* CXXX. 5. *Jes.* XLIV. 5. *Jer.* III. 22. 23. *Ioh.* XX. 28. *Phil.* III. 9. *&c.* Notandum verò est hic merito; ita *Amplexum* hunc indivisim in Fidelibus versari circa *Omne Dei Verbum*, & circa *Christum*, etiam ut *Dominum*; ut tamen quatenus justificat, se non extendat ultra Christi Merita Sacerdotalia, ab ipso ut Prophetâ patefacta. Cujus rei neglecta observatio in errorem gravem facilè inducit, de nova Obedientia & Justificatione per eam, quem tenent *Sociniani* & *Socinianizantes*, alibi explodendum.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.*

Recentiorum Assertio dura improbatur de Charitate quæ sit Fidei Actus Formalis.

XXI. Occasione hujus Amplexus, periculosissimam non tam Hypothesin quam Phrasin inculcant quidam *Recentiores*, Amorem Christi, Deique in Christo, ipsamque *Charitatem*, *esse Actum Fidei Essentialem*, suo sensu *Formalem*, imo *Fidem* ipsam. Quod probare amplius conantur; α ex *Charitatis pro Fide* substitutione *Matt.* XXIV. 12. *Joh.* XIV. 23. XXI. 16. 1 *Cor.* XVI 22. [1] 2 *Cor.* v. 14. *Jac.* I. 12. II. 5. *&c.* β ejus *cum Fide* Conjunctione *Eph.* III. 17. VI. 23. *Gal.* v. 6. 1 *Tim.* I. 5. 14. γ eodem ἀνυποκρίτου *Epitheto Fidei & Charitati* dato *Rom* XII. 9. 2 *Cor.* VI. 6. 1 *Tim.* I. 5. *&c.*

δ Fi-

δ Fide denique Charitati adſcripta 1 *Cor.* XIII 7. & in Lege ad Charitatis Præceptum pertinente. Ubi hactenus rejecerunt Theologi noſtri pariter *Pontificiorum Fidem* in ſe *Informem*, ſed per Charitatem *Formatam*, & ad Actus ſuos promotam, quam ex *Comparatione* Apoſtoli *Jac.* II. 26. ultra Scopum extenſa, vel ex ψυχῇ de *Mente* hominis perperam intellecta, & detorto *textu Gal.* v. 6. ubi non *Forma* per quam, ſed *Effectus* quem operatur Fides proponitur, malè ſtabiliunt illi: ſed falſi ſimul ſunt, α non eſſe *Veram Fidem*, quæ cum Amore Dei & Proximi non ſit juncta, qualis eſt Informis illa *Pontificiorum*, β nec eſſe *Amplexum Chriſti* concipiendum abſque Affectu prono in Euangelium, Chriſti Juſtitiam, & Deum, *coll.* 2 *Theſſ.* II. 10. quod imprudentius pauci eorum fortè expreſſerunt. Ut ſic *Charitas*, Lege mandata, in Deum & Proximum, conſiſtens in *Deſiderio Unionis mutuæ*, *per Officia grata omnia demonſtrato*, ſit Virtus in ſuo *Formali à Fide Diſtinctiſſima*; α ſecundum Diſtinctam Enumerationem 1 *Cor.* XIII. 13. β Charitatis ut Fructus ex Fide derivationem perpetuam *Gal.* v. 6. 1 *Tim.* I. 5. γ & Charitatis poſt Fidem in futura gloria Manſionem 1 *Cor.* XIII. 8. 13. Objectionibus nullum ineſt robur; cum α *Charitatem pro Fide* poni locis adductis ineptè ſupponatur, dum plures Virtutes in Chriſtianis junguntur, quibus promiſſa nexuit Deus, atque Metonymica etiam unius pro altera Subſtitutio has confundendas eſſe non arguat; β *Conjunctio* Diſtinctionem potius quam Confuſionem inferat; γ *Sinceritas* in omnibus Virtutibus Chriſtianis pariter requiratur, non tamen propterea inter ſe confundendis; δ Fides tantum Charitati adſcripta ſit Humana, non Divina, atque relatio qualiſcunque implicita Fidei ad ſummum Amoris Divini caput diſtinctionem ejus ab aliis Virtutibus nequaquam tollat.

[1] *Exerc. Text.* XLVIII. P. V.

XXII. *Tertius Actus* Fidei eſt *Specialis* ac certa *Promiſſionum* Euangelii, Remiſſionis ſc. Peccatorùm & Salutis ipſius, *Applicatio*, ad ipſos Credentes ſingulos. Quam ad Fidem veram in Electis pertinere, conſtat; α ex *Exemplis* variis credentium, *Job.* XIX. 25. [2] *Pſal.* XXIII. 1. [3] *Gal* II. 20. 1 *Tim.* I. 15. *&c.* quos hic non nixos eſſe mera Morali Conjecturâ docet Scientia & Securitas memorata, non etiam Specialem nactos eſſe Revelationem, docet Extenſio Generalis *Rom.* VIII. 16. 1 *Joh.* III. 2. *&c.*

Tertius Actus Fidei Applicatio Specialis Promiſſionum. Quæ contra Pontificios latius defenditur.

&c. β ex *Objecto*, *Verbo Euangelii*, quod cum omnibus apprehendentibus Christum promissa Bona addicat, plane absque Fiduciali hac Applicatione à se ipsum cognoscente Fideli credi non potest, cum quo & junctus *Sacramentorum Finis*, & *Spiritus* in eandem rem *Datio*, conferri debent, *Rom.* IV. 11. 2 *Cor.* I. 22 *f.* *Eph.* I. 13. *&c.* γ ex attributâ *Fidei*, sive formaliter sive effective, παῤῥησίᾳ, πεποιθήσει, πληροφορίᾳ, καυχήσει, χαρᾷ, ὑποστάσει ἐλπιζομένων, *&c. Hebr.* IV. 16. *Eph.* III. 12. *Matt.* IX. 2. *Hebr.* VI. 11. *Rom.* V. 11. 1 *Petr.* I. 8. *Hebr.* XI. 1. *&c.* δ ex oppositione denique *Timoris & Dubitationis* manifesta contra Fidem *Matt.* XIV. 31. *Luc.* VIII. 25. *Rom* IV. 20. *Jac.* I. 6. *&c.* Negant vero eam & rident, præ reliquis quidem *Pelagianizantibus*, qui Fiduciam hanc Conditione Dubiæ Perseverantiæ niti volunt, *Pontificii*; non admittentes, vel *Specialem Misericordiam ut Objectum Fidei* juxta Generales Promissiones, vel *Certitudinem de hac in Fide*, nisi Conjecturalem aut Revelatione Peculiari nixam. Et gratis quidem objiciunt. 1. *Generaliorem Fidei Definitionem Hebr.* XI. 1. 6. Quæ vel virtute Specialem omnino Applicationem includit; vel Integra mox non est. 2. *Objectum* expressum, & in *Symbolo Christiano*, & in loco *Rom.* X. 9. *&c.* Cum illud iterum expresse habeat *Remissionem Peccatorum*, utique applicandam ad singulos Credentes; & Scriptura Objectum Fidei quandoque latius exponat *Rom.* IV. 25. imò in ipsa Generali Descriptioni annexa Promissione innuat. 3. *Exempla Fidei*, Abrahami, Patrum reliquorum, quin & Apostololorum, & Christianorum *Rom.* IV. 21. *Hebr.* XI. 7. *Joh.* VI. 69. *Act.* VIII. 37. *&c.* quorum omnium Dubitationes quoque notæ sint. Cum α omnino Abraham cum Patribus, juxta Potentiam Dei, Promissionem Salutis sibi factam crediderit *Rom.* IV. 11. 18. *&c.* β Descriptio Fidei Apostolorum ad ejus Basin, non Omnem Actum, spectet; γ & Dubitationes Infirmitatem Fidei reliquam, ejus Naturæ in se oppositam, tantum arguant. 4. *Rationes* petitas; α à *Defectu Revelationis*, β *Fiduciæ à Fide* Distinctione, & Relatione ad *Spem*, γ *Spei* mixto *Metu*, δ multorum *Frequenti Deceptione*, ε quin & secutura hinc *Carnali Securitate*. Dum α habemus hic, æquè quam in Comminationibus, quas Peccantes sibi singulis applicare tenentur, *Revelationem Implicitam*, & juxta hanc quoque *Internam* per illuminantem Spiritum; β *Fiduciæ cum Fide* conjunctio in disputatione Anti-Pontificia nobis sufficit, & *Spei* ca-

eadem potest dici quatenus ad *ad Futura Bona* protenditur, uti ad Præterita & Præsentia respiciens Fidei est; γ *Spes* roborata & Divina *Metum Dubitationis & Diffidentiæ* excludit, ipsa fallere nescia *Rom.* v. 5. vi: 1. 24. xii. 12. *&c.* δ *Deceptio* oritur ex *Neglecta Sui vel Scripturæ Scrutatione*, aliorum hanc recte instituentium Certitudinem non tollens; ε *Securitas* denique *Carnalis cum Applicatione Promissionum omnium*, inter quas est quoque Sanctificatio, *consistere nequit*, nec Fides vera hanc, sed *Tranquilitatem Spiritualem* juxta Fructus Charitatis parit.

[2] *Exerc. Text.* XII. P. I. [3] *Exerc. Text.* XXI. P. V. [4] *Exerc. Text.* XL, P. I.

XXIII. Non diffitendum est interim, de hac ipsa *Fiduciali Applicatione diversum* sentire dicam an loqui quoque *Nostros*; dum α *Antiquiores*, juxta *Catechesin* nostram faciunt hunc Actum Fidei Essentialem, ad Justificationem & Salutem Necessarium, sed non absque antecedenti Amplexu & connexa Resipiscentia concipiendum; β *Recentiores* vero plures volunt potius esse eam Fidei ipsius & Justificationis Consequens, quod abesse possit, Fide & Salute manente, α tum ob *Multorum* verè Christum Apprehendentium perpetuas *Dubitationes*, γ tum ad vitandas magis *Pontificiorum*, *Arminianorum*, & *Schismaticorum*, strophas, qui, vel homines ad Securitatem hoc Fidei Actu duci, vel obligari ad Falsum Credendum, cum Remissio Fidem sequatur, vel pro Omnibus juxta hoc Officium credendi Mortuum esse Christum, clamant, γ tum denique quod hæc Fiducia magis Dei Beneficium Speciale Paucioribus Proprium, quam Officium Commune sit. Nos litem hanc haud difficulter aut infeliciter sic putamus posse determinari; ut α alia dicatur *Fides* esse *Integra*, in *Idea* sua ac *abstracto*, Antecedenter & *Consequenter* ad Justificationem, alia Defectibus laborans, in Subjecto, & considerata Ante Justificationem; β alia Fiducia *Temporaria* & *Imperfectionibus* obnoxia, alia Plena, Roborata, & Perpetua; γ alia Justificatio *Activa*, alia Passiva; δ alia denique Persuasio dè *Remissione* actu *Facta*, alia de Futura certò mihi. Neque dubitamus Fiducialem hanc Applicationem sic vocare *Consequens Actus Justificatorii*, *Mensura* perfectionis *Varium*, *Haud Perpetuo Præsens* in Credentibus, ex Satanæ, Legis, Carnisque insultibus, fluens *ex Justificatione Activâ*; ut tamen sit verè *Actus Fidei*, *Integræ* magis, *ex officio* Christum

Diversa Theologorum de hac Applicatione Phrasis.

 Reci-

Recipientibus incumbens, ac *Justificationem Passivam Antecedens* vel Pariens. Quo pacto anima fidelis satis commodè tranquillari, detorsio Adversariorum eludi, atque Catechesios Definitio defendi poterit.

Præsupponit Applicatio hæc Reflexam Fidei propriæ Cognitionem.

XXIV. Supponitur vero omnino in hac Fiducia *Actus Reflexus* Fidelium, quo de vero Christi Amplexu seu *Fide sua Certi esse possunt*, *& debent quoque*, Sui & Scripturæ instituto Examine decenti. Quod liquet; α ex *Exemplis* 2 *Tim.* I. 12. *Psal.* CXVI. 10. *Luc.* XVII. 5. *&c.* β ex generali *Actionum Mentis* natura, & *Spiritus Illuminatione* 1 *Cor.* II. 12. 1 *Joh* II. 3. *Apoc.* II. 17.[1] *&c.* γ ex specialibus *Promissionibus & Admonitionibus Joh.* XIV. 20 1 *Cor.* XI. 28. 2 *Cor.* XIII. 5. δ denique multiplici *ratione*, petita non modò à *Fiducia* jam exposita, sed & à *Dei Glorificatione* prò dono gratiæ, *Fructibus* Efficacissimis, & *Confessione* Necessaria, ad Dei gloriam & Proximi ædificationem, ex exemplo ipsius Christi 1 *Tim.* VI. 13. monitis multifariis quæ adduximus *Cap.* III. §. XX. & Praxi Apostolica ac antiqua Christianorum, quæ Symbolo Apostolico ortum dedit in quo singuli dicimus, *Credo*, licet Confessio prudens esse debeat, nec ejusdem prorsus cum Fide sit necessitatis, aut extensionis. Huic verò Scientiæ iterum se opponunt *Pontificii*; prætextu ferè eodem; α *Dubitationis* multorum de sua Fide, quæ ex Vitiosa ejus Descriptione, aut Tentatione graviori orta, excutienda est; β & *Deceptionis* facilis Cordis nostri *Jer.* XVII. 9. per experientiam comprobatæ, quæ per Gratiam Spiritus & debitam Industriam cavenda est.

[1] *Comm. in Loc.*

Est Fides vera Inamissibilis Finaliter & Totaliter.

XXV. Cum etiam *Fiducialis* hæc sic *Applicatio* æquè futuræ *Salutis*, quam præsentis *Gratiæ*, pariter Fidei veræ hic supponitur *Inamissibilitas*; non α ratione Actus, aut Confessionis externæ, sed *Habitus*, non β fluens ex nostra Dignitate vel Virtute, sed *Dei Christique Sufficientia*, non γ Absoluta hoc pacto, ut omnis diligentia & sancta sollicitudo excludatur, sed cum hoc hominis Officio infallibiliter & *certo Connexa*; diciturque vulgò *Totalis* & *Finalis*. Quæ cum ad Gratiam omnem Salutarem pertineat, in *Capite* XXVII. *de Conservatione* latius erit adstruenda, notandis hic tantum breviter locis; α quæ *Dona Dei* ἀμεταμέλητα dicunt *Rom.* XI. 29. *Phil.* I. 6. inter quæ est Fides *Eph.* II. 8. β *Christi* prædicant *Conservationem & Intercessionem* prò Fide

Joh.

Joh. VI. 37. *Luc.* XXII. 32. γ *Spiritus* docent *Mansionem & Obsignationem Joh.* XIV. 16. *Eph.* I. 13. IV. 30. δ juxta *Fidei* ipsius *Verissimum Objectum*, quod etiam est Promissio Vitæ Æternæ, certo cum ea possessa nexæ *Joh.* V. 24. VI. 40. I *Joh.* V. 13. Et sunt inanes Objectiones *Pelagianorum* Veterum, & Hodiernorum, *Pontificiorum* sc. *Socinianorum*, *Mennonitarum*, *Remonstrantium*, quas ad Gratiæ Divinæ Efficacis depreciationem petunt illi; α ex *Comminationibus* lectis *Joh.* XV. 2. 6. *Gal.* V 4. *&c.* quæ ad Communionem Christi Externam per Professionem doctrinæ ejus spectant, vel alias sunt Conditionatæ, ad hominis diligentiam augendam; β ex *Exemplis* προσκαίρων *Matt.* XIII. *Israelitarum per Incredulitatem Defractorum Rom.* XI. 20 *circa Fidem Naufragium facientium* aliorum, ac ab ea *deficientium* I *Tim.* I. 19. 20. IV. I. *&c.* quæ vel ad Fidem Temporariam, non Salvificam, spectant, vel Defectionem à Majorum & Ecclesiæ in qua nati erant Fide in posteris tantum arguunt, vel ad Doctrinam respiciunt credendam & sanctam, quam retinere est piorum, quamque derelinquentes Fidei & Salutis periculum subibant, Conscientiâ κατά τι Bona vel excussa vel non admissâ, quæ & vis est vocis ἀπώσασθαι *Act.* XIII. 46. vel denique ad antecedentem Professionem nudam veræ Fidei debent referri, secundum I *Joh.* II. 19. γ ex *Officio* tandem *Metus & Vigiliæ*, quod ut Medium divinitus ordinatum non excluditur, sed per Divinam Gratiam simul certò præstatur, magis minusve perfectè.

XXVI. *Fidei* hujus itaque *Fructus* præstantissimi sunt. I. Tum *Beneficia* cum ea connexa; *Salutis Æternæ Joh.* III. 36. XX. 31. *Act.* XVI. 31. I *Petr.* I. 9. *&c.* & antecedentis *Unionis* cum Christo *Eph.* III. 17. *Gal.* III. 27. *Adoptionis Joh.* I. 12. *Gal.* III. 26. *Justificationis Rom.* V. I. X. 10. *Sanctificationis Act.* XV. 9. *Liberationis Joh.* VIII. 32. *&c.* 2. Tum *Officia*, per Gratiam etiam præstita, potissimum quidem *Duo*. α *Spes*, seu *Patiens Certa atque Avida promissæ Divinæ Benignitatis ipsiusque Salutis Exspectatio*; quæ multum ab Humana & Hypocritica Spe differt, à Fide in quacunque Ecclesiæ Oeconomia est Inseparabilis, ac passim commendatur, per Exempla & Monita, tum in Vet. Test. *Gen.* XLIX. 18. [1] *Psal.* CXXX. 5. 6. *Job.* XIII. 15. *Psal.* XLII. 12. *Thren.* III. 26. *&c.* tum in Novo Test. *Rom.* V. 5. VIII. 24. 25. XII. 12. I *Cor.* XIII. 13. *Tit.* I. I. I *Petr.* I. 3. 21. *&c.* β Et *Charitas*, seu

Ex Fide fluentia Beneficia & Officia.

seu *Stabilis ac Sincerus Dei & Proximi Amor*, *ore atque opere omni demonstratus*; quæ uti Legis totius est Summa *Matt.* XXII. 40. sæpissime à Christo inculcata *Ioh.* XIII 34. 35. ita Fidem sequi debet 1 *Cor.* XIII 13. *Gal.* V. 6. 1 *Tim.* I. 5. *Iac.* II. 17. superfutura etiam, quandò in beata æternitate Fides ac Spes cum Cognitione & Fruitione Plena mutabuntur. Quibus ex locis æque solide duplex Error *Pontificiorum* confutatur; α *Fidem* Veram *à Charitate* posse *separari*, pugnans contra propriam doctrinam de Charitate Fidei Forma, quam defensuri ad Formam non Essentialem, sed Analogicam, non τȣ̃ *esse Naturæ* sed *Meritorii* confugiunt, inepte Fidem Hypocriticam probationis loco adducentes; β & *Charitatem*, sive *Obedientiam*, esse *Formam Fidei*, in quo cum *Socinianis*, omnibusque Justitiæ Propriæ fautoribus, quoad rem benè conveniunt, perperam ex Nexu Officiorum Identitatem inferentes, atque Fidem magis æstimantes ex generali notione Amoris & Obedientiæ Deo mandanti præstitæ *Ioh.* VI. 29. 1 *Ioh.* III. 23. quam ex Specifico ejus Actu, quo ab aliis discernitur. Vide §. XXI.

[1] *Comm. in Pentat.*

Transitus ad Resipiscentiam, cujus exponitur Nomen.

XXVII. Hæc verò Officia cum ab homine desperabundo Deique ac proximi osore absque insigni mutatione præstari nequeant, hinc RESIPISCENTIA fluit, heic consideranda nunc porro breviter. Vox ea componitur ex *re* & *sapere*, plane uti apud Græcos ἀναφρονεῖν, ac ἀνανήφειν, dum mirè res illa in peccatorem prius stolidum & mentis minus compotem quadrat, ex *Luc.* XV. 17. Pro ea apud Hebræos communius dicitur, vel תשובה / *Aversio*, *Reversio*, *Conversio*, ob hominis viæque ejus mutationem, vel נחם / *Dolor Iob.* XLII. 6. *Ier.* VIII. 6 XXXI. 19. *&c.* Apud Græcos μετάνοια, quod fit à μετὰ & νοέω, notatque pro vario Præpositionis usu, vel *Cum Animo* reputationem, vel *Cogitatam* facti *Mutationem*, vel simplicissimè *Sapientiam* & considerationem *Post* factum sequentem. Habent illi alteram etiam vocem μεταμελείας, ex origine *Curam Post Factum* notantem. Illas verò duas sic multi, ordinario saltem, distinctas esse volunt, ut μετάνοια Resipiscentiam Euangelicam & Salutarem, μεταμέλεια verò Dolorem secundum Mundum notet; quod tamen α nec ex Origine vocum fluit, juxta dicta; β nec ex Usu Sacro, ubi pro Qualicunque Dolore μετάνοια *Matt.* XI. 21. XII. 41. *Hebr.* XII. 17.[2] & pro Salutari μεταμέλεια

νοια ponitur *Matt.* XXI. 29. 32. nisi Frequentiorem tantum μετανοίας Usum respiciamus. *Latini* quoque dicunt *Pœnitentiam*, à *Pœna*, & forte *tenendo*; quod nomen, à *Pontificiis* frequentius usurpatum, ex hac Origine sua haud æquè commodum est, *Veteribus* etiam observantibus. Constat porrò; vel sumi *Resipiscentiam* α latius, & prò integra nostra ad Deum *Conversione*, Fide inclusa; β vel strictius, tum pro *Demonstratione* ejus externa, secundum plures *Status Pœnitentium* in Veteri Ecclesia variâ olim, tum prò actuali ejus *Exercitio*, & primo in Vocatione, & secundo in Delictis Gravioribus, ac Quotidianis etiam, *Apoc.* II. 5. 16. III. 3. [3] *&c.* γ vel sensu medio & maxime proprio, prò Habitu interno Mentis, eoque non *Legali*, ex Legis sc. minis nudis, in Achabo, Juda, & hominibus Mundanis, orto 2 *Cor.* VII. 10. sed *Euangelico*, ex hujus Verbi præconio per gratiam profecto. Quo modo eam definimus; *Mentis Habitum Electis à Spiritu per Verbi & Sacramentorum ministerium inditum, quo Peccata sua cum confessione agnoscunt, cum pudore dolent, & cum proposito omnis pietatis aversantur, ad eorum remissionem & salutem æternam.*

[2] *Exerc. Text.* IV. P. IV. [3] *Comm. in Loc.*

XXVIII. Quæ *Generis* hic sunt posita loco, apud Fidem exposita videri possunt. Est enim Resipiscentia eodem sensu; α *Habitus* permanens, ex quo Actus variis temporibus fluunt, non semper; β Habitus *Mentis*, licet Demonstratio per Gemitus, Lacrymas, Confessiones, Deprecationes, Contusionem, Jejunia, Saccos, &c. in Corpore quoque fiat, tum quatenus *intelligit* illa Peccatorum Fœditatem, & Virtutis Præstantiam, tum quatenus illa præterita & futura *aversatur*, & hanc *amplexatur*; γ proprius & communis omnibus *Electis*, exceptis ut supra Infantibus; δ denique à Spiritu Dei insuperabiliter *Infusus* *Jer.* XXXI. 18. 19. *Zach.* XII. 10. [4] *Act.* V. 31. XI. 18. 2 *Tim.* II. 25. *&c.* Licet hic internè per Suasionem & Illuminationem, externè quoque per Beneficia & Supplicia, Sacramenta, & Verbum, tum Legis, tam potissimum Euangelii, ut veram *Resipiscentiæ Concionem*, quatenus potissima ad eam motiva veramque ejus ideam proponit, *coll. Matt.* III. 2. *Act.* XVII. 30. *&c.* ut totidem Media, rationaliter eandem operetur.

Est Habitus Mentis Electis per Spiritum infusus.

[4] *Comm. in Loc.*

XXIX. *Versatur* autem Resipiscentia. I. Circa *Peccata*; α consi-

Ejus Objectum ab una parte est Peccatum. Ab altera Virtus.

siderata *ut Talia*, in omni fœditate sua, ut adversa Deo, propriæ rationi nostræ, ac utilitati, ac conformia voluntati Diaboli, & corruptæ carnis, ducentia sic ad exitium, ut neque solius Probri Externi, neque Pœnæ, hic habeatur ratio, merito connexa tamen; β *Omnia*, ut minima non excipiantur, vel prorsus arcana; γ *Singula* quoque, quousque infirmitas humana eorum cognitionem patitur; δ tandem *Nostra* primum, dein & aliorum, quatenus illa per societatem, approbationem, aut conniventiam, ad nos spectant. 2. Circa *Virtutes* oppositas, ut *Tales*, *Omnes*, *Singulas*, *à Nobis aliisque exercendas*, tanquam terminum oppositum, ad quem Resipiscens se convertit.

Actus ejus Tres præcipui

XXX. *Actus* ejus *Tres* sunt præcipui 1. *Agnitio*; non qualiscunque, sed interior, & perfectior, pariens sinceram *Confessionem*, tum coram *Deo*, tum coram *Fratre læso*, tum coram *Ecclesia scandalizata*, *Psal* LI. 5. *Jer*. III. 13. XIV. 20. XXXI. 19. *Rom*. VII. 7. 9. *Job*. XXXI. 33. *Psal*. XXXII. 5. [5] LI. 6. *Prov*. XXVIII. 13. *Matt*. III 6. *Jac*. V. 16. *&c*. Qualis etiam respectu oppositæ Virtutis requiritur. 2. *Dolor*; serius item, constans, & pudibundus, de Peccato commisso, & Virtute ex adverso omissa *Job*. XLII. 6. *Jer*. XXXI. 19. *Thren*. III. 39. *Act*. II. 37. 2 *Cor*. VII. 10. *&c*. pariens Lacrymas, & Sanctam emergendi Industriam. 3. *Odium* animi contra Peccatum futurum, cum contrario Virtutis Amore ac Proposito, actu iterum jugi demonstratum, *Psal*. XCVII. 10. CXIX. 163. *Rom*. VII. 15. 2 *Cor*. VII. 11. *&c*.

[5] *Text. Exerc*. XXII. P. V.

Perversa Pœnitentiæ idea apud Papistas.

XXXI. Sic evanescit sponte idea *Pœnitentiæ*, quam nobis dant *Pontificii*; ex illa non tantem fingentes *Sacramentum*, qua de re in *Capite* XXIX. *de Sacramentis* agetur; sed & constituentes *Tres* ejus *Actus*, *Contritionem* cordis, *Confessionem* oris, & *Satisfactionem* operis. Qui uti α sano sensu *admitti possent*, per Contritionem intellecto Dolore secundum Deum vero, per Confessionem Agnitione reatus §. XXX. proposita, & per Satisfactionem actuali Virtutis studio; β ita *repudiari debent* sensu *Papistico*, α tum ut *Insufficientes*, exemplo Kaini, Achabi, Judæ, &c. ubi suo sensu hi reperiuntur, β tum ut veræ *Resipiscentiæ adversi*, cum exigant Contritionem *appreciativè Adæquatam* peccato, cujus persuasio à verè humili anima abesse debet, dein Confessionem *Auricularem*, insidiosam & à Deo ad homines abducentem,

ad

ad quam detorta loca postea vindicabuntur, tandem *Satisfactionem*, Deo præstandam, pro delicto, per opera præcipue ἐθελοθρησκείας, nisi *Indulgentiis*, turpi acquisitis pretio, hic homini succurratur, quæ æque injuria est in Christum, quam aliena à verè contrito peccatore.

XXXII. Resipiscentiæ Veræ & Euangelicæ, quam ab Hypocritica & Legali, æquè quam Fidem suam, iisdemque Criteriis, ex Principio, Actibus, & Fructibus, discernere, ac in se stabilem fore, persuasus potest esse Fidelis, consequentes *Fructus* sunt *Remissio* Peccatorum, & *Salus* ipsa; secundum frequentia Promissa *Prov.* XXVIII. 13. *Ezech.* XVIII. 23. 27. *Luc.* XXIV. 47. *Marc.* I. 4. *Act.* III. 19. XI. 18. 2 *Cor.* VII. 10. *Jac.* V. 20. 1 *Joh.* I. 9. *&c.* & Exempla Davidis 2 *Sam.* XII. 13. *Psal.* XXXII. 5. 6 Petri, Filii Prodigi, Peccatricis, aliaque plura. Illa verò *Effecta* sic sunt *Connexa cum Resipiscentia.* α Ut *absque hac illa locum non reperiant*, vi Divinæ Voluntatis, atque sapientissimæ Ordinationis; quare nunquam illa quocunque prætextu Negligenda vel Differenda est *Psal.* XCV. 7. 8. *Luc.* XIII. 3. 5. *&c.* β Ut *hanc illa semper sequantur*; adeoque nunquam sit nimis sera, si sit seria, neque magna & longa Operum Bonorum series accedere semper debeat, (quæ instanti morte impedita, juxta *Arminianos* nonnullos, à Salute excludit,) ex exemplo manifesto Latronis cum Christo Crucifixi *Luc.* XXIII. & vocatorum Undecima Hora *Matt.* XX. 9. male objectis textibus *Matt.* XX. 15. *Rom.* IX. 18. *&c.* γ Ut *non sint illa huic tribuenda meritoriè*; quo pacto Gratia Dei in Christo à *Papistis* enervatur, & injustitia illi affingitur, dum Justitia vel Euangelica vel Divinæ Fidelitatis intelligi debet 1 *Joh.* I. 9. Nedum *ut juxta Meritum Remissionis & Salutis*, *Priorum meritorum*, per Peccatum mortificatorum, *Resuscitatio sit somnianda.* Sed ut illi competant per modum *Conditionis*, ad Impetrationem, Applicationem, & Demonstrationem Remissionis, gratiose a Deo præscriptæ. δ Ut Illa tandem sic cum Resipiscentia sint utraque certò juncta, *ut semel Remissa Peccata per subsequentes Transgressiones non redeant unquam*, vel formaliter, vel virtualiter; uti inepte colligunt quandoque *Papistæ*, tum ex Parabola & Conditionatâ Propositione *Matt* XVIII 23. 35. quæ Officium Fidelium tantum arguit; tum ex Pœnis Castigatoriis ex Amore magis quam ex Ira à Deo immissis. Ad *Fructus* vero

Resipiscentiæ Fructus varii & quo modo hi cum ea connexi sint.

 hos

hos a parte Dei, seu *Beneficia*, adde illos a parte Hominis, seu *Officia*, Spei, Charitatis, & omnium *Bonorum Operum Matt.* III. 8. *Rom.* VII. 4. *&c.* de quibus in *Capite XXV. de Sanctificatione* dicetur.

* *Exerc. Text.* XXII. P. V.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Electorum Vocatione Efficaci.

Beneficia Fœderis Gratiæ Quatuor præcipua.

NUnc ab Officiis ad BENEFICIA *Fœderis Gratiæ*, à Mediatore in nos redundantia, transimus; quæ tam arctè cum Officiis sunt connexa, ut quædam earum præstationem etiam antecedant. Missa hic nunc *Glorificatione*, quæ ad *Statum Constitutum* spectat, ad Quatuor summa Capita reliqua credimus aptissimè reduci, α *Vocationem* scil. β *Justificationem*, γ *Sanctificationem*, δ & *Conservationem*; quæ vel simpliciter sub alio Nomine, vel respectu quorundam Actuum, vel nonnulla inter se Juncta, denotantur alias, per *Regenerationem*, *Adoptionem*, *Reconciliationem*, ac *Liberationem*, de quibus nominibus speciali *Capite* XXVIII. agemus. Primam utique considerationem meretur VOCATIO; α quæ primò quandoque nominatur *Rom.* VIII. 30. β sæpius sola ponitur *Rom* VIII. 28. XI. 29. 1 *Cor.* I. 9. *Hebr.* III. 1. *&c.* γ atque vere est Initium omnis Beneficentiæ Divinæ, hanc porro sequentis. Ut de hujus generatim Promissione & Præstatione dubitare non liceat.

Vocationis, Nomen & Homonymia.

II. Dicitur à *Vocando*, unde & *Ecclesia* Græcè dicta est; tum propriè ob Vocem Euangelii, qua hic Deus utitur, tum impropriè ob potentem Voluntatis Jussum, quæ *dictionis* nomine in Creatione venit *Gen.* I. 3. *Psal.* XXXIII. 9. *Rom.* IV. 17. *&c.* legiturque vulgo in Scriptura κλῆσις, atque etiam קריאה / *Ies.* XLIII. 1. Synonyma varia & admodum emphatica sunt, tum ad efficacissimum Operandi Modum, tum ad Statum Gratiæ sequentem declarandum, *Conversionis*, *Tractionis*, *Adductionis*, *Vivificationis*, *Insitionis*, *Creationis*, *Inscriptionis Legis*, *&c. Ier.* XXXI. 18. *Cant.* I. 4. *Ioh.* X. 16. *Eph.* II. 5. *Rom.* XI. 17. *Eph.* II. 10. *Ier.* XXXI. 33. &c. ne de nominibus *Regenerationis*, *Adoptionis*, *& Liberationis*, nunc

nunc dicam, ex parte huc quoque vel in totum spectantibus, aut repetam dicta de *Electione Cap.* VII. §. XX. Significat vero hic; α non *Applicationem ad* aliquod *Munus*, *Politicum*, vel *Ecclesiasticum*, Ordinarium vel Extraordinarium, uti legitur *Exod.* XXXI. 2. *Ies.* XXII. 20. XLII. 6. *Hebr.* v. 4. *Rom.* I. 1. *&c.* β non *Collationem Communioris* alicujus *Gratiæ*, uti *Hos.* XI. 1. γ non *Providentiæ Divinæ Impulsum* ad Resipiscentiam, uti *Psal.* XIX. 4.[1] & secundum interpretationem multorum *Rom.* 11. 4.[2] *&c.* quæ & alias *Vocatio Realis* dicitur; sed δ *Vocationem* ex Statu Peccati *ad Gratiæ* veræ & *Gloriæ* Divinæ *Communionem*, eamque non *Externam* tantum, de qua agitur *Matt.* xx. 16. XXII. 14. *Luc.* XIII. 24. *Act.* XIII. 46. *&c.* & egimus nos *Cap.* XVII. §. IX.....XII. sed & *Internam*, quæ alias *Cœlestis*, *Superna*, *Sancta*, *secundum Propositum Dei*, ἀμεταμέλητος, *&c. Hebr.* III. 1. *Phil.* III. 14. 2 *Tim.* I. 9. *Rom.* VIII. 28. XI. 29. *&c.* & potissimum à Theologis *Efficax* dicitur, ob certò hinc fluentem hominis Translationem, dum externa sola hominem ad Deum non perducit.

[1] *Exerc. Text.* XX. P. V. [2] *Exerc. Text.* XLIV. P. IV.

III. *Inter* hanc *Utramque*, ut id prænotemus adhuc, *Convenientia* quidem magna est, α in *Autore*, Deo, β *Medio* ordinario, Verbi ministerio, γ *Objecto*, hominibus quibusdam tantum & peccatoribus, δ *Termino à quo & ad quem*, Diaboli & Dei Communione, ε *Fine* denique *Supremo*, Dei gloria: *Differentia* tamen major deprehenditur, α in *Fonte*, Bonitate Dei communi, ac Electionis proposito, β in *Medio*, nudo Ministerio Externo, & Spiritus Gratia salutari, γ in *Modo*, Imperativo, & Operativo, δ in *Objecto*, Reprobis nonnullis, & solis Electis, ε in *Fine Subordinato*, Convictionis, vel Conversionis, ς denique in irrevocabili *Perseverantia* & certo salutis *Fructu*, qui hic minimè dubius est, & ex incerta hominis determinatione sed ex ipsa Vocationis naturâ fluit, uti latius mox patebit. Convenientia & Differentia Vocationis Internæ & Externæ.

IV. Hanc definimus; *Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Deus per intercedens vulgo Verbi & Sacramentorum ministerium ac insuperabilem Spiritus sui gratiam Electos, momentis modisque à se constitutis, ex naturali Miseria ad suam in Christo Communionem hic inchoatam & posthac consummandam transfert, ad gloriosæ gratiæ suæ laudem.* Vocationis Definitio.

Est Opus Dei Gratiosum, in Fœdere Gratiæ promissum.

V. Generatim Vocatio, α *Dei Opus* est *Rom.* IX. 24. XI. 29. 1 *Thess.* IV. 7. & quidem Triunius, *Patris* 1 *Cor.* I. 9. 2 *Tim.* I. 9. *Filii Rom.* I. 6. 2 *Petr.* I. 3. & *Spiritus* S. *Rom.* VIII. 2. 2 *Cor.* III. 6. *Apoc.* II. 7. *&c.* β *Opus* quoque ejus vere *Gratiosum*; sive Terminum a quo, sive ad quem, sive Medium adhibitum, sive Modum operandi suavem & constantem spectemus. γ *Bonum* tandem *Fœderis Gratiæ*; dum α per hoc Deus illud promittit *Jer.* XXXI. 33. XXXII. 40. *Ezech.* XXXVI. 26. 27. *Hos.* II. 13[3]. *&c.* β Sanguine & Merito Mediatoris nititur, absque quo sui Communionem Peccatori, salva sanctitate, justitia, & veritate, Deus concedere non potuisset; γ nec in Fœdere Operum erecto, dum homo miser nondum erat, locum Vocatio habuit, nec in ejus repetita summa ob Legem tantum præcipientem ulla ejus Promissio reperitur.

[3] *Comm. in Loc.*

Hinc competit Electis Solis & Omnibus.

VI. Unde consequens est, pertinere Vocationem ad *Electos*; α *Solos*, secundum Loca *Rom.* VIII. 28. 30. 2 *Tim.* I. 9. 2 *Petr.* I. 10. *&c.* atque restrictum ad hos Eventum; β & *Omnes*, ob Electionis Immutabilitatem, assertam *Cap.* VII. §. XIII. *&* XIV. Licet *Discrimen* magnum sit, in ejus α *Modo*, Ordinario vel Extraordinario, per Verbum, Scriptum iterum aut Non Scriptum, vel absque eo, per inditum majorem Terrorem vel repræsentatam Gratiæ suæ dulcedinem, quorsum etiam *Differentia Oeconomiarum Veteris & Novæ* spectat, Sensibili magis, vel Insensibili; dein β in *Tempore Vitæ*, secundum Parabolam *Matt.* XX. I. 5. 6. & Exempla, hinc, non *Jeremiæ* adeo *Jer.* I. 5. *coll. Gal.* I. 15. quam *Johannis Bapt. Luc.* I. 15. & *Timothei* 2 *Tim.* III. 15. illinc *Latronis Luc.* XXIII. & *Peccatricis Luc.* VII. 36. atque elucescentem sic magis Divinæ Libertatis & Gratiæ gloriam.

Non vero Omnibus promiscue Hominibus. Quod adversus Objectiones defenditur.

VII. Aliud hic volunt *Universalistæ* omnes *Pelagiani* & *Pelagianizantes*; ad Omnes & Singulos homines Lapsos extendentes Vocationem per *Gratiam Sufficientem*, tum *Externam* extra hominem, de qua disputavimus satis *Cap.* XVII. §. IX. *&* X. tum *Internam* in homine, quam de Naturalibus Intellectus & Voluntatis viribus, ac insitis Notionibus, exponunt. Ad quorum refutationem, præter dicta §. VI. *& Cap.* IV. §. XLII. facit; α hominis Naturalis ad Bonum Impotentia, asserta *Cap.* XV. §. XXVI. β Negata illi omnis juxta Fœdus cum Deo Salutis Spes *Eph.* II.

12

12. γ quin & Externa Viæ Salutis multis non concessa Patefactio *Act*. XIV. 16. XVII. 30. *&c.* δ tum denique Discretio hominum, Divinæ Gratiæ emphaticè trbuta *Deut*. XXIX. 4. [1] *Matt*. XIII. 11. *Joh*. VI. 45. 1 *Cor*. IV. 7. *Rom*. IX. 16. *Act*. XIII. 48. [2] *&c.* quæ alias ipsi homini foret tribuenda, Deo in multis scopum suum infeliciter non obtinente. Nec obstat. 1. Vel *Hypothesis* multiplex *Falsa*, de Voluntate Singulos Salvandi in Deo, Redemptione Universali, & Gratiæ Externæ Extensione, &c. quæ antea confutata est. 2. Vel *Bonitas Dei*; α quæ, si in omnibus ad datam salutarem gratiam extenditur, vere nimis deprimitur; β quæque Justam quorundam in miseria Derelictionem non excludit. 3. Vel *Promissum de Gratia Majori* non deneganda iis, qui Lumine Naturæ bene fuerint usi, *Matt*. XIII. 12. XXV. 29. *&c.* quæ loca non de Naturæ sed veræ Gratiæ Donis agunt, in habentibus vere, in non habentibus imaginarie possessis. 4. Vel *Hominis Natura* & *Libertas* integra; quæ prior non est illæsa, nec posterior Indifferentiam infert. 5. Vel denique *Præceptum per Christum ad Deum accedendi*, & *Redargutio ob Incredulitatem*. Quæ α neutiquam sunt ad Omnes & Singulos homines extensa; β & Impotentiam tantum arguunt Voluntariam & Culpabilem in Adamo, qui, licet Euangelium ipsi integro revelari non potuerit, Vires tamen Credendi in Christum, à viribus Obediendi Deo non distinctas, habuit verè, contractam; γ non negando etiam Neglectu eorum, quæ homines adhuc externè agere possent, uti sæpius hæc dicta sunt.

[1] *Comm. in Pentat.* [2] *Exerc. Text.* XXXVIII. P. III.

VIII. Ita verò Deus Electos vocat per intus Illuminantem, Suadentem, & Trahentem Spiritus Gratiam, ut *Verbi* tamen *&* *Sacramentorum* interveniat *Ministerium*. Quod latius ad *Reprobos*, non Omnes sed *Multos*, Electis mixtos, extensum est *Matt*. XX. 16. XIII. 3. *&c.* Ubi *negamus* omnino 1. Illud *ad Salutem Sufficere*, adeò ut nihil à parte Dei amplius accedere debeat præter Suasionem hanc Externam; α contra Internam Impotentiam Hominis Lapsi, sæpius inculcatam; β junctamque passim cum Verbo Spiritus Gratiam, quæ ex hac hypothesi non necessaria foret. 2. *Deum* in eo ipsam *horum Hominum Salutem intendere*; α quorum tamen Damnationem ab æterno decrevit, β quibusque Gratiam Necessariam non dat unquam. Neque debent nobis objici, à *Pe-*

Externa Vocatio sola se latius extendit. Quæ tamen Non Sufficit ad Salutem. Et in qua Deus Reproborum Salutem sibi non proposuit.

à *Pelagianis*, *Pontificiis*, *Socinianis*, & *Arminianis*. 1. Loca *Jes.* v. 4. & *Matt.* XXIII. 37. Quibus α agitur de Deo sub similitudine Vinitoris, adeoque ad *Media Externa* adhibita, secundum Recensionem expressam, tantum respicitur, præter quæ in Vinea Vitis Bonitas Naturalis ac Cœli Influxus commodus requiruntur, *Exspectatione Dei* intelligenda θεοπρεπῶς, de illius Patientia & Officii Decentia; β ac seria *Salvatoris Hortatio*, consciis Judæis facta, & sæpe repetita, non Salutis Destinatio Divina innuitur. 2. *Dei Veritas*; dum ex nostra doctrina sequi videtur, in Deo *Pugnantem esse Voluntatem* salvandi & non salvandi, ipsumque hominibus Impotentibus verè *illudere*, *Vocatione* non seria sed *Simulata*. Cum α Voluntas non Salvandi per Gratiam Internam, & ad Salutis Curam Hortandi per ejus Promissum Conditionatum, nequaquam verè pugnent; β neque sit Illusoria sed seria Vocatio Externa, quatenus Officium Deo verè gratum hic præscribitur homini ad id obligato, ac urgetur idem Promissionibus & Comminationibus verissimis. 3. *Elogia* magnifica *Verbo* data, *Jer.* XXIII. 29. *Joh.* VI. 68. *Rom.* I. 16. *Hebr.* IV. 12. *Jac.* I. 21. 1 *Petr.* I. 23. *&c.* Cum hæc per junctam Spiritus Gratiam in vere Electis illi demum competant; alias Inefficaci, quin & ad Mortem ducenti, *coll.* 1 *Cor.* I. 23. 2 *Cor.* II. 16. III. 6. IV. 3. 4. *Hebr.* IV. 2. *&c.* 4. *Finis*; tum vocantium *Ministrorum*, qui Salus esse debet, & simul intentioni Dei conformis; tum *Vocationis* ipsius *Externæ*, qui aut Salus erit, aut Perditio, quod absonum, aut Alius ullus assignari debet. Cum α Communis Dei & Minstrorum Finis debeat esse Idem, Dei sc. Gloria & veræ Salutis viæ Patefactio, Specialis autem in singulis ob scientiam diversissimam ac Ministrorum cum Hominibus nexum subjectionemque sub Charitatis legem nequaquam similiter; β Finis vero Vocationis non tam Perditio sit, nisi consequenter, quam Convictio, & de Officio Decenti, & de Dei Bonitate in illo declarando, & de reluctantium justissima secutura Damnatione; γ cujus declinandæ Prætextus inanes ab Impotententia, ut voluntariò contracta, & à Dei Contraria Voluntate, ut homini plane incognita, nec in regulam unquam proposita, per se concidunt. Reliqua vide §. VII.

Status Ex quo vocantur Electi.

IX. Nunc Electi hi, qui vocantur, non aliter hic considerari possunt, quam ut *Miseri & à Deo Abalienati Peccatores*, in Natu-

Qui non admittit Merita, aut Proprias Dispositiones Bonas, aut Hominis in primo momento Cooperationem.

tura & Operationibus suis; secundum α *Terminum à Quo*, in Scriptura passim notatum, qui est *Præsens Seculum Malum*, *Potestas Tenebrarum*, *Tenebræ*, *Gal.* I. 4. *Col.* I. 13. I *Pet.* II. 9. β *Statum Naturalem*, Defectionis, Captivitatis, Mortis, Non Existentiæ Spiritualis, & Ineptitudinis ad omne Bonum vel minimum, *Rom.* III. 23. *Joh.* VIII. 34. *Ephes.* II. I. 10. 2 *Cor.* III. 5. *coll. Ezech.* XVI. 4. *&c.* γ omnisque *Boni*, vere Spiritualis, *à Vocamte Gratia* Derivationem perpetuam I *Cor.* XV. 10. *Phil.* II. 13. IV. 13. 2 *Tim.* I. 9. *&c.* Unde excludi hinc prorsus à nobis debet; α omne *Meritum* antecedens, *de Congruo*, quale fingunt *Papistæ* vulgo; β omnis hominis *Propria* ad Dei Vocationem *Præparatio*, vel *Dispositio Bona* per se; γ omnis Vocationis cum Homine *Congruitas*, vel *Congruentia*; δ omnis *Hominis*, in primo Vocationis momento, vere & mere Passive respectu Boni se habentis, *Cooperatio*; sicuti variis phrasibus & modis *Pelagianizantes* Synergistæ Dei gloriam cum homine hic communicare pessimè student. Inanissimo quidem prætextu, α modo *Exemplorum* manifestorum, in Eunucho *Act.* VIII. Cornelio *Act.* x. ac Legisperito *Marc.* XII. 34. *&c.* cum illi verè Vocati antea, ad Clariorem Christi Agnitionem tantum sint perducti, atque hic *non longe absuerit*, quoad professionem suam, *à Regno Dei*, ac Doctrina in eo prædicata, quam profitentes non mox ad Regnum hoc verè pertinent, dum sanctitate externâ & sapientia proximi sæpe ob arrogantiam longissimè absunt, nec porro vel Indurationis Gradus vel Appropinquationem per Gratiam nos negamus; β modo *Promissorum* amplissimorum *Matt.* XIII. 12. XXV. 29. *Jac.* IV. 8. *Apoc.* III. 20. [1] *&c.* quæ Vocationem Primam, illiusque Dona & datas per illam Vires, supponunt; γ modo *Hominis* sic *Mutandi in Truncum aut Stipitem*, Deoque soli tribuendi Operis, cum illi in Vocationis primo momento Actionem intelligendi & volendi in se spectatam non negemus, uti nec Cooperationem in progressu, de qua tamen non agitur I *Cor.* III. 9. XV. 10. sed verius *Rom.* VIII. 26. *Phil.* II. 12. *&c.* propter quam Adventus homini rectè tribuitur, à Deo licet Moto; δ modo *Verbi* ejusque *Prædicationis* sic futuræ *Frustraneæ*, quod ob Rationalem Dei Operationem in homine negamus, atque itidem de suscitante Voce ad Lazarum, & ad Mortuos omnes, majori jure tum dici posset; ε modo denique supinæ *Securitatis* sic inducendæ, cum homo semper manda-

tum sibi Officium exsequi debeat, ac sic demum Dei Gratiam nancisci atque experiri possit, nec absque Precibus ac Auditu Verbi Promissum ullum gratiæ habeat, quicquid extra ordinem nonnunquam Deus egerit.

[1] *Comm. in Loc.*

Status ad Quem vocantur Electi.

X. Ex hoc Statu in Vocatione Deus eos *Transfert*, ad Sui in Christo Communionem; hic Inchoatam per Naturæ Reformationem, à *Socinianis* pessimè negatam, Deique Agnitionem, Amorem, & mutuam lætam Fruitionem, atque ita successive in Sanctificatione magis Perfectam, ut posthac Consummata Unio in Gloria sequatur. *Terminus* ille *Ad Quem*; α notatur in Scripturis, per *Communionem Filii ejus*, *Libertatem*, *Spem*, *Regnum Filii dilecti*, *Regnum Dei & Gloriam*, *Sanctificationem*, *Fidem Veritatis*, *Vitam Æternam*, *Mirabilem Dei Lucem*, *Benedictionis Hæreditatem*, *Æternam Dei Gloriam*, &c. 1 *Cor.* I. 9. *Gal.* v. 13. *Eph.* IV. 4. *Col.* I. 13. 1 *Thess.* II. 12. IV. 7. 2 *Thess.* II. 14. 1 *Tim.* VI. 12. 1 *Petr.* II. 9. III. 9. v. 10. &c. β liquet amplius ex Mutato hominis Statu 1 *Cor.* VI. 11. 2 *Cor.* v. 17. *Gal.* II. 20. *Eph.* II. 12. 13. v. 8. &c. γ constatque ex primis etiam *Fidei* & *Resipiscentiæ* fructibus, qui ab Homine Vetere & à Deo Abalienato provenire non potuissent. Neque licet hic ullum hominis *Statum Medium* concipere, magis quam in Creatione Primæ Molis; eo enim ipso dum transfertur homo à Deo, jam Communionis Dei fit particeps, licet in hac Gradus Diversissimos libenter agnoscamus.

Est Actus Vocationis hujus Insuperabilis homini.

XI. Atque in hac Translatione, uti neutiquam negamus *Media*, Verbi, Sacramentorum, Malorum Bonorumque immissorum, & *Suasionem* Dei *Moralem* per hæc, ita tamen *Operationem Physicam*, vel *Hyperphysicam*, *Internam*, *Immediatam*, tam in *Intellectum* quam in *Voluntatem*, ad illius *Apertionem* & *Illuminationem* salutarem, hujusque *Flexionem*, finaliter *Irresistibilem* sive *Insuperabilem*, jungendam utramque ob utriusque præviam Corruptionem & Impotentiam, omnino nos tenemus & inculcandam putamus; α ob *Operationem hanc Dei Potentissimam* in Scriptura passim traditam, & generatim *Eph.* I. 19. 20. & speciatim, quoad Intellectum *Jer.* XXXI. 34. *Joh.* VI. 45. 2 *Cor.* IV. 5. 6. *Eph.* I. 18. *Act.* XVI. 14. & quoad Voluntatem *Jer* XXXII. 40. *Jab.* VI. 44. & propriè magis & impropriè, sub similitudine *Creationis*, *Ge-*

Generationis, *Suscitationis*, &c. *Psal.* LI. 12. *Ezech.* XXXVI. 26. 2 *Cor.* V. 17. *Eph.* II. 10. *Joh.* III. 5. [2] 1 *Petr.* I. 3. *Eph.* II. 5. *Col.* III. 1. &c. β ob *Hominis Impotentiam*, tum ad *Resistendum* Deo, tum ad *Bonum Operandum* ullum absque potenti hoc Divinæ Gratiæ, à gradibus suis variè denominatæ, motu, quam Similia adducta luculenter quoque astruunt; γ ob *Eventus cum Vocatione Dei Infallibilem Nexum*, Opusque ipsum Deo hinc tributum *Cant.* I. 4. [3] *Jer.* XXXI. 18. *Joh.* VI. 37. 45. *Act.* XI. 18. *Eph.* II. 8. *Phil.* I. 29. II. 13. *Hebr.* XIII. 21. &c. δ denique ob secutura alias *Absurda*, Potentiæ non majoris Deo quam Diabolo tribuendæ, Gloriæ Salutis Homini ipsi potissimum adscribendæ, Consilii Divini Mutabilis futuri, Præscientiæ in ipso Fallibilis agnoscendæ, Precum ob gratiam Inutilium ferè, imò verè, post concessum homini Euangelium, & similia forte plura. Atque est ab hujus *Gratiæ Efficacis & Internæ* præsentia vel absentia unice Diversus Vocationis Externæ, quin & internæ Illuminationis Convincentis, quæ nonnullis conceditur, & in Peccato in Spiritum S. potissimum locum habet, *Eventus* omninò à nobis repetendus.

[2] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [3] *Comm. in Loc.*

XII. Hic verò fervide se opponunt omnes *Pelagianorum* asseclæ, *Pontificii* plures, *Sociniani*, *Arminiani*, *Anabaptistæ*; atque pauci alii, etiam recentius ex Nostris orti, quibus *Operatio Immediata* displicet, *Moralis* sola placet. Urgent verò priores, Operationem Dei Vocantis ita requirere *Hominis Cooperationem*, ut ab hujus, sive Libera *συνεργίᾳ*, sive quod in re ipsa eodem redit *Congruitate* Modi & Circumstantiarum Vocationis, pendeat ejus *Efficacia*, quæ nec propterea absolutè Certa sit, sed finaliter homini *Resistibilis*. Objiciuntque nobis frustra. 1. Loca *Jes.* V. 4. LXV. 2. 3. *Ezech.* XII. 2. *Matt.* XI. 21. XXIII. 37. *Luc.* VII. 30. *Act.* VII. 51. &c. Quibus omnibus de Gratia agitur Externa & Communiori; uti α recensita ante apud *Jesaiam* Beneficia, β blanda apud eundem invitantium *Brachiorum Expansio*, non Potentis Brachii Denudatio *Jes.* LIII. 1. [4] γ negatus verus *Visus & Auditus*, ad oculis & auribus spiritualibus inseparabilis, δ *Virtutes Miraculosæ* nominatæ, ab quas non absolute, sed vel exprobrative, *coll. Ezech.* III. 6. *Luc.* XIX. 40. &c. vel comparate citius apud Tyrios & Sidonios non adeo induratos, Resipiscentia

Non vero simpliciter Moralis, ut venire & non venire homo Vocatus possit pro Lubitu, uti volunt Pelagiani omnes.

secutura fuisset, ε *repetita Christi*, Judæis nota, & similis illi Gallinæ circa Pullos, *Operatio*, ς respectus ad Voluntatem non Arcanam, sed *Consilium* sive Monitum Salutare, *coll. Prov.* I. 24. 25 *Apoc.* III. 18. [5] *&c. Pharisæis* propositum, ζ denique exposita Spiritus Resistentia de *Prophetarum Rejectione*, &c. satis docent. 2. *Facultates Liberas* intelligendi & volendi. Quasi hæ à Causa Prima per ejus Gratiam à servitute peccati liberatæ, & ad actus bonos incitatæ, sit perderentur, & non verius perficerentur, essetque adeò Sancta Πειθανάγκη Violenta Coactio. 3. *Verbum Dei* non frustra adhibitum. Quasi id per Potentiam superiorem Efficax redditum à nobis everteretur. 4. *Opus Obedientiæ*, quasi id præstitum & neglectum pariter Deo adscribi deberet. Cum Bonum utique operetur Deus in Homine ab ipso impulso & moto; reliquis non operantibus ad Dei monitiones per suam culpam, quam gratia sua in omnibus amoliri Deus, nec per Perfectiones suas, nec per Fœdus, tenetur. 5. Denique *Hominis* perpetuam contra Deum *Reluctationem*, in ipsis regenitis elucescentem *Rom.* VII. 14. 23. *Gal.* V. 17. *Eph.* IV. 30. 1 *Thess.* V. 19. *&c.* quam superari tandem in Vocatione, & similiter in Sanctificatione à Deo, firmiter tenemus.

[4] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [5] *Comm. in Loc.*

Vocationis Immutabilitas, Fructus, Cognitio Subjectiva, & Finis.

XIII. Hujus verò Vocationis; quæ non minus ad Plenam Dei Fruitionem usque α *Immutabilis*, quam Insuperabilis est, *Rom.* VIII. 30. XI. 29. 1 *Cor.* I. 8. 9. *Phil.* I. 6. *&c.* per beneficium *Conservationis*, postea asserendum; β cujusque *Fructus* sunt *Fides Resipiscentia*, omniaque *Bona Opera*, juxta *Dei Beneficia* ulteriora salutaria; γ ex quibus illa etiam *certo Dignosci* à Vocatis ipsis potest 2 *Petr.* I. 10. *&c.* δ hujus inquam *Finis* est, *Gloria Dei*, ipsiusque *Misericordiæ Infinitæ*, hic à Vocatis ex parte, posthac autem plene agnoscenda atque prædicanda, *Jes.* XLIII. 21. *Col.* I. 12. 1. *Petr.* II. 9. *Apoc.* V. 9. 10. [6] *&c.*

[6] *Comm. in Loc.*

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De Electorum Justificatione coram Deo.

Ad Consummatam Dei Communionem cum homo Electus absque Peccati Remissione, ac certi Juris ad Vitam Datione, pervenire non possit, ad beneficium Vocationis & alterum JUSTIFICATIONIS Deus liberaliter addit. Quæ uti, non obstante multiplici Convenientia, *Distinctissima* est à *Sanctificatione*, α in *Causa Proxima*, Sanguine & Spiritu Christi, β *Actu*, Forensi & Hyperphysico, γ *Malo* & *Bono* circa quod versatur, Reatu & Jure Vitæ illinc, hinc Macula & Similitudine Dei, δ *Sede*, Extra hominem & In eo, ε *Duratione*, Momentanea, & Successiva, ς *Perfectione*, Absoluta plane, & Restricta, temere propterea confundentibus utramque *Papistis* vulgò; ita *Sanctificationem* quoque, non tamen Vocationem aut Regenerationem, ex qua Fides Justificationem antecedens fluit, *antecedit*, ordine & Naturæ & Temporis, uti α immediatus cum Vocatione Nexus *Rom.* VIII. 30. β præmissa Sanctificationi Justitia 1 *Cor.* I. 30. γ & consideratio hominis in Justificatione ut *Impii* & *Mundani* *Rom.* IV. 5. 2 *Cor.* V. 19. *&c* docet; haud obstantibus etiam textibus, ubi vel per Beneficiorum promiscuam Cumulationem, vel per Gradationem, Justificatio postponitur, qualis est 1 *Cor.* VI. 11. Justificationis à Sanctificatione Distinctio.

II. Dicitur *Justificatio* Latinè à *Justum Facere*; secundum analogiam aliarum vocum, *magnificandi*, *lætificandi*, *glorificandi*, *sanctificandi*, *&c.* apud optimos Latinos ex parte usurpatarum, & *apte* satis ad brevem comprehensionem Utriusque Actus Absolutionis & Adjudicationis, quæ in alio uno vocabulo ab hujus censoribus non ita reperitur. Dum etiam majus hinc confundendæ Sanctificationis cum Justificatione periculum non est, quam ex voce Græca δικαιῶν & Hebræa הצדיק / ad literam non aliter quam per *justificare* aut *justum facere*, quod Declaratione Forensi æque quam Interna Mutatione fieri potest, vertendâ utraque. Fatendum est interim, apud Antiquos Latinos Autores vix reperiri vocabulum hoc; & Recentiores sæpius id usurpare, vel pro Judicio simpliciter, vel pro Damnatione. Idem Beneficium notatur nominibus Justificationis Etymologia & Synonyma.

Liberationis, *Absolutionis*, *Non-Imputationis*, *Oblivionis*, *Ablationis*, *Deletionis*, *Remissionis*, *Rejectionis post tergum*, *&c.* quæ omnia ab uno Actu Justificationis sumpta & sic synecdochica sunt, atque *Constitutionis Justorum.* Magis immediate verò apud Hebræos respondet הצדיק / apud Græcos δικαιῦν, & δικαιῦσθαι, licet hæc contrario sensu *Puniendi* & *Damnandi* vulgò apud Scriptores Græcos, imò, secundum nonnullorum observationem, ad Personas relata unicè adhibeantur.

Ejus Homonymia Multiplex. Præcipue tamen Actum Forensem Judicis notat.

III. Est verò hæc Vox admodum *Homonyma* in ipsa Scripturâ, ubi notat. 1. Quandoque, non tamen vulgo, nec in præsenti hac materia, uti volunt *Papistæ*, (nimis fervidè se opponentibus *Nostrorum* Multis,) *Justitiæ Infusionem*, primam aut ulteriorem sive *Sanctificationem*. Quod fit, non tam 1 *Cor.* VI. 11. ubi potius *Ablutionem* Peccati quoad Maculam & Reatum, oppositamque maculæ *Sanctificationem*, reatui *Justificationem*, distinctè intelligimus, aut *Rom.* VIII. 30. *Tit.* III. 7. *&c.* quam *Dan.* XII. 3. ubi Officium principale *Conversionis*, quod juxta Eruditionem tanquam onerosum Ministris incumbit, notari non dubito, atque etiam *Apoc.* XXII. 11.[1] ob α Incrementum ejusdem rei, β & Oppositionem τῦ ἀδικησάτω ἔτι, γ & conformem magis Lectionem alteram Latinam & Græcam veterem, δικαιοσύνην ποιησάτω ἔτι, δ manente tum sufficienti adhuc Distinctione inter Justificationem, ad Proximum vel Opera externa, & Sanctificationem, ad Deum vel Animi constitutionem relatas. Atque hoc sensu rejici non potest Justificationis Divisio, in *Primam*, qua ex Injusto Justus, & *Secundam*, qua ex Justo fit Justior homo; quam tamen adhibentes *Pontificii*, ex hypothesi de ordinario hoc Justificationis significatu, peccant. 2. Quandoque cum allusione ad Actum Forensem; α vel *Liberationem*, quæ ex Absolutorio Judicio sequi solet *Dan.* VIII. 14. *Rom.* VI. 7. 1 *Tim.* III. 16. β vel *Agnitiomem Justitiæ* alterius *Matt.* XI. 19.[2] *Luc.* VII. 29. γ vel *Defensionem Justitiæ* suæ *Gen.* XLIV. 16. δ vel *Declarationem* uberiorem Sententiæ latæ aut Status regenitorum. Quo & postremo sensu inculcant Quidam ex *Nostris* Justificationem *Secundam*, *Piorum*, *ex Operibus*, *quæ fiat Nunc*, *& Futura sit Novissimo Die*, ex locis *Matt.* XII. 37. *Jac.* II. 21. 24. *&c.* haud malè quidem in re, sed tamen α *minus propriè* ob Justificationis obvium alium significatum, β *minusque prudenter*, ob phrasin in fundamen-

mentali Controversia ad Adversarios nimis appropinquantem. 3. Quandoque vero & plurimum *Actum Forensem*, tum communiter hominum *Judicum*, quibus inter se opposito sensu tribuitur, *Pontificiis* etiam fatentibus, [1] הצדיק *justificare* & הרשיע *condemnare Deut.* XXV. 1. *Prov.* XVII. 15. *&c.* tum *Dei*, & *Christum* post obedientiam præstitam Justum Pronunciantis *Jes.* L. 8. & per eum *Electos* Absolventis à morte ac Adjudicantis iis vitam. Qui significatus contra *Pontificios* in hac nostra materia patet; α ex opposita Justificationi *Condemnatione* & *Accusatione Rom.* VIII. 1. 33. 34. β ex Synonymis variis, *Remissionis* potissimum, *Imputationis Justitiæ*, *Constitutionis justorum*, *Inventionis in Justitia Christi*, *&c.* *Rom.* IV. 5. 6. 7. V. 19. 2 *Cor.* V. 21. *Phil.* III. 9. *&c.* γ denique ex Hominis Necessitate, qui præter Justitiæ Infusionem Actu hoc Forensi ad Salutem opus habet. Iste verò Actus Forensis cum relatione ad Deum spectatus, Justificatio *Activa*, cum respectu ad Hominem ac ejus Sensum *Passiva* dici solet. Neque ob continuam Scripturæ phrasin de ejus Promissione & Præstatione circa Fideles dubitare licet.

[1] *Comm. in Loc. & Mant.* XV. *post Anal. Exeg. Jes.* LIII. [2] *Exerc. Text.* XXX. P. III.

IV. Definitur Justificatio; *Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Deus Electis à se vocatis propter Christi Justitiam Fide apprehensam Peccata omnia Remittit, atque Jus ad Vitam Æternam plenum donat, manifestatâ porrò Sententiâ per Verbum & Spiritum variis gradibus & momentis ad eorum conscientiam, ad suæ gratiæ laudem.* Justificationis Definitio.

V. Generatim Justificatio, non minus quam Vocatio, α *Dei Opus* est *Jes.* XLIII. 25. *Rom.* IV. 5. 6. VIII. 33. *Jac.* IV. 12. tum *Triunius*, Filii & Spiritus juxta Patrem, *Jes.* LIII. 11 [3]. 1 *Cor.* VI. 11. licet Oeconomicè *Patri* ut Judici potissimum tribuatur, dum Filius Redemptoris & Spiritus Paracleti personam sustinet; tum *Solius*, ob proprium illi vitæ necisque arbitrium, juxta peculiarem Fidei & Resipiscentiæ cognitionem, singularem Conservationis potentiam, ac testem omnium Conscientiam, *coll. Marc.* II. 7. Quod facit ad eversionem Principalis Tribunalis, à *Pontifice* Romano & Asseclis ipsius erecti, pessimeque stabiliti ex *Potestate Ministeriali Declarandæ* Conditionatè per Euangelii & Sacramentorum administrationem *Justificationis Matt.* XVI. 19. [4] XVIII. 18. [5] *Joh.* XX. 23. *&c.* de quo latius *Cap.* XXXIII. Est Opus Dei Solius. Gratiæ illius. Et quidem ad Fœdus Gratiæ Pertinens.

β *Opus*

ϐ *Opus* ejus *Gratiosum*, sive Actus, sive Causam, sive Fructus spectemus. Quod ore concedentes, re ipsa negant omnes *Pelagiani* & *Justitiarii*, pro Gratia Dei *Merito Humano* substituto. γ *Beneficium* tandem *Fœderis Gratiæ*, dum α per hoc illa promittitur *Ier*. XXXI. 34. XXXIII. 8. *Act*. XIII. 38. 39. *&c*. ϐ Justitiâ Mediatoris tota nititur *Rom*. III. 26. [6] absque qua nec Pœna remitti nec Vita peccatori adjudicari potest; γ nec per Fœdus Operum illa cuiquam contingat aut contingere possit, tum ob Pœnam ex ejus violatione fluentem, tum ob Impotentiam ad Bonum per Peccatum contractam *Iob*. IX. 2. 3. *Psal*. CXXX. 3. 4. CXLIII. 2. *Rom*. III. 20. VIII. 3. *&c*. Quamquam non sit diffitendum, *Adamum*, si perstitisset, *ex Fœdere Operum fuisse Iustificandum*, Vitâ illi absque ulla Peccati Remissione propter Opera præstita, non ex Condigno sed ex Pacto, adjudicandâ: atque *hujus Fœderis Ius etiam implevisse pro nobis Mediatorem*, ut sic remotius ex illo quoque fluat nostra Justificatio. Atque hinc Justificatio, in idea, alia *Legalis*, alia *Euangelica* dicitur, utriusque discrimine ex dictis manifesto.

[3] *Anal. Exeg. Ies*. LIII. [4] *Exerc. Text*. XXX. P. V. [5] *Exerc. Text*. XXXI. P. V. [6] *Exerc. Text*. XXXIX. P. III.

Contingit Electis Solis & Omnibus. Etiam Fidelibus Vet. Test.

VI. Sequitur hinc, pertinere Justificationem ad *Electos*; α *Solos Ies*. LIII. 11. [1] *Rom*. V. 19. VIII. 33. *&c*. juxta restrictum ad hos Amorem Dei, Meritum Christi, Fidemque & Salutis certæ fructum, qui tamen ob suam multitudinem & nullius Electi exclusionem *Omnes* dicuntur *Rom*. V. 18. β *Omnes* adeò *Rom*. III. 22. VIII. 33. *&c*. absque discrimine *Gentis* non tantum, *Sexus*, *Conditionis*, *Ætatis*, sed & tum *Peccatorum* commissorum, graviorum vel leviorum, tum *Graduum Fidei*, magis vel minus roboratæ, tum etiam *Oeconomiæ Vet. aut Novi Testamenti*. Non potest enim *Fidelibus Veteribus*, cum *Socinianis* aliisque, Beneficium hoc totum vel ex parte negari; α ob *Fœderis Gratiæ Generale Promissum*, ipsis factum *Gen*. XVII. 7. *Ps*. XXXIII. 12. quod *Iustificationem* hanc includit *Num*. XXIII. 21. [2] *Ies*. I. 18. XXVIII. 16. XLIII. 25. *Ier*. XXXI. 34. *Act*. X. 43. *&c*. ϐ ob *Exempla* specialia *Iustificatorum*, *Abrahami*, *Rachabæ*, *Davidis*, *Hiskiæ*, *Rom*. IV. 3. *Iac*. II. 25. 2 *Sam*. XII. 13. *Psal*. XXXII. 5. [3] CIII. 3. *Ies*. XXXVIII. 17. *&c*. γ ob non inutilem *illorum Fidem*, *Spem*, *Precesque*, & aptè secutas etiam *Gratiarum Actiones Psal*. LI. 3. 4. LXV. 4.

4. LXXXV. 3. *Mich.* VII. 18. 19. [4] *&c.* δ ob *Salutem* denique illorum *per Christum*, & Salutis concessam illis *Certitudinem*, quæ asserta & defensa *Cap.* XVII. §. XI. & XII. absque Justificatione subsistere nequeunt.

[1] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [2] *Comm. in Pentat.* [3] *Exerc. Text.* XXII. P. V. [4] *Comm. in Loc.*

Discrimen inter Justificationem Patrum & Nostram. Quod per varias hodie phrases nimis augetur. Cum Christus dicitur sub V. T. non fuisse Expromissor, sed Nudus Fidejussor. Cum negatur illis Vera & Plena Justificatio ac Remissio. Cum constituuntur illi sub Reatu Iræ, Maledictione, & Potestate Satanæ. Cum negatur illis Consummatio & Conscientia Tranquilla.

VII. Lubentissimè tamen fatemur *Discrimen* inter *Justificationem Patrum & Nostram sub Novo Test.* quoad α *Justitiam Christi* tunc adhuc *adducendam*, jam *adductam*; β *Oblationes Præfigurativas*, & Peccatum necdum Expiatum memorantes, quæ tunc *obtinebant*, nunc *cessant*; γ *Justificationis* ipsius, *Restrictæ* tunc magis, majorem hodiè *Extensionem*, δ ejus denique *Clariorem Insinuationem*, quæ fit hodiè per *Euangelium* externè & per *Spiritum* internè. In quibus vellemus omninò Nobiscum quoad Phrasin, æquè quam Rem, substitisse *Recentiores ex Nostris*, qui hæresin quidem *Socinianam* prorsus detestantur, sed hic tamen summopere *Incongruas Locutiones*, in Hæresin inducere sono suo aptas, cum multiplici Scripturarum παρερμηνείᾳ inculcant. Qualis est: I. *Christum sub Vet. Test. non esse considerandum, ut Expromissorem*, sed ut nudum *Fidejussorem*; in quem adeò *non* sit facta *Absoluta Debiti Translatio*, dum retinuerit Deus *Jus à Fidelibus ut Debitoribus Solutionem Exigendi.* Quod pugnat; α cum Absolutissimo, Sapientissimo, & Immutabili, Gratiæ Electis in Christo præstandæ Proposito; β cum Absolutâ Peccatorum ab Homine impotenti in Christum Sufficientem & certo Soluturum Translatione, promissa & facta; γ cum ipsa denique Fide & Gloriatione Patrum perpetua de ista. Nec repugnat; α vel appellatio ἔγγυος *Hebr.* VII. 22. quæ non solum *Fidejussorem*, oppositum *Expromissori*, sed & quemvis *Sponsorem* notat, & hic ob Personam & naturam Fœderis Novi plenissimo sensu intelligi debet; β vel *Obligatio Propria Expromissoris*, quam Christo non quidem ex culpa à se commissa, sed ut voluntariò pro aliis susceptam omninò rectè tribuimus; γ vel *Chirographum* olim *in Sacrificiis* exactum, quod fuit Debiti Solvendi neutiquam à Peccatore ipso, sed ab Uno Sponsore; δ vel *Typus Victimarum*, in quas jamjam offerendas demum Peccatum transferebatur, cum offerendus mox fuerit sub Vet. Test. Christus, & umbra hæc veritatem non habuisset, si in ipsa Mactatione sub Novo Test. sola Translatio tantum obtinuisset; ε

vel dictum Pauli 1 *Cor*. XV. 17. 18. ubi Necessitas Resurrectionis ad plenitudinem Satisfactionis monstratur tantum, quæ olim utraque à Deo Cognita & Certa erat, dum in Casu Impossibili Satisfactionis post Sponsionem non præstitæ homo sane foret extra culpam novam, quin & veterem revocandam. 2. Fuisse *Justificationem* & *Remissionem*, Patribus factam, *Minus Plenam & Veram*. Quod concipi vix potest; dum α Justificatio ut Actio Forensis, & Simul Semelque Perfecta, Gradus propriè Nullos admittit; β Peccata illis Omnia, & respectu Omnis Pœnæ Satisfactoriæ, Remissa fuerunt, cum Jure Pleno ad Beatitatem Cœlestem mox adipiscendam; γ tribuuntur illis Voces & Phrases omnes significantissimæ, tum Negativæ, לא החזיק אפו *non retinendi iram suam Mich*. VII. 18.[1] לא זכר *non reminiscendi Jes*. XLIII. 25. לא חשב *non imputandi Psal*. XXXII. 2.[2] לא ראה *non videndi*, *&* לא הביט *non intuendi Num*. XXIII. 21.[3] *&c.* tum Positivæ, סלח / כבש / עבר / כסה / כפר / נשא / העביר / טהר / מחה / השליך / *condonandi*, *subigendi*, *transeundi*, *tegendi*, *placandi*, *tollendi*, *removendi*, *mundandi*, *delendi*, *projiciendi*, *Exod*. XXXIV. 9. *Mich*. VII. 19.[4] *Psal*. LXXXV. 3. *&c.* in quibus nonnullis inane quandoque discrimen ponitur, quin & ipsa Vox ἀφέσεως, tum apud τὺς LXX. tum in Novo Test. ubi de tempore Ante Mortem Christi agitur *Matt*. VI. 12.[5] 14. IX. 2. *Marc*. I. 4. *Luc*. VII. 47. 48. *Act*. X. 43. *Rom*. IV. 6. *Hebr*. IX. 22. quo postremo loco αἱματεκχυσία non Christi ipsius sed Victimarum omninò intelligitur. Nec obstat; α *tributa Tempori Vet. Test*. πάρεσις *Rom*. III. 25.[6] quæ aut ab ἀφέσει non in re ipsa sed tantum in modo significandi differt, aut potius non ἀφέσει, sed κολάσει, seu *Punitioni* actuali Peccatorum in Christo nunc factæ opponitur, atque sic etiam versa per *Transmissionem*, *Prætermissionem*, *Præteritionem*, *Dissimulationem*, *&c.* secundum Virorum Doctorum crisin, ἄφεσιν longe potius infert quam excludit; β *promissa* è contra *sub Novo Test*. ἄφεσις *Act*. X. 43. *Jer*. XXXI. 34. quæ propterea in se non magis, quam reliqua Connexa Beneficia, huic Test. propria est, sed in nonnullis Circumstantiis, nisi per Novum Test. simpliciter Fœdus Gratiæ intelligamus Fœderi Operum oppositum; γ *negata Legi Mosis Justificatio Act*. XIII. 39. quæ propterea Patribus, sub Legis Ministerio viventibus, ex Euangelio & Sponsione Christi non est deneganda; δ *exclusa per ἄφεσιν Oblatio Hebr*. X. 18.[7] cum adversus Victimas nunc Offerendas

non

non argumentetur hic Apostolus ex vi *vocis* ἀφέσεως, quæ nil aliud quam *Remissionem* notat, vel ex *Plenitudine* ejus, sed ex Expiatione per Christum facta, & Memoriâ Peccati nondum Expiati plane tollenda, ut vel metonymice heic sit posita ἄφεσις, vel talis ex antecedentibus intelligenda ἄφεσις sive Remissio, quæ cum his foret juncta; ε *connexa cum Actuali Redemptione Christi* ἄφεσις *Eph.* I. 7. *Col.* I. 14. cum hæc ex illa omnino fluat, & Nostrorum qui jam vivimus Peccatorum Remissio illam certò consequatur; ς vel *Catechesios Heidelb. Resp.* LXXX. in qua Plena Remissio Nobis cum exclusione Patrum neutiquam tribuitur, ac si illi hanc juxta nos non habuissent per futuram Christi Oblationem, sed clarissimè opponitur Remissionis nostræ Perfectioni, quam ex *Sacrificio Missatico* repetunt *Papistæ*. 3. *Fideles Patres constitutos fuisse sub Reatu, Ira, Maledictione*, quin & quadantenus sub *Satanæ Potestate*. Quod admitti non potest, si veri nominis obtinuerit Justificatio, utpote Pœnam ab Electis omnem auferens, Deique gratam Communionem ipsis restituens. Quodque infeliciter concluditur; α tum ex *Peccatis* adhuc *Manentibus*, *nec Ablatis*, vel *Expiatis*, adeo ut *Conscientia eorum* & χειρόγραφον ὑπεναντίον adhuc esset, *coll. Rom.* V. 13. *Hebr.* IX. 15. 28. X. 2. 3. *Col.* II. 14. cum Loca priora sint ἀπροσδιόνυσα, Peccata manserint in tabulis non Fidelium sed Sponsoris, Remissio ut Effectus Moralis ob præsentem Sponsionem futuramque certo Solutionem ante Expiationem actualem merito præcesserit, atque hinc Conscientia & Chirographum neutiquam fuerit Peccati Non Remissi, sed Non Expiati, certissime licet Remissi; β tum ex locis *Jes.* X. 25. XII. 1. LIV. 7. 8. *Jer.* XXXI. 32. *Dan.* VIII. 19. *Zach.* IX. 11.[9] *Rom.* IV. 15. *Gratiaque & Reconciliatione Novo Test. vindicata Joh.* I. 17. *Eph.* I. 6. *Col.* I. 20. ac *Ira Dei necdum tunc exercita*, cæteroquin *Satisfactione Christi non futura Necessariâ*, cum Loca isthæc priora ineptissimè ad Oeconomiarum Discrimen torqueantur, verius relata ad externa Iræ propter peccata quandoque exardescentis, uti etiam fit hodie, specimina, vel ad Legis Proprium in Peccatore Effectum, Gratiæ dein & Reconciliationis tum actualis à parte Christi Impetratio, tum clarior Prædicatio, ac latior Extensio, omnem ejus Participationem Veteribus non auferat, tandemque Ira Dei, cum Peccatis translata, in Mediatore solo & quidem necessario demonstranda fuerit; γ tum

ex locis 2 *Cor.* III. 7. 9. *Gal.* III. 10. & *Maledictione per Christum* demum *ablata Rom.* VIII. 1. *Gal.* III. 13. cum primus textus tantum doceat, sub Ministerio & frequentiori Maledictionis Transgressoribus denunciatæ Prædicatione vixisse Patres, alter dein ad Justitiarios spectet ex Operibus Legis vitam quærentes, non aliâ sane intelligendâ ibidem Maledictione, quam quæ Benedictioni opponitur, quæ Lege denunciatur, quam subiit Christus, & à qua nos hic liberavit, ac perperam collatâ diversa Pauli phrasi & mente ex *Rom.* IV. 16. nulla tandem postremis locis sit oppositio Vet. & Novi Test. sed tantum Illatio & Propositio Communis Beneficii ex actu Christi sub Novo Test. præstito fluentis; δ tum ex locis *Gen.* III. 15. *Joh.* XII. 31. *Hebr.* II. 14. *Apoc.* XII. 9. 10. [10] *&c.* ex quibus nil aliud concludi potest, quam Virtute Christi sola Potestatem Satanæ tolli, magisque, respectu tum Publicæ Declarationis, tum latioris Extensionis, tum Motuum Hostilium adversus Ecclesiam, hanc Imminutam esse, & in Morte ipsa & in sequente Gloria Christi. 4. *Non competiisse* Patribus iisdem *Consummationem*, nec *Conscientiam Tranquillam*, sed fuisse ipsos *jugi Mortis Metui subjectos.* Quæ, uti sonant, cum Fruitione Divinæ Bonitatis, temporalis & æternæ, Justificatione Passiva, & Tranquillitatis frequenti Professione *Job.* XIII. 15. *Psal.* XXIII. 4. LXXIII. 24. *Prov.* XIV. 32. *Hebr.* XI. 35. *&c.* conciliari sanè nequeunt. Nec confirmantur; α vel locis *Hebr.* VII. 19. X. 1. 2. 14. XI. 40. *&c.* quæ aut *Legi*, non verò Patribus sub ejus Ministerio quidem sed cum Euangelicis promissionibus juncto viventibus, *Consummationem* auferunt, aut Consummationem hanc à Christi Sacrificio ut Causa tantum repetunt, aut ad *Fœderis Oeconomiam Consummatam* per Promissionum Implementionem Regnique Dei Extensionem spectant, *Fidelibus* singulis neutiquam ablatâ *Consummatione* necessaria Gratiæ & Gloriæ; β vel *Conscientiâ Peccati*, *Malâ*, *Non Purificata*, quæ ipsis videtur tribui *Hebr.* IX. 14. X. 2. 22. *&c. non* concesso etiam per Ceremonias *Fiduciali ad Deum Accessu*, *Promissâ* simul sub Novo Test. *Quiete*, *&* *Liberatione ex Fovea*, *Ps.* XCV. 11. *Zach.* IX. 11. [12] ac manente *Exspectatione* avidâ *Melioris Temporis*, per quam *Sitientes* fuerint jugiter *Matt.* XIII. 17. *Joh.* VIII. 56. [13] *Deut.* XXIX. 19. [14] *&c.* cum *Conscientia Peccati* hic neutiquam sit Non Remissi sed tantum innuatur Non Expiati, *Mala* non ad Patres sed
ad

ad Statum Peccati referatur, *Purificatio* Conſcientiæ quoad Remiſſionem & Sanctificationem non quidem per Legem ſed per Sanguinem Chriſti olim quoque fuerit facta, *Acceſſus Fiducialis* in Cultu Spirituali olim omnino non obſtante Ceremonialis Legis ſepe patuerit Fidelibus, *Quies &* Conſcientiæ & Externa ſub Novo Teſt. tantum ſit adaucta, *Fovea abſque Aqua*, ſuffocante verius quam purgante aut refocillante hominem, non notet Statum Patrum Fidelium, ſed Captivitatis & Corporalis & Spiritualis per Naturam, *Exſpectatio* denique Certa Meſſiæ Conſcientiam illorum tranquillaverit potius quam turbaverit, uti in nobis agit ἐπιφανείας ejus noviſſimæ Deſiderium, ineptiſſimè denique adducatur *Sitientis* juxta *Ebriam* apud *Moſen* mentio, qui Proverbialem locutionem in eodem & ſequenti Verſu longe aliter expoſuit; γ vel denique locis *Hebr.* II. 15. *Rom.* VIII. 15. Exemplis *Pſ.* XXX. 10. LXXXVIII. 11. 12. *Jeſ.* XXXVIII. 2. 10. *&c.* & Rationibus Metus, quæ fuerint *Legis Minæ*, *Mortis* θενλάτυ *Exempla*, *Longævitatis in Canaan Sacramentalis ratio*, *Deſiderium Chriſti Videndi*, *Mortisque manens ad Chriſtum Maledictio*, cum textus Pauli *ad Hebræos* de Timore Mortis potiſſimum Æternæ agat, quo omnes naturaliter à Diabolo Mortis Poteſtatem habente cruciantur, ex collatione *verſus* 14. & Scopo Mortis Chriſti præcipuo, alter *ad Romanos* nil amplius quam Legis Terrificum & Servile magis Miniſterium docere queat, Fideles hodieque ſive ex infirmitate ſive ex ſtudio gloriæ Dei promovendæ Mortem ſæpe deprecentur, Minæ omnes Legis hodie plane non ceſſent, nec olim Promiſſa excluſerint, aut Fidelibus officio fungentibus metuendæ fuerint, Judicia Dei Extraordinaria Immorigeros concernant, nec hodiè ea negare liceat, Longævitatis Promiſſum etiam hodie Pietas habeat, haud deplorandâ unquam nec olim Rei obſignatæ cum Pignore Permutatione in Morte, Chriſtum in Fine Dierum venturum facilè ſe coram cernere in carne non poſſe intelligerent Fideles, viſione fidei & beata merito contenti, Mortis denique Maledictio tum omnino per futuram mortem Chriſti jam à Fidelibus fuerit ablata.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XXII. P. V. [3] *Comm. in Pent.* [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XXIX. P. III. [6] *Exerc. Text.* XXXIX. P. III. [7] *Exerc. Text.* XLVIII. P. III. [8] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [9] *Comm. in Loc.* [10] *Comm. in Loc.* [11] *Exerc. Text.*

XXI. P. V. [12] *Comm. in Loc.* [13] *Exerc. Text.* XXXVIII. P. IV. [14] *Exerc. Misc. Disp.* V.

Considerantur Electi in Justificatione ut Peccatores, sed Vocati & Credentes.

VIII. Longiori, sed ob rerum textuumque multitudinem brevissima simul, thesi examinatis his *Recentiorum* multorum phrasibus, progredimur ad *Statum*, in quo considerantur Electi, dum à Deo justificantur. Atque dum hic, nec de Justificatione Legali Adamo per Fœdus Operum proposita, nec de Christo, qui ob Liberationem & demonstratam in ea Absolutionem, tum à Peccatis Fidelium in se verè susceptis, tum ab imputatis à Judæis Sceleribus, Justificatus quoque dicitur, agimus; dicendum est, Electos considerari, α ut *Peccatores*, in se damnabiles *Rom.* IV. 5. 6. V. 6. 8. 10. *&c.* β sed simul ut *Vocatos* & *Credentes Rom.* III. 26. V. 1. *Joh.* I. 12. III. 16. 36. *&c.* gratiâ unâ continuò alteram sequente. Neque enim hic spectamus; vel generalem Declarationem Mediatoris, aut Satisfactionis ab illo præstitæ; vel Justificationis Fontem, Dei Amorem Æternum; vel ejus apertiorem Declarationem ad Animam, quæ in Sanctificatione, in Morte, quin & in Judicio Ultimo, fieri rectè dicitur.

Actus Justificationis Duo sunt distinguendi.

IX. *Duo* circa hos Deus justificans agit, *Absolvit* nempe, & *Adjudicat*. Quæ quidem *non* sunt hic *divellenda*, ut conjunctissima & se invicem synecdochicè quandoque etiam comprehendentia *Rom.* IV. 7. V. 19. *&c.* sed tamen omnino *distinguenda*, perinde ut in Sanctificatione Ablatio Maculæ & Collatio Divinæ Imaginis; uti liquet, α tum ex *natura Fœderis Gratiæ*, Jus Legis Adamo statutum non tollentis, sed confirmantis *Rom.* III. 31. VIII. 3. X. 5. *&c.* β tum ex solius *Absolutionis Insufficientia*, quæ Peccatorem non magis quam Adamum Integrum beare potest, γ tum ex expressa *Justitiæ*, Peccatis oppositæ, & *Imputatæ*, mentione *Dan.* IX. 24. [1] *Act.* XXVI. 18. *Rom.* IV. 6. V. 19. *Gal.* IV. 5. *Apoc.* I. 5. 6. [2] *&c.*

[1] *Exerc. Text.* XXV. P. VI. [2] *Comm. in Loc.*

Primus est Absolutio à Reatu Actuali, Alter Adjudicatio Vitæ Æternæ.

X. *Absolutio* consistit; non in *Ablatione Maculæ* Peccati, quæ ad Sanctificationem spectat; nec in *Sublatione Reatus Potentialis*, seu intrinsecæ damnabilitatis, quæ manente Peccato manet semper; sed in *Remissione*, seu *Condonatione*, *Peccatorum*, ut *non imputetur* ipsis Electis eorum *Culpa*, atque *à Pœna* eorum ipsi *eximantur*, unde sunt variæ phrases negativæ & positivæ antea notatæ §. II. & VII. Hic vero; α nec admittenda est ulla *Peccatorum* Di-

Distinctio in Mortalia & Venialia, Ante & Post Baptismum commissa, Graviora & Leviora, Præsentia Præterita & Futura, *Jer.* XXXI. 34. *Ezech.* XXXVI. 25. *Act.* XIII. 39. *Rom.* VIII. 1. 1 *Joh.* I. 7. *&c.* qualem ineptè fingunt *Papistæ*; β nec somnianda cum iisdem *Culpæ Remissio absque Remissione Pœnæ*, proprie dictæ omnis, temporalis & æternæ; γ nec statuenda *Remissio* aliqua *Potentialis*, *Conditionata*, & *Revocabilis* per sequentia Peccata, qualem urgent, tum ex hypothesi Satisfactionis Universalis *Arminiani*, tum etiam ob Meritorum & Apostasiæ doctrinam *Papistæ*, notati *Cap.* XXII. §. XXXII. sed *Actualis*, *Absoluta*, *Certa*, *&* *Irrevocabilis* plane. Cum qua jungitur *Adjudicatio Vitæ Æternæ*, certò obtinendæ, secundum Propositum Dei æternum. Qui Uterque Actus fit *simul semelque*, dum homo Electus credit; & pariter exercetur *absque discrimine erga omnes Credentes*, licet *Notificatio ad Animam* successivè fiat major, desideretur hinc quotidiana oratione, & suos habeat gradus diversissimos. Qui vero ex *Nostris* quidam *Remissionem Solam* heic urserunt, hi opposuerunt tum illam *Papisticæ* Justitiæ Infusioni.

Quæstio de Justificationis Causa Materiali proponitur.

XI. De hujus Divini Beneficii *Causa*, præter Divinum Amorem & gratiosum Propositum, sive *Impulsiva Externa*, sive *Materiali*, sive *Meritoria*, succedit Quæstio maxima & maximè agitata per Diaboli fraudem. Quam statuit nostra Ecclesia sola *Solam Plenissimam Christi Justitiam*, quam ille Divinæ Legis perfectissima Obedientia, & Satisfactione prò Peccatis nostris exactissima, per singularem Dei Gratiam nobis acquisivit, quam nos Fide ut talem amplectimur, quamque benevolè imputat Deus. Ac est hic nobis Articulus *Stantis & Cadentis Ecclesiæ*, *Consolationis*, *& Salutis*.

Sententia nostra confirmatur Argumentis justis.

XII. Sententiam hanc solidissimè probamus. 1. Locis, quæ clare *proponunt*, tum *Justitiam Christi ut Nostram*, tum *Sanguinem & Redemptionem* ejus ut *Causam nostræ Justificationis*, non Remotam & Occasionalem, sed *Proximam* omnino, *Jer.* XXIII. 6.[1] *Dan.* IX. 24.[2] *Rom.* V. 19. 1 *Cor.* I. 30. 2 *Cor.* V. 21. *Phil.* III. 9. *Rom.* III. 24. V. 9. *Eph.* I. 7. *&c.* 2. Locis, quæ *Pretium* à Nobis dandum *Jes.* LV. 1. *Rom.* III. 24. & *Opera Nostra excludunt Psal.* CXLIII. 2. *Rom.* III. 20. 28. IV. 6. *Gal.* II. 16. *&c.* Non utique α *Ceremonialia* tantum, cum agatur de *Lege* simpliciter, etiam illa, ex qua ut norma Cognitio Peccati est, quæ Gentium

Cor-

Cordi inscripta, quæ omnes damnat, & cum Opera non Operibus sed *Fidei* opponantur; β non etiam illa sola *quæ Ante Fidem & Gratiam præcedunt*, cum restrictio omnis absit, de his ut malis nulla moveri possit jure disputatio, hæc sola gloriationem non inferant, textusque Mosis & Davidis obstent; γ sed *Omnia* plane. Quæ destituuntur etiam *Requisitis Operum Meritoriorum*; α Perfectione Generali & Speciali *Jac.* III. 2. *Jes.* LXIV. 6. *&c.* β Libera & Indebita Præstatione *Luc.* XVII. 10. γ Propria Sufficientia 2 *Cor.* III. 5. ac δ Proportione cum Vita Æterna 2 *Cor.* IV. 17. Quæ partim in Merito *ex Condigno*, partim etiam in Merito *ex Pacto* debent adesse. 3. Locis quæ *Gratiam Dei hic prædicant Rom.* III. 24. V. 17. *Eph.* II. 8. 9. non *Subjectivam*, & Sanctitatem in nobis operantem, sic enim Operibus opponi illa non posset, sed *Objectivam*, sive Favorem ejus immeritum, qui Operibus nostris opponitur *Rom.* XI. 6. 4. Locis, quæ docent *nos Justificari Fide*; non utique ut Opere, cum Operibus omnibus ipsa opponatur, sed ut *Instrumento*, quo Christi Justitiam apprehendimus, *organicè* adeo & *relative*. Et quidem *Sola*; quæ vox non Separatam Fidei Existentiam, seu *Divisam Operationem* notat, uti Solis, non tamen è corpore reliquo evulsis, Oculis Visio, Pedibus Solis Ingressus, Ori Soli Esus tribuitur; quæ non Gratiam Dei, aut Meritum Christi, sed *Opera Nostra* excludit; quæque licet expresse non legatur, nisi *Marc.* V. 36. satis tamen innuitur, dum *Absque Operibus*, & *Non ex Operibus*, ad Fidem adjicitur *Act.* XIII. 39. *Rom.* III. 25. 28. *Gal.* II. 16. *Eph.* II. 9. 5. Denique *Ratione*; α petita à *Dei Justitia*, ob aliam causam nullam neutrum Justificationis Actum admittente; β ab *Hominis* omni jure destituti *Necessitate*, hinc & impedienda *Gloriatione*; γ denique ex natura *Sponsionis* & *Satisfactionis* Christi prò Nobis, tam *Legalis* quam *Pœnalis*, quam assertam dedimus *Cap.* XX. §. XVII. & XXI.

[1] *Exerc. Text.* XX. P. VI. [2] *Exerc. Text.* XXV. P. VI.

Generales Objectiones contra Imputationem Justitiæ Christi diluuntur.

XIII. Generales *contra* hanc *Justitiæ Christi Imputationem Objectiones* sunt. 1. *Justificationis* Vocem ex origine sua & usu denotare *intrinsecam Mutationem*; in primis, cum dicitur esse *Impii*, *Rom.* IV. 5. cum tribuitur *Doctrinæ* Christi *Jes.* LIII. 11.[3] cum comparatur denique cum *Peccato ex Adamo* non Imputative tantum sed & Inhæsive fluente, *coll. Rom.* V. 19. *&c.* Sed α non origo com-

communior, nec rarior verum frequentior significatio hic urgeri debet; ϐ Justificationem *Impii* dixit Apostolus, non ad introductam Pietatem respiciens, sed ad excludenda Opera Priora; γ *Cognitio*, vel *Agnitio*, Christi in adducto *Jesaiæ* loco non Doctrinam ejus, sed vel Amorem ipsius, vel Fidem potius in ipsum notat, ut Peccata auferentem & Justitiam adducentem; δ *Apostolus Adamum cum Christo* comparat, ex universo Capitis & Epistolæ scopo, in Imputatione Inobedientiæ unius & Obedientiæ alterius, non negata interim Sanctitate, quæ Justificationem sequitur, perinde ut Corruptio secuta est Imputationem Criminis. 2. *Imputationis Justitiæ Christi*; α *nec* in Scripturis *exstare Phrasin*; ϐ *nec* ullam *esse Necessitatem*, post deleta Peccata, atque assertam hominis propriam Perfectionem, etiam *Cant.* IV. 7. + γ *nec admittendam esse Fidem*, ob *Pretium* hinc exclusum, *Gratiamque Dei* assertam. Sed α Phrasis ipsa *Imputari*, & similes, *Constitui Justos*, *Reperiri in Justitia*, *esse Justitiam*, *&c.* leguntur *Rom.* IV. 5. V. 19. 2 *Cor.* V. 21. *Phil.* III. 9. & res ipsa ubique; β nec Peccata ob aliam quam Christi Justitiam *deleri* possunt, nec Deletio hæc sola Jus ad vitam dat, nec hominis *Perfectio* ad Justificationem sufficiens usquam legitur vel asseritur, latius evertenda *Cap.* XXV. & jam eversa *Cap.* XI. §. XXXVII. *Pulcritudine* Sponsæ intelligendâ de Perfectione Partium & gratiosa Sponsi Complacentia; γ *Pretium* Proprium nostrum tantum hinc excluditur, non alienum Christi, atque inculcatur *Gratia* nobis facta, quæ Justitiam non evertit Judicis. 3. *Justitiam Dei non admittere nudam Imputationem Justitiæ Alterius*, cum judicium ejus sit *secundum veritatem*; uti neque Ratio Communis patitur, *Æthiopem* sive ob alterius sive ob vestis suæ albedinem *Album* vocari. Sed α licet Justitia Dei repudiet Solutionem Imaginariam, non tamen similiter evertit Solutionem Veram & Plenam ab altero ex gratia factam, in primis dum Christus multiplici nexu Noster est; ϐ Judicium hic non respicitur Dei de Intrinseco Hominis Statu, sed dè Jure ejus gratioso; γ Albedo denique qualitas est inhærens, quæ cum Jure ad Vitam Actuque Forensi malè propterea confertur; δ nec ineptè alba veste indutus, eatenus Albus dici potest, in primis si vestis paulatim colorem cutis mutaret, uti fit per Justitiam Christi in Credentibus. 4. Ex *Imputatione hac* sequi; α tum Christum per Imputationem Peccati constitutum esse *Pec-*

catorem, qui tamen *Justus* constanter dicitur; β tum nos *Æque Justos fore*, quam Christus est, adeoque & Mundi Salvatores; γ tum *Non Restitui nobis id in Christo*, quod in Adamo perdidimus, Justitiam sc. Inhærentem; δ tum *Absolvi nos à Justitiæ Studio*, & vanam hominum impiorum *Jactantiam* foveri. Sed α omnino Christus in judicio Dei ut Peccator tractatus est vi Sponsionis, licet in se Justissimus & post satisfactionem Justificatus, hinc & *Peccatum* & *Maledictio Factus esse* dicitur 2 *Cor*. v. 21. *Gal*. III. 13. β Justitiæ Christi Imputatio discrimen Capitis & Membrorum, Vadisque & Debitoris primi, non tollit; γ per Justificationem plus nobis verè tribuitur quam Adamus habuit, & cum hoc Beneficio jungenda est Sanctificatio, per quam Justitia Inhærens, magis quidem Constans sed minus in hac vita Perfecta, quam Adamo, nobis contingit; δ Justitiæ denique studendum est, absque persuasione Meriti, ad Gratiæ Divinæ Confirmationem & declarandam Gratitudinem nostram, absque qua cum Justificatio nec obtineat vere, nec Homini Constare possit, satis explosa est Impiorum inanis Jactantia.

[3] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [4] *Comm. in Loc.*

Pontificiorum de Justificationis Causa sententia clare exponitur.

XIV. Sed propius aliorum sententia videnda & examinanda est, *Pontificiorum* sc. *Socinianorum*, *Anabaptistarum*, & *Arminianorum*, qui omnes *Judæorum*, *Judaizantium*, & *Pelagianorum*, vestigia sequuntur. Summa sententiæ *Pontificiorum* hæc est; *Absolutionis* actum niti, partim nostrâ, partim Christi *Satisfactione*, *Adjudicari* verò nobis *Vitam Æternam* propter Operum nostrorum *Merita*, primum *de Congruo*, postea verò *de Condigno*, vel etiam, ut pauciores alii mollius se explicant, *ex Pacto*; *Fidem* porrò hic considerari, vel ut *Informem*, absque Charitate, quæ ad Justificationem tantum faciat *dispositivè*, vel ut *Formatam* per Charitatem, quæ eatenus *Jus* nobis *Beatitatis* det. Ex quibus, ut & ex negata palam Imputatione Justitiæ Christi ac Justificatione per Fidem solam, liquet facilè, quidquid de sensu Vocum *Justificandi*, *Merendi*, *Fidei*, *&c.* quæstiones nonnullæ misceantur, quidquid in prædicanda *Fide*, *Gratia*, *&* *Merito Christi*, ludant etiam sæpe Adversarii, *Quæstionem* hic cum illis *non esse nobis Logomachicam*, aut *Leviorem*, ut imprudentissimè nonnulli voluerunt Recentiores in Galliis & alibi, sed quam maxime *Realem & Gravissimam*, quæ hinc quoque ad Secessionem ex Papatu nos coëgit.

XV.

XV. Ad sententiæ hujus *Confutationem* sufficiunt, quæ tum alibi adversus *Humanas Satisfactiones*, *Merita de Congruo*, & *Dispositiones* Vocationem *Antecedentes*, *Fidem Informem & Formatam*, tum nominatim adversus *Merita Propria*, in Fœdere Operum non Gratiæ illo, obtinentia, produximus §. XII. *Num.* 2. Ut hic solvendæ tantum sint *Objectiones*, quæ ad sequentia potissimum capita reduci possunt. 1. Loca, quæ *Judicium & Retributionem* docent *Secundum Opera Propria*, κατὰ τὰ ἔργον αὐτῦ ἔςαι, πρὸς ὃ ἔπραξεν ἕκαςος, Qualitate utique & Quantitate in Malis Operibus non tantum sed & *Ratione Pœnæ* sic significata, *Job.* XXXIV. 11. *Psal.* LXII. 13. *Prov.* XXIV. 12. *Jer.* XXXII. 19. *Matt.* XVI. 27. *Rom.* II. 6. 2 *Cor.* V. 10. *Apoc.* II. 23. XX. 12. XXII. 12. &c. imo & *Propter Opera Matt.* XXV. 35. *Luc.* VII. 47. *Apoc.* VII. 15.[1] &c. Ad quæ respondemus; α phrasin illam *Secundum Opera* nihil amplius innuere, quam *Qualitatem & Quantitatem* illorum, ne quidem *in Malis Operibus*, quæ tamen ex sua natura, utpote perfecta ad pœnam inferendam, aliisque ex locis & phrasibus, deprehenduntur esse Meritoria; β *Propria Opera* in iis non opponi Justitiæ Mediatoris, sed Aliorum Hominum, *coll. Rom.* XIV. 12. *Gal.* VI. 5. γ Conjunctiones & Præpositiones γὰρ, διὸ, διὰ τῦτο, &c. sæpissime esse *Ratiocinativas*, non *Causales*, ut *Matt.* XVI. 2. 3. 1 *Cor.* X. 5. *Hebr.* III. 1. &c. δ nec aliter posse accipi eas in textu *Matthæi*, ubi in Sententia Absolutoria expositâ jam Juris ad Vitam Causâ, Benedictione sc. Præparatione, & Testamento Patris, Opera Bona tantum debent considerari ut hujus Consequentia quædam Argumenta; nec etiam in textu *Lucæ*, ubi *Judicium Declarans* innui, liquet ex Occasione dicti, Parabola integra, Membro Opposito, & Clausula *vers.* 50. ε dum tandem in *Apocalypsi* immediatè præmissa est *Ablutio in Sanguine Agni*. 2. Loca, quæ *Retributionis*, ἀποδόσεως, & ἀνταποδόσεως, *Matt.* VI. 4. *Rom.* II. 6. *Col.* III. 24. 2 *Thess.* I. 6. &c. *Mercedis*, & μισθαποδοσίας *Matt.* V. 12. 46. *Hebr.* X. 35. XI. 6. 26. &c. *Operandæ Salutis Joh.* VI. 27. *Phil.* II. 12. 2 *Cor.* IV. 17. *Dignitatis Luc.* XX. 35. XXI. 36. 2 *Thess.* I. 5. *Apoc.* III. 5[2]. &c. itemque *Meriti Matt.* XX. 14. *Hebr.* XIII. 16. &c. hic meminerunt. Ad quæ respondemus; α esse hic planè intelligendam *Retributionem & Mercedem*, non ex Debito, sed *ex Gratia*, secundum Paulum *Rom.* IV. 4. etiam *Col.* III. 24. dum *Retributionem*

Horum Objectiones plurimæ recensentur & solvuntur.

Hæreditatis memorat, secundum ipsius Christi interpretationem, tum *Jes.* LV. 1. 2. tum *Matt.* V. 46. *coll. Luc.* VI. 32. secundum Justitiæ tandem & Vitæ Æternæ naturam *Rom.* V. 17. VI. 23. *Eph.* II. 8. *&c.* quæ tamen rectè *Merces* dicitur, quod post laborem exantlatum homini contingat, antea illi promittatur, sit certa, operantemque sui desiderio incitet; β *Operationem Salutis* non spectare ad ejus Jus, sed actualem Acquisitionem, nec etiam inferre Operis Meritum, sed tantum ei annexum Gratiosum Promissum; γ *Dignitatem* sæpe notare Aptitudinem & Convenientiam quamcunque *Matt.* III. 8. X. 11. 37. 38. *&c.* & esse sæpe non tam Intrinsecam, quam ex alterius Gratiosa Dignatione ortam *Act.* V. 41. *Col.* I. 12. *&c.* nec aliam in hac materia posse intelligi, uti præter rei naturam ostendunt loca *Luc.* XXI. 36. *&* 2 *Thess.* I. 11. γ *Merendi* denique & *Meriti* Vocabula, à Patribus latius pro certa Acquisitione vel Exactione usurpata, in Scripturis non legi, nisi in inepta heic *Versione Vulgata*, quæ pro εὐαρεστεῖται seu *delectatur* posuit *promeretur*, dum *Parabola* non ultra scopum suum extendi debet. 3. Loca, quibus, vel sancti ad *Justitiam Suam* provocant, uti fit *Ps.* VII. 9. XVII. 1. XVIII. 21. *&c.* vel Deus *ex Justitia* nobis retributurus dicitur 2 *Thess.* I. 6. 2 *Tim.* IV. 8. *Hebr.* VI. 10. 1. *Joh.* I. 9. *&c.* Ad quæ respondemus; α in prioribus respici, non ad *Justitiam* integram *Personæ*, quæ in Sanctorum nemine locum habet, sed vel ad Cordis *Sinceritatem*, vel ad *Justitiam* alicujus specialis *Facti*, vel ad *Justitiam Causæ* cum hostibus agitatæ, *coll Ps.* XXVI. 2. *Neh.* XIII. 14. *Job.* XXXI. 6. *Psal.* XXXV. 7. *&c.* β in posterioribus notari *Justitiam*, non Permutativam, sed *Distributivam*, quæ non Legis sed *Euangelii* sequitur normam, & respicit adeo ad Christi Perfectissimam Justitiam, à nobis apprehensam, non Propriam Nostram, dum alia tamen Malorum ratio est. 4. Loca, quibus aperte *Operibus* nostris tribuitur *Justificatio*, Fidei Soli etiam denegata, *Psal.* CVI. 30. 31 *coll. Num.* XXV. 11. 12. *Matt.* XII. 37. *Jac.* II. 14. 21. 22. 25. Ad quæ distinctè notamus; α *Imputari ad Justitiam* alibi quidem notare Justificationem, sed hic, ex natura rei & addita *Generationum* mentione, usurpari, vel pro Demonstrante *Argumento Justitiæ*, vel pro *Reputatione Operis Boni & Justi*, quod Deo placuerit, & remuneratione Bona gratiose dignatus est hic; β *Justificationem* illic poni pro Consequente ejus *Declaratione*,

co-

coram Homine ipſo & aliis Hominibus, futura in Ultimo Judicio ex Verbis etiam, *coll.* 2 *Sam.* I. 16. *Luc.* XIX. 22 γ *Jacobum in Epiſtola*, (cujus ob hunc textum *Autoritas* temere fuit quandoque ſollicitata, & qui alio quam Paulus Scopo ſcripſit, ad vanam Impiorum ſc. Jactantiam & Abuſum doctrinæ Euangelicæ cohibendum,) loqui tum de *Juſtificatione*, una cum ſequente *ejus Declaratione*, ad quam maxime reſpexit, ex adducto *Abrahami & Rachabæ* exemplo, atque ex *Oſtenſione* memorata *verſ.* 18. tum de *Fide ab Operibus Separata*, *Abſque Operibus*, *Mortua*, qualis in Dæmonibus, ſola exiſtente, cui opponit Opera ex Fide provenientia, adeoque metonymicè Fidem per Charitatem efficacem, ſive per Opera demonſtratam. ς. *Abſurda* ſecutura alias; α Indecentis προσωποληψίας *in Deo*, quæ, ubi nulla eſt Conditio in homine Deum movens, nec cuiquam alteri fit injuria, gratioſo Domino perperam tribuitur; β *Legis Abolitæ*, quæ ſic potius magis confirmatur, Paulo teſte *Rom.* III. 21. 31. per oppoſitam hypotheſin verius & Lege abolita & Gratia *Gal.* II. 21. γ *non Neceſſariorum* amplius *Bonorum Operum*, quæ hypotheſis reſpectu Juris ad Vitam veriſſima, generaliter propterea neutiquam admitti poteſt, uti patebit *Cap.* XXV. δ *Languoris* denique in Studio eorum, qui per accidens & turpem abuſum tantum ex noſtra doctrina, Paulo teſte *Rom.* VI. I. 2. ex multiplici vero Pontificiorum Dogmate, & hoc quoque de Juſtificatione ex Operibus, per ſe fluit, dum ſive ad deſperationem ſive ad ſuperbiam ſpiritualem ducit. Reliqua alibi reperiuntur

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.*

XVI. *Sociniani*, magis quam *Pontificii*, hic aberrant; dum plane negata Satisfactione Chriſti, ejusque per Fidem Apprehenſione, *Fide Generali Promiſſorum*, & *Obedientia Stabili Perfectiorum Mandatorum Chriſti* ſub Novo Teſt. (aliam enim *Veterum* volunt eſſe rationem) *nos juſtificari* ſtatuunt; non tamen ex intrinſeca Dignitate aut Merito, ſed *per Indulgentiſſimam Acceptilationem*, ut Obedientia potius dici debeat *Cauſa Sine qua non*, quam quidem *Efficiens*, atque ut Juſtificatio re ipſa demum peragatur *in Morte*, cum conſummata eſt Obedientia, ac à Morte liberati in Vitam Æternam nos adducimur. In qua ſententia uti peſtilentiſſimæ ſupponuntur hæreſes, ita plane evertitur; α & *Fidei* Salvificæ *natura*; β & *Meritum* omne *Chriſti*; γ & *Dei* ipſius *Veraci-*

Socinianorum Sententia exponitur & refutatur.

citas, *Sanctitas*, *Justitia*; δ & reducitur *Propria Justitia* sub specie exclusæ tantum ab Apostolo Obedientiæ Perfectæ & Meritoriæ; & ε & palam contradicitur Scripturæ, quæ *Justificationem*, ut *Præteritam*, atque Beneficium non spe incerta sed re ipsa possessum etiam ante Sanctificationem, ubique inculcat, *Luc.* XVIII. 14. *Rom.* V. 1. 9. *Psal.* XXXII. 1. 5. [3] Nec sunt ullæ *Objectiones*, præter eas, quæ vel alibi, vel hic §. XIII. & XV. fuerunt propositæ; nisi quod urgent, *Fidem & Resipiscentiam esse Conditiones Novi Fœderis*, quod quo pacto intelligi debeat, ostensum est *Cap.* XXII. §. I. nec Jus Vitæ adeo in iis fundat.

[3] *Exerc. Text.* XXII. P. V.

Sententia Anabaptistarum & Arminianorum.

XVII. Admodum divisi sunt *Anabaptistæ*, qui vulgò Justificationem etiam cum Sanctificatione confundunt, & quidam satis orthodoxè loquuntur, alii *Socini* placita urgent, alii denique *Arminianis* se jungunt. Horum verò sententia est communior, Christum eo usque pro Peccatis nostris satisfecisse, ut Deo integrum fuerit Fœdus nobiscum redintegrare, in quo *Opus Fidei qua tale & Novæ Obedientiæ constans Fundamentum sit* nostræ in individuo actualis *Justificationis.* Quæ iterum admitti non potest; α tum propter hypotheses de Reconciliatione per Christum Universali & mere Possibili; β tum propter exclusa omnia indiscriminatim Opera, adeoque & Fidem qua talem, per loca adducta & rationes additas; γ tum propter obviam Scripturæ phrasin, quæ *Fide*, *Ex Fide*, *Per Fidem*, nusquam vero *Propter Fidem*, nos justificari docet, illamque adeò Instrumentaliter & Relative hic considerat; δ haud obstante, aut *Operis* nonine, quod recte Fidei datur *Joh.* VI. 29. etiamsi respectu Objecti heic consideretur, aut textu Apostoli *Rom.* IV. 3. 5. ubi metonymicè, vel *Justitia* ponitur prò Instrumento & Documento justitiæ, vel *Fides* prò re credita in quam tendat objectivè ipsa, sicuti alias Spes pro Re Sperata, Amor pro Re Amata, &c.

Sententia Osiandri notatur.

XVIII. *Lutherani* verò, quidquid ex usurpata diversa phrasi *Fidei* & *Justitiæ Christi*, in Scripturis ipsis obvia, fingant *Papistæ*, nobiscum satis consentiunt; nisi quod inepte *Osiander* cum Asseclis paucioribus *justificari nos* somniavit per *Essentialem Filii Dei Justitiam*, in nobis habitantem. Quæ cum sit α Patri Communis, β Naturalis & Æterna, imo γ spectetur ut nobis Inhærens, ut alia mittam, hic neutiquam admitti potest. Et quæritur heic

vere

vere Prætextus inanis; α tum in *Communione Divinæ Naturæ* 2 *Petr.* I. 4. quæ aut ad Unionem gratiosam ex Justificatione fluentem, aut potius ad Analogicam Divinæ Sanctitatis Participationem per Sanctificationem spectat; β tum in *Infinita Justitia* nobis ad Justificationem *Necessaria*, quæ de Infinitate Valoris est intelligenda, reperta in Θεανθρώπε Obedientia voluntaria ad Mortem; γ tum in appellatione *Justitiæ Dei*, & *Æternæ Rom* I. 17. III. 21. 2 *Cor*. V. 21. *Dan*. IX. 24[1] *&c.* cum prius nomen Obedientia Christi ferat, ob patefactionem, dationem, & complacentiam Divinam, posterius similiter ob Durationis & Valoris Æternitatem; δ tum denique in *Jehovah Justitia Nostra* dicto, & Christo *Facto Justitia Jer*. XXIII. 6.[2] 1 *Cor*. I. 30. quod ad illius non Personam, nisi Mediatè & Efficienter, sed Obedientiam metonymicè referri debet. Cum *Osiandristis* his paria fere faciunt *Swenkfeldiani*, *Weigeliani*, & *Fanatici* plures

[1] *Exerc. Text.* XXV. P. VI. [2] *Exerc. Text.* XX. P. VI.

XIX. Latam hanc porro Sententiam ad *Animam Fidelium* gratiosè Deus manifestat, *Diversis* tamen *Gradibus & Temporibus*. Quod fit; α *Externe* quidem per Verbum 2 *Sam* XII. 13. *Matt.* IX. 2. *Joh*. I. 12. III. 36. XX. 23. *Rom*. VIII. I. 1 *Joh*. I. 7. *&c.* & per Sacramenta *Matt*. XXVI. 26. 28. *Marc*. I. 4. *Act*. XXII. 16. *Rom*. IV. 11. 1 *Cor*. X. 3 *&c.* β *Interne* quoque verò per Spiritum, qui ita primum *docet* Electos Miseriam suam, Dei Gratiam, & Euangelii Promissa, ac tum *operatur* Fidem & Resipiscentiam cum vera Sanctitate, ut porrò illos ex Collatione Promissorum Euangelii, sibique datorum Donorum, & Arcano quandoque ad animam Suaviloquio, *Persuasos* actu faciat de hoc Dei Beneficio ipsis concesso *Psal*. XXXV. 3. *Joh*. XVI. 7. *Rom*. V. 5. VIII. 16. 17. 1 *Cor*. II. 12. 2 *Cor*. I. 22. *Eph*. I. 13. IV. 30. 1 *Joh*. III. 24. *&c.* Unde tum læti *Pacis* spiritualis, *Fiduciæ* stabilis, *Gaudii* solidi, & *Gloriationis* constantis, Fructus fluunt *Rom*. V. 1. *Phil*. IV. 7 *Psal*. XXIII. 4. *Prov*. XIV. 32. *Psal*. IV. 8. 1 *Petr*. I. 8. *Psal*. CIII. 10. 11. 12 *Rom*. V. 2. 3. *&c.*

Justificationis Insinuatio Interna & Externa cum ejus Fructibus

XX. Repetunt hic *Pontificii* litem, antea de Prædestinatione, Fide, & actu Fiduciæ motam, scilicet, de *Persuasionis hujus Infallibili Veritate*, *& Universali Extensione*; judicantes ipsi, vel *Conjecturalem* & *Moralem* tantum eam esse, vel *Speciali Revelatione* debere niti. Contra hos facit, præter alibi memorata. 1. Mul-

Justificationis Certitudo Subjectiva contra Papistas asseritur & defenditur.

Multiplex modò adductus *Textus*, de *Verbi*, *Sacramentorum*, *&* *Spiritus Operatione*, qui ad omnes manifeste spectat, & Divinam Certitudinem infert. 2. Multiplex *Exemplum*, *Jobi*, *Davidis*, *Pauli*, *&c.* in quibus Extraordinaria Revelatio gratis fingitur. 3. *Fidei Natura*, adstructa *Cap.* XXII. §. XXII. *&* XXIV. 4. Denique *Pacis*, *Fiduciæ*, *Gaudii*, *&* *Gloriationis*, consequens fructus omnis; qui absque Justificationis Certitudine haberi non potest. Nec juvant Adversarios; α vel loca *Prov.* xx. 9. *Job.* ix. 2. 20. *Psal.* xix. 13. [3] 1 *Cor.* iv. 3. 4. *&c.* quibus, aut *Sanctificationis Imperfectio*, Gratiæ Certitudinem non excludens, innuitur, aut ad *Judicium de Fidelitatis Gradu* supra alios in Ministerio Euangelii respicitur; β vel loca, quæ, tum *Conditionem Pœnitentiæ* ab homine exigunt, ut *Jes.* I. 16. 17. *Ezech.* xviii. 21. 24. *&c.* tum *Remissionem cum ea dubitanter* nectunt *Dan.* iv. 27. *Joël.* ii. 14. [4] *Act.* viii. 22. *&c.* tum etiam *Timorem* commendant *Prov.* xxviii. 14. *Phil.* ii. 12. *&c.* cum Certitudinem absque Resipiscentia nemo somniet, Remissio dubitanter proponatur respectu Veritatis Resipiscentiæ & ablatæ Pœnæ Temporalis, alias certissima, Timor denique Filialis sit sollicitudo de Deo per Peccata non offendendo; γ vel Rationes, petitæ, tum ex *Dubitantium Fidelium Exemplo*, quorum hæc fuit Infirmitas Temporaria, tum ex aliorum *Deceptione*, quorum in judicando temeritas aliorum soliditatem non tollit, tum ex *Operibus Sanctis* requisitis, per quæ ut indicia Spiritus Fidei Fiduciam hic operatur, tum ex *Precibus ob Remissionem*, quæ ad actualem Præstationem & clariorem Patefactionis Gradum spectant, tum ex *Declaratione Diei Ultimi*, quæ Publica erit & Universalis, nec priorem Particularem in hac Vita magis quam in Hora Mortis tollit.

[3] *Exerc. Text.* XX. P. V. [4] *Comm. in Loc.*

Justificatio est Irrevocabilis plane.

XXI. Ipsa verò *Justificatio*; cum α nitatur *Æterno Dei Amore*, ac præstitâ plenissime *Christi Justitiâ*, non autem incerta aliqua nostrisque viribus præstanda Conditione; β cum etiam sit *Perfecta*, & *Omnium* futurorum quoque *Peccatorum Remissionem* includat; γ cum denique jugis accedat *Christi Intercessio*, *&* *Spiritus* in amore Dei *Conservatio*; ipsa hæc *Immutabilis* *&* *Irrevocabilis* plane censeri debet, *coll. Rom.* viii. 30. *&c.* Quamquam hic cum *Pontificiis*, aliisque *Pelagianizantibus* Apostasiæ Patronis, contrarium teneant etiam communiter hodie fere *Lutherani*. Quos præ-

præter alia haud juvat; α locus *Ezech.* XVIII. 24. agens non de Justificatione, sed dè *Justitiæ Studio*, quod continuum & perseverans esse debet tam in Fœdere Gratiæ quam illo Operum; β aut Parabola *Matt.* XVIII. 35. quæ Nexum nostri Officii cum Dei Beneficentia tantum docet. Ut sic Justificationis *Fructus Finisque* sit, post reliqua gratiæ Beneficia, & præstita quoque alacrius Officia fidelium, tum certa *Salus*, tum etiam ejus *Adjudicatio*, solenniter tandem ad declarandam magis Dei Gratiam Novissimo Die futura, ex Operibus quidem ut Argumento, non verò ut Fundamento Justitiæ. Quare procul esse jubemus Phrases ineptas, in Justificatione hac Ultima *Meram Justitiam citra temperamentum Gratiæ* locum esse habituram, & *Opera* tum futura *Perfectissima*, *ne quid δικαιοκρισίᾳ illius diei decedat*. Quæ uti à Scripturis alienæ sunt, ita nimium pro Meritis Operum adversus Justificationem gratuitam præjudicium creare possunt.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De Sanctificatione, & Bonis Operibus.

TErtium Fœderis Gratiæ Beneficium est SANCTIFICATIO, à Justificatione omnino differens, secundum dicta *Cap.* XXIV. §. I. & aliquandò ita expresse nominata, ut in Pauli catena *Rom.* VIII. 29. 30. implicitè contineatur; non tam sub nomine Justificationis, quam quidem *Vocationis*, per quam Sanctificatio inchoatur, & *Glorificationis*, per quam illa consummatur. Est autem ita à *Justificatione* hæc Distincta, ut cum illa proximè & indivulsè sit *Connexa* simul; α per Dei Voluntatem; β Christi Munus Sacerdotale & Regium; γ Fidei Christo unientis Efficaciam; δ Verbi & Sacramentorum Sanctitatem exigentium Naturam, &c. atque propterea etiam uno nomine *Mundationis*, *Purgationis*, & *Ablationis*, *Peccati*, Utraque nonnunquam veniat *Ezech.* XXXVI. 25. *Ioh.* I. 29. 1 *Cor.* VI. 11. *Apoc.* I. 5. [1] *&c.* Sanctificationis cum Justificatione Nexus.

[1] *Comm. in Loc.*

II. Dicitur *Sanctificatio*, Latine à *sanctum facere*, ad analogiam vocis *Iustificandi*, vix etiam in hac compositione apud *Latinos* Nomen Sanctificationis, ab O-

rigine, Synonymis, & Homonymiis declaratur.

tinos lecta; qui *Sanctum* dixerunt, vel à Legatorum *Sagminibus*, vel à consecrante *Sanguine* hostiæ, vel potius à *Sanciendo*, id quod religiosum, inviolabile, & incorruptum est. Hebræi dicunt קדש, quod notat *Segregationem*, *Purificationem*, & *Præparationem*, omnia ad Sanctificationem aptissimè referenda; Græci ἁγιάζειν, sive ab ἅζω, *colo*, sive ab ἄγω *moveo*, sive ab α privativo & γῆ *terra*, Sanctitate Denominata. Præter quæ pro Synonymis hic haberi debent *Ablutio*, *Purgatio*, *Mundatio*, *Renovatio*, *Transformatio*, *Depositio Veteris & Indutio Novi Hominis*, *Circumcisio Cordis*, *&c.* quorum quædam præ aliis Synecdochica sunt. Sumitur amplius *Sanctificatio*, missâ ἀντιφράσει, quam ex significatu *scorti* in voce קדשה, & locis nonnullis, quidam eliciunt; α vel prò *Sanctitatis* inditæ *Agnitione*, *Manifestatione*, & *Prædicatione*, quo sensu Deus sanctificari dicitur à se & à nobis *Lev.* x. 3.[1] *Matt.* VI. 9. 1 *Petr.* III. 15. *&c.* β vel pro qualicunque *Segregatione*, in primis ad Munus & Usum Sacrum, *Ier.* I. 5. *Gen.* II. 3.[2] *&c.* quo refer Sanctitatem Templi, Altaris, Sacerdotum, &c. γ vel pro *Purificatione Externa*, sive à Ceremoniali pollutione, sive etiam ab Idololatria & Errorum Professione, quo pertinet maximè *Sanctitas Liberorum ex Fœderatis* natorum 1 *Cor.* VII. 14. δ vel pro Interiori & Exteriori *Hominis Peccatoris Mutatione*, tum strictius respectu *Termini Ad Quem*, Restitutionis sc. Divinæ Imaginis 2 *Cor.* VII. 1. *Hebr.* XII. 14. tum latius *incluso Termino à Quo*, seu Maculæ Peccati Ablatione; atque iterum tum Initio *Vocationis* incluso, tum, uti hic vocem capimus, isthoc excluso, prò *Mutationis bujus Gratiosa Adimpletione.* Cujus Promissio atque Exsecutio partim ex prioribus constant, partim ex declaratione secutura amplius constabunt.

[1] *Exerc. Text.* VIII. P. II. [2] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* VIII.

Sanctificationis Definitio.

III. Definitionem hanc damus; *Est Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Deus Electos, à se vocatos & justificatos, externo Verbi sui & Sacramentorum interveniente ministerio, per internam Spiritus gratiam à nativa Peccati Corruptione magis in dies liberat, suæque Imagini conformes reddit, in ipsa morte perficiendos, ut per Opera Bona, Salutem propriam, Proximi ædificationem, ac ipsius Gloriam promoveant.*

Est opus Divinæ Gratiæ, ad Fœdus Gratiæ spectans.

IV. Generatim Sanctificatio non minus quam priora Beneficia, α *Dei Opus* est *Lev.* xx. 8. *Ezech.* XXXVII. 28. 1 *Thess.* V. 23. tum *Triu-*

Triunius, Patris *Jud.* I. Filii I *Cor.* I. 30. *Eph.* V. 26. *Hebr.* II. 11. X. 14. (quibus postremis textibus tamen plura sub nomine *Sanctificationis* connexa Beneficia comprehensa esse non negamus,) & *Spiritus* potissimum Oeconomicè, hinc etiam appellationem *Sancti* habentis I *Cor.* VI. II. 2 *Thess.* II. 13. I *Petr.* I. 2. *&c.* tum *Solius*, respectu Virtutis Principalis, dum minus principaliter hic Deo cooperantur, & Ministri *Dan.* XII. 2. I *Cor.* III. 9. 2 *Cor* VI. I. XI. 2 *&c.* & Homines Ipsi vocati, per gratiam Dei vires jam nacti 2 *Cor.* VII. I. *Eph.* IV. 22. 23. 24. I *Thess.* IV. 3. I *Joh.* III. 3. *&c.* β *Opus* ejus *Gratiosum*, dum nullum in homine adest Meritum, sed Christi Sanguine totum nititur *Joh.* XVII. 19. I *Cor.* I 2. *&c.* imò dum Gratiâ priori Vocationis homo semper non utitur secundum ejus dignitatem. γ *Beneficium* tandem solius *Fœderis Gratiæ*, per quod promittitur *Jer.* XXXI. 33 34. XXXII. 40. *Ezech.* XXXVI. 26. & unice quidem, dum nec Natura id hodiè præstare potest Impotens, nec in Adamo Puro perfecteque Sancto Creato locum idem reperit.

V. Pertinet itaque Sanctificatio ad *Electos Rom.* VIII. 29. *Eph.* I. 4. 2 *Thess* II. 13. *&c.* I. Tum *Solos*, quibus sc. solis etiam competunt priora Beneficia hujus fundamenta; licet α ex Judicio Charitatis omnibus externè Vocatis sæpe tribuatur *Rom.* I. 7. I *Cor.* I. 2. *&c.* β & Externa quædam Mundatio & Segregatio latius extendatur ad ita Vocatos & Hypocritas ipsos 2. Tum *Omnes*, dum neque priora Beneficia, neque Gloria futura absque hac subsistere potest, manente tamen in Gradibus insigni Discrimine. Ut non liceat hinc excludere; vel *Infantes Fidelium* omnes, non minus absque Fide veræ Sanctificationis Naturæ, quam absque Actuali Peccato Nativæ Corruptionis capaces; vel *Fideles Vet. Test.* qui Sanctificationem Precibus desiderarunt *Psal.* LI. 12. CXLIII. 10. *&c.* & Operibus demonstrarunt *Psal.* I. I. 2. XXXII. 2. CXIX. 30. *&c.* nec absque ea Dei Communione Gratiosâ & Gloriosâ frui potuerunt *Hebr.* XI. 5. *Jac.* II. 23. *&c.* Quibus nimium suis iterum Phrasibus hic detrahere videntur *Recentiores*, cum *Inscriptionem Legis in Corde*, *Circumcisionem Cordis*, imo & *Sanctificationem Veram*, soli Novo Test. vindicant; prætextu, tum *Inscriptionis in Tabulis Lapideis*, *Circumcisionisque*, & *Purificationis Carnalis*, quæ olim obtinuerunt, sed non solæ cum exclusione omnis Veritatis per Umbras significatæ, prout & illa hodie

Competit Electis Solis & Omnibus. Etiam iis qui vixerunt sub V. Test. Et per Hominem Totum diffunditur.

junguntur cum Verbo in Scripturis exarato & cum Baptiſmo externo; tum *Beneficiorum horum in Novo Teſt Promiſſorum*, quo ipſo Fœderis quidem Operum, non autem Fœderis Gratiæ Veteri Oeconomiæ illa auferuntur, niſi forte ratione Extenſionis & Gradus ejuſdem. 3. Tum *Totos*; quoad *Animam*, omneſque ejus Facultates præcipuè quidem, ſed tamen etiam quoad *Corpus Rom.* XII. 1. 2. 1 *Cor.* VI. 20. 2 *Cor.* V. 17. VII. 1. *Eph.* IV. 22. 24. 1 *Theſſ.* V. 23. 1 *Joh.* III. 3. *&c.* uti antea per totum Hominem Corruptio diffundebatur. Ut repudiari hic debeant; α tam Philoſophemata eorum, qui vel ob Voluntatis ad Judicium Intellectus Sequelam, ad *Solum Intellectum*, vel ob Erroris ad Voluntatem Reſtrictionem, ad *Solam Voluntatem*, vel ob Corporis molem irrationalem, ad *Solam Animam*, Sanctificationem verbis apertis vel re ipſa retulerunt; β quam impium *Socinianorum* dogma, de *Sola Actuum Emendatione*, quæ utique hypocritis communis eſt, ex negata peſſimè Naturæ Corruptione fluens; quamquam Sanctificationem Actionum Emendatio omninò ſequatur *Gal.* V. 22. 25. 1 *Petr.* I. 15. *&c.*

Conſiderantur in Sanctificatione quidem ut Vocati, ſed tamen ut Corrupti per Peccatum.

VI Conſiderantur verò in Sanctificatione Electi; ut α *Vocati* quidem & *Juſtificati*, cum abſque his Beneficiis nec *Fides* hic præſuppoſita, nec inſignis *Dei Gratia* hic demonſtrata locum reperiat; ſed tamen β ut *Peccatores*, ſubjective in ſe, atque adeo tum Gloria præcipuæ cum Deo Similitudinis *Privati*, tum per Peccatum poſitive *Corrupti ac Fœdati*, & in *Intellectu*, ut Obtenebrato & Excæcato quoad Perceptionem & Judicium, & in *Voluntate*, ut Averſa à Bono & Converſa ad Malum, & in *Corpore*, ut Serviente malis deſideriis, & conſequenter *in Homine Toto*, ut deſtituto Lætitia vera, Doloreque & Formidine jugi vexato. Sicuti de hac Hominis Corruptione, cœpta tantum per *Vocationem* tolli, legere potes *Cap.* XV. §. XXII. *&c.*

Actus Sanctificationis Duplex notatur.

VII. *Actus* Dei Sanctificantis in his *Geminus* eſt; α *Ablatio Maculæ & Corruptionis* per peccatum introductæ, quæ ſe habet ut Terminus à Quo, & ad quam in vocibus *Purgandi*, *Purificandi*, *Circumcidendi*, *&c.* maximè reſpicitur; β & *Collatio Novi* oppoſitique *Decoris*, per Rectitudinem ac Bonitatem primævam, redditamque Intellectui Sapientiam veram, Voluntati conſtantem Dei Legiſque ejus Amorem, Affectibus corporiſque Motibus Decentiam Divinam, ac Homini porro Toti Tranquillitatem, quin & Gaudium in Deo per Chriſtum *Eph.* V. 8. 15. *Rom.* VII. 19. 22.

22. VI. 19. *Thren.* III. 24. *Jes.* LXI. 10. *&c.* Est verò Actus hic *Uterque* plane *Conjunctus*, secundum rei directè inter se oppositæ naturam, & Scripturam, *Ezech.* XVI. 9. 10. XXXVI. 26. *Eph.* IV. 22. 24. 2 *Cor.* V. 17. VII. VII. 1. *&c.* licet aliquoties Alteruter synecdochice solus nominetur. Quin & est *Mensura* utriusque *Æqualis*, ut quantum Maculæ tollitur, tantum novæ Pulcritudinis substituatur. Dum tamen Æqualitas hæc non servatur; vel in Individuis variis; vel in Effectis Actuum Singulis, quæ ob Donorum diversitatem variant, ut unius Intellectus Sapientia, alterius Voluntas Pietate, &c. magis ornetur, uti experientia liquidò docet.

VIII. Operatur hos Actus Deus; α per *Media* quidem, sive Ordinaria sive Extraordinaria, in primis per *Verbum*, tum *Legis*, tum *Euangelii* *Joh.* VIII. 32. XVII. 17. 1 *Cor.* X. 6. 11. *Tit.* I. 1. 2. II. 11. 12. 2 *Tim.* III. 17. *&c.* ut in quo Sanctitatis sunt Præcepta, Commendationes, Exempla, Promissa, cum Vitiorum Interdictis, ac Descriptione fœda, in Se & Pœnis actu secutis & denunciatis, atque per *Sacramenta* *Eph.* V. 26. 1 *Cor.* XII. 13. *&c.* quorum omnis Operatio tamen, æque quam Verbi, Moralis est *Matt.* III. 11.[1] 1 *Petr.* III. 21.[2] *&c.* etiam per *Judicia* & *Beneficia* sua *Jes.* XXVI. 9.[3] *Hebr.* XII. 10. *Rom.* II. 4. *&c.* β sed tamen *Immediata* hic *Spiritus* Operatio præcipua est, eademque *Insuperabilis*, quam in Vocatione ut inchoatam antea asseruimus *Cap.* XXIII. §. VIII. *&* XI. quamque hic persequitur Deus *Phil.* I. 6. &c. **Modus Operandi quo Deus heic utitur.**

[1] *Exerc. Text.* XXVII. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XLII. P. V. [3] *Exerc. Text.* XVII. P. VI.

IX. In *Operationis Modo* præcipuè id hic considerari debet, quod non simul semelque, sed *Successive usque ad Mortem* fiat, actu jugi, quandoque licet minus observato, & protracto. Unde est; α tum *Inæqualitas* Sanctificationis, in æqualiter Vocatis & Justificatis, respectu omnium Partium & Actuum, quæ discrimen *Adultorum & Infantium* spirituale parit *Eph.* IV. 13. *Hebr.* V. 13. 14. 1 *Petr.* II. 2. *&c.* utile prorsus in Ecclesia, ad Divinæ Libertatis gloriam, & Mutuam Ædificationem; β tum ejus *Imperfectio* jugis, non quoad *Partes*, aut *Durationem*, sed *Gradus*, dum illa magis sic semper in homine perficienda est. **Est Sanctificatio Inæqualis & Imperfecta.**

X. Probatur autem hæc Imperfectio facillimè; α ex *Impoten-*

Imperfectio Sanctificationis probatur.

tia Legis plenè Præstandæ in sanctissimis, quam Locis plurimis atque Exemplis demonstravimus jam antea *Cap.* XI. §. XXXVII. Objectionibus ibidem quoque solutis; β ex *Gratiæ* sanctificantis *Imperfectione Rom.* VIII. 23. 1 *Cor* XIII. 9. 10. dum Perfectio Cœlis servatur *Hebr.* XII. 23. γ ex *Carnis*, *Veterisque Hominis*, Reliquiis *Matt.* XXVI. 41. *Gal.* V. 17. *Rom.* VII. 14. *&c.* δ denique ex *Perpetuo Durantibus heic Officiis*, *Precandi* ob remissionem & liberationem, *Occidendi* carnem, *Progrediendi* in sanctitate, *Pugnandi* adversus mundum non tantum sed & desideria propria nostra prava *Matt.* VI. 12. 13. *Col.* III. 5. 1 *Cor.* IX. 24. *Hebr.* XII. 4. *&c.*

Textum Rom. VII. 14. de Paulo Regnito intelligendum esse, docetur.

XI. Insignis quædam doctrinæ hujus nostræ sedes cum sit *Rom.* VII. 14... 26. quem textum, post *Patres Græcos* nonnullos imprudentiores, olim & ætate nostra torserunt mirè *Pelagiani* omnes ad *Hominem Naturalem*, atque etiam ad *Statum Hominis Irregeniti sub Lege constituti* miro instituto applicarunt quoque *Recentiores* multi ex *Nostris*; de eo breviter notamus, omnino loqui ibidem *Paulum de Se ut Regenito*, licet in *Momentis Deterioribus* considerato. Quæ *Publicis* etiam *Confessionibus* apud nos probata sententia constat. 1. Ex locutione Pauli *in Prima Persona & Præsenti Tempore*, diversa plane ab illa *vers.* 4. 5. 7. 8. nullo μετασχηματισμῦ addito indicio, quale alibi occurrit *Rom.* III. 7. *&c* 2. Ex tributo illi *Homine Interiori*, *& Lege Mentis*, *coll* 2 *Cor.* IV. 16. *Eph* III. 16. 1 *Petr.* III. 4. *&c.* 3. Ex adscripta illi perinde, tum *Intelligentia* spirituali *& Legis & Sui ipsius*, tum *Voluntate Boni*, *Odio Mali*, *Delectatione in Lege Dei*, *Gemitu ob Gratiam*, *&c.* quæ vires Naturæ Lapsæ multum superant. 4. Ex *Liberatione* etiam addita per Christum, hujusque *Servitute* Nova. 5. Ad quæ adjici posset, *Scopus Generalis* amoliendæ Justitiæ Propriæ, *Connexio Immediata* cum Legis Spiritualitate, *Legis* ex hac Imperfectione fluens *Defensio* uberior, &c. Neque obstat, missis prioribus *Capitis hujus Versibus*, quos ad Priorem Pauli Statum nos quoque referimus; α vel appellatio *Carnalis vers.* 14. *coll.* 5. VIII. 1. 8. *&c.* qualem sc. se dixit Paulus non absolutè, sed secundum aliquam Sui Partem, & comparatè ad Legem, conferendo melius textu 1 *Cor.* III. 1. quam adductis aliis; β vel *Venditio sub Peccatum*, quæ sc. non fuit voluntaria, qualis occurit 1 *Reg.* XXI. 25. 2 *Reg.* XVII. 17. sed *Coacta*, atque iterum *limitate* est intelligenda; γ vel *Factum*

ctum Malum, *Neglectumque Bonum*, non utique omne sed *Multiplex* tantum, contra Propositum proprium; δ vel *Inhabitatio Peccati*, *Nulliusque* ex adverso *Boni*, quæ prior Inhabitationem Spiritus non excludit, & posterior ad Corruptam Carnem est restricta; ε denique *Lex Peccati & Membrorum*, ac *Captivatio sub ea*, quæ Reliquias Mali Pugnamque cum eo, & Cladem Temporariam, tantum docet.

Perfectistarum Sententia & Objectiones dilutæ.

XII. In principali assertione magis fervide se opponunt *Pelagiani* eidem, & *Pelagianizantes* Impeccantiæ Patroni, *Pontificii*, *Sociniani*, *Anabaptistæ*, *Remonstrantes*, & *Enthusiastæ* varii; qui seu omnem *Habitum Peccati* seu etiam omnem *Actum* veri nominis tollunt, sive ab *Omnibus*, sive à *Multis* Sanctificatis, quique propterea *Perfectistæ* & *Justitiarii* quoque dicuntur, utpote Justitiam Propriam sic stabilituri. Horum Objectiones sunt. 1. Ex Locis, quibus *Perfectio*, vel *præcipitur Psal.* CXIX. 4. *Matt.* V. 48. 2 *Cor.* VII. 1. 1 *Petr.* I. 15. *&c.* vel *Vovetur Matt.* VI. 11. 1 *Thess.* V. 23. *&c.* Ad quæ nos respondemus; α *Perfectionem Partium* præcipue quidem ex Contextu in his intelligi; β nec Præceptum porro nec Votum ostendere quod res hæc sit Homini Lapso Possibilis, sed tantum Decentiam ejus & Præstantiam, ob quam ad eam ita contendendum est, ut actu etiam propius accedamus; γ imò Mandatum & Votum, rei adhuc acquirendæ, ejus præsentem possessionem potius evertere quam stabilire. 2. Ex Locis, quæ *Perfectionem* Sanctificatis, sive omnibus sive multis, videntur *asserere Cant.* IV. 7. 2 *Cor.* V. 17. *Col.* II. 10. *Eph.* V. 27. *Luc.* XV. 7. *Jac.* V. 15. *Phil.* III. 15. 1 *Cor.* II. 6. *&c.* Ad quæ iterum respondemus; α & nos asserere tum *Perfectionem Partium*, de qua duobus primis textibus, β tum *Perfectionem in Christo*, de qua tertio, γ tum *Perfectionem Futuræ Gloriæ*, de qua quarto, δ tum *Perfectionem Comparatam*, de qua reliquis locis agi, negatâ etiam Resipiscentiæ Primæ & Singularis Necessitate, vel Peccatis Gravioribus dubitanter propositis, palam satis est. 3. Ex *Exemplis*, uti aliis, ita *Noachi*, *Jobi*, *Davidis*, *Asæ*, *&c. Gen.* VI. 9. *Job.* I. 1. *Psal.* CXIX. 10. CXXXIX. 23. 24. 1 *Reg.* XV. 14. *&c.* Quæ ad Sinceritatem cordis potissimum spectant, nec de Perfectione Absoluta & omnimoda intelligi possunt, ob memoratos virorum horum Lapsus, etiam Graviores. 4. Ex *Rationibus* variis, petitis; α ab *Autore Sanctificationis Deo*, cujus sc. Ope-

pera omnia sint Perfecta; β ab *Obligatione Hominis*, quæ ad Impossibile nulla detur; γ à *Dei Complacentia in Sanctis*, quæ absque Perfectione Dei Sanctitatem lædat; δ à *Necessitate ad Salutem*, quæ absque plena Sanctificatione nemini contingat, &c. Sed α nec omne Opus Dei omni ratione omnique momento Perfectissimum est, paulatim ita sua perficiente Deo, ut semper Voluntati ejus proprioque Fini conveniant, nec Imperfectio Sanctificationis est à Deo, sed ab adjacente hominis Carne hujusque Culpa; β Perfectio non est Impossibilis, ex primæva Naturæ Constitutione, sed ex Voluntario Lapsu, nec in perpetuum, sed ad Tempus tantum hujus Vitæ; γ Electi, ipsorumque Opera, non in Se, sed in Christo, Deo placent, in quo cum demonstrata plenè sit Dei Justitia, benè id fieri potest, *Matt.* III. 17. *Hebr.* XI. 6. XIII. 21. *&c.* δ ad Salutem denique obtinendam sufficit, si in hora Mortis Sanctificatio perficiatur, quod fieri credimus, ob Imperfectionem hic semper durantem & Impuritatem tamen in Cœlum non admissam ullam. Reliqua reperiuntur *Cap.* XI. §. XXXVII.

[1] *Comm. in Loc.*

Finis, ob quem Deus Sanctificationem hic non perficit.

XIII. Habet vero sapientissimas *Rationes*, cur eodem unico Momento Sanctificationem non, æquè quam Justificationem, perficiat Deus. Ut scilicet; α *Operis Magnitudinem* in secunda hac æque quam prima Creatione doceat; β *Cœli & Terræ Discrimen* evidens constituat; γ *hominem* efficacius *humiliet*; δ tantoque majori ardore eum *ad suæ Gratiæ & Justitiæ Christi Apprehensionem* trahat.

Fructus ejus est Sanctitas, quæ exponitur & commendatur.

XIV. *Beneficii* hujus præcipuus in Electis *Fructus* est adeo *Sanctitas*, ad quam *Sapientiæ* lumen ducit, quamque *Tranquillitas* in Deo sequitur. Nomen Hebræum, uti antea quoque observavimus, *Segregationem* à Mundo *Mich.* VII. 14. [3] *Gal.* I. 4. *&c.* *Puritatem* à Vitiis ejus *Rom.* XII. 2. *Eph.* V. 2. 11. *Phil.* II. 15. *&c.* *Præparationem* singularem denique notat, qualis legitur *Jes.* XLIII. 21. *Ezech* XVI. 9. 10. *&c.* Græcorum ἁγιότης & ἁγιωσύνη, vel ad *Venerabilitatem*, vel ad Dei *Cultmm*, vel ad generosam *Agilitatem*, vel ad *Terræ Derelictionem* & comtemptum, nos ducit, *coll.* I *Pet.* II. 9. *Ps.* LI. 14. *Phil.* III. 20. *&c.* Alterum ὁσιότης, ad *Magnitudinem*, vel Cultum & *Venerationem* Dei, spectat *Jes.* VIII. 18. I *Petr.* I. 17. *&c.* Sicuti ipsum Latinum *Sancti-*

ctitatis nomen, vel ad *Consecrationem*, vel ad *Firmitatem*, vel ad inviolabilem *Majestatem*. Notatur vero ea hic voce; non strictius *Pietas*, sive Virtus Christiana, quæ versatur *circa Deum* immediate, quo pacto alias sæpe *Justitiæ* illa opponitur; sed omnium Virtutum Christianarum Complexus, consistens in *Habituali Aversatione Omnis Mali, atque Boni Studio.* Quæ est pretiosum illud Fidelium ornamentum, de quo legimus *Ps.* XCIII. 5. XLV. 14.[2] &c. & à quo *Sancti* ipsi dicuntur *Psal.* XVI. 3.[3] *Job.* V. 1. *Rom.* I. 7. &c. Et commendatur hæc merito; α tum à *Præstantia*, dum est hæc Beatorum, Angelorum, Christi, & Dei ipsius, Perfectio summa *Apoc.* V. 8.[4] *Jud.* 14. *Luc.* I. 35. *Jes.* VI. 3.[5] β tum à *Necessitate*, fluente ex Dei Decreto *Eph.* I. 4. ejus Præcepto perpetuo *Lev.* XI. 46. XIX. 2. 1 *Pet.* I. 16. &c. acquisitæ etiam Redemptionis *Tit.* II. 14. & Salutis immaculatæ obtinendæ natura *Hebr.* XII. 14. γ tum ab *Utilitate*, Corporali & Spirituali, Temporali & Æterna, quæ ex Promissis pariter & Exemplis plurimis satis constat, quamquam Commodum Corporale & Temporale Spirituali & Æterno sæpe cedat. Alia Practicis linquimus.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Anal. Exeg. post Cant.* [3] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XIII. P. VI.

Transitus ad Opera Bona, quorum Nomen & Definitio traditur.

XV. Non potest vero hæc Habitualis Sanctitas absque *Sanctitate* actuali *Vitæ* consistere, de qua agitur *Luc.* I. 75. 1 *Petr.* I. 15. *&c.* quamque sub nomine Operum Bonorum, ut Effectuum Sanctificationis, vulgo exponunt Theologi. Nomen hoc, ex natura rei & convenientia cum Lege derivatum, legitur in Scriptura; ubi habemus & πράξεις & ἔργα, cum epithetis καλῶν & ἀγαθῶν, tum etiam Impropria varia Nomina, *Fructuum Bonorum*, *Spiritus*, *Justitiæ*, *Resipiscentiæ*, *Armorum Lucis*, *&c.* Intelligimus verò hic; non α ea Opera, quæ *Civiliter* & *Secundum Quid* Bona sunt, qualia absque vera Sanctificatione proveniunt ab Hypocritis & Gentilibus ipsis, & sæpè in iis magis quam in vere Sanctis excellunt; β non similiter *Perfectè Bona* secundum Legis præscriptum, qualia contra *Perfectistas* ulla dari negamus, ex *Jes.* LXIV. 6. *&c.* interim non negantes, uti calummiantur ipsi temere, sed libenter concedentes *Verè Bona*, ob Causam Dei gratiam, ejus Complacentiam, & Mercedem gratiosè secuturam; γ sed *Spiritualiter* Bona, qualia Lex Euangelio temperata

exigit, & ea quidem non Aliqua, vel Externa omnia, vel Beneficentiæ in pauperes *Iac.* II. 14. I *Tim.* VI. 18. *&c.* sed *Omnia* promiscuè. Quæ breviter definiuntur; *Actiones hominum Sanctificatorum, secundum Dei Voluntatem in Verbo revelatam, per Spiritus gratiam, ex Fide, & ad Dei Gloriam Factæ.*

Sunt Actiones Hominum Sanctificatorum. Nec Irregenitis conveniunt.

XVI. Opera Bona generatim dicimus. 1. *Actiones.* Ut communi hoc nomine *Sermones* oris & *Cogitationes* cordis comprehendere liceat, quæ ob spiritualem Legis extensionem Bonæ & Malæ quoque sunt *Matt.* XII. 35. *Phil.* IV. 8. *&c.* nec ad Naturam hominis referri possunt. Quo sensu in Fine vitæ Conversis Adultis, & crucifixo cum Christo *Latroni* ipsi, Bona Opera non sunt prorsus deneganda. 2. Actiones *Sanctificatorum*, majori vel minori gradu. Ut excludamus; non *Christum*, perfecte Sanctum absque Macula ulla præsenti aut præterita, aut *Adamum Integrum*, quamvis in Horum Nostrisque Operibus, quoad Principium, Modum, Gradum, Vimque operis, haud leve sit discrimen; sed *Homines Naturales*, vera gratia destitutos, sive *intra Christianismum*, uti hypocritas & προσκαίρους, sive *extra eum*, ut Gentiles omnes. Quod docet Scriptura; α Bona Opera Bonis & Piis positive vindicans *Matt.* VII. 17. XII. 35. *Eph.* II. 10. 2 *Petr.* I. 10. *&c.* β aliisque omnibus auferens *Matt.* VII. 16. 17. 18. *Ioh.* XV. 5. *Rom.* VIII. 7. 2 *Cor.* III. 5. *&c.* etiam per Similia plura sæpius adducta quæ Impotentiam ad Bonum exprimunt; γ liquet tandem ex secuturis mox Bonorum Operum Requisitis, quæ sibi tribuere non audebunt vel certe non poterunt ipsi Gentiles. Nec obstant commendatæ in Scripturis, sive *Gentilium* promiscue, sive *Personarum nonnullarum* absque Regenerationis gratia, *Virtutes*, *Luc.* VI. 32. 33. *Rom.* II. 14. 15. *Exod.* I. 17. *Act.* X. 2. *Iac.* II. 25. *&c.* Cum α spectetur hic simpliciter *Opus in Se* absque ejus Modo, *Bonitas Moralis*, non Spiritualis, & *Complacentia Dei Partialis & Comparata*, non Totalis & Absoluta; β vel Homines nobis occurrant *Veræ Gratiæ Initium* jam habentes. Unde concidunt hypotheses *Pelagianæ* & *Papisticæ*; α de Viribus Liberi Abitrii ad vere Bonum in homine Lapso; β & de Operibus Merentibus ex Congruo. Quarum refutationem uberiorem vide *Cap.* XV. §. XXVI. & *Cap.* XXIII. §. IX.

Operum Bonorum Norma. Causa Principalis & Instrumentalis.

XVII. Omnes verò Sanctificatorum *Actiones* cum nequaquam ob Beneficii istius Imperfectionem Bonæ sint, hæ ab aliis maxime

me *discriminantur*. 1. Per *Normam*, secundum quam fiunt. Quæ est; *α Dei* Legislatoris unici *Voluntas*, opposita Consuetudini, Traditioni majorum, Propriæ cum bona intentione Electioni, quin & Exemplis Dei & Sanctorum, non ultra Mandati præscriptum imitandis, secundum latius dicta *Cap*. XI. §. VII. *&* IX. *β* & quidem *Revelata in Verbo*, nunc *Scripto* tantum, propriè *Legis*, eatenus etiam Euangelii, quatenus absque mutatione aut augmento declarantur & inculcantur ibidem præscripta Officia, quæ hic opponitur *Legi Naturali*, per *Naturam Humanam* & *Rationem Rectam* à Philosophis significatæ, atque repudiandæ ob suam Obscuritatem, & Imperfectionem, & facilè miscentem se Carnis Corruptionem; *γ absque Discrimine Modi Propositionis*, Imperativi, Optativi, Consultivi, &c. sicuti contra *Socinianorum* argutias, & *Pontificiorum* Opera Perfectionis Majoris & Supererogatoria, antea observavimus quoque *Cap*. II. §. XVII. *& Cap*. XI. §. XXXIV. XXXVII. 2. Per *Causam Efficientem*. Quæ in homine Regenito; *α Principalis* hic est *Gratia Spiritus*, non mere Naturalis, non Externa & Moralis tantum, non Communior aliqua, sed *Supernaturalis*, Hyperphysica, & Bonum ipsum verè producens, *coll*. 1 *Cor*. IV. 7. *Gal*. V. 22. *Eph*. V. 9. *Phil*. II. 13. *Hebr*. XII. 28. XIII. 21. *&c*. *β Instrumentalis* vero, *Fides* in Christum, interiorem Miseriæ nostræ Cognitionem includens, Meritique omnis Proprii persuasionem arcens, *Act*. XV. 9. *Gal*. V. 6. 1 *Tim*. I. 5. *Hebr*. XI. 6. *Jac*. II. 22. *&c*. spectante huc indirecte etiam textu *Rom*. XIV. 23. cum de Opere Deo Placituro nemo persuasus esse possit, quam ibi persuasionem Fides notat, absque Fide in Christum. 3. Per *Finem* denique. Qui *α Subordinatus* varius quidem est, in primis *Proximi Ædificatio Matt*. V. 16. *Phil*. II. 15. 1 *Tim*. IV. 12. 1 *Petr*. II. 12. *&c*. & *Salutis* propriæ *Certitudo*, ac actualis *Acquisitio*, 1 *Cor*. IX. 24. 2 *Petr*. I. 10. *Phil*. II. 12. III. 14. *&c*. propter quam, non merendam tamen, nec unice aut primo, (quod videtur impugnasse *Antigonus*, Tsadducæorum sententiam ejus pessime torquentium Parens,) bene operari adeò licet & decet, contra *Pontificiorum* cavillationes & criminationes notatas *Cap*. XI. §. IV. *β Ultimus* vero & Supremus *Dei*, & potissimum *Misericordiæ* ejus in Christo, *Gloria*, 1 *Cor*. VI. 19. 20. X. 31. *Eph*. II. 7. 10. 1 *Petr*. II. 9. 10. *&c*. cui cum Abnegatione Gloriæ mundanæ, Terrenæ Felicitatis, quin & si id exi-

Nec non Finis Subordinatus & Supremus.

gi posset, ipsius nostræ Æternæ Beatitatis, nos hic litare, exemplo Mosis & Pauli, [1] jubet puri atque intensissimi *Amoris Dei Præceptum Primum & Maximum.*

[1] *Exerc. Text.* V. P. V. & *Exerc. Text.* XLVIII. P. V.

Consectaria quædam de Bonis Operibus traduntur.

XVIII. Repetimus hinc Conclusionem plusquam unam; α verè *Gentilium Virtutes* Patribus dictas fuisse *Falsas*, *Vitiosas*, *Imperfectas*, quin & *Splendidiora Vitia*, *cum exiguis initiis sanctorum non comparanda*, dum nullum ex requisitis his in illis reperitur, quantoperè eas ex fermento *Pelagiano* commendent *Sociniani* & *Pontificii*; β *Sanctificatis non esse Opera Verè Bona deneganda*, cum Normam, Principium, & Finem hunc, in iis utique reperire liceat; γ ab iis tamen *Perfectionem Graduum* ita esse *removendam*, experientia teste, ut singula Optima etiam Opera, respectu defectus non unius, Peccata & Damnationem Merentia dici possint, secundum *Jes.* LXIV 6. &c. Appellatione interim à Scopo operantium & potiori operis parte desumpta rectè, atque hinc, non ex defectu, fluente grata Dei Complacentia; δ *procul removendam* omnem *Meriti* persuasionem, tum *ex Congruo*, tum *ex Pacto*, tum *ex Condigno*, secundum dicta à nobis *Cap.* XXIV. §. XII. & exigentem id Dei Gloriam, Justitiæ Christi Sufficientiam, Vitæque Æternæ naturam, ut *Hæreditatis* & *Doni Gratiosi Col.* III. 24. *Rom* VI. 23. *Eph.* II. 8. &c. dum *Meriti* nomen ἀγέγραφον à Patribus prò certa Consecutione usurpatur, & res ipsa minimè firmatur argumentis *Cap.* XXIV. §. XV. jam solutis; ε magis denique adhuc *repudianda* esse, tum *Opera Meritoria pro aliis*, tum illa quibus debeatur *Specialis* in Cœlo *Aureola*, à *Pontificiis* speciatim tributa *Virginibus*, *Doctoribus*, atque *Martyribus*, quibus postremis duobus nos interim negare nolimus per Dei gratiam concedendum Majorem Gloriæ Gradum, ex locis *Dan.* XII. 3. *Matt.* V. 12. &c. dum *Virgines* sensu emblematico notant ab Idololatria & Superstitione qui se puros servant *Apoc.* XIV. 4. [2] *coll.* 2 *Cor.* XI. 2.

[2] *Comm. in Loc.*

Bonorum Operum Necessitas a nobis urgetur, & urgenda est.

XIX. Dum verò ob has assertiones nostras continuo clamant *Pontificii*, Bonorum Operum nos Necessitatem omnem tollere, notamus Calumniam hanc esse manifestam, facilius imputandam ipsorum doctrinæ, quæ *Satisfactiones Humanas pro Aliis* statuit. Tenemus enim nos & urgemus, tum contra *Epicureos*, *Simonia-*

nos,

nos, & *Libertinos* omnes, Licentiam Vitæ dissolutam introducentes, tum contra *Lutheranos* nonnullos, qui Reformationis Seculo *Formulæ Interimisticæ* fervidius se opponentes, *Bona Opera Non Necessaria* sed *Noxia* potius *ad Salutem* dicenda voluerunt, licet propugnarent Decens Sanctitatis Studium; tenemus, inquam, nos omnino, *esse Utilia & Necessaria Bona Opera*, non quidem ad obtinendum Jus Vitæ, per modum *Causæ* Meritoriæ *regnandi*, sed ad acquirendam Vitam ipsam instar *Viæ Regni*, hujusque futuræ Certitudinem, quam *Necessitatem Præcepti* pariter *& Medii* appellare licet. Et constat illa; α ex obvio ubique *Dei Præcepto Rom.* VI. 18. VII. 4. *Eph.* II. 10. 1 *Thess.* IV. 3. 4. 5. 7. *Tit.* II. 11. 12. III. 8. *Hebr.* XII. 14 *&c.* β ex præsentis *Gratiæ*, Internæ & Externæ, *Natura*, sive Verbum Euangelii, sive Unionem cum Triuno Deo, sive Fidem, sive Beneficia juncta, spectemus; γ denique ex ratione *Gloriæ* instantis, quæ Progressum, Laborem, Certamen, Præparationem, omnio certè absque Operibus Bonis non obtinentia, exigit. Prætextus verò *Libertatis*, & orituræ hinc persuasionis de *Justitia Propria*, partim vani sunt, ob abusum doctrinæ non rejiciendo dogmate pio & necessario, partim antea sublati *Cap.* XI. §. XXXVIII. Unde male taxantur quandoque Theologi, ob commendatam Plebi maxime *Pietatis Praxin*, hancque *Scientiæ Nudæ*, licet late diffusæ, *antepositam*, atque huc compositos sermones suos; quod utique fieri debet, dum Scientia omnis ad Praxin ducit, & absque hac illa vana est, 1 *Cor.* XIII. 1, 2. 1 *Tim.* 1. 5. *Jac.* II. 14. III. 13. &c.

XX. Rejicienda hic interim est tam *Universalis* hujus *Necessitatis Extensio*; α ut comprehendantur quoque *Infantes*, cum hi ante omnem Rationis usum, non similiter Operum Bonorum, uti Sanctificationis Naturæ, sint capaces, sicuti est Peccatum in iis Originale absque Actuali; β ut etiam magna Operum, Sermonibus & Cogitationibus oppositorum, in *Omnibus Conversis* series exigatur, quæ in *Resipiscentia Sera* ob momentum mortis instans sæpe locum non reperit, dum in iis tamen, exemplo crucifixi cum Christo Latronis, adsunt vel Sermones vel Cogitationes Bonæ, & Operum ulteriorum constans Propositum. Restrictio quædam Necessitatis illius.

XXI. Ex omnibus tandem dictis facile liquet Sanctificationis verus ultimusque præter hominis salutem *Finis*, qui est Gloria Di- Sanctificationis tandem Finis.

Divinæ Sapientiæ, Sanctitatis, Potentiæ, Bonitatis, &c. in Sanctificatione ita elucens, ac in hominem veluti transfusa, ut illam simul agnoscant & prædicent jugiter Sanctificati *Jes.* XLIII. 21. *Eph.* II. 10. 1 *Petr.* II. 9. &c.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM

De Oratione, Jejunio, Vigilia, Eleemosyna, & Voto.

Inter Opera Bona multis modis excellit Oratio.

INter Opera Bona cum excellat ORATIO, *Sanctificationis Fructus* simul, illiusque promovendæ *Medium* potentissimum; de illa cum *Connexis Operibus* speciatim ut agamus, operæ pretium erit. Est certè hæc Opus; α non tantum *Præstantissimum*, utpore sanctam cum Deo familiaritatem, & exercitium omnium virtutum Christianarum, includens *Gen.* XVIII. 27. *Joel.* II. 32 [1]. *&c.* β *Utilissimumque*, in Malis spiritualibus & corporalibus auferendis, Bonisque ex Dei decreto conferendis, secundum *Promissa Ps.* L. 15. CXLV. 18. 19. *Matt.* VII. 7. *Marc.* XI. 24. *&c.* & *Exempla* illustria, Sacra *Exod.* III. 9. XVII. 10. 11. [2] XXXII. 10. 14. *Hos.* XII. 5. [3] *Jac.* V. 16. *&c.* & Ecclesiastica, in historiis, utique non plane confictis, Legionis Κεραυνοβόλου, Theodosii cum Exercitu, &c. quamquam Fructus optatus, vel idem numero aut specie, vel primo quoque momento, vel modo à nobis cogitato, semper ad Orationem non sequatur; γ sed & plane *Necessarium*, ex *Præcepto Dei* sub Vet. & Novo Test. pariter dato, secundum notata contra *Socinianos Cap.* XII. §. IV. ex suprema ejus *Majestate*, utique sic agnoscenda, ex Hominis denique *Dependentia* & *Indigentia* continua, quæ Gentiles ipsos orare & officium hoc commendare docuit, cuique licet non rogatus succurrat quandoque Deus, id tamen non promisit, & id agens hominem magis ad officium pellit. Quin & Oratio à nobis tanto amplius explicanda & urgenda est, quod ejus Contemptum & Neglectum ex nostra doctrina de Prædestinatione, Consilii Divini Immutabilitate, Conservatione gratiosa, &c. impie derivent *Adversarii*, ipso actu obturandi.

[1] *Comm.*

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* V. P. IV. [3] *Comm. in Loc.*

Orationis Nomina varia, & Definitio.

II. Ad *Nomen* Orationis quod spectat, dicitur proximè ab *Orando*, remotius vero ab *Ore*, quo profertur, cuique orantium manus antiquitus admoveri solebat; non itaque vèl ab *ἀρᾶ imprecatione*, vel quasi *oris ratio*. Synonyma plura sunt *Adorationis*, *Invocationis*, *Precationis*, *Supplicationis*, *Obsecrationis*, *&c.* præter *Periphrases* longiores. Hebræi cum respectu, vel ad Animam, vel ad Motum Gestumque Corporis, vocant, פגיעה / תחנה / צעקה שועה / נפילה / עמידה / & maxime תפלה / quod à *Rabbinis* applicatur etiam ad notanda φυλακτήρια manuum & capitis, quæ ex *Exod.* XIII. 9. 16. *Deut.* VI. 8. ipsi deducunt. Quatuor Voces Græcas, δεήσεως, προσευχῆς, ἐντεύξεως, & εὐχαριστίας, junxit Apostolus 1 *Tim.* II. 1. [4] quas licet varii variè distinguant, nos non incommodè prorsus putamus referri distincte, ad malorum *Deprecationem*, bonorum *Petitionem*, pro aliis *Intercessionem*, denique *Gratiarum Actionem*; quem ad modum hæ *Orationis Species* in idea sua *distingui*, neutiquam autem in subjectis à se invicem *divelli* possunt, ob Malorum & Bonorum immediatam Oppositionem, Charitatis legem, & Gratitudinem in Petitione ulteriori, Petitionemque in vera Gratitudine prorsus necessariam, *coll. Phil.* IV. 6. *Col.* IV. 2. &c. Sumitur tandem Oratio; α vel pro *Locutione* & Sermone quovis, in primis Prolixiori; β vel pro *Petitione*, quæ etiam fit ab hominibus; γ vel denique pro *Petitione Religiosa*, ejusque sive *Argumento*, sive *Verbis*, sive maxime ipso *Actu*. Atque sic jam definitur; *Religiosa hominis Sanctificati Actio, qua Votorum suorum Complementum à Deo cum Reverentia & Fiducia debita petit*; sive brevius, *Religiosa Divinæ Opis Imploratio.*

[4] *Exerc. Text.* XLII. P. I.

Est Actio Hominis Sanctificati Religiosa. Hinc ad Deum Trinum, & Solum spectans.

III. Orationem generatim dicimus; α *Actionem Hominis*, ut & Irrationales Creaturæ excludantur, & Utriusque Partis Humanæ concursus, non tamen omni loco & tempore necessarius, innuatur; β & quidem hominis *Sanctificati*, ut ad hos omnes *extendatur*, rationis sc. usus jam compotes, qui Opere hoc necessario sic dignoscuntur, uti Respiratione Vita Naturalis, ac ut simul ad eos *restringatur* Deo grata Oratio, secundum loca *Prov.* XXVIII. 9. *Jac.* V. 16. *Job.* IX. 21. *&c.* necessarium ejus à Spiritu Ortum, quo irregeniti carent *Zach.* XII. 10. [5] *Rom.* VIII.

26.

26. *Jud.* 20. &c. requisita necessaria Reverentiæ & Fiduciæ, Consensum etiam Gentilium, de Puritate cum Precibus jungenda, quo tamen ipso ab Officio Precandi non magis quam omne aliud bonum præstandi eximuntur impii; γ actionem denique *Religosam*, non modò ob Divinum mandatum, sed & ob naturam suam. Quales Actiones Religionis Elicitæ cum versentur circa Verum Deum Solum, asserimus omnino; α *Deum* esse invocandum *Psal.* L. 15. LXV. 6. CXXIII. 1. 2. *Matt.* IV. 10. *Rom.* X. 13. &c. in quo fundamenta Fiduciæ & Reverentiæ justa sunt; β & quidem *Triunum*, non excluso Filio, etiam qua Mediatore, vel Spiritu S. uti id asseruimus *Cap.* V. §. XXI. XXVI. *Cap.* XI. §. VI. *Cap.* XVIII. §. XXVII. haud obstantibus propriis *Christi* sed secundùm Humanitatem *Precibus*, vel *Patris* frequentiori ob Personarum Ordinem & Oeconomiam nominatione, vel *Angeli* Interdicto *Apoc.* XXII. 9. *coll.* 12. 13.[6] ubi argumentum docet Personarum utrobique loquentium Distinctionem, vel rariori *Spiritus* invocandi mentione, quæ fluit ex Precum à Spiritu Ortu; γ imo *Solum*, exclusa & Humana Christi Natura, & omni nuda Creatura, Angelica, Humana, vel Inanimata quoque, uti contra *Socinianorum* impias hypotheses de Adoratione Angelorum olim licita, Christoque Nudo Homine, & contra stupendam *Pontificiorum* Idololatriam, asseruimus id & vindicavimus *Cap.* IX. §. XVII. XVIII. *Cap.* XI. §. VI. *Cap.* XII. §. II. *Cap.* XVII. §. XIV. *Cap.* XX. §. XXX. Fassis Gentilibus ipsis, Invocationem Divinum esse Cultum; nec Invocatione Sanctorum apud Christianos, nisi serius post Quatuor fere Secula à Christo nato, introductâ, ex nimia Martyrum Veneratione, Confessorum solitâ prius in Ecclesia pro Pœnitentibus Intercessione, ornatâ Rhetorum Exclamatione, denique & Gentilismi κακοζηλία.

[5] *Comm. in Loc.* [6] *Comm. in Loc.*

Orationis Natura consistit in Petitione Precaria.

IV. Specialis hujus Actionis *Natura* consistit maxime in *Petitione*; quam vocem, excluso Imperio & Jure, quod *poscentes* vel *postulantes* declarant, notare volunt Latini, præter rei desiderium, τὸ *Precarium*, quod ob hominis propriam Indignitatem & Damnabilitatem hic benè tenendum est. Et agnosci debet *Petitio*, non in sola *Apprecatione*, sed & in *Deprecatione*, cum volumus utique gratiam oppositam, & *Gratiarum Actione*, cum laudem ex bonis

nis ad Deum redire, hanc Deo gratam esse, & majoris gratiæ occasionem fore, iterum optamus.

V. Quod petitur est *Voti nostri Complementum*, justi scil & decentis. Quale ut sit. 1. Notandæ sunt *Personæ*, *Pro Quibus* orare oportet. Quæque sunt; non α *Mortui*, quibus ob mandati & exemplorum probatorum defectum, beatitatisque aut miseriæ æternæ statum, Preces nostræ non prosunt, & prò quibus ex aliis longe hypothesibus olim Christiani, quam hodiè *Pontificii*, orarunt; β sed *Vivi*. Atque hi α *Omnes* 1 *Tim.* II. 1. 2. *Gen.* XVIII. 23. 24. *&c.* solis Reis Peccati in Spiritum S. exceptis 1 *Joh.* V. 16. [1] non similiter Inimicis nostris *Matt.* V. 44. *Luc.* XXIII. 34 [2]. *Act.* VII. 60. *&c.* β præcipue tamen *Magistratus*, à Deo constituti, ex Mandato 1 *Tim* II. 2. Gentiliumque & Christianorum antiqua Praxi, *Pastores Eph.* VI. 19. *Col.* IV. 3. 2 *Thess.* III. 1. *Fidei Socii Matt.* VI. 9 *Col.* I. 3. *Eph.* VI. 18. *Ps.* LI. 20. CXXII. 6. *&c.* quorum etiam *Afflictio* industriam nostram augere debet *Psal.* CXLI. 6. *Act.* XII. 5. *Jac.* V. 14. [3] Reipublicæ & Urbis ejusdem *Concives*, quin & *Domestici* nostri, & *Nos Ipsi*, quos speciatim solos nominare quoque licet, uti egerunt Sancti omnes. 2. Considerandæ sunt *Res Quas desiderare* licet vel decet. Et sunt α non *Mala Inferenda*, sive *Culpæ*, pro quibus licite petendis decantata *Juditæ* fabella nihil valet, quibusque annumera *Bona cum Fine Peccaminoso Jac.* IV. 3. 1 *Joh.* V. 14. & *Adversa Divino Consilio* nobis patefacto, cui Moses, Hizkias, Paulus, & Salvator ipse, nequaquam verè repugnarunt, sive *Pœnæ*, infligendæ vel Nobis vel Proximo, nisi Conditio Divinæ Gloriæ ac Salutis nostræ vel aliorum id exigentis adsit, quo pacto defendi possunt variæ *Imprecationes* Mosis, Davidis, Pauli, aliorumque Sanctorum, sæpe etiam rectè pro Propheticis Prædictionibus habitæ, vel non tam ad Personas quam ad Mala molimina relatæ, dum alias Imprecatio interdicta *Luc.* IX. 55. *Jac.* V. 9. *&c.* & Sanctorum Infirmitatibus quandoque annumeranda, secundum ex quæ diximus *Cap.* XII. §. X. β neque *Bona Auferenda*, nisi iterum sub Conditione Salutis id exigentis, atque ob Malum, quod ex iis metuimus, quò refer *Prov.* XXX. 8. γ sed *Mala*, vel *Arcenda* vel *Auferenda*, & *Bona*, *Conferenda* vel *Continuanda*, tum *Spiritualia*, quæ petenda, prius, intensius, magis abundanter, & absolute, tum *Corporalia*, sed secundario, modicè, & conditionatè. Quorsum ducunt;

Pro Quibus sit orandum. Et Quid orare deceat. Ubi Petenda etiam esse Bona Corporalia, monstratur.

cunt; α *Mandata Psal.* L. 15. *Jer.* XXIX. 7. *Joël.* I. 14. 16. [4] *Matt.* VI. 15. [5] 1 *Tim.* II. 2. *Jac.* V. 14. [6] 1 *Petr.* V. 7. *&c.* β Exempla *Gen.* XXVIII. 20. *Prov.* XXX. 8. &c. γ Rationesque, à Corporalium Necessitate atque Divina per Providentiam largitione desumptæ. Quibus temere à *Weigelianis* aliisque nonnullis opponitur; α vel *Rarius Mandatum*, quod ex Desiderio Corporalium homini magis indito, & minori eorum Præstantia fluit; β vel *Interdictum Sollicitudinis de his*, ac *Laboris* ob hæc, *Matt.* VI. 25. 28. 31. *Jes.* LV. 2. *Joh.* VI. 27. *&c.* dum Sollicitudo hic intelligitur Diffidentiæ, per Preces demum vere expellenda, & ob Laborem alibi mandatum reliquæ locutiones comparate exponi debent; γ vel *Ratio*, tum à *Dei Cognitione* prævia, quæ ad spirituales necessitates etiam extenditur, tum ex *Adjectione* promissa, quæ ad vilitatem, cœlestem concessionem, & dationis certitudinem respiciens, nec laborem, nec orationem excludit, tum ex Corporalium *Vilitate*, quæ cum eorum Necessitate est conferenda, tum ex *Interdicta* πολυλογίᾳ, quæ ex Corporalium petitione per se non fluit, & in spiritualibus quoque adhiberi potest, tum denique ex *Viribus Propriis* ea acquirendi, quas nec habet homo ullus independenter à Deo, quas amittere quovis momento potest, quæque ad illorum proficuum usum non sufficiunt.

[1] *Exerc. Text.* L. P. III. [2] *Exerc. Text.* XXXVI. P. V. [3] *Exerc. Text.* XLV. P. I. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Juven. Disp.* XVII. *&c.* [6] *Exerc. Text.* XLV. P. I.

Modus orandi decens cum Reverentia & Fiducia.

VI. Petitio quæcunque fieri debet *Modo Decenti*. Quo spectat præcipue. 1. *Reverentia*, supremo Domino digna, includens; α *Intelligentiam* eorum quæ petimus 1 *Cor.* XIV. 15. β *Attentionem*, ad Deum, Nos Ipsos, Rem petitam, ac petitionis Rationem omnem, *Psal.* CXLV. 18. *Job.* IV. 24. *Eph.* VI. 18. *&c.* γ *Humilitatem Eccl.* V. 1. *Luc.* XVIII. 13. *Eph.* VI. 18. 1 *Petr.* V. 5. 6. *&c.* consideratione hinc Divinæ Majestatis & Justitiæ, illinc nostræ Tenuitatis & Malitiæ, fovendam, δ *Subjectionem* sub Dei Voluntatem, tum *Ordinantem* fata nostra, tum *Præcipientem* officia ipsi præstanda *Jes.* I. 15. LV. 6. 1 *Tim.* II. 8. *Hebr.* X. 22. *Jac.* IV. 8. *&c.* 2 *Fiducia* certæ Exauditionis *Marc.* XI. 22. 23. 24. *Jac.* I. 6. 7. nixa generatim Divina Potentia & Bonitate *Eph.* III. 20. *Matt.* VII. 11. speciatim Meritis Christi *Joh.* XIV. 13. XVI. 23. 24. multifariis Dei Promissis *Psal.* CXLV. 18. *Matt.* VII. 7. & Exaudi-

ditionis frequenti Experientia in nobis & in aliis *Jac.* v. 16. 17. *&c.* Sicuti spem suorum hic etiam Deus non fallit, sed ob Christi Meritum, ejus Intercessionem, Spiritusque Operationem, certò implet, uno vel altero modo & momento, *coll.* 2 *Cor.* XII. 8. 9. *&c.* absque consilii sui mutatione ulla; atque per hanc Exauditionem perdurantes & ferventes in precibus eos facit *Psal.* LXXXV. 8. 9. CXXIII. 2. *Luc.* XVIII. 1. *Rom.* XII. 11. 12. *&c.* etiam in mediis Angustiis, & Aversationibus Dei Paternis.

Gestus Orantium describuntur.

VII. Atque sic concepta *solo Corde*, absque cujus voto Precatio neutiquam subsistit, vel *secreto Murmure* expressa Petitio, coram omnia cognoscente & audiente Deo *sæpe sufficit*, Loci Temporisve circumstantiis, vel etiam nostri Constitutione Corporis aliud nihil admittente, secundum loca 1 *Sam.* I. 10. 13. *Neh.* II. 4. *Jes.* XXVI. 16. *Luc.* XVIII. 11. *&c.* Ut tamen Dei Majestas, animique Zelus, majorem *Corporis Cooperationem* vulgò exigant, in *Gestibus* sc. & *Verbis* decentibus. Atque in *Gestibus* quidem generalis & perpetua regula, sive *Corpori Integro*, sive *Membris Quibusdam*, præscribi non debet. Dum α deest tale Mandatum, Gestuum nominibus sæpe in Scriptura prò ipsa Oratione positis, *Jes.* XLV. 23. *Phil.* II. 13. *&c.* β & Exempla variant, non modo in Veteris Ecclesiæ Publica Praxi, tempori variè accommodatâ, sed & in Scriptura, ubi reperimus *Procumbentes in terram*, *Genua flectentes*, *Stantes*, *Sedentes*, &c. *Deut.* IX. 18. 2 *Sam.* XII. 16. *Dan.* VI. 11. *Hezr.* IX. 5. 2 *Chron.* VI. 13. *Act.* XX. 36. *Gen.* XVIII. 23. *Neh.* IX. 4. 1 *Reg.* XIX. 4. *Iob.* II. 8. *&c.* dein *Caput nudantes* vel *tegentes*, *Oculos elevantes* vel *deprimentes*, *Manus tollentes*, vel *Pectus pulsantes*, &c. 1 *Cor.* XI. 4. 5. *Psal.* CXXIII. 2. *Luc.* XVIII. 13. *Psal.* CXLI. 2. 1 *Reg.* VIII. 22. 1 *Tim.* II. 8. *Luc.* XVIII. 13. *&c.* Præ reliquis tamen illi Gestus, vulgo & potissimum publicè, commendari merentur, quibus maxime *Attentio* fovetur, ac *Reverentia Fiduciaque* nostra declaratur; nec putamus, familiarem Cœtuum nostrorum *Socordiam* facile in hac parte verè piis probatum iri.

De Voce & Verbis Orantium disseritur. Et speciatim de Formulis Precum statis.

VIII. In *Verbis* proferendis generatim *Vocis Vehementia* secundum zeli, roboris, locique, rationem simul componenda est, dum Baali non est similis Deus 1 *Reg.* XVIII. 27. & commendatus passim *Clamor* ad fervorem animi potissimum respicit; atque adhiberi debent *Voces Intelligibiles*, tum quoad *dialectum*, contra

 quam

quam agunt *Papistæ*, facile confutati ex 1 *Cor.* XIV. 14. 15. 16. *Eph.* VI. 18. *&c.* tum quoad *rem ipsam*, sive hæ ex usu vulgari sumantur, sive & potius in Scripturis legantur, sanctorum verbis ad nos applicatis. Speciatim abesse debet; α omnis *tædiosa* βαττολογία, *& inanis* πολυλογία, damnata meritò *Matt.* VI. 7. ad quam non pertinent, vel omnes Preces Longiores, ex fervore vero profectæ, vel Repetitiones emphaticæ Sanctorum, qualis est *Psal.* CXXXVI. *&c.* sed omnino Precatiunculæ *Pontificiorum* ad Numeros ac *Rosaria*; β omnis *Conquisita Humana Eloquentia*, quasi per ipsam Deus moveretur, dum sic potius laus humana quæritur; γ omnis denique *Sermonis* nimius *Contemptus & Confusio*, quæ cum vero Divinæ Majestatis intuitu, ac in Publicis Precibus cum Ædificatione, non conveniunt. Unde judicari facilè potest de *Precum*, privatarum & publicarum, *Formulis* certis, quibus ut se opposuerint fervidius *Brownistæ* & *Independentes*, fecerunt recepta apud *Papistas* Officia, per quæ zelus verus exstinctus & superstitio stabilita fuit, & ut se opponant hodieque Viri Docti multi, facit multorum in iis recitandis socordia. Putamus nos, secundum *Ecclesiarum Germanicarum*, *Gallicarum*, *Belgicarumque*, praxin; α *non* debere Formulas haberi *prò Illicitis*, ob Usum Ecclesiæ Judaicæ 2*Chron.* XXIX. 30. *Ps.* XCII. 1. CII. 1. *Matt.* XXVI. 30. ac Christianæ antiquissimæ, & Mandatum, tum Vetus *Num.* VI. 23. *Hos.* XIV. 3. *&c.* tum Novum, in Oratione Dominica, præscripta per modum Formulæ simul & Normæ *Matt.* VI. 9. *Luc.* XI. 2. β eas, sive Divinas jam sive ab Hominibus benè compositas, omnino etiam *Utiles* esse, ad puerorum, & rudiorum, tum fidelium tum Pastorum, adjumentum, ad declarandam cultus publici Unitatem, ac ad facilem magis fidelium Præparationem & sequelam inter precandum; γ *non* esse ab altera parte *Damnandas Preces de Pectore*, & varias, ob Usum perinde antiquum inter Judæos 1 *Chron.* XXIX. 10. 1 *Reg.* VIII. 23. *Dan.* IX. 4. ac Christianos *Act.* I. 24. IV. 24. *&c.* & Mandatum implicitum, in commendata Libertate, Prece in Spiritu, Spiritu non Exstinguendo, memorataque Occasionum quibus Preces accommodandæ varietate 1 *Cor.* VII. 23. *Eph.* VI. 18. 1 *Thess.* V. 19. *Phil.* IV. 6. *&c.* δ imo habere has Preces *Usum Amplissimum*, in rebus dictionibusque tempori personæ & desiderio magis attemperatis, in progressu majori familiaritatis cum Deo sanctæ, in superanda in-

incuria, in fervore excitando, &c. [1] hinc suæ *Aptitudinis* maximæque *Ædificationis Discretionem & Libertatem* hac in parte singulis Fidelibus & Ministris esse relinquendam, quam primi intenderunt Reformatores, varias propterea Formulas præscribentes, quamque nimium minuunt, tum illi, qui in eas ut per se noxias & damnosas invehuntur magnopere, tum illi qui autoritate Politica seu Ecclesiastica eas omnibus iterum obtrudere pessimo instituto quandoque conantur.

IX. *Locum* Invocationis Deus olim constituerat per Mosen *Tabernaculum*, & postea *Templum* suum, ubi Cultus Externus fiebat, ac gratiosè ipse inveniebatur; ubi propterea Deum invocabant, ita ut absentes illuc etiam oculos converterent, non negata interim Dei in Cœlis Habitatione gloriosa *Jes.* LVI. 7. 1 *Reg.* VIII. 28. 30. 44. 48. *Joh.* IV. 20. *Dan.* VI. 11. *Psal.* V. 8. *&c.* Sed uti ante erectum Tabernaculum gratis similis aliquis Locus unus ex historia Caini, Jacobi, &c. elicitur, ita sub Novo Test. *Omnis Locus* terræ Domino sanctus est *Jes.* XIX. 19. *Mal.* I. 11 [1]. *Joh.* IV. 21. 1 *Tim.* II. 8. *Matt.* XVIII. 20. *&c.* Ut *Privatæ Orationes* potius fieri debeant *clam*, sive in conclavi nostro *Matt.* VI. 6. *Act.* X. 9. sive alio loco solitario *Matt.* XIV. 23. XXVI. 36. &c. ut Ostentatio & Impedimentum omne absit; dum publicè à pluribus non nisi in Conventus Loco Oratio institui potest, *coll.* *Act.* XVI. 16. non vi loci, sed virium unitarum, fortior tum. Unde concidit *Papistarum* superstitio, in præferendis *Templis* superstitiosè & idololatricè consecratis, ac *Locis* quibusdam aliis magis *Religiosis*, ad quæ inanissimæ *Peregrinationes* quotidie etiam instituuntur. Atque corruit simul *Independentium* aliorumque scrupulositas circa *Preces in Templis Idololatria olim pollutis*, *Formamque Crucium* vel exprimentibus vel fastigio impositam habentibus, *Arave instructis*; quæ posteriora quamquam abesse præstaret, in primis scandalo accedente, ita tamen nihil horum est, quod præsentiam gratiosam Dei arcet ab orante absque ulla Idololatriæ conscientia & specie communicationis cum illa, *coll.* *Jud.* XVI. 28. [2] Ritus vero antiquus Christianorum *Precandi Versus Orientem*, Judæorum consuetudini in Templo planè oppositus, omnino vanis fundamentis nititur, somniatâ sc. Apostolorum Traditione, Christi versus Occidentem Crucifixione, Solis & Orientis nomine ipsi dato, exspectato ipsius ex Oriente Reditu, Pla-

De Loco Orationis Publicæ & Privatæ agitur.

gæ Præstantia, Lucis grato Ortu, & Paradisi credita ibidem sede; neque dubitandum videtur, quin aliquatenus à *Gentilibus* Solem adorantibus fluxerit, ut satius sit ab hac Loci Determinatione in Corporis Situ quoque abstinere Christianum.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* V. P. VI.

Orandum est Semper. Quod non obstat quibusdam Specialibus Orandi Temporibus.

X. Tandem *Temporis* accedit consideratio, cujus respectu *semper* orandum esse dicimus *Eph.* VI. 18. 1 *Thess.* V. 17. *&c.* ob Necessitatis & Beneficentiæ Divinæ Perpetuitatem; non sensu *Euchitarum* & *Messalianorum* veterum, quos in laboris neglectu *Monachi* Pontificii imitantur, contra Laboris cum Oratione Divinam connexionem, Gentibus non ignoratam; sed ita, ut α animus ad orationem semper sit dispositus, β omne tempus lætitiæ & tristitiæ illi demus, γ & potissimum in Precibus perduremus *Luc.* XVIII. 1. *Rom.* XII. 12. 1 *Thess.* V. 17. *&c.* Unde, non obstante hac generali regula, meritò tenemus, quam maximè orandum esse; α in gravioribus *Necessitatibus*, tum publicis tum privatis, per quas Deus ad preces primum dein ad gratiarum actionem suos impellit *Psal.* L. 15. *Joël.* II. 17. [3] *Luc.* XXII. 40. 44. *Jac.* V. 13. *&c.* β in *Initio* omnis *Operis*, potissimum majoris & sacri, *Psal.* XC. 17. CXXI. 2. CXXVII. 1. 2. *&c* comprobantibus id doctrina & praxi sua Gentilibus, in Disputationibus, Scriptionibus, Ædificiorum Exstructionibus, Agrorum Cultu, Nuptiis, Negotiisque publicis, Creandi Magistratus, Condendarum Legum, Gerendorum Bellorum, Victimarum Mactandarum, &c. γ *Statutis* denique *Temporibus*, & *Anni*, ejus potissimum initio, & *Septimanæ*, Die Dominico, & *Diei*, tum die atque nocte ineunte, tum in initio fineque mensæ, quemadmodum hæc Gentilium pariter & Christianorum sancto usu jam roborata sunt, & Judæi quoque suas *Horas Statas Precum* habuere, ex *Psal.* LV. 18. *Dan.* VI. 11. *Act.* III. 1. X. 9 *&c.* Quas generatim licet probemus, damnamus tamen *Horas Canonicas* Papistarum, diurnas nocturnasque; ob Superstitionem præcipue, & Idololatriam in Officiis ipsis stupendam vere.

[3] *Comm. in Loc.*

Orationis Exemplar & Formulam dedit Jesus. Per quam tamen Lex Vetus non est adaucta.

XI. Orationis explicationi generali non ineptum erit ut subjiciamus breviter quædam de *Oratione*, quæ ob Domini præscriptionem, sive semel sive bis factam *Matt.* VI. *&* *Luc.* XI *Dominicà*, & ob elegantem rerum verborumque complexum *Perfectissima*

sima dici solet. Eam nos credimus, sic potissimum esse precum *Exemplar*, & in *Rebus*, earumque *Ordine*, & in *Verbis*, secundum Domini Discipulorumque scopum, & praxin Apostolorum, his præcise verbis semper non utentium, ut simul etiam sit apta *Formula*, omni ætate Ecclesiæ porro rectè usurpanda; uti contra *Brouwnistas*, ex præcepto *sic precandi & dicendi*, ex addito Exordio & Conclusione, ex Perfectissimis Verbis adhibitis, ex Usu antiquissimo Christianorum, id facilè demonstratur, atque hodiè etiam teneri debet, contra ineptum somnium de VII. *Periodis Ecclesiæ Novi Test.* in hac Oratione delineatis, [1] quas majori longe cum specie in *Decalogo* quærere poterant hypothesi hac tantopere qui delectantur, quæque hic si agnoscantur, omni Tempori utique Oratio hæc applicari æque non potest. 2. *Non* facere eam ad *Legis Moralis* speciale *Augmentum*, sed tantum *Adjumentum Officii* ibidem præscripti, uti observavimus contra *Socinianos Cap.* XII. §. IV. atque copiose doceri solet; α debuisse Fideles olim Eadem Eodemque Modo & Ordine petere, in nomine Christi, spiritualia primum Deique gloriam, dein corporalia suumque commodum; β actu sic orasse Fideles, dum hoc reperitur Exordium *Jes.* LXIII. 15. 16. 1 *Reg.* VIII. 39. Petitio Prima *Num.* XIV. 17. *Psal.* CXV. 1. Secunda *Psal.* IV. 7. LI. 20. Tertia *Psal.* XXV. 4. 5. CXIX. 4. 5. Quarta *Gen.* XXVIII. 20. *Prov.* XXX. 8. Quinta *Exod.* XXXIV. 9. *Psal.* LI. 3. *Job.* XXXI. 29. 30. Sexta *Psal.* XIX. 13. 14. [2] CXIX. 36. 37. Conclusio denique 1 *Chron.* XXIX. 11. *Psal.* LXXII. 19. [3] *&c.* γ imo & notant ex receptis Judæorum Formulis hanc suam exstruxisse Salvatorem. 3. *Non* Esse denique illi tribuendam insitam quandam majorem *Sanctitatem & Efficaciam*, ob quam, vel sola ejus Decantatio repetita juvet, vel omnis alia Oratio per hanc claudi debeat necessariò, vel à Parvulis non sit usurpanda, vel in Publicis Conventibus ob impiorum mixturam sit negligenda; quæ partim contra *Papistas*, partim contra *Brownistas*, partim etiam contra nonnullorum ex Nostris superstitiosos scrupulos, sunt tenenda.

[1] *Præfat. in Comm. Apocal.* [2] *Exerc.. Text.* XX. P. V. [3] *Exerc. Text.* XXII. P. IV.

Orationis hujus Partes, Exordium, Petitiones Sex, & Conclusio, quæ male à Papistis rejicitur.

XII. Dividitur hæc Oratio commodissimè; α in *Exordium*, continens Alloquium ad Deum; β *Petitiones*, minus recte nonnullis *Septem*, cum Ultima Petitio melius Bimembris dicatur, utpote

pote Uni Malo tantum opposita, vulgo itaque *Sex*, quarum *Tres* priores immediate *ad Deum*, posteriores *ad Nos Ipsos*, vel *Quatuor* priores *ad Bona* desiderata, *Spiritualia* primum, dein *Corporalia*, *Duæ* posteriores *ad Mala* quæ deprecamur, spectant; γ *Conclusionem* denique, quæ in se habet *Doxologiam*, notumque *Amen*. Malè *Doxologiam*, quam non habet *Vulgatus* Interpres, rejicientibus *Papistis*, ac nonnullis aliis, qui hic magis α ad Judæis Christianisque receptam preces claudendi Consuetudinem, β Rei Significatæ decentiam, γ ejus cum Oratione aptissimum Nexum, δ lectionemque *Syri* Interpretis antiquissimi, ac plurimorum probatorum Codicum, attendere debuissent; quam α ad lectionem Latinam *Vulgati*, paucorumque *Patrum*, β & Usum *Ecclesiæ Romanæ*, cui Græca praxis opponi potest, γ & *Lucæ* narrationem, dum unus Euangelistarum sæpe ab alio prætermissa tradit, & diversa utriusque potest esse historia, & ad res petendas *Lucas* potissimum respiciens in iis meritò finit.

Per Patrem quis in Alloquio intelligatur.

XIII. In *Exordio* salutamus *Patrem*, per quem ὑποςατικῶς Primam Deitatis Personam intelligere cum *Patribus* & *Recentioribus* Theologis Doctissimis optimè possumus, salva Analogia Fidei & Contextus; cum Una Persona nominata non excludatur Altera, imo Patrem in Spiritu invocantes per Filium, Triunum sic adoremus Deum. Non est tamen aliqua stringens ratio, sivè à *Socinianis* Deitatem Christi eversuris, sive ab aliis producta, quæ ad exegesin hanc nos necessario cogat; dum α *Patris* nomen, sæpe quidem Primæ Personæ, attamen & aliis Personis datur, iis vere competens, *Jes.* LXIII. 16. *Hebr.* XII. 9. *&c.* β Christus alibi se à Patre distinguens *Joh.* XIV. 13. XV. 16. XVI. 23. *&c.* id propterea hic non agit, & γ *Cathechesis* ac *Liturgia* nostra huc præter scopum trahuntur. Quare sententiam uberiorem, minusque hæresi faventem, forte non male præferimus, dum Judæi Deum ὑσιωδῶς Patrem quoque vocant, & Filio competunt illa beneficia, quibus appellatio Patris nititur, *coll. Jes.* IX. 5. LIII. 10. *Hebr.* II. 13. *&c.*

Quo sensu Deus Pater Noster dicatur.

XIV. Deus vero dicitur; α *Pater*, non tam cum respectu ad Creationem, Conservationem, aut Externum cum Judæis Fœdus, uti quidam temere voluerunt, quam ad gratiosam *Adoptionem*, *Regenerationem*, *Unionemque cum Christo*, quæ beneficia Fidelibus Christi discipulis omnibus & solis competunt, & nomen *Filiorum Dei* emphatico magis sensu illis tribuunt, & solidum demum

mum Fiduciæ Christianæ gratæque Exauditionis fundamentum præbent, dum Infideles sic docentur se ita componere, ut nomine hoc Deum quoque compellare possint; β Pater præterea *Noster*, ad exprimendum, & *Fidei* nostræ, tum *Amplexum*, tum *Fiduciam*, & *Charitatis* ardorem, dum cum aliis ac cum Ecclesia nos sic sociamus, *coll.* 1 *Tim.* II. 1. 8. *&c.* γ *Cœlestis* tandem, non ad evertendum illius Omnipræsentiam vel Immensitatem, secundum impiam *Socinianorum* & *Vorstii* glossam, sed α ad exprimendam ejus *Gloriam*, *Scientiam*, *Potentiam*, *Jes.* LXVI. 1. *Ps.* CXIII. 5. 6. CXV. 3. β ob descendentia illinc *Beneficia Act.* XIV. 17. *Jac.* I. 17. *&c.* ad γ augendam denique in nobis *Fiduciam* simul *&* *Reverentiam Eccl.* V. 1. 1 *Reg.* VIII 27. &c.

XV. *Prima Petitio* concernit, α *Nomen Dei*, β quod *Sanctificari* volumus. Ubi *Nomen* non tam notat *Voces* illas, quibus vel in Scriptura vel alias apud homines ipse more creaturarum insigniri solet, quam quidem *Deum* ipsum, ac gloriosa ejus *Attributa*, quæ in Operibus quoque & maximè in Redemptione manifestat. Quod dicitur alibi *magnificari Luc.* I. 46. *Act.* XIX. 17. *&c.* *glorificari Joh.* XIII. 31. 32. 2 *Thess.* I. 12. *&c.* *exaltari Psal.* XVIII. 47. XXXIV. 4. *&c.* atque hic *sanctificari*, *coll.* 1 *Petr.* III. 15. *Lev.* XXII. 32. *&c.* h. e. segregari, tum ab omni Impuritate, tum ab omni Perfectione creata. Uti idem fit; α & à *Deo* ipso, se talem demonstrante, *Lev.* X. 3. [1] *Joh.* XII. 28 *&c.* β & à *Creaturis*, tum *Omnibus*, tum præcipue *Rationalibus*, tum *Angelis*, tum *Hominibus*, quando hi gloriam illam Dei agnoscunt & prædicant, apud se & alios, ore & opere, *Matt.* V. 16. 1 *Cor.* VI. 20. *&c* γ & speciatim *à Nobis*, Fidelibus scilicet, quando sumus objective ad gloriam illius, demonstrata in nobis eàdem, & hanc ex officio animæ nostræ nobisque mutuo commendamus, ac supra omnia quærimus, *Jes.* XLIII. 21. 1 *Petr.* II. 9. 1 *Cor.* X. 31. *&c.* Ut hæc Petitio conformis sit Primæ Tabulæ Legis, ac Supremum omnium operum nostrorum & petitionum Finem contineat, cui adeò reliquæ omnes subordinari debent. **Exegesis Petitionis Primæ brevis.**

[1] *Exerc. Text.* VIII. P. II.

XVI. In *Secunda Petitione* agitur, α de *Regno Dei*, β ejusque desideratur *Adventus*. Notat autem *Regnum Dei*, non tam Regnum *Naturæ*, quod æternum licet & perpetuum demonstrari tamen & agnosci quoque potest magis vel minus; quam Regnum **Secundæ Petitionis Declaratio.**

Gratiæ, hic inchoatum, & successive sub Novo Test. sic perfectum, ut in gloria tandem plenè consummetur *Matt.* VI. 33. XIII. 43. *&c.* Atque *venit* illud; α cum latius *ad plures* extenditur; β cum potentius *in nobis* demonstratur, & per internam Ecclesiæ Sanctificationem, peccati potestate magis fractâ, & per externam Hostium Conculcationem. Unde facilè liquet; α quo pacto olim sub Vet. Test. cum in Ecclesiam Deus quoque, & solus quidem absque Hominibus aut Angelis Sociis, Regnum Gratiæ Cœleste haberet, *exspectari & promitti potuerit Regnum Dei Matt.* III. 2. *Marc.* XV. 42. &c. atque hæc appellatio Novo Test. sæpe vindicetur, respectu sc. majoris longe Extensionis & potentioris Demonstrationis; β quo pacto post Adventum Novi Test. *adhuc precemur Regni Adventum*, respectu sc. Plenitudinis majoris, quam exspectamus in Gloria, quin & in Gratia, tum ratione Nostri, tum ratione etiam extendendæ latius ad Judæos, Gentiles, & Pseudo-Christianos, Ecclesiæ, ante Domini illustrem Adventum.

Tertiæ similiter.

XVII. *Petitio Tertia*, apud *Tertullianum* Secunda, proponit nobis, α *Voluntatem Dei*, β quam generatim petimus *Fieri*, & speciatim tum *in Terra*, tum similiter ibidem *sicut in Cœlo.* Ubi non Actum Divinæ Volitionis, sed Id quod vult, intelligere oportet; tum in *Decreto* & *Beneplacito* suo, tum in ejus *Signo*, Verbo nempe, & *Præcepti*, & consequenter etiam *Promissi*, *Jes.* XLVI. 10. *Matt.* XXVI. 39. *Rom.* XII. 2. *Eph.* V. 17. &c. Hæc autem fit; α prior quidem semper, in omnibus Creaturis Hominibusque & Nobis etiam invitis *Psal.* XXXIII. 11. *Jes.* XLVI. 10. *Dan.* IV. 35. &c. ut Petitio nostra hic tantum innuat nostram *Complacentiam*, *Subjectionem*, *Patientiam*, harumque Virtutum Augmentum 1 *Sam.* III. 18. *Jes.* XXXIX. 8. *Act.* XXI. 14. &c. β posterior autem, cum à Deo docemur *Jussa ejus exsequi*, juxta regulam præscriptam, *cum Abnegatione Nostræ Voluntatis*, & paulatim perfectius, cum fructu consequente *Beneficentiæ* ipsius *Psal.* CXLIII. 10. *Hebr.* XIII. 21. &c. Additurque, ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ τῆς γῆς, sive conjunctive *& in Cœlo*, *& in Terra*, ubique ob regnum Dei ad omnia extensum, sive assimilative, *in Terra sicut in Cœlo*, à Nobis scilicet Fidelibus & Hominibus in Terra omnibus, ubi multiplex adhuc reluctatio obtinet, sicuti fit ab Angelis & Beatis, Cœleste domicilium jam nactis *Matt.* XVIII. 10. 2 *Cor.* V. 1. *&c.* non tam habita ratione *Æqualitatis*, exspectandæ

dæ quidem in morte ab hominibus in terra sic precantibus, non tamen concedendæ unquam in Terra, quam quidem *Similitudinis*, in obedientiæ Universalitate, Sinceritate, Promptitudine, & Constantia.

XVIII. Sequitur *Quarta Petitione*, α mentio *Panis Nostri* ἐπιουσίου, ϐ quem desideramus à Deo *Dari*, *Nobis*, *Hodieque*. γ Dubitari autem neutiquam debere videtur, quin, excluso plane Spirituali Significatu, innuantur hic *Corporales Necessitates*, Victus & Amictus nomine venientes; ob α Proprium hunc *Panis* Significatum, β & additum ἐπιουσίου epitheton, γ & possessionem distinctam per τὸ ἡμῶν declaratam, δ & restrictionem ad diem *hodiernum*, ε atque *Perfectionem* Orationis in Rebus & Verbis; ut mittam alia, juxta Objectiones complures *Veterum* & *Recentiorum*, qui vel *Spiritualem Panem tantum*, Christum, Verbum, Sacramentumve ejus, vel *Spiritualem & Corporalem Victum simul* hic intelligunt. Pugnant hi gratis, tum rationibus generalibus §. V. refutatis; tum α *Panis* alibi obvio Significatu Spirituali, sed liquente tunc ex Descriptione addita aut Connexione; β Spiritualium *Præstantia*, quæ Corporalium Necessitatem neutiquam tollit; γ ἐπιουσίου *Epitheto*, sed à vera Origine & Significatione multifariam detorto; δ Fidelium peculiari in voce ἡμῶν *Appropriatione*, quæ ad Distinctionem ab Infidelibus perperam trahitur; ε *Ordine* denique *Petitionis* hujus, totiusque *Orationis* cœlesti *Præstantia*, quæ Corporali Petitione Una in mediis Spiritualibus positâ, & post Bona Spiritualia, optimè constant. Est vero admodum emphatica; α appellatio *Panis*, ad frugalitatem & necessitatem nos mox ducens; ϐ accedens vox ἐπιούσιος, quæ non ab ἐπιοῦσα, sed ab ἐπὶ & οὐσία omnino derivata, verti debet, non per *Futurum*, *Venturum*, *Crastinum*, *Supersubstantialem*, *&c.* vel etiam ad literam per *Quotidianum*, sed per *Adessentialem*, sive *Necessarium* ad vitæ sustentationem, *coll. Prov.* xxx. 8. 1 *Tim.* vi. 8. *Jac.* ii. 15. *&c.* γ denique Pronomen *Nostri*, quod victui ex aliena possessione, per furtum quin & per liberalitatem, opponitur, *coll.* 2 *Thess.* iii. 12. Iste vero Panis; α cum petitur à Deo *Dandus*, homo impotentiam suam indignitatemque juxta Dei Providentiam & Bonitatem agnoscit; β cum petitur *Nobis*, omnium quidem, sed maxima meritò Fidelium habetur ratio, qui & egeni opere à ditioribus sic precantibus juvari debent; γ cum petitur

Quarta etiam.

σήμερον, five καθ' ἡμέραν, nimia in futurum Sollicitudo interdicitur, *coll. Matt.* VI. 34. Nec eft quifquam ita *in Fine Vitæ fuæ* unquam conftitutus, quin juxta reliquas hanc etiam Petitionem Deo proponere poffit; α ob neceffariam Dei confervationem ad finem ufque; β incognitum Dei Confilium; γ & commune Charitatis prò aliis Officium.

[1] *Exerc. Juven. Difp.* XVII. *&c.*

Quintæ adhuc. XIX. *Quinta Petitio*, α verfatur circa *Debita*, vel *Peccata*, *Noftra*, β quæ volumus nobis *Remitti*, exemplo propriæ *Remiffionis* adducto. [2] Quæ apud Lucam *Peccata*, apud Matthæum *Debita* dicuntur, ex recepta *Syrorum* phrafi, & parabola *Matt.* XVIII. 24. non quod ea Deo debeamus, fed α ob neglectam per ea *Obedientiæ debitæ folutionem*, & β *Pœnæ* potiffimum *Perfolutionem* Divinæ Juftitiæ propter ea *debitam*. Ea verò *nobis* adfcribentes, confitemur non aliorum, uti volebant *Pelagiani*, fed Propria Peccata, à Nobis ipfis profecta, Plura, & Quotidiana etiam adhuc. Nec volumus illa *remitti* à Judice abfque Satisfactione ulla, quo pacto fuam Sanctitatem abnegaret Deus; fed *Nobis*, credentibus, intuitu Satisfactionis à Chrifto præftitæ, *coll. Rom.* III. 24. *Eph.* I. 7. &c. Remiffio verò cum propriè *femel* tantum fiat in *Juftificatione*, & facta fic fupponatur, dum Deum ut *Patrem Noftrum* invocamus; credi debet hic refpici, tum α ad Actualem *Nonpunitionem*, etiam eorum Peccatorum quæ quotidie denuò committimus, tanquam Remiffionis prioris fructum, tum β ad *Sententiæ* gratiofam auctamque *Infinuationem*. Exemplum porrò Noftrum, non de folo Officio præfcripto à Deo, fed & de Praxi ac Studio intelligendum, qui *remittimus Debitoribus Noftris*, non politicè fed moraliter talibus, officia debita fcilicet non præftantibus imo per offenfionem fatisfactionem debentibus ex animo & abfque ulla vindicta condonantes, quod Charitatem potentiffimè fic docturus, perinde ut *Matt.* VI. 14. 15. XVIII. 35. 1 *Tim.* II. 8. *&c.* fapienter addidit Salvator; non adducitur, vel tanquam *Norma* Divinæ Remiffionis, vel tanquam ejus *Caufa Meritoria*, fed tanquam α Beneficium Divinæ Gratiæ jam exhibitæ nobis, natura in vindictum pronis, β & tanquam Argumentum tum Fiduciæ noftræ, tum Gratiæ Divinæ, quâ officio fuo fungentes non deftituit Deus. Ab hac autem Prece Fidelium communi, illiufque fructu, neque Fideles Vet. Teft. neque etiam Virgo Maria eximi debet.

[2] *Exerc.*

² *Exerc. Text.* XXIX. P. III.

XX. In *Sexta Petitione*, α loquimur de *Tentatione*, & *Malo*, β ac deprecamur *Inductionem* in illam, hujusque tum *Victoriam* tum *Insultus*. Non intelligenda hic est *Exploratio Sancta* per Verbum & Spiritum, quam precantur merito pii à Deo *Ps.* cxxxix. 23. 24. *Job.* xxxi. 6. *Jer.* xii. 3. &c. sed α tum *Immissio Malorum*, eorumque omnium, quæ ad malum sedúcere possent, in se bona, atque à Deo effectivè fluentia, *Gen.* xxii. 1. *Job.* 1. 8. *Psal.* lxvi. 10. 11. *&c.* β tum in primis *Impulsio ad Malum*, uti hæc fit à Satana, Carne, Mundo, ac nos ad dubitationem etiam adigit *Luc.* xxii. 31. 40. 46. 1 *Tim.* vi. 9. *&c.* quæ *neutiquam est à Deo* effective *Jac.* 1. 13. sed tamen permissivè, directive, & ordinativè, *Deut.* xiii. 3. 2 *Sam.* xxiv. 1. *Jer.* iv. 10. *Matt.* iv. 1. &c. Unde mox fit hic mentio τȣ̃ πονηρȣ̃, *Mali illius*, non in *Genere Neutro*, ut innuatur vel Malum Pœnæ, vel Culpæ, vel Tentatio speciatim, *coll. Jes.* xlv. 7. *Rom.* xii. 9. 2 *Tim.* iv. 18. *Eph.* vi. 13. *&c.* sed *Masculino* potius, ut notetur *Diabolus Matt.* xiii. 19. 39. *Joh.* xvii. 15. *Eph.* vi. 12. 16. 1 *Joh.* iii. 12. &c. malus ipse & mali omnis primus & perpetuus autor, hinc & *Tentator* dictus *Matt.* iv. 1. 3. *coll. Joh.* viii. 44. 1 *Petr.* v. 8. &c. non exclusis tamen illius Ministris ac Instrumentis, *Mundo* præcipuè & *Carne*, quibus malitia competit similis & tribuitur *Gal.* 1. 4. 1 *Joh.* v. 19. *Rom.* vii. 18. *&c.* Deprecantur vero Fideles merito; tum *Tentationem per Mala immissa*, cum in se molesta sint, nec de viribus suis persuasi esse queant; tum *Impulsum omnem ad Malum*, ex suæ imbecillitatis conscientia; tum *Fluctuationem quamcunque suam*, ut malum jam mali ulterioris initium. Nec tantum *negative* petunt, ne ita Deus inducat; sed & *positive*, ut Deus virtute sua ipsos, vel inductos aliquando fortius, vel continuo Tentationibus Mali expositos, gratiâ suâ validâ eripiat, ne succumbant, & ab insultu pessimo magis immunes præstet vero sanctificationis progressu *Joh.* xvii. 15. 2 *Thess.* iii. 3. 1 *Joh.* v. 18. &c. quemadmodum, ob Hominis impotentiam, Satanæque robur, auxilium multiplex, & astutiam, solius hoc Dei Opus est, ab ipso gratiosè quoque promissum *Rom.* xvi. 20. 1 *Cor.* x. 13. &c. Egregiè porro Justificationis & Sanctificationis Nexus exponitur, per arctissimam *Copulam*, qua *Quinta & Sexta Petitio* inter se connectuntur.

Sextæ tandem.

Quia & Conclusionis.

XXI. *Conclusio* tandem est *Doxologica*, referenda ita ad Orationem Totam, ut specialem simul cum Ultima Petitione Nexum habeat, ob Regnum Roburque Dei ad ejus Gloriam in illius impletione demonstrandum. Est autem *Regnum*, tum Naturæ, tum potissimum Gratiæ, quod hic innuitur; cum quo *Robur*, ad ejus exsecutionem necessarium connectitur; surgente hinc ejus *Gloria* summa. Quæ tria Deo competunt εἰς τοὺς αἰῶνας, *in secula*, vel omnia, vel *præsens* & *futurum*, ex nota Judæorum distinctione, quam tum ad Dies Messiæ Promissionis diebus oppositos, tum ad Vitam sequentem Animæ & Corporis huic vitæ oppositam applicarunt, uti fit quoque in Novo Test. *Matt.* XII. 32. *Eph.* II. 7. *Marc.* X. 30. &c. Nec modò competunt Deo, sed semper in ipso agnoscentur in Mundo & in Cœlo; suntque fundamentum nostræ Fiduciæ *Psal.* V. 3. LXXXIX. 8. 9. CXVII. &c. Ad quam declarandam facit quoque subjectum *Amen*, distinctum ab ἦ μὴν *Hebr.* VI. 14. Hebræis in Orationum & Hymnorum Conclusione, atque Salvatori ipsi familiare, etiam cum Duplicatione, quod simul hic est, α *Votivum*, ut *Num.* V. 22. *Deut.* XXVII. 15. 16. *Jer.* XXVII. 6. *&c.* β & *Asseverativum* *Joh.* XVI. 23. 2 *Cor.* I. 20. 1 *Joh.* V. 14. &c.

Sunt alia quædam Opera cum Oratione Connexa.

XXII. Nunc de *Operibus* nonnullis pauca adjiciemus, quæ *cum Oratione* speciatim *connectit* Dei Verbum; quæque habent suam relationem, vel α *ad Futurum*, ut *Vota*, vel β *ad Præsens*; spectantque iterum, α vel magis *ad Nos ipsos*, ut *Jejunium & Vigilia*, vel β *ad Proximum*, ut *Eleemosyna*. Atque eo magis, quod α & in Praxi necessaria sint cognitu Capita, β & Controversia multiplex de his moveatur.

Jejunii Nomen & Definitio.

XXIII. Præmittimus JEJUNIUM, dictum secundum quosdam à tenui viscerum parte semper vacua, secundum alios ab ἰνάω *evacuo*; apud Græcos νηστεία à *non edendo*; apud Hebræos תענית / ab *afflictione* sui, & צום / forte per transpositionem ex מוץ / ob *debilitationem* sequentem. Non debet hic intelligi; α *Abstinentia Spiritualis* à Peccato *Jes.* LVIII. 6. 7. *Zach.* VIII. 5. 10. *&c.* β neque *Abstinentia Corporalis* à Victu, vel *Coacta* *Act.* XXVII. 21. 33. vel *Miraculosa* *Exod.* XXXIV. 28. 1 *Reg.* XIX. 8 *Matt.* IV. 2. vel suscepta ob rationem *Politicam* 1 *Sam.* XIV. 24. *Medicam*, aliamve *minus Religiosam*, γ sed *Jejunium Corporale & Religiosum*. Quod definiri potest; *Abstinentia à Victu Necessario*, *Solito*, *aut Lau-*

Lautiori omni, ad tempus aliquod sive arbitrio privato sive ex ordinatione Ecclesiæ susceptæ, ad carnis domationem, precum inflammationem, nostræque indignitatis & malitiæ coram Deo & hominibus testificationem pudibundam.

XXIV. Generatim *Jejunii* natura consistit in *Abstinentia à Victu*, strictissimè *Omni* plane, laxius verò, tum *Solito* alias, tum omni magis *Lautiori*, quod in longioribus Jejuniis maximè obtinet; uti præter vocis originem, & communem notionem, id docet Jejunantium in Scripturis obvia descriptio *Deut.* IX. 9. 18. *Hezr.* X. 6. *Esth.* IV. 16. *Jon.* III. 7. 8. [1] *Luc.* IV. 2. *Dan.* X. 2. 3. &c. Quod tenendum contra *Pontificios*, qui reducentes *Judaicum*, *Pythagoricum*, *Encratiticum*, *Marcioniticum*, *Montanisticumque Ciborum Delectum*, Jejunium constituunt in *Abstinentia à Quadrupedum & Volatilium Carne cum Appendicibus.* Cum tamen; α omne Discrimen Victus olim à Deo constitutum *Lev.* XI. non in Jejunio, sed in Conversatione omni & Cultu suo, nunc cum Ceremoniis reliquis sit abrogatum *Act.* X. 13. 15. *Rom.* XIV. 14. 17. 1 *Cor.* VIII. 8. non nisi indirectè huc spectante tamen textu *Matt.* XV. 11, β Libertas omnia edendi palam Christianis detur 1 *Cor.* X. 25. 27. γ Discriminatio evidenter damnetur *Col.* II. 16. 21. 1 *Tim.* IV. 1. 2. 3. 4. 5. [2] ubi tamen non ad doctrinas Dæmoniorum sed ad hypocrisin Pseudoprophetarum refertur; δ *Caro* piscibus etiam adscribatur 1 *Cor.* XV. 39. sicuti in his cum aromatibus, leguminibus, vinoque, sumptis, non minor quam in Carnium esu est Voluptas, nec major nostræ Carnis Domatio. Nec valet in contrarium. 1. *Discrimen Victus*, statutum, tum in Paradiso, tum in Lege Mosis semper & potissimum in Festo Azymorum, tum sub Euangelio *Act.* XV. 29. Dum α nusquam hic agitur de Jejunio; β nec discrimen Pontificium Victus reperitur; γ imo Discrimen quoddam, in Paradiso sc. inter Carnes & Fructus, gratis supponitur; δ & tandem Discrimen hoc omne divinitus constitutum fuit ad Tempus, cum ratione ejus cessante quoque cessans. 2. *Praxis*, Danielis, Joh. Baptistæ, Timothei, *Dan.* X. 3. *Matt.* III. 4. 1 *Tim.* V. 23. quibus addunt Petrum lupinis, Matthæum oleribus baccisque vescentes, ac Jacobum vino & carnibus abstinentem. Dum α postrema hæc Exempla incerta vel fabulosa sunt; β media duo non ad Jejunium sed ad Frugalitatem singularem, sponte ob munus susceptam, spectant; γ pri-

Ejus Natura consistit in Abstinentia, non in Delectu Ciborum.

primum denique Diætam exhibet Tenuissimam, ac Abstinentiam ab omnibus Esus Potusque Deliciis, qualis in Jejunio longiori à nobis quoque asserta est. 3, *Ratio* petita; α tum ex minus possibili generali Quantitatis vel Qualitatis Cibi Determinatione in Jejunio, quæ necessarium faciat Ecclesiæ Speciei alicujus interdictum; ϐ tum ex Carnium majori ad Libidinem accendendam Vi. Dum α Jejunium Ecclesia indicens Abstinentiam Totalem inculcare debet, vel ab omnibus saltem Deliciis, estque Speciei Interdictum Generale, ob diversum hominum palatum, varium statum, locorumque à mari inæqualem distantiam & constitutionem, etiam difficile; ϐ Pisces magis delicati habentur, atque juxta aromata legumina & vinum præ carne ad libidinem ducunt, uti in Cisterciensibus Monachis *Saladinus* olim probavit. Ratiunculas alias ex *Maledicta Terra*, non Aqua, tributaque Christo *Piscium*, non Carnium, Esu, ut ludicras cordati repudiant *Papistæ* ipsi.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XLIX. P. IV.

Causa & Ratio Abstinentiæ in Jejunio.

XXV. Abstinentia verò hæc ab aliis ejus speciebus discriminatur primum per *Causam Præcipientem*; quæ est α aut *Fidelis* ipse, in necessitate privata propria, ϐ aut *Frater* alter id petens, ubi ipsum premit calamitas, γ aut *Ecclesia* per *Presbyterium* sive *Magistratum Christianum* id ordinans, in publica miseria. Ita tamen ut Officium hoc generatim Dei Voluntate nitatur, quæ liquet α sub Vet. Test. ex mandatis *Lev.* XVI. 29. *Joël* I. 14 II. 15 [1]. *&c.* & praxi privata Sanctorum ac publica Israelis *Zach.* VII. 5 [2]. *Esth.* IV. 16. *&c.* ϐ sub Novo Test. similiter, ex Nexu cum Oratione *Matt.* XVII. 21. *Act.* XIII. 3. XIV. 22. 1 *Cor.* VII. 5. *&c.* Modo ejus descripto *Matt.* VI. 16. Prædictione facta *Matt.* IX. 15. Usibusque vere Moralibus & Perpetuis. Quamquam iterum Abstinentiam externam *per Se* non esse *Cultum Dei*, ipsi gratum, nec *Actum Elicitum* Religionis vel Temperantiæ, teneamus contra aliter statuentes *Pontificios*; α ex perpetua ad Orationem relatione, ϐ & Esca nos Deo non commendante 1 *Cor.* VIII. 8. *Rom.* XIV. 17. &c. γ & Corporalis Exercitationis Exiguo Usu 1 *Tim.* IV. 8. quo tamen loco ad *Certamina corporalia* alii, vel ad *Officia* plane *non præscripta*, respici volunt. Haud docentibus aliud locis pro Jejunio modò adductis, quam ejus licitum & decentem Usum, ad Preces aliaque Officia juvanda; quem Exemptione ludicra tantum non omnium, ex Impotentia Pietate vel

Ne-

Necessitate, plane evertunt alias ipsi *Papistæ*.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.*

XXVI. *Tempus* Jejunii; α generatim *non* est *Tota* hominis *Vita*, per quam tamen *Temperantiæ* studendum est *Tit.* II. 12. & *Frugalitati* singulari quidam studuerunt, maxime post natum *Eremitarum* & *Monachorum* institutum; β neque *Determinatum Certâ & Stabili aliqua Mensura* 1 *Cor.* VII. 5. licet semper sic sit circumscribendum, ut ab una parte homo non reddatur inutilis ad Dei Cultum, nec ab altera ordinarium edendi tempus observetur, quod in Cibo Semel & Serius sumpto Veteres Christiani præ *Pontificiis* observarunt, imò ut circa Initium & Finem Jejunii Temperantia quin etiam solitâ major Frugalitas adhibeatur, ne contra Jejunium instans inviti quasi nos muniamus, vel Intemperantiâ succedente illud ulciscamur, uti prius evidenter fit per verè Gentilem *Bachanalium Papisticorum* praxin annuam; γ neque *Alligatum Certis* Anni & Hebdomadæ *Temporibus* in universa Ecclesia, uti Particularis alicujus Ecclesiæ vel fidelis calamitas Particularis Jejunii annui aut hebdomadarii tempus justificare potest, cum α nulla Temporis certi Præscriptio in Scripturis sit facta, sed β Dierum Discrimen ibidem sublatum, γ & Jejunium ad luctum & necessitatem singularem relatum, δ non imponendo ab hominibus Ecclesiæ jugo, longe graviori quam Mosaico. Quod omnino fit apud *Papistas*, quando præter Jejunia *Feriæ* VI. & VII. singulis Septimanis, item *Adventus*, *Rogationum*, *Quatuor Temporum*, & *Vigiliarum* ante Majora Festa, *Quadragesimæ* introduxerunt *Jejunium Ante-Paschale*, quod serius in Ecclesia à tot horis ad tot dies excrevit; perperam hic nitentes, α tum praxi *Judæorum Zach.* VII. 5. VIII. 19. [3] quæ certâ ratione nixa fuit, nec ad tam multos dies extensa, nec perpetua, β tum superstitione *Pharisæorum Luc* XVIII. 12. quæ nec laudata in se, nec necessaria, γ tum exemplo *Christi*, cujus Jejunium Miraculosum imitari non decet; ut mitam alia dè Jejuniorum & Quadragesimæ successivo ortu. — *De Tempore Jejunii agitur.*

[3] *Comm. in Loc.*

XXVII. *Finis* Abstinentiæ in Jejunio porro esse debet; α tum *Declaratio Indignitatis* nostræ, ac *Tristitiæ* ob eam; β tum *Actualis Subactio Carnis*, ut toti simus in Invocatione & Cultu Dei. Excluduntur ergo; α & vana apud homines *Ostentatio Matt.* VI. 16. 17. *Luc.* XVIII. 12. &c. β & scopus Deo *per opus hoc solum placene-* — *Finis Jejunii positive & negativè ostenditur.*

cendi; γ & maximè omnis *Satisfactionis* & *Meriti* persuasio, quæ cum vera humiliatione conciliari nequit; perperam α objectis lætis *Fructibus*, ad Jejunium Israelitarum, Ninivitarum, Achabi, Hannæ, &c. secutis, cum *Pœnitentiæ* per Jejunium declaratæ & *Orationi* junctæ illi propriè competant; β ac loco *Matt.* VI. 18. ubi *Retributio* intelligi debet gratiosa, sicuti Fructus ad Resipiscentiam quoque non nisi ex gratia proveniunt.

Vigiliæ nomen, Definitio, & Decentia.

XXVIII. Post Jejunium nominamus VIGILIAM; dictam vel ab ἀγαλλιάω, vel potius à *vigendo*, aut *vi agendo*. apud Græcos emphaticè ἀγρυπνίαν vel γρηγόρησιν. Quam hic non intelligimus; α *Spiritualem*, quæ partim tribuitur *Ministris Ezech.* III. 17. *Act.* XX. 31. *Hebr.* XIII. 17. *&c.* consistitque in diligenti Gregis Cura, partim *Fidelibus* omnibus *Matt.* XXIV. 42. *Marc.* XIII. 37. I *Cor.* XVI. 13. I *Thess.* V. 6. *&c.* consistitque in suæ Salutis Alacri & Circumspecta Operatione; β sed *Corporalem*, eamque non *Involuntariam Psal.* CII. 8. 2 *Cor.* VI. 5. XI. 27. *&c.* sed *Voluntariè* susceptam, non ob rationes Politicas, Domesticas, aliasve, *Matt.* XXIV. 43. sed *in Sacrum Usum*. Quo modo definitur; *Abstinentia Voluntaria à Somno, ad tempus aliquod privato arbitrio aut publica autoritate suscepta, ad meditationes sacras precesque tanto majori cum studio continuandas.* Nec habemus de ea aliud fere notandum; quam α generatim esse *Officium Decens* Christianorum, juxta Exempla *Psal.* CXIX. 55. 62. *Jes.* XXVI. 9. *Luc.* VI. 12. *Act.* XVI. 25. Mandata *Matt.* XXVI. 38. 41. & Perpetuitatem in Precibus exactam, in primis necessitate magis urgente; β *non* placere illam tamen Deo *per Se*, sed tantum intuitu Finis sui; γ *non* esse illam eousque *extendendam*, ut Sanitas Corporis lædatur, vel Attentio ad Preces tollatur; δ *non* esse denique illam *ad Certa Tempora* alligandam, uti fit apud *Papistas*, tum in *Officiis* suis *Nocturnis*, tum in *Vigiliis* pridie Magnorum Festorum, qualis potissimum à *Veteribus* quoque observata fuit *Pridie Paschatis*, ob Christum tum resuscitatum, & exspectatum maximè isthoc tempore ejus adventum ad Judicium.

Eleemosynæ Nomen & Definitio.

XXIX. Ad *Proximum* spectat ELEEMOSYNA; quod vocabulum indubiè, missis ludicris derivationibus, Græcum est, deductumque ab ἔλεος *misericordia*. Pro eo alias dicitur κοινωνία, εὐποιΐα, ἀγαθοεργησία, ἀγαθοποιΐα, ἔργον καλὸν, χάρις, *&c.* *Rom.* XV. 26. I *Cor.* XVI. 3. I *Tim.* VI. 18. *Hebr.* XIII. 16. *&c.* & apud

He-

Hebræos potissimum *Justitia Psal.* CXII. 9. *Dan.* IV. 27. *&c.* quæ ad Jus Cœli nos ducit. Non capitur autem hic; α pro *Animi* interna *Misericordia Luc.* VI. 36. β aut *Dono* ex misericordia dato *Luc.* XI. 41. XII. 33. *Act.* III. 2. 3. *&c.* γ sed *Actu Externo* Commiserationis *Matt.* VI. 2. 3. 4. Quando iterum relationem habet; α vel ad *Necessitates Spirituales*, Septuplici sic Eleemosyna à *Scholasticis* tradita, *Orationis* sc. *Condonationis*, *Correptionis*, *Doctrinæ*, *Consilii*, *Consolationis*, *Tolerationis*, β vel *Corporales*, quò iidem denuo Septem Actus referunt, *Pascendi*, *Potum dandi*, *Vestiendi*, *Hospitio excipiendi*, *Visitandi*, *Redimendi*, *Sepeliendi*. Qua omni latitudine posita, paulo strictius Eleemosynam hic definimus; *Opus Christianæ Charitatis, quo Egenis ex Facultatibus nostris corporalibus pro earum mensura liberaliter succurrimus, ad sublevandam ipsorum necessitatem.*

XXX. Christianæ *Charitatis Opus* Eleemosynam vocamus, ex *Hebr.* VI. 10. I *Joh.* III. 17. 17. 18. *&c.* Quo ipso ostenditur. I. Illam per se *Actum Religionis*, non quidem Elicitum sed *Imperatum*, constituere; uti docent Mandata innumera, Redargutiones, Promissiones, & Comminationes *Lev.* XXV. 25. *Jes.* LVIII. 7. *Prov.* XIX. 17. *Jac.* II. 13. *Matt.* XXV. 40. *&c.* Dum interim merito cum Oratione jungitur, ob desideratam hic à nobis Dei beneficentiam, *Matt.* VI. 4. 5. *Act.* X. 4. *&c.* 2. Debere illam *provenire ex Charitate*, & in Deum, & in Proximum; adeoque omnino *Decalogo*, quem ineptissimè *Pontificii* quidam Præcepta Justitiæ, non Charitatis, continere volunt, *mandari*, & quidem tum *Præcepto* VI. tum potissimum VIII. Perperam substituentibus *Papistis* nonnullis Præceptum V. quia α hoc *terminis positivis* proponitur, dum utique negativa mandata implicitè quoque positiva sunt; β hoc *Promissum* habet, ad *pietatem* relatum I *Tim.* IV. 8. dum utique nomine Pietatis hic sola Eleemosyna non notatur, & Promissio ad Totam Legem pertinet; γ alias non facientes Eleemosynam *ad restitutionem* obligarentur, quod de Cœlesti Foro verissimum est. 3. Incumbere illam *Omnibus* sic *Christianis* ratione *Affectus*, ut in habentibus possessiones, etiam minores, adsit *Effectus*, & major quidem in Divitibus *Matt.* X. 42. *Luc.* XXI. 2. 3. *Eph.* IV. 28. I *Tim.* VI. 18. *&c.* Unde disputationes *Scholasticorum* de Uxoribus, Filiis, Servis, Regularibus, &c. ad Eleemosynam faciendam obligatis, facile deciduntur.

Est Opus Christianæ Charitatis

Personæ quibus Eleemosyna præstanda est.

XXXI. Versatur hoc Charitatis Opus adversus *Omnes*, non Homines aut Christianos, sed *Egenos*; ita ut præferantur quidem Fideles, nobisque Juncti sanguine, patria, urbe, vicinia, &c. *Matt.* xxv. 40. *Luc.* xvi. 9. *Gal.* vi. 10. 1 *Tim.* v. 8. 16. *&c.* sed tamen non excludantur Peccatores, Extranei, vel Inimici *Luc.* x. 30. *Prov.* xxv. 21. 22.[1] *&c.* etiamsi constaret quoque, Penuriam propter Peccata à Deo immitti. Quorsum interim non spectat adduci solitus textus *Luc.* vi. 30. tanquam de Vi illata manifestè agens. Non debent vero inter Egenos hos numerari; α vel *Validi Mendici Deut.* xv. 4. 2 *Thess.* iii. 10. 11. 12. *&c.* admodum diversi à *necessitate compulsis* ad petendum *Deut.* xv. 11. *Luc.* xvi. 20. 21. *Act.* iii. 2. *&c.* β vel *Monachi Otiosi*, voluntariè & specie externa pauperes, revera prædones ac divites; γ vel tandem *Ministri Ecclesiæ*, qui in hunc fere ordinem, magis quam Operariorum, negato Stipendio, malè rediguntur ab *Anabaptistis.*

[1] *Exerc. Text.* XXV. P. V.

Quid in Eleemosyna dandum sit.

XXXII. Fit porro Eleemosyna *ex Facultatibus Nostris Jes.* lviii. 7. *Eph.* iv. 28. *Prov.* iii. 9. *&c.* Ita ut 1. Excludantur *Possessiones*, quarum *justi non sumus Domini*; quæ possessori justo sunt restituendæ *Luc.* xix. 8. *&c.* Quò refer omnia Male & Sordidè Parta *Deut.* xxiii. 18. quæ tamen, succedente resipiscentia, præstat abdicare quam retinere; haud obstante textu *Luc.* xvi. 9. ubi in appellatione *Mammonæ Injustitiæ* respicitur, vel ad modum acquirendi ordinarium, vel ad injustitiam ad quam hominem ducit, vel etiam ad inconstantiam. 2. *Non* extendatur Eleemosyna *ad Omnem nostram Substantiam*; dum Distincta Bonorum Possessio, Divitum & Pauperum discrimen, ac perpetua ad Eleemosynam Aptitudo manere debet. Perperam contra Possessiones Distinctas & Divitias Christianorum opponentibus se, post *Pelagianos*, nonnullis *Anabaptistis*; α tum ob *Mandatum Matt.* xix. 21. quod Singulare & Convictivum fuit; β tum ob *difficilem* imo *impossibilem Divitum Ingressum* in Cœlum *Matt.* xix. 23. 24. qui ad humanas vires, divitiisque confidentes, refertur; γ tum ob *Exemplum Ecclesiæ Primitivæ Act.* ii. 45. 32. 35. quod ultra Communem Usum extendi non debet; δ tum ob *Communionem Fidelium*, quæ ad Bonorum Corporalium Possessionem non spectat. 3. *Non omnia* etiam *quæ Supersunt* in Eleemosynam cedere debeant, sicuti *Scholastici* varii volunt, *Superflua* interim distinguentes *Naturæ & Personæ*, *Mathematicè & Moraliter*, *respectu Præsentis & Futuri*,

turi, *&c.* Cum α Divitiarum possessio non sit planè damnata, *coll.* 1 *Cor.* I. 24. 1 *Tim.* VI. 17. *&c.* β atque alii sint præter Eleemosynam Honesti ac Pii superfluorum bonorum Usus; γ dum vanæ sunt Objectiones ex *Matt.* VI. 24. *Luc.* III. II. XI. 41. XII. 16. XVI. 19. XIX. 8. quæ loca partim non faciunt ad rem, partim Defectum necessarium Proximi ex nostra Abundantia supplendum esse tantum docent, *coll.* 2 *Cor.* VIII. 13 14.

XXXIII. *Actus* proprie Eleemosynæ consistit; α non in *Commodatione*, quamquam Fœnoris cessantis respectu, aut nullius ad recuperandum spei, hæc illuc referri quoque possit, *coll.* *Psal.* XXXVII. 26. *Luc.* VI. 34. 35. *&c.* β sed in *Datione*, mediata vel immediata, lubenti, & conditioni tum dantis tum accipientis accommodata, 2 *Cor.* VIII. 12. 14. IX. 6. 7. *&c.* absque discrimine rerum datarum. Actus Eleemosynæ est Datio.

XXXIV. *Finis* denique Eleemosynæ esse debet *Pauperis Sublevatio*, Gloriæque Dei in eo & per eum Prædicatio consequens; neutiquam autem, vel *Propria* apud homines Gloria *Matt.* VI. I. 2. vel *Merendi* & *Satisfaciendi Deo* studium. Quale urgent hic *Papistæ*, vim hanc Eleemosynæ tribuentes, contra generalem Operum Omnium Naturam, & specialem Inæqualitatem Possessionum Temporalium cum Gloria æterna, infeliciter pugnantes; α ex locis *Prov.* XVI. 6. *Dan.* IV. 27. *Matt.* V. 7. *Luc.* XI. 41. *&c.* quibus *Satisfactio* nulla continetur, sed vel ad *Misericordiam Dei* respicitur, vel effectus *Expiationis* Eleemosynæ ut Fructui veræ Fidei tribuitur, vel Expiatio quamcunque *Velationem* gratiosam notat, vel de *Abruptione* iniquitatis potius quam ejus Redemptione secundum nativum vocis significatum agitur, vel Misericordiæ Consequens non ex merito sed ex gratia *fructus* exprimitur, vel denique Superstitiones Pharisaicæ circa immunditiem damnantur; β ex aliis *Matt.* VI. 4. XXV. 35. *Luc.* XVI. 9. XIX. 9. *Act.* X. 4. *Hebr.* VI. 10. *&c.* quæ nullum continent *Meritum*, sed gratiosam Dei Retributionem, ad preces etiam pauperum, salute Zachæi non ex Eleemosynis sed ex Christi amplexu repetitâ. Pejor interim hic sententia est aliorum *Veterum*, apud *Augustinum*, qui Eleemosynæ *Sufficientiam* ad *Salutem*, etiam absque Pœnitentia & Fide, adscripserunt, pessime abusi textibus *Luc.* XI. 41. *Matt.* XXV. 35. *Jac.* II. 13. *&c.* quibus vel de Munditie à Peccatis non agitur, vel Eleemosyna Opera alia neutiquam Finis Sublevatio Pauperis. Non Merendi aut Satisfaciendi studium, uti volunt, Papistæ.

 quam

quam excludit, sed potius includit, utpote ex Amore Dei & Proximi proveniens, ne modò dicta repetam.

Voti Nomen & Definitio.

XXXV. Ita tandem ad VOTUM pervenimus; sic dici creditum non inepte, vel à βεβαιῶ, vel à βοῶ, vel à βοὴ, atque appellatum à Græcis εὐχὴν, ab Hebræis נדר & חרם / quorum illud uti generalius est, ita frequentius usurpatur. Sumitur vero *Votum*, non tam apud Hebræos, forte tamen illuc referendo textu *Psal.* LXI. 6. quam quidem apud Græcos & Latinos; tum pro *Desiderio* mentis; tum pro *Precatione*, quod ex Gentilium Impietate, nihil voventium absque annexa petitione, derivant aliqui cum *Bellarmino*, qui similem impietatem in Votis Monachorum Meritoriis omnino tum observare quoque debuisset. Hic vero notat; α non *Rem Promissam Deut.* XII. 17. β sed *Actum* religiosæ *Pollicitationis*, sive privatæ sive publicæ, sive generalis sive specialis, sive absolutæ sive conditionatæ, sive temporariæ sive perpetuæ, sive mente conceptæ sive etiam verbis prolatæ, &c. Et sic definitur; *Pollicitatio Religiosa, Deo facta, de re aliqua facienda vel vitanda, ad ejus Gloriam, nostramque Salutem.*

Votum adhuc sub N. T. Decens est.

XXXVI. *Pollicitationis* nomen uti *Votum* simplex à *Juramento* sæpe connexo *Psal.* CXIX. 106. 2 *Chron.* XV. 14. *Neh.* X. 29. *&c.* distinguit, ita epitheton *Religiosæ* Votum à *Promissione* quacunque alia discernit, innuens ejus *Originem*, *Finem*, & *Formam*. Atque adeo ante omnia nos ducens ad *Voti Decentiam*, etiam sub diebus Novi Test. quam docet α generale Mandatum *Psal.* LXXVI. 12. β Praxis Sanctorum vere moralis *Gen.* XXVIII. 20. γ fluens hinc major nostri ad Bonum Incitatio, ut textus *Jes.* XIX. 21. 1 *Tim.* V. 11. 12. *&c.* à *Pontificiis*, quosdem malè, adduci solitos mittam. Licet interim sub Novo Test. omnino cessent; α *Vota Ceremonialia*, olim & sub initiis Novi Test. adhuc ex συγκαταβάσει à Paulo concepta *Num.* VI. 13. *Act.* XXI. 26. nec β probare possimus *Vota Pontificia*, respectu rei vel modi; nec γ putemus *Votum de re Indifferenti* ejus Observantiam per Se Religiosam posse facere. Quæ inculcantes nostri, male à *Pontificiis* ut Votorum omnium eversores, traducuntur.

Votum Soli Deo fieri debet.

XXXVII. Fluit ex priori thesi, Votum debere fieri *Soli Deo*, exclusis Sanctis & Angelis; cum α nos Deo ut Domino Unico & Omniscio tantum religiosè obligare possimus; β hinc Vota ubique ad Deum referantur *Psal.* LXVI. 13. 14. LXXVI. 12. *Num.*

XXX.

xxx. 2. &c. γ nec diffiteantur quandoque *Pontificii* idem, Votum ad Cultum λατρέιας referentes. Dum vulgo, Idololatriam suam excusaturi, hic confugiunt; vel α ad Voti *Materiale*, sive objectum, quod, uti in Eleemosyna & Prece, in Hominibus terminari potest, in quibus Vovendi Actus ejusque Obligatio propterea non terminatur; ϐ vel ad *Participatam* in Sanctis *Deitatem*, quæ de Divina Perfectione transfusa intelligi non debet, sed dè gloriosa ejus fruitione, accommodata ad creaturæ statum; γ vel ad *Intercessionem* eorum, utique imaginariam, nec iterum sufficiens vovendi fundamentum; δ vel denique ad *Veteris Ecclesiæ Praxin*, quæ ex *Manichæorum* calumnia, mala textuum quorundam Græcorum Versione, & Poëtica nonnullorum phrasi gratis astruitur, nec in omnibus imitanda est.

XXXVIII. *Res* vero *Vovenda* esse debet 1. *Bona*; sive α *in Se*, quo spectant omnia Officia vi Divinæ Legis nobis incumbentia, quæ recte voveri, & actu quidem in Baptismo, tenemus contra *Pontificios*, vulgo aliter sentintes, ex obvia Sanctorum Praxi *Gen.* XXVIII. 20. 21. 2 *Chron.* XV. 12. *Psal.* XXII. 26. &c. & Baptismi natura 1 *Petr.* III. 21. &c. haud obstante, vel vovendi *Libertate*, quæ ad vovendi actum non ad rem promissam spectat, vel futura *Peccati* in fidelibus *Duplicatione*, quam lubenter fatemur cum Scriptura, voto impietatis opposito infideles quoque haud excusaturo, vel ex votis his secutura loco boni usus *Persuasione de rei Indifferentia*, dum usus summus est in majori ad pietatem incitatione, quæ omnem Indifferentiæ cogitationem plane tollere debet; sive ϐ *respectu Finis*, & *Fructus*, in se alias Adiaphora, dum modo omnis hinc operis per se Deo placituri persuasio absit, quorsum *Rechabitarum* factum quadantenus referri potest, proprie tamen ad Vota non spectans, sed ad prudentis paterni moniti obedientiam, *Jer.* XXXV. 6. 2. *Possibilis*, per Concursum ordinarium Divinæ Providentiæ ac Gratiæ, item per Jus quod nobis secundum leges humanas competit; nisi Votum sit Conditionatum, quando ad Impossibilia, absque isthac Conditione, quoque extendi potest. 3. Denique ita clarè *Determinata*, ut homo ipse vovens rem probè intelligat, & intellectam planè velit.

Res Vovenda debet esse Bona in Se, vel Fine suo. Possibilis etiam & determinata.

XXXIX. Rejici itaque debent. α Vota omnia *Mala Act.* XXIII. 12. quo refer Sanctorum Imaginum & Reliquiarum Cultum, Cc-

Improbanda sunt Vota Mala, Inuti-

lia, Impossibilia, & Indefinita. Ubi de Voto Jephtæ disseritur. Et de Votis Monasticis Papistarum.

Ceremonias Typicas sub Novo Test. & ἀνθρωποθυσίαν, quam in Genere Masculino, non Neutro, ob memoratas domus suæ fores, & occursus gratulatorii scopum, Deo promisit omnino *Jiphtah Jud.* XI. 30. 31. [1] β Vota *Inutilia*, & magis Noxia vero spirituali cultui, quo refer Peregrinationes Religiosas, & Preces ad Rosaria; γ Vota *Impossibilia*, sive rei sive status nostri respectu, quo etiam spèctat Consummatæ omnibus numeris Sanctitatis Promissio; δ Vota denique *Indefinita*, & *Temeraria* nimis, quæ intellecta sero dolore hominem corripiunt, uti factum in *Jiphtacho*. Qui tamen ex Voti nimia religione, ob concessam Victoriam, & nimis late intellectam Legem *Lev.* XXVII. 28. 29. [2] Filiam Virginem in holocautoma obtulit; α secundum Votum non disjunctivè sed exegeticè propositum *Jud.* XI. 31. β Dolorem magnum ex conspecta Filiâ secutum v. 35. γ Filiæ subjectionem v. 36. δ requisitum deflendæ Virginitati Bimestre v. 37. ε subjectam Voti Exsecutionem v. 39. ϛ Statutum denique in Israële inter Filias ejus, per quatriduum in anno, sive *deflendæ* Virginis, sive *celebrandæ* ejus, sive *confabulandi* de ea v. 39. 40. Adversus quæ non nisi vanissimæ objectiones & conjecturæ producuntur, ab iis, qui Perpetuæ Virginitati devotam hanc Filiam absque omni exemplo voluerunt, tum Christianis recentioribus, tum Judæis paucis. [3] In omnes autem has Conditiones cum arietent *Vota Monastica Pontificiorum* Tria, *Continentiæ* perpetuæ, *Paupertatis* voluntariæ, altæ altioris vel altissimæ, ac *Obedientiæ* cæcæ, irrationalis, infinitæ, in omnibus, præstandæ hominibus; plane hæc admitti non possunt, secundum dicta *Cap.* XI. §. XXXV. ubi prætermissa loca aut ratiocinia objecta ex adductis facile solvuntur.

[1] *Exerc. Text.* XVI. P. V. [2] *Mant.* II. *post Anal. Exeg. Jes.* LIII. [3] *Exerc. Text.* XVI. P. V.

Finis Voti & Exsecutio Necessaria.

XL. *Finis* tandem Voti omnis esse debet *Dei Gloria*, atque ad illam ducens *nostra Salus*, quæ absolutè opponi nec possunt nec debent; ita ut tamen omnis Promerendæ Salutis persuasio semper absit, utpote Divinæ Gloriæ adversa. Hic vero Finis, uti in Voto exigit *Attentionem* ad Nos, ad Rem promissam, & ad Deum omniscium, veracem, bonum, & justum; ita post illud infert ejus necessariam *Persolutionem*, ac in ea præstanda *Promptitudinem Num.* XXX. 2. *Deut.* XXIII. 21. 22. 23. *Psal.* LXXVI. 12. &c. Quando Votum Orationi junctum vere demum utile est.

CAPUT

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

De Electorum Conservatione Certa.

Quartum Beneficium Fœderis Gratiæ est Conservatio.

POndus præmiſſis tribus Fœderis Gratiæ Beneficiis accedit per CONSERVATIONEM. Quæ vulgo inter Sanctificationis Adjuncta explicari ſolet, & recte, cum jungatur illi *Jer.* XXXII. 40. ſitque ejus fructus veræ Sanctitatis Perſeverantia; melius tamen ſeparatim ut Dei Beneficium Peculiare proponitur ab aliis, α cum in ſuo Formali diſtinguatur, β nec ad Sanctificationem ſolam, ſed & ad Vocationem ejuſque Fructus pertineat. Et ſi quandoque explicitè non numeratur inter Beneficia Divina *Jer.* XXXI. 33. *Rom.* VIII. 29. 30. *&c.* α idem in Sanctificatione obtinet, β implicite ſemper reliquis junctis inter ſe includitur, γ & fit tantum quandoque, dum alibi ſub pluribus nominibus proponitur.

Ejus Nomen & Definitio.

II. *Conſervatio* dicitur à *cum*, ſenſu vel jungendi vel augendi, & *ſervo*, quod à *ſerendo*, ſenſu aſſerendi iterum derivant. Reſpondent apud Hebræos שמר / חיה / הושיע / &c. apud Græcos σώζειν, φυλάσσειν, τηρεῖν, φρουρεῖν, διατηρεῖν, διαφυλάττειν, &c. quorum quædam ex origine & uſu admodum emphatica ſunt, ad notandum Conſervationis gradum & modum. Quin & pertinent huc indubie aliæ voces *Confirmationis*, *Obſignationis*, *Defenſionis*, *&c.* uti ex reali explicatione patebit. Dici porro poteſt, ſumi *Conſervationem*; α quandoque pro *Officio Hominis*, aut *Communi*, aut Fidelibus *Proprio*, qui conſervare debent Verbum Dei, Fidem, Unitatem, Se ipſos, *Luc.* XI. 28. 2 *Tim.* IV. 7. *Eph.* IV. 3. 1 *Tim.* V. 22. *&c.* β quandoque prò *Beneficio Dei*, iterum vel *Communi*, tum Creaturis omnibus *Neh.* IX. 6. *Pſal.* XXXVI. 7. tum Hominibus *Job.* X. 12. *Act.* XVII. 25. 28. 1 *Tim.* IV. 10. *&c.* vel *Speciali* Electis *Pſal.* XXXIV. 21. XXXVII. 28. XCI. 11. *&c.* tum reſpectu Malorum externorum, tum Omnium plane. Quomodo definitur; *Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Electos homines à ſe Vocatos Juſtificatos & Sanctificatos ita intus per Spiritus gratiam interveniente Verbi & Sacramentorum miniſterio munit, & extus Hoſtium vim reprimit, ut ſuæ gratiæ & gloriæ communione totaliter & finaliter excidere nequeant, ad ipſorum ſalutem ſuamque gloriam.*

Est Opus Dei Gratiosum, ad Fœdus Gratiæ spectans.

III. Est Conservatio, juxta priora Beneficia. α *Opus Dei* 1 *Sam.* II. 9. *Psal.* CXLV. 20. 1 *Petr.* I. 5. *&c.* *Triunius* quidem, Patris sc. *Joh.* X. 29. XVII. 11. 15. 1 *Cor.* I. 8. 9. Filii *Joh.* VI. 39. X. 28. *Jud.* 1. *&c.* & Spiritus S. *Joh.* XIV. 17. 2 *Cor.* I. 21. 22. [1] *&c.* & *Solius*, tanquam Causæ Principalis, licet subserviant illi Angeli *Psal.* XCI. 11. *coll.* *Luc.* XXII. 43. Ministri *Jes.* XXX. 21. *Hebr.* XIII. 17. Homines Vocati ipsi *Jud.* 21. & maxime, tum Judicia & Beneficia Dei Externa, tum Verbum *Eph.* VI. 17. 1 *Petr.* II. 2. utpote proponens homini Officium vigilandi, Hostium potentiam & astutiam, propriam Imbecillitatem, Dei Gratiam ac Iram, Exempla militiæ lætæ & tristis, &c. & Sacramenta *Rom.* IV. 11. *Gal.* III. 27. 1 *Cor.* XI. 25. 26. *&c.* quæ tamen absque Dei Gratia Interiori nihil valent *Eph.* I. 19. 1 *Petr.* I. 5. *&c.* β Opus *Gratiosum*, ad quod nullum hominis Meritum Deum ducit *Phil.* II. 13. γ Denique *Beneficium Fœderis Gratiæ*, cum nitatur merito Mediatoris *Job.* XXXIII. 24. [2] nec in Fœdere Operum illa fuerit concessa, aut promissa, nisi post conditionem præstitam, uti eventus docuit. Quam ob rem Status Noster hic præferri debet Conditioni Adami felicissimæ; nec patimur ab illius Lapsu ad Apostasiam Fidelium fieri argumentum, *coll.* *Jer.* XXXI. 32.

[1] *Exerc. Text.* XL. P. I. [2] *Mant.* III. *post Anal. Exeget. Jes.* LIII.

Electis Solis & Omnibus competit.

IV. Hinc pertinet Conservatio ad *Electus*, antecedentium Beneficiorum, quorum hæc consequens est, jam participes; α tum *Solos*, dum tamen Conservatio communior ad alios plures spectat, in Vita sc. animali, Dignitate, Possessione aliqua, vel etiam Fidei Professione 1 *Tim.* V. 10. *&c.* β tum *Omnes* *Joh.* VI. 39. XVII. 12. *Rom.* VIII. 30. *Phil.* I. 6. *&c.* non obstante quorundam Debilitate summa, in quibus gratia & potentia Dei tanto magis elucet, *Jes.* XL. 11. XLII. 3. 2 *Cor.* XII. 9. *&c.*

Qui spectantur ut Gratiæ Participes, sed Periculo expositi. Actus Dei Conservantis duo.

V. Hi considerandi hic sunt; ut α per Vocationem Justificationem Sanctificationemque omnis veræ *Gratiæ* jam *Participes*, & exspectantes futuram *Glorificationem*; sed simul β ut *per Hostes*, Diabolum, Mundum, & Carnem, variis armis & artibus *Impugnati*, ut victi gratiâ præsenti & gloriâ priventur *Luc.* XXII. 31. *Eph.* VI. 11. 1 *Petr.* V. 8. *Joh.* XVI. 33. *Rom.* VII. 23. *&c.* Adversus quæ *Duo* Conservantis Dei sunt *Actus*; α interna *Virium* pugnan-

pugnandi in Electis *Fomentatio*, & *Agitatio*, quo spectant phrases *corroborandi*, *obsignandi*, *sustentandi*, *Eph.* III. 16. IV. 30. 1 *Petr.* V. 10. *&c.* β & externa *Hostium Repressio*, ut vel non insiliant, vel insultus sit levior, vel cesset momentis aptis, quo *Defensionis*, *Liberationisque*, phrases respiciunt.

VI. Atque hinc fluit *Effectus* certus, *Perseverantiæ Electorum* & *Vocatorum* omnium; non Conditionatæ sed *Absolutæ*, per quam hi *totaliter* & *finaliter* Gratia Dei excidere ac futura Gloria privari nequeunt; non ex suo robore proprio, sed ex *Dei Gratia*, quicquid moliantur hostes, atque ad tempus sæpe & externè cum successu optato. Quæ Perseverantia, aliquoties antea memorata *Cap.* VII. §. XIII. XIV. *Cap.* XX. §. XXXIV. *Cap.* XXII. §. XXV. *&c.* hic omnino amplius adstruenda est. 1. Ex *Descriptione* perpetua *Fidelium*; & Impropria *Psal.* CXXV. 1. *Jes.* LXI. 3. *Jer.* XVII. 8. *Matt.* VII. 24. 25. XVI. 18. *&c.* & Propria *Psal.* XXXVII. 24. 1 *Joh.* II. 17. III. 9. 24. *Matt.* XXIV. 24. 2 *Tim.* II. 19. [1] 1 *Petr.* I. 5. *Eph.* II. 5. *Rom.* VIII. 29. 30. *&c.* 2. Ex perpetuis *Dei Promissionibus Deut.* XXXI. 8. [2] *Jes.* IV. 5 [3]. LIV. 10. LIX. 21. *Jer.* XXXII. 40. *Hos.* II. 19. [4] *Joh.* X. 28. *&c.* 3. Ex *Communionis Dei* Gratiosæ & Gloriosæ *Fonte Perenni*; tum α *Patris* immutabili *Amore ac Fœderali* proposito *Jer.* XXXI. 3. *Rom.* IX. II. *Hebr.* VI. 17. *Jes.* LIII. 11. [5] *&c.* ϐ tum *Filii Emptione* irrevocabili *Job.* XXXIII. 24. [6] *Tit.* II. 14. 1 *Cor.* VI. 20. 1 *Petr.* I. 18. 19. *Rom.* V. 9. 10. VIII. 32. *&c.* & *Intercessione* infallibili *Joh.* XVII. 11. 15. 24. *Hebr.* VII. 25. *coll. Psal.* II. 8 [7]. *Joh.* XI. 42. γ tum *Spiritus Potentia* & *Mansione* perpetua *Joh.* IV. 14. XIV. 16. *Rom.* XI. 29. 1 *Joh.* II. 27. 2 *Cor.* I. 21. 22. *Eph.* I. 13. IV. 30. *&c.* 4. Denique ex natura *Fidei*, Mundum vincentis, 1 *Joh.* V. 4. *Spei*, non confundentis, *Rom.* V. 5. VIII. 24. *Hebr.* VI. 18. 19. *Charitatis*, non pereuntis, 1 *Cor.* XIII. 8. *Gaudii* denique & *Gloriationis* solidæ in Deo, quæ absque Perseverantia vana est *Rom.* V. 2. VIII. 35. 39. 2 *Tim.* I. 12. IV. 7. 8. *&c.*

Effectus est Certa Vocatorum Perseverantia, quæ asseritur.

[1] *Exerc. Text.* XLIV. P. III. [2] *Comm. in Pentat.* [3] *Exerc. Text.* XII. P. VI. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [6] *Mant.* III. *ibid.* [7] *Exerc. Text.* XV. P. III.

VII. Non admittunt, sed impugnant, hanc doctrinam fervide, quotquot ex *Pelagio* sapiunt, & Salutem ab ipsius Hominis Arbitrio

Apostasiæ Patroni recensentur, eorumque Objectiones diluuntur.

bitrio suspendunt; atque hinc urgent *Apostasiam Finalem* verè credentium, uti *Pontificii*, *Sociniani*, *Anabaptistæ*, *Remonstrantes*, Perseverantiæ nomen interim dolosè quandoque adhibentes; vel *Totalem* saltem, uti agunt vulgò *Lutherani*. Objectiones horum plures uti antea solutæ sunt, ita leves porro judicari debent, quæ petuntur. 1. Ex *Exemplis Peccantium* gravissimè & mortaliter, uti *Davidis*, *Salomonis*, *Petri*, *&c.* Cum α hi vere à Peccatis suis resipuerint, uti Preces Davidis, Lacrymæ Petri, Salomonis tum Ecclesiastes, tum numeratio inter pios Patres, tum Promissio de illo facta 2 *Sam.* VII. 14. 15. [1] & Christi singularis per illum Præfiguratio &c. docent; β nec plane etiam gratia per peccatum ex corde eorum sit sublata. 2. Ex *Lapsu Adami*. Qui Perseverantiæ Promissum in Fœdere Operum non habuit; atque per Fœdus Gratiæ quoque ex lapsu surrexit. 3. Ex *Propositionibus Conditionatis Ezech.* XVIII. 26. *Hebr.* VI. 4. 5. 6. [2] X. 26. 29 [3]. 2 *Petr.* II. 20. 22. Quæ α primum nihil ponunt verè in esse; β & dein non respiciunt ad Veram Gratiæ Communionem, sed ad *Justitiæ Externum Studium*, ad *Dona Spiritus Communia* & Convictiva, *Gustu* interiori Fruitioni opposito uti *Matt.* XXVII. 34. ad *Cognitionem Veritatis* absque ejus amore, ad *Profanationem Sanguinis*, ἐν ᾧ ἡγιάσθη, h. e. in quo, vel *sanctificatum* Fœdus Gratiæ, vel Christus ejus Sponsor, vel Homo etiam externè, ad *Purificationem* denique *à Pollutione* crassioris *Idololatriæ & Superstitionis*. 4. Tandem ex *Multiplici Ratione* petita; α *à Deprecatione Fidelium Psal.* LI. 13. quæ ad Sensum & Gradum Gratiæ spectat, & ob certam Precum Exauditionem universalem ejus Ablationem omninò evertit; β ab *Hominis propria Imbecillitate*, cui Dei robur succurrit; γ ab *Incitatione* perpetua & valida *ad Metum*, *Vigiliam*, suique *Conservationem*, quæ Media externa sunt Perseverantiæ, per Dei concurrentem gratiam, ob quæ tamen, cum certo impleantur à Fidelibus, Perseverantia *Conditionata* & *Dubia* dici non potest. Reliqua vide *Capitibus citatis*.

[1] *Exerc. Text.* VIII. P. VI. [2] *Exerc. Text.* XLVII. P. III. [3] *Exerc. Text.* XLIX. P. III.

Finis Conservationis Geminus.

VIII. Beneficii hujus *Finis* est certa Electorum *Salus*, ad quam omnia cooperari debent *Rom.* VIII. 28. 1 *Petr.* I. 5. *&c.* & elucescens hinc *Gloria Dei*, suam sic Sapientiam, Veritatem, Potentiam, Bonitatem, dilucide manifestantis ipso opere. Unde do-

ctrina hæc non tantum Deo Gloriosa est, sed & Utilissima piis, & ad veram Consolationem, & ad Vigilantiam in omni Opere Bono, utpote non inutili futuro 1 *Cor.* xv. 58. 1 *Joh.* III. 3. *&c.* Quo ipso Calumniæ omnes contra eam concidunt, quibus tamen Practicus Doctrinæ sanctæ Abusus occasionem nimis sæpe præbet; vere ex negata Conservatione dum per se fluit læsio Divinæ Gloriæ, hominisque vel Desperatio vel Securitas Carnalis.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM

De Regeneratione, Adoptione, Reconciliatione, & Liberatione.

Inter *Nomina* alia, quibus hactenus exposita *Fœderis Gratiæ Beneficia*, sive singula sive juncta inter se, nobis proponit Scriptura, quædam frequentius occurrunt, & ob mysterium gratum in iis latens, distinctius quandoque ut totidem Beneficia explicari solent. Quem morem secuti, quædam hic de α *Regeneratione*, β *Adoptione*, γ *Reconciliauione*, δ tandem & *Liberatione*, sive *Redemptione*, subjiciemus. Nomina aliæ Gratiæ in Fœdere promissæ.

II. Regeneratio, in re cum *Vocatione* plane conveniens, sic dicitur quasi *Iterata Generatio*, cum respectu ad priorem Generationem Naturalem *Joh.* III. 3. [1] *&c.* quomodo & Græcis appellatur ἀναγέννησις & παλιγγενεσία, licet quandoque etiam simpliciter *Generatio* κατ᾽ ἐξοχὴν *Jac.* I. 18. vel *Generatio ex Deo*, opposita Generationi ex Sanguinibus, aut ex *Spiritu*, dicatur *Joh.* I. 13. [2] III. 5. 6. [3] *&c.* uti & *Vivificatio* ac *Suscitatio* audit. Non intelligimus autem hic; α *Innovationem Mundi*, sive sub diebus Novi Test. factam per Gratiam, sive futuram in Resurrectione, ad quam non immeritò refertur textus *Matt.* XIX. 28. β sed *Innovationem* hominum *Electorum* singulorum, de qua passim legitur *Tit.* III. 5. 1 *Petr.* I. 3. 23. 1 *Joh.* III. 9. *&c.* Atque hanc definimus; *Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Electi ob Meritum Christi per Verbi ministerium Nova Spirituali Natura ac Vitâ, per Operationes Vitales se manifestante, donantur, ad ipsorum salutem, Divinæque Gratiæ laudem.* Regenerationis Nomen & Definitio.

 [1] Exerc.

[1] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [2] *Exerc. Text.* XXXIV. P. I. [3] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V.

Est Dei Opus Gratiosum, ad Fœdus hoc spectans.

III. Supponimus hic plane; α *Autorem Operis* esse *Deum*, cui constanter tribuitur, *Triunum* quidem, juxta Patrem, Filium & Spiritum *Jes.* VIII. 18. LIII. 10. [4] *Psal.* CX. 3. [5] 1 *Joh.* II. 29. *Joh.* III. 5. 6. 8. [6] *&c.* & *Solum*, ut vitæ omnis unicum fontem, dum tamen utitur & *Semine* Verbi *Jac.* I. 18. 1 *Petr.* I. 23. & *Sinu* Ecclesiæ *Jes.* LIV. 1. [7] *Gal.* IV. 26. [7] & Ministerio hominum 1 *Cor.* IV. 15. *Gal.* IV. 15. *Philem.* 10. *&c.* β provenire Opus hoc ab ipsius *Gratia*, cum non existens aut mortuus mereri nihil queat *Tit.* III. 5. *Jac.* I. 18. γ & pertinere unicè ad *Fœdus* Gratiæ, cum Adam Integer Vitæ hujus per Creationem esset particeps, nec Lapso homini extra Christum ob Dei Sanctitatem restitui possit.

[4] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [5] *Exerc. Text.* XVIII P. II. [6] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [7] *Exerc. Text.* L. P. V.

Competit Electis, qui considerantur ut in Peccatis Mortui.

IV. Regenerantur itaque *Electi*, Soli quoque & Omnes, 1 *Petr.* I. 3. 4. *Joh.* III. 3. 5. *&c.* ne quidem exclusis Infantibus, licet in his Medium Verbi, Actusque Vitales, non ita adsint. Considerantur autem ut Peccatores, ita in *Peccatis Mortui Eph.* II. 1. 2. IV. 18. 19. *&c.* ut *Sensus & Operatio* omnis imo *Facultas Vitalis absit*, substituta *Vitâ Peccati* per pessimam in Malo Actuositatem: neque enim alias Novâ Vitæ Infusione opus esset. Atque *Status* inter Regenitos & Irregenitos *Medius*, nec per Scripturam, nec per rationem, admitti potest; dum omnes *Dispositiones ad Bonum* verè bonæ à Vita Nova fluunt, licet forte admodum adhuc debili.

Nulla præter Misericordiam Dei, Christique Meritum, hic obtinet Causa Impulsiva.

V. Hinc *Causa Impulsiva* sola est Dei *Misericordia*, & Christi *Meritum Joh.* XVII. 19. *Eph.* II. 3. 4. 5. *Jac.* I. 18. 1 *Petr.* I. 3. *&c.* quorsum referunt etiam recentiores multi *Aquam Joh.* III. 5. [1] quam melius putamus nos referri, vel ad Originem Vitæ Animalis, *coll. Jes.* XLVIII. 1. *Psal.* LXVIII. 27. [2] vel ad Baptismum *Tit.* III. 5. vel ad ipsam Spiritus Naturam Aqueam *Jes.* XLIV. 3. *Ezech.* XXXVI. 25. 26. vel denique ad Verbum Euangelii *coll. Jes.* LV. 10. 11. Ut excludi debeant omnia *Merita*, & propriæ hominis *Bonæ Dispositiones*; quas α absoluta hominis ad Bonum Impotentia, β Experientia eorum, qui minus in speciem præparati gratiam tamen nacti sunt, magisque instructi eâ tamen exciderunt,

γ &

γ & necessaria Discernentis Divinæ Gratiæ laus, ut mittam alia, satis evertunt. Ac conveniunt in re, qui ex Nostris aliter quandoque locuti sunt. Vide *Cap.* XXIII. §. IX.

[1] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [2] *Exerc. Text.* XVIII. P. III.

Consistit in datione Novæ Naturæ & Vitæ, quæ per Operationes se manifestat.

VI. Electis adeo, respectu Primi Momenti & Boni *merè passive* se habentibus, infundit Regenerans Deus; α *Naturam Spiritualem*, & *Vitam Novam Eph.* II. 10. IV. 24. I *Cor.* II. 15. *Rom.* VI. II. *Gal.* II. 20. *Col.* II. I. III. 3. per datam Unionem & Communionem secum, quæ vires ad bonum sufficit 2 *Petr.* I. 4. *Phil.* IV. 13. oppositam Vitæ Naturali, & priori etiam illi Peccati; β ac *Operationes Vitales Gal.* V. 22. quæ in Anima & Corpore deprehenduntur, non tamen semper æquè vividæ. Quæque similitudine petita à *Vita Vegetativa*, *Sensitiva*, & *Rationali*, sic proponi possunt, ut spirituali modo observentur hic; α Appetitus Nutrimenti, Incrementum, Flos, Fructusque, I *Petr.* II. 2. 2 *Petr.* III. 18. *Cant.* VII. 12. *Rom.* VI. 22. β Visus, Auditus, Gustus, Olfactus, Tactus, Motus, *Eph.* I. 18. *Apoc.* II. 7. I *Petr.* II. 3. *Cant.* I. 3. *Jes.* XXVI. 16. *Psal.* LXXXIV. 8. *&c.* γ Intellectus, Voluntas, Gaudium, Loquela, &c. I *Cor.* II. 12. 15. *Rom.* VII. 15. 22. I *Petr.* I. 8. 2 *Cor.* IV. 13. *&c.* In quibus omnibus Deus hominum *Salutem* suamque *Laudem* sic intendit, ut illa omnino hinc quoque fluant.

Adoptionis Nomen & Definitio.

VII. Haud minus memorabilis est ADOPTIO, sive *Adoptatio*, conveniens fere in re partim cum *Justificatione*, & cum *Vocatione* partim; sic dicta ex *Ad* & *Optio*, sensu *Electionis*, Græcis υἱοθεσία, quasi *Filii Constitutio.* Sumitur autem; α vel *latius*, pro qualicunque *Assumtione*, Domini, Patroni, Populi, quorsum non immerito refertur *Rom.* IX. 4. *coll. Exod.* IV. 22. *Hos.* XI. I. β vel strictius pro *Assumptione Extranei in Filium*, α tum *Humanâ*, qualis ab ævo obtinuit *Gen.* XVI. 2. XXX. 3. *Exod.* II. 10. *Esth.* II. 7. 15. in primis apud Romanos, qui adoptabant, vel Testamento minus propriè, vel Autoritate Magistratus Filios familias, vel Principis Rescripto Liberos sui juris, postrema specie *Arrogatione*, media *Adoptione* strictè dictâ, ac operante hac Nomen, Hæreditatem, Potestatem Patriam, &c. β tum *Divinâ*, quandò iterum sumitur, vel *Impropriè* pro uberiori factæ Assumptionis Declaratione, majorique Hæreditatis Fruitione, sic aut ad Judicii Diem relata *Rom.* VIII. 23. [1] aut etiam Novo Test.

qua-

quadantenus vindicata *Gal.* IV. 5. 6. *Rom.* VIII. 15. 16. vel *Propriè* pro ipsa Assumptione. Atque sic eam definimus; *Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Electi natura Extranei in Filios domesticos & Hæredes Dei propter Christum adsciscuntur, ad Salutem eorum & Dei Gloriam.*

A Deo & Gratia ejus in Fœdere promissa, provenit.

VIII. Iterum Adoptio; α *Deum* agnoscit *Autorem Psal.* c. 3. & quidem œconomicè Patrem *Eph.* I. 5. 1 *Joh.* III. 1. *&c.* non excluso tamen Filio, qui vulgo Primogenitus audit Frater *Joh.* I. 12. XX. 17. aut Spiritu *Rom.* VIII. 16. atque hunc *Solum*, utpote Liberrimum Hæreditatis suæ Dispensatorem, licet iterum per Euangelium hinc, Fidem illinc, operetur quasi *Adrogationis* quodam modo *Joh.* I. 12. *Gal.* III. 26. *&c.* β debetur illius *Gratiæ Eph.* I. 5. *coll. Ezech.* XVI. 4. *&c.* γ & ad *Fœdus Gratiæ* restringitur, cum Adam non fuerit Filius per Adoptionem sed Creationem, imo Jus Hæreditatis nondum habuerit, nec id alicui Peccatori extra Christum contingere queat.

Competit Electis Solis & Omnibus, etiam sub Vet. Test.

IX. Adoptantur *Electi*; & *Soli Eph.* I. 5. Adoptione speciali dè qua hic agimus; & *Omnes Gal.* III. 26. absque discrimine ullo, etiam *Vet. & Novi Test.* in re ipsa, dum alias *major*, abolitâ Legis Servitute, & Oeconomiæ externæ Rigore cessante, nunc est *Adoptionis Declaratio*, *majorque Donorum Spiritus* Adoptionem testantis vulgo *Mensura*. Quapropter *Adoptio* ipsa, una cum *Adoptionis Spiritu*, & *Affectibus* illa *Dignis*, neutiquam ad Novum Test. debet restringi, uti fit à *Socinianis*, & quoad phrasin à *Recentioribus* nostris; α contra Scripturæ phrasin *Deut.* XIV. I. XXXII. 6. *Jer.* XXXI. 20. *Jes.* LXIII. 16. *Psal.* CIII. 13. *&c.* β Rei Naturam, dum Hæreditas Dei, ejus Exspectatio certa, & Gratiosa Communio, per Preces aliaque Opera grata declarata, illis negari non potest, *coll. Thren.* III. 24. *Gen.* XV. I. XVII. I. *Psal.* LXXIII. 23. 24. *Hebr.* XI. 10. *Psal.* CXLIII. 10. *&c* γ connexa Sanctificationis & Justificationis Beneficia ipsis concessa, δ denique Amoris Dei & Meriti Christi Perpetuitatem. Nec valent in contrarium; α aut *Vaticinia vetera* 2 *Cor.* VI. 18. quæ latiorem Gratiæ Extensionem & Manifestationem majorem spectant; β aut *loca Novi Test. Rom.* VIII. 15. 16. *Gal.* III. 26. IX. 5. 1 *Joh.* III 2. *&c.* quibus vel ad uberiorem Declarationem, Statumque Libertatis filiis Adultis convenientem, oppositum illi Filiorum vere quidem talium sed in Infantili ætate magis serviliter guberna-

natorum, respicitur, *coll. Gal.* IV. 1. 2. 3. [2] vel nulla ad Statum Fidelium Vet. Test. sed Naturalem Peccati, & futuram Gloriæ Conditionem, est oppositio; γ aut tandem *Servilis* eorum *Tractatio*, in Institutione rudiori, Cultu laborioso, Accessu propinquo ad Arcam impedito, Retributione terrestri, Comminatione perpetuo audita, &c. quæ scil. nimium vulgo extenditur & inculcatur, nec Statum gratiosæ Communionis Dei, Infantilem licet, evertit, sed ex adverso stabilit.

[1] *Comm. in Pentat.* [2] *Exerc. Text.* XXXIX. P. II.

X. Considerantur verò *Electi* hic, ut *Natura Extranei*, & ob Conformitatem cum *Satana* & Mundo, illius magis quam Dei *Filii* *Eph.* II. 12. 13. *Gen.* III. 15. [3] *Joh.* VIII. 44. *Ezech.* XVI. 3. *Joh.* XV. 19. *&c* qui adeò nec Communionem cum Deo, nec Exspectationem Gloriæ ejus habent. Ut nihil sit in Electis quod Deum moveat, imò absque Gratia ejus ne ipsa Fides quidem, qua Adoptioni adstipulantur, locum in eis reperiat: sit vero tota adscribenda Gratiæ Dei in Christo, uti antea quoque patuit.

Considerantur hi, ut Natura Extranei.

[3] *Hist. Parad. Lib.* IV. *Cap.*

XI. Hos vero Deus adoptans *Assumit in Familiam* suam Cœlestem *Eph.* II. 12. 13. 19. non tam per modum *Servorum*, *Amicorum*, aut *Conjugis*, *Psal.* CXVI. 16. *Joh.* XV. 15. *Hos.* II. 18. 19. [4] *&c.* quam *Liberorum*, quod nomen suscipiunt, & α ut Fratres Christi *Hos.* I. 10. [5] *Rom.* VIII. 17. 29. β & ut Sponsa ac Conjux ejus *Psal.* XLV. 11. [6] *Cant.* V. 1. 2. [7] *&c.* Quod ita in æterno Electionis consilio constituit apud se Deus, ut in Vocatione & Justificatione idem exsequatur, reperta hic facilè multiplici analogia cum triplici apud Romanos *Adoptionis* specie. Atque sic transeunt Fideles in Civitatem & *Familiam* hanc *Dei*; α ut *sancta* ipsis cum Angelis, Sanctis, & Deo ipso, concedatur *Familiaritas* *Eph.* II. 18. III. 12. *Hebr.* IV. 16. X. 19. *Rom.* VIII. 15. *&c.* β ut *Nomen* ipsis *Novum* contingat *Jes.* LXII. 2. *Gen.* VI. 2. 1 *Joh.* III. 1. γ ut fiant *Hæredes Dei*, *&* *Mundi* totius, in gratia & gloria *Rom.* VIII. 17 *Gen.* XV. 1. *Jer.* X. 16. *Rom.* IV. 13. [8] 1 *Cor.* III. 21. 22. 23. *&c.* δ ut transeant in *Patriam Dei Potestatem*, qualem Jus Naturale vel etiam Civile statuit, omnia Patri acquirentes, de Bonis suis non disponentes, Tutorem accipientes, &c. quæ omnia spiritualiter applicare facilli-

Consistit in Assumptione in Liberos. Cujus Effecta adduntur.

cillimum est. Nec *Spiritus Adoptionis*, in Gradu & Modo operationis licet hic differat, separari plane ab illa potest. Unde cum satis constet Beneficii hujus insignis Magnitudo, non potest non juxta Salutem hinc fluere Divinæ Bonitatis & Gloriæ multiplicis laus, ore & opere prædicanda, *Eph* 1. 6.

[4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Loc.* [6] *Anal. Exeg. post Comm. in Cant.* [7] *Comm. in Loc.* [8] *Exerc. Text.* XLV. P. IV.

Reconciliationis Nomen & Definitio.

XII. Frequenter etiam occurrit RECONCILIATIO, iterum respondens *Vocationi* & *Justificationi*; sic dicta quasi *Reductio in unum Concilium*, alias *Conciliatio*, *Pacificatio*, *καταλλαγή*, *εἰρηνοποιΐα* &c. Atque locum hæc habet; α tum inter *Homines Dissidentes*, pauciores vel plures, de re corporali vel spirituali, quo pacto simul est Officium hominis & Beneficium Dei *Matt.* v. 24. *Eph.* II. 14. 15. *Prov.* XVI. 7. &c. β tum inter *Deum & Homines*, & in *Actibus specialibus*, sublatæ illinc Iræ hinc Impietatis, & maxime in *sublato Naturali Dissidii Statu*, ubi sic Acceptione Divinæ Gratiæ per Spiritum operatur Homo, ut tamen merito tanquam Dei Beneficium frequentius proponatur. Uti definitur hic; *Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Electi natura Inimici Dei per Christi Sanguinem & Spiritum ad lætam cum Deo Pacem & Amicitiam adducuntur, ad æternam ipsorum Salutem Deique Gloriam.*

Est & hæc Opus Divinæ Gratiæ specialis.

XIII. Reconciliationem sic; α vindicamus *Deo*, *Triuni*, Patri 2 *Cor.* v. 18. 19. *Col* I. 10. 21. Filio *Eph.* II. 14. 16. *Mich.* v. 4. [1] *Jes.* IX. 5. [2] *Joh.* XIV. 27. & Spiritui S. *Rom.* XIV. 17. ac *Soli*, utpote per sapientiam & potentiam suam infinitam Sufficienti, tum ad Conversionem hominis, tum ad Communicationem sui cum peccatore, licet utatur Verbo & Ministris ejus 2 *Cor.* v. 18. 19. β & quidem *Gratiæ* illius *Col.* I. 19. 20. iræ demonstrationem & derelictionem potius exigente Justitia; γ tandem *Fœderi Gratiæ*, cum in Integritate Adam fuerit Amicus Dei, ipsum amans & ab ipso amatus, absque dissidio ullo, neque præter Euangelium modus aliquis veræ cum Deo Reconciliationis inveniri queat unquam.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XV. P. VI.

Competit Electis Solis & Omnibus.

XIV. Reconciliantur itaque *Electi*; α & *Soli*, exclusis præter Angelos Malos Reprobis, utpote qui ad Pacem cum Deo non perveniunt, haud obstantibus textibus *Col.* I. 20. 2 *Cor.* v. 19. ubi

de

de *Omnibus* agitur ubique dispersis Electis, qui propterea etiam *Mundi* nomine veniunt; ϵ & *Omnes*, absque ullo ætatis aut temporis discrimine, uti docet, præter verum Dei Amorem ac Gratiam & beatam ejus Fruitionem Veteribus concessam, titulus *Amicorum Dei* iis datus *Jes.* XLI. 8. *Jac.* II. 23. *Psal.* XXX. 5. LXXIX. 2. *&c.* Haud obstante *Reconciliatione*, per Christum demum sub Novo Test. sic active facta, ut ejus Effectum tamen Moralem ad anteriora tempora retrahere debeamus, nec *Patres* propterea *sub Ira Dei* constituere liceat; qua de phrasi vide *Cap.* XXIV. §. VII.

XV. Considerantur tanquam *Inimici Dei Rom.* V. 10. Quales sunt. α *A parte Sui*; odio non tantum habentes Deum, sed & opere continuo illud declarantes *Rom.* I. 30. VIII. 7. *Joh.* XV. 25. 26. *&c.* etiam adversus eos qui sunt Dei *Joh.* XV. 19. β Et *à parte Dei*; qui Benevolentia æterna eos quidem est prosecutus in Christo, sed tamen iis ut Peccatoribus iratus *Jes.* LIX. 2. *Psal.* V. 5. 6. *Hab.* I. 13. *Eph.* II. 3. *&c.* Ut *nulla* consequenter sit in Homine *Causa Impulsiva*, aut *Bona* ad pacem *Dispositio*, quæ Deum ad Reconciliationem moverit; sed fluat illa ex sola *Gratia Dei*, *Meritoque Christi Rom.* V. 10. 2 *Cor.* V. 19. *Eph.* II. 16. *Col.* I. 20. *&c.* qui per sanguinem fusum Spiritum suum nobis quoque impetravit.

Spectantur hi antea ut Inimici Dei.

XVI. Hos verò in Reconciliatione Deus stabili *Pace* sibi jungit, quin & in arctissimam secum *Amicitiam* admittit *Rom.* V. 1. Adeo ut; α *ipsi Deum ament Psal.* XVIII. 2. æstimando eum supra omnia, desiderando, quærendo, complacendo, delectando se denique in ipso, Actibus his tamen per Carnem inhabitantem sæpè interruptis; β & vicissim *ipsi à Deo amentur*, tenerrima *Benevolentia Jes.* XLIX. 15. 16. perfectissima *Complacentia Cant.* IV. 7. 1 *Sam.* XIII. 14. *Job.* I. 8. *&c.* & propensissima *Beneficentia*, per Bonorum omnium collationem & Malorum simul aversionem *Jes.* LXII. 4. LXV. 13. 14. *Hos.* II. 14 17. *Job.* V. 23. *&c.* Unde Deo talem se demonstrante ore & opere, non potest non oriri Tranquilla *Conscientiæ Pax Rom.* XV. 13. *Phil.* IV. 7. Liberrimusque *ad Deum Accessus Hebr.* IV. 16. Et notandum est, hanc Pacem vere *Stabilem* esse, etiam *in Malis* spiritualibus & corporalibus ex amore ad bonum suis immissis *Rom.* VIII. 28. utpote sanguine pretioso Christi firmatam, & ab immutabili Dei Amore

Junguntur vero Deo Pace & Amicitia arctissima. & mutua.

re per Spiritum unicè fluentem *Jes.* LIV. 10. *Hos.* II. 18. [3] *Mal.* III. 6. [4] *&c.* Dum tamen Externus *Actus Sensusque* ejus sæpe interrumpitur, à parte Dei æquè quam Hominis *Psal.* X. 1. *Jes.* VIII. 17. *Psal.* LXXX. 5. LXXXVIII. 17. *Job.* XIII. 24. 26. 27. *Gen.* XXXII. 24. *&c.* ad α suam Libertatem, Gratiæque Præstantiam, & à Gloria Distinctionem docendam, β Transgressionem, Vilipendentiam, Socordiam, Securitatem Carnalem dedocendam, γ Fidem, Spem, Orationem, & Pietatem omnem exercendam ac augendam. Ut non possit præstantissimum hoc Dei Beneficium alium habere *Finem*, quam *Salutem* ipsam, quæ & *Pacis* nomine venit *Rom.* II. 10. Divinæque*Gratiæ* tam constanter ad eam ducentis laudem.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.*

Liberationis tandem Nomen & Definitio.

XVII. Addimus adhuc LIBERATIONEM, quæ per quatuor Gratiæ Beneficia sic diffunditur, ut in Glorificatione demum perfectè compleatur; quæque sic dicitur juxta *liberum*, vel à *libendo*, vel à *libando*, vel à *libro* cortice interiori arboris, vel ab ἐλευθέρῳ, quod derivant ab *eundi libertate*. Appellatur alias *Redemptio*, non ob Repetitionem Actus, sed Reductionem ad Statum Libertatis priorem, item *Emptio*, *Acquisitio*, *Vindicatio*, *&c.* & apud Græcos ἐλευθέρωσις, περιποίησις, ἀγορασμὸς, ἐξαγορασμὸς, λύτρωσις, ἀπολύτρωσις, *&c.* sicuti Hebræi dicunt חוציא / הציל / פרק / quod *Abrumpendi* significatum propriè habet *Gen.* XXVII. 40. *Exod.* XXXII. 2. *Dan.* IV. 27. *&c.* & potissimum פדה / & גאל / quæ duo sic distinguere solent, ut גאל / notet *Redemptionem*, quæ fit soluto Pretio, uti id officium à Propinquis sanguine olim exigebat Lex *Lev.* XXV. 25. 47. פדה / verò *Liberationem*, Vi factam 2 *Sam.* IV. 9. *Neh.* I. 10. dum id discrimen nequaquam tamen est perpetuum ex *Gen.* XLVIII. 16. *Exod.* VI. 5. *Psal.* XLIX. 8. *&c.* ac uterque Liberationis modus in præsenti Beneficio observari potest, mysterio *Legis Goëlatus* hic quoque ad amussim impleto. *Liberatio* autem *Deo* adscripta sumitur; α vel prò *Ereptione ex* aliqua corporali *Calamitate*, sive Populi, sive Hominis singularis, *Psal.* XXXIV. 20. 23. LXXVII. 16. *Act.* VII. 35. *&c.* β vel pro *Exemptione à Servitute Spirituali*, sive *Externa* tantum 2 *Petr.* II. 1. 20. sive *Interna* simul; eaque tum *Consummata*, quam exspectamus adhuc *Luc.* XXI. 28. *Rom.* VIII. 23. *Eph.* I. 14. IV. 30. *&c.*

&c. à Peccati, Corruptionis, ac Insultus mali, Reliquiis omnibus, tum *Inchoata* in his terris. Atque hanc definimus; *Beneficium Fœderis Gratiæ, quo Electi naturaliter sub Potestate Satanæ, Peccati, & Maledictionis constituti, per Sanguinem & Spiritum Christi ab hoc Imperio liberantur, Deoque vindicantur, ad hujus laudem, ipsorumque salutem.*

XVIII. Sic etiam Liberationem tribuimus; α *Deo Jes.* LXIII. 16. *Triuni*, Patri *Jes.* XLIX. 7. *Hos.* I. 7. [1] *Luc.* I. 68. Filio *Jes.* XXV. 9. [2] *Act.* XX. 28. cui terminative potissimum competit, ac Spiritui S. 1 *Cor.* VI. 11. & *Soli*, utpote cui uni Sapientia, Bonitas, & Potentia, ad opus tantum sufficiens fuit, nullâ hic Creatura nisi instrumentaliter concurrente; ϐ & *Gratiæ* illius *Luc.* I. 71. 72. *Eph.* I. 7. Homine per voluntariam Servitutem contrarium potius promerito; γ *Fœderi* tandem *Gratiæ*, dum Adamus Integer Liber verè fuit, nec in Angelis, utpote non lapsis, uti nec in Maria, *Redemptio* aliqua *Sublevativa* fingi debet, nec tandem extra Fœdus Gratiæ quisquam ex Servitute exire unquam potest. Et hæc Divinæ Gratiæ Opus est in Fœdere promissum.

[1] *Comm in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XVII. P. VI.

XIX. Qui liberantur, sunt itaque *Electi*; α tum *Soli Psal.* CXXX. 8. *Matt.* I. 21. *Act.* XX. 28. *Eph.* I. 7. *&c.* docente id satis fructu Libertatis, qui ad omnes Homines, aut omnes externè etiam Vocatos, nequaquam extenditur, non admittendâ hic distinctione inter *Redemptionem Impetratam & Applicatam*, cum hæc posterior vera demum sit Redemptio, ac ex priori necessario ob Dei justitiam & veritatem fluat, nec prior sit Universalis, secundum dicta latius *Cap.* XX. §. XXIII. XXIV. ϐ tum *Omnes*, absque discrimine Nationum *Apoc.* V. 9. *Gal.* V. 6. Sexus, Ætatis, Status, *Gal.* III. 28. *&c.* & Oeconomiarum quoque, uti *Veterum Fidelium* Beneficia antea adstructa, Opera, imo Gloriationes ipsæ, declarant *Psal.* CIII. 4. *Jes.* LXIII. 16. *&c.* Licet α *Redemptio* activè à parte Christi demum facta sit sub Novo Test. ex qua Libertas illa olim fluxit; ϐ & concessæ *Libertatis Major* sub Novo Test. sit *Gradus & Declaratio*, Lege Morali quoad rigidam denunciationem, & Ceremonali quoad observationem cessante, cujus utriusque, non similiter Angelorum & Hominum, respectu olim *Fideles Servi* fuerunt. Ob quas rationes adeo ipsi nec *Maledictioni*, nec *Potestati Satanæ* sunt subjiciendi, Convenit Electis Solis & Omnibus, etiam sub V. T.

di, sive re vera, sive phrasi incongrua; de quâ re vide *Cap.* XXV. §. VII.

Spectantur antea ut Servi, multiplici respectu.

XX. Considerantur hi ante Liberationem; ut α *Elapsi ex* speciali *Dei Dominio*, per voluntariam ex primæva Integritate *Apostasiam Rom.* III. 12. *Act.* XIV. 16. *&c.* β & *Servi*, tum *Satanæ Matth.* XII. 29. *Joh.* XII. 31. XIV. 30. 2 *Cor.* IV. 4. *Eph.* II. 2. 2 *Tim.* II. 26. quo etiam mysticè spectat textus *Jes.* XLIX. 24. 25. tum *Peccati Joh.* VIII. 34. *Rom.* VI. 19. 12. tum *Maledictionis Rom.* III. 19. *Gal.* III. 10. *Eph.* II. 3. *&c.* Ut *nulla* consequenter sit *Causa* in Homine Deum ad Liberationem *movens*, sed debeat illa soli *Gratiæ* ejus adscribi; quæ hic operatur, α tum per *Spiritus* Vocantis, de Justificatione testantis, Sanctificantis, & Conservantis, Vim insuperabilem; β tum per *Pretium* à Christo Theanthropo persolutum, non lictori Diabolo, sed Patri ut Judici, verè maximum & valore infinitum 1 *Cor.* VI. 20. 1 *Petr.* I. 18. 19. proprii sc. *Sanguinis*, *Carnis*, *Corporis*, *Animæ*, imo *Sui* ipsius, juxta variam Scripturæ phrasin, *Matt.* XX. 28. *Joh.* VI. 51. *Act.* XX. 28. 1 *Tim.* II. 6. *&c.* quale olim in Victimis mactatis, & Goëlis vindicatione, erat præfiguratum. Qua de re copiosius actum est *Cap.* XX. §. XXI. *&* XXII.

Actus consistit in Redemptione & Acquisitione speciali.

XXI. Itaque sic Redimens Deus, hos α *Liberat* à Servitute *Luc.* I. 74. *Joh.* VIII. 32. 36. 2 *Cor.* III. 17. & *Satanæ Col.* I. 13. II. 15. *Hebr.* II. 14. 15. manente tamen adhuc illius Impugnatione multifaria, & *Peccati Rom.* VI. 18. VIII. 2. 22. 1 *Petr.* I. 18. II. 9. *&c.* manente adhuc Carne ejusque Vi ad invitos quandoque ad tempus captivandos Fideles, & *Maledictionis Rom.* VIII. 1. *Gal.* III. 13. 1 *Joh.* I. 7. *&c.* manentibus adhuc Peccati sequelis malis multis; & β *sibi* in peculium speciale *Vindicat*, Justitiæque mancipat, *Jes.* XXXV. 10. *Luc.* I. 74. 75. *Rom.* VI. 16. 22. VII. 4. *Tit.* II. 14. *&c.* Ut vere *Finis* hujus quoque Beneficii sit Gloria Dei 1 *Cor.* VI. 20. & Salus Electorum *Gal.* III. 14. *Matt.* XVIII. 11. *&c.*

Libertas Christiana positive & negative declaratur.

XXII. Unde jam æstimari potest *Christiana Libertas*, distinctissima; α & à *Naturali*, quæ à Natura Rationali separari nequit, secundum dicta *Cap.* XIII. §. XIII. β & à *Civili*, sive latius per eam intellexeris *Immunitatem ab Obligatione*, vel non data vel sublata, *Ies.* LVIII. 6. *Matt.* XVII. 26. *Rom.* VII. 3. 1 *Cor.* VII. 15. 39. *&c.* sive strictius *Exemptionem à Captivitate* vel *Servitu-*

vitute, orientem vel *ex Nativitate*, vel *ex Manumissione*, secundum *Ingenuorum* & *Libertorum* sive *Libertinorum* discrimen 1 *Cor*. VII. 21. *Gal*. III. 28. *&c.* γ & à spiritualis *Libertatis Speciali Gradu* ac Demonstratione, quæ in sublata Legis Pædagogia sub Novo Test. cernitur *Gal*. IV. 3. 26. v. 1. & magis in Gloria Futura cernetur *Rom*. VIII. 21. *Eph*. I. 14. Debet autem illa sic constitui; α in *Exemptione à Potestate Satanæ*, *Peccati*, *&* *Mortis*, ut neutiquam extendatur ad Sublatam *Magistratus Potestatem*, vel Negatam *Subjectionem* debitam *sub Ministris*, secundum dicenda *Cap* XXXIII. vel Eversam mutuæ *Charitatis Obligationem*, etiam in rebus Mediis, adeoque licitis, non faciendis cum scandalo, contra loca *Rom*. XIII. 8. XIV. 15. 1 *Cor*. VIII. 9. & contra dicta latius *Cap*. XI. §. XXXVI. β & in *Subjectione sub Dominio solius Dei*, ut omnis quidem exulet hominum Autoritas Dominica & Universalis in rebus Religionis, imo omnis plane quæ immediate & per se Conscientiam obliget, sed tuta ex adverso debeat esse Obedientia Deo sub Testamento Novo & Vet. juxta Legis præscriptum præstanda, uti contra *Libertinos* & *Antinomos* omnes adstruximus *Cap*. XI. §. XXXVIII. Gentilibus ipsis Licentiam à Libertate distinguentibus, & in Dei ac Legum Servitute veram Libertatem constituentibus.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

De Sacramentis Fœderis Gratiæ; & speciatim Circumcisione, Paschate, & Pseudonymis Novi Test.

Transitus ad Sacramenta, quorum Nomina plura declarantur.

POst Officia & Beneficia Fœderis Gratiæ, ponimus ejus SACRAMENTA, quæ ad illa Utraque spectant ac quodam modo referri possunt. Nomen derivatur, non à *sacra mente*, aut à secretis virtutibus quasi *secrementa*, sed à *Sacro* vel *Sacrando* simpliciter, ad analogiam *Iuramenti*, *Testamenti*, *Vestimenti*, *&c.* notatque adeo ex origine id quod sacrum est vel sacrat. Non legitur in Scriptura, sed apud *Romanos Gentiles* Usus hujus vocis obtinuit, qui sic appellarunt præcipuè *Iuramentum Militare*, & *Pignus à Litigantibus* apud Pontificem depositum; quæ utraque significatio licet allegoricè transferatur quoque non male ad hanc no-

nostram materiam, à Christianis tamen Patribus hic non videtur adeo fuisse spectata, quam quidem generalis Rei Sacræ & Absconditæ notio, uti ex usu *Vulgati* prò *Mysterio* clarum id est *Dan.* II. 18. IV. 6. *Eph.* I. 9. V. 32. *Apoc.* I. 20. *&c.* Cum vero tam longo usu Vox hæc invaluerit in Ecclesia, in omni ferè lingua, nec abludat à re ejus Significatio, putamus illam licet ἄγραφον meritò retineri, frustra de *Voce repudiata* litem nobis moventibus *Papistis* & *Lutheranis.* In Scriptura dicuntur *Signa*, *Sigilla*, *Signa Fœderis*, *Gen.* XVII. 11. *Rom.* IV. 11. *&c.* & metonymicè *Fœdus* ipsum *Gen.* XVII. 10. Apud Patres, tum τελεταὶ, tum frequentissime μυστήρια; quæ vox derivatur non à μύσος, vel μῦθος, & θηρεύειν, sed vel à μύω, vel à מכתר Hebræo, & legitur etiam in Novo Test. sed alio sensu. Usus denique vocis Sacramenti varius est, dum notat; α vel *Rem & Ceremoniam* quamvis *Sacram*, uti apud *Veteres*, male ex illorum phrasi latiori plura propriè dicta *Sacramenta* propterea colligentibus *Papistis*; β vel cujuscunque *Promissionis Externum Sigillum*, quo refer *Sacramenta Fœderis Operum* exposita *Cap.* XIV. § XXI. XXII. atque *Iridem* post Lapsum, ad Fœdus Gratiæ ipsum male relatam à nonnullis; γ vel *Invisibilis Gratiæ Signum Visibile* quodcunque, uti sic Sacrificia omnia includuntur; δ tandem *Signum & Sigillum Fœderis Gratiæ*, à Deo exhibitum homini, quo sensu iterum κατ' ἐξοχὴν Nomen hoc Singulare apud *Veteres* Baptismum vel Cœnam quandoque notat.

Sacramentorum Definitio generalis.

II. Sacramenta, ex Dei Bonitate Hominisque Imbecillitate omni ætate Ecclesiæ data, definiuntur recte; *Ceremoniæ Sacræ à Deo institutæ, in quibus, usu Signi Externi & Visibilis, Fœderatis significatur, obsignatur, & spiritualiter exhibetur, Participatio Beneficiorum Christi salutarium in Fœdere promissorum, ipsique vicissim obligantur ad Officia Fœderis præstanda alacrius.*

Quæ per Partes omnes breviter illustratur.

III. Ad Generalem eorum cognitionem, distinctius notandum est. 1. Generis loco non immerito poni *Ceremoniam Sacram à Deo Institutam* α Cum non sint Officia Moralia per se ad virtutem spectantia, sed *Ritus* externi; β neque profani aut politici, sed *Sacri*, Finis Formæ & Autoris respectu; γ neque humano arbitrio nixi, sed *Dei Imperio*, uti præter enumerationem illorum, docet rei natura, ex consideratione Actus ad Cultum pertinentis, qui à solo Deo ut Legislatore mandari, & Obsignationis

Gra-

Gratiæ, quæ à solo Gratiæ Autore valide fieri potest, rejiciendis propterea *Sacramentis Pontificiis*, quæ hac Institutione carent. Neque putamus adeò necessum esse, ut multum cum *Lutheranis* disputemus, an melius per *Signa*, an per *Actiones*, Sacramenta definiantur. 2. Ad ulteriorem eorum discriminationem spectare. α *Signum Externum*, veniens apud *Veteres* sub nomine *Symboli*, *Elementi*, *Typi*, *Imaginis*, *Rei Terrenæ*, *&c.* Quale hic est non Naturale, Prodigiosum, mere Μνημονευτικὸν, Humanum, sed Institutum, Gratiosum, Obsignans, & Divinum, nec solum Accidentale, aut Sensibile, sed & *Substantiale*, & *Visibile*, ut inter Sacramenta & Verbum sit sufficiens distinctio. Quo ipso non tantum *Sacramenta* quædam *Pontificia* concidunt, sed & ex eorum, uti strictius appellantur, numero *Sabbathum Judaicum* excluditur, alias generalius *Signum* quoque dictum *Ezech.* xx. 12. 20. β *Signi Usum*, per quem Homini idem applicatur, aliter ac fit in *Sacrificiis* qua talibus, ubi nihil Homini nomine Dei, sed aliquid Deo ab Homine datur; quod Inductio docet. γ *Rem Signatam*; quæ debet esse Gratia in Fœdere promissa, sive Christus cum suis Beneficiis. δ *Unionem inter Signum & Rem Signatam*; quæ per Conversionem Signi in Rem Signatam, qualis in Eucharistia à *Pontificiis* somniatur, plane tollitur; quæque non est *Localis* & *Physica*, sed *Relativa*, *Moralis*, *Hyperphysica*, & vulgo *Sacramentalis* appellatur. Consistit autem in *Convenientia* inter utrumque, *Obsignatione* Divina, & spirituali *Exhibitione* Gratiæ per Spiritum mediante Sacramento; quæ totidem sunt fundamenta locutionis Metonymicæ in Sacramentis Vet. pariter Novi Test. Unde patet, quam falso clament *Adversarii*, in Sacramentis non agnoscere nos nisi *Nuda & Inefficacia Signa*, quod verè interim agunt *Sociniani*, & *Anabaptistæ*. ε *Personas Recipientes*; quæ sunt *Fœderati*, externa sc. professione, & *Soli*, non numerando propterea *Conjugio* inter Sacramenta, & *Omnes*, qui per ætatem capaces sunt, quo ipso excluditur ab illis *Ordo*. ς *Finem*; qui communior quidem est Fidelium ab Infidelibus Discretio, sed specialis magis, hominis Major ad Officia Incitatio & Obligatio, ac Fidei Divinorum Promissorum Confirmatio. 3. Quem postremum *Effectum* producunt, *non per Probitatem aut Intentionem Ministrorum*, neque per insitam Virtutem *ex Opere Operato*, sed per singularem *Divinæ Gratiæ Concursum*, & subordinatam illi *Recipientium Fidem*, ut ne quidem absolute ad salutem Sacramenta singulis

Aaaa Ne-

Necessaria dici debeant. Horum vero omnium ulteriorem probationem ad singula Sacramenta nos differimus; mittimusque simul quaestiones magis Scholasticas, qualis est multiplex dè distincta *Materia & Forma Sacramentorum.*

Sacramenta sunt Duplicia Vet. vel Novi Test. quorum differentia monstratur. Quae à Pontificiis & Lutheranis nimia fingitur.

IV. Uti vero *Fœdus Gratiæ* pro Duplici Oeconomia *Vetus & Novum* dicitur, ita alia *Novi* alia *Vet. Fœderis*, sive *Testamenti*, Sacramenta dicuntur. Quæ inter se, perinde ut ipsa Fœdera, differunt; α *Accidentaliter*, in Externo Signo, ejus Facilitate, Extensione, Duratione, Ministris, Reique Signatæ clariori vel minus clarâ Patefactione, &c. β *non* autem *Essentialiter*, dum Idem utrobique est Autor, Signum pariter Visibile, Eadem Res Signata, Eædem Personæ Fœderatæ percipientes, Eadem Requisita, Idem Finis, Eadem Efficacia, &c. Ubi aberrant magnopere; tum *Pontificii*, solis Sacaamentis Novi Test. *Efficaciam ex Opere Operato* tribuentes; tum juxta hos *Lutherani*, Sacramenta Vet. Test. volentes fuisse *Figuras Nostrorum*, quæ Gratiam supra illa ut Umbras in se contineant. Quæ sententia facile confutatur; α ex Spiritualibus Beneficiis per Sacramenta Vetera tributis Patribus 1 *Cor.* x. 1. 2. 3. 4. *Rom.* IV. 11. β Phrasibusque iisdem Sacramentalibus ibi adhibitis *Gen.* XVII. 10. *Exod.* XII. 11. 1 *Cor.* x. 4. *&c.* γ nec stabilitur, vel per nomen *Umbrarum*, Veteribus Sacramentis datum cum respectu ad solum Christum ejusque Gratiam *Col.* II. 17. *Hebr.* x. 1. vel per collationem Baptismi ut *Antitypi* cum Diluvio vel Arca, in qua Antitypon non Typo sed alteri correspondenti Antitypo opponitur 1 *Petr.* III. 21. [1] vel *Inutilitate Circumcisionis*, tum absque Fide, tum sub meliori Novi Test. Tempore 1 *Cor.* VII. 19. *Gal.* VI. 15. *&c.* quæ antiquam ejus utilitatem in legitimo usu non tollit.

[1] *Exexc. Text.* XLII. P. V.

Sacramenta nonnulla Vet. Test. Extraordinaria.

V. Sub Veteri Fœdere plura nominantur *Extraordinaria*; quæ ad tempus tantum durarunt, nec rigidissime sumptis verbis sub eadem Definitione cum reliquis fere comprehendi possunt, uti sunt, non *Ejectio ex Paradiso*, aut *Iris*, ad aliud communius Fœdus respiciens, sed *Servatio in Diluvio per Arcam*, *Mansio sub Nube*, *Transitus per Mare Rubrum*, *Usus Mannæ & Aquæ ex Petra*, *Intuitus Serpentis Æneï*, *&c. coll.* 1 *Petr.* III. 21. [2] 1 *Cor.* x. 1. 2. 3. 4. *Joh.* III. 14. [3] In quibus omnibus Convenientiam multiplicem cum Christi adversus peccatorem Gratia facilè observant

vant Practici; dum α *Arca* fuit unicum Salutis Medium, Deo ordinante opera humana paratum ex Terrestri materia, Salutem adferens tutissimam contra Aquas Diluvii, sed paucis Credentibus & Obedientibus, cum quibus varie fuit jactata, *Aquis* ipsis eos quasi purgantibus simul, &c. β *Nubes* à Deo data est, Populo suo, ad ejus Defensionem & Solatium, undique hunc Tegens, & Terrens hostes, &c. γ *Mare* continuit copiam Aquæ purissimæ, transeuntes Liberans Israëlitas, Perdensque hostes, &c. δ *Manna* cœlitus lapsum fuit, Dulce, in Egenorum usum, Colligendum, Contundendum, Non Visum Sabbatho, nec in Canaane, Fastidium in multis pariens, &c. [4] ε *Petra* Firma fuit, Percutienda à Mose, Aquam copiose effundens, quæ sequeretur Israëlem, &c. [5] ϛ *Serpens* denique Species Animalis Maledicti, ex vilissimo sed & firmissimo Metallo facta, sursum Sublata, & Conspecta, à Morsu Serpentis sanavit, &c. Quæ omnia *Mysteria* latius persequi, ac cum aliorum Applicationibus diversis conferre, itemque *Dubia Philologica & Historica* fere innumera exponere, non patitur nunc instituti nostri ratio.

[2] *Exerc. Text.* XLII. P. V. [3] *Exerc. Text.* VIII. P. IV. [4] *Exerc. Text.* XI. P. III. [5] *Exerc. Text.* XII. P. III.

Ordinaria vero Duo potissimum.

VI. *Ordinaria Vet. Test. Sacramenta* plura nominari quoque possunt, si sub hoc nomine latius complecti velimus, & Ceremonias omnes Umbraticas, & maxime Convivia Sacrificialia, quibus juxta Sacerdotes Populus excipiebatur, quæque vulgo ad Sacrificia ob Principalem Scopum referri solent. Interim vulgo cum respectu, α ad primam Insitionem in Ecclesiam, ac Nutritionem in ea, β ad Excellentiam præ reliquis, γ & ad Numerum Sacramentorum Novi Test. similem, non immeritò *Duo* illa dicuntur, *Circumcisio*, & *Pascha*.

Circumcisionis Nomen & Definitio.

VII. Primo loco ponimus CIRCUMCISIONEM, ut prius institutam, & prius quoque adhibendam ante Pascha. Illa sic dicitur quasi Perfecta Abscissio, plane uti sonat quoque Græcorum περιτομὴ, eleganter opposita à Paulo τῇ κατατομῇ Pseudo-Doctorum *Phil.* III. 2. & Hebræorum מולה / sive מילה / cum respondente illi radice gemina מול & נמל. Neque usurpamus vocem illam hic; α *Spiritualiter*, pro Impuritatis Peccati Ablatione, uti fit sæpe *Deut.* X. 16. XXX. 6. [1] *Rom.* II. 28. 29. *Phil.* III. 3. *Col.* II. 11. *&c.* β sed *Corporaliter*, non *Metonymice* pro Circumcisis, ut *Gal.* II. 8. sed *Proprie* pro Actu Circumcisionis. Quomo-

modo breviter definiri poteſt ; *Sacramentum Vet. Teſt. Primum ; quo per Præputii Abſciſſionem, factam Maſculis Abramidis, & Infantibus quidem Die Octavo, Liberatio a Peccato vera per Chriſtum Fidelibus fuit obſignata, & ſimul ipſi a reliquis Gentibus fuere promiſcuè diſcreti.*

[1] *Comm. in Pentat.*

Circumcifionis Inſtitutio Divina, Prima & Repetita.

VIII. Circumciſionem cum annumeramus Sacramentis, *Divinam* ejus ponimus *Inſtitutionem* ; contra profanas eorum hypotheſes, qui vel à Turpi Iſraëlitarum Neceſſitate, vel ab antiquiſſimo Ægyptiorum More, ob fabuloſam & confuſam Hiſtorici Gentilis unius & alterius narrationem, eam repetunt. Quod fit contra α Rationem evidentem ; ϐ Signi Diſcernentis uſum ; γ aliorum Gentilium adverſam Traditionem ; δ denique infallibilem Autoritatem, & Chriſti *Joh.* VII. 22. & Moſis, qui hic Chriſto præit, tum Circumciſionem per ſe iterum datam ac inculcatam ſcribens *Lev.* XII. 3. tum primam ejus ſimul Originem *à Patribus* anterioribus, ſive ab Abrahami ætate, repetens *Gen.* XVII. 11...14 Nec debet inter Utramque Periodum hanc *Circumciſionis* aliud agnoſci *Diſcrimen*, quam quod primum ad familiam Abrahami reſtricta illa, dum alii vere pii non circumciſi degebant, poſtea ſolo Iſraële adoptato Sacramentum Totius Eccleſiæ, adeoque omnibus fidelibus neceſſaria, evaſerit ; temere hodie fingentibus *Recentioribus*, illius quaſi Naturam Mutatam per Moſen, quando demum facta ſit *Jugum*, *Servitutem inferens*, *&c.* dum α Idem verè fuit Signum Externum, β & quidem ſub Excidii Pœna mandatum, γ Eademque Res Signata, δ ad Cultum Ceremonialem, qualis tum à Deo inſtitutus erat, quoque Obligans juxta Moralem ; Legis Ceremonialis augmento ad mutationem Circumciſionis nihil faciente utique.

In Præputio facta illa, & cur.

IX. *Subſtantia Viſibilis* in hoc Sacramento eſt *Præputium*, ſic dictum, vel quod *præ Pudendis* emineat, vel quaſi *ante Putidum*, vel à *Præputando*, vel denique à προπόσθιον, Hebræis ערלה / notans vel *Velationem*, vel *Superfluitatem*, vel *Impedimentum*, Græcis ἀκροβυστία, vel ab *Extremitate Tecta*, vel ſynecdochice & corrupte ἀπὸ τῆς ἀκροποσθίας. Elegit autem hoc ſapientiſſimè Deus ; α *generatim*, ut perpetuò corpori inhærens Signum validius Beneficia & Officia ob oculos poneret ; β & *ſpeciatim*, ut Sapientiam confunderet humanam, Obedientiam ſuorum explo-

ploraret, Pudorem spiritualem doceret, & Corruptionis iterumque Sanctificationis, quæ utraque ex Generatione sed diversa Naturali & Supernaturali fluit, naturam & ortum exponeret.

X. Debebat autem Præputium hoc non ablui, aut qualicunque modo tantum atteri, sed totum plane *Præcidi*, unde dicti ab omni ævo Judæi *Recutiti* & forte etiam *Apellæ*, qui & superstitiose id observant; quo α magis exploraretur Obedientia, β & Modus auferendi plene Peccati per sanguinis fusionem & dolorem exponeretur. Atque hanc quidem sacram operam *Nulli Certo* hominum *Ordini*, perinde ut Ablutionem Baptismalem, alligavit Deus; unde Varietas Personarum Administrantium, qualis primum *Abraham*, suorum tamen potius quam sui ipsius respectu *Gen.* XVII. 23. 24. XXI. 4. & ad exemplum ejus *Patres-familias*, dein verisimiliter *Sacerdotes & Levitæ*, quibus Sacrorum incumbebat Cura, *coll.* 1 *Macc.* 11. 46. tandem & *Alii* quicunque *Circumcisi Idonei* magis, sicut fit hodie apud *Judæos*, & factum olim quoque creditur *Luc.* I. 59. II. 21. Uti verò perperam *Josuæ* in propria persona Israëlis totius Circumcisio tribuitur, ex *Jos.* V. 3. ita rectè à *Mulieribus*, quas non tam propriæ Circumcisionis defectus quam tenerior Affectus minorque peritia hinc arcet, administratam Circumcisionem esse, probari nequit; α vel ex iracundæ *Tsippora* facto, quoad Rem ipsam non repetendam, non vero quod Modum ejus, à Deo probato *Exod.* IV. 25. 26. [2] β vel ex historia *Mulierum sub Antiocho*, quæ ipsæ circumcidisse non dicuntur, nec si id factum foret hoc nomine laudantur 1 *Macc.* I. 63. *Instrumentum* porrò in hac Præcisione adhibendum in prima Institutione non fuit determinatum; nec probari potest ex adhibita voce צר / *Exod.* IV. 25. [3] & חרבות צרים / *Jos.* V. 2. 3. debuisse *Cultrum* præcise esse *Lapideum*, qualis tamen etiam esse, specialemque sic ad Christum Lapidem relationem habere potuit, dum vox illa omnem *Aciem* alias notat *Psal.* LXXXIX. 44. & ratio appellationis peti etiam potest à Cote, qua Novaculæ poliuntur.

Id erat Abscindendum. A Quo abscissio debuerit fieri. Et quo Instrumento.

[2] *Exerc. Text.* IV. P. V. [3] *Ibid:*

XI. Atque sic fieri voluit Deus. 1. *Viris*, non *Fœminis*, utpote incapacibus, & lege exemptis *Gen.* XVII. 14. contra quam per analogiam quandam agunt hodie *Æthiopes*, & egerunt olim quidam, secundum *Ambrosium*, *Ægyptii*. Qualis Signi, quod in

Administranda fuit Circumcisio Viris, non Fœminis. Et quidem

Posteris Abrahami. Qui necdum Circumcisi erant prius.

solis obtineret viris, electio à Deo facta est, non ob Propagationem Peccati per solum Virum, aut Sexum Masculinum à natura intentum, aut Marem solum Generationis Principium Activum, aut rationem Masculi in Mente humana, aut Christi ex Fœmina nativitatem, &c. qualia legas apud *Scholasticos* aliosque; sed ad α notandam Oeconomiæ istius Imperfectionem, β Fœminarumque sub Viris comprehensionem, & γ excludendam absolutam Sacramenti in singulis Necessitatem. Interim *Fœminæ* à Fœdere Dei & Gratia propterea non fuerunt *exclusæ*, contra generalem textum *Gen.* XVII. 7. & loca specialia *Luc.* XIII. 16. *Hebr.* XI. 11. 1 *Petr.* III. 6. *&c.* sed omnino *pro Circumcisis* habitæ, *coll. Exod.* XII. 48. *Gen.* XXXIV. 14. *Jud.* XIV. 3. *&c.* 2. *Posteris Abrahami*; tum α *Solis*, ut Circumcisio *Ægyptiorum*, *Colchorum*, *Æthiopum*, *&c.* vel ex inutili Imitatione Abramidarum fuerit orta, vel ad quosdam ex Sanguinis Nexu cum Abrahamo fluxerit, quem ad modum de suo ex Salomone Ortu fabulantur *Æthiopes*; β tum *Omnibus*, etiam *Ismaëlitis*, *Cethureis*, *Edomitis*, *&c.* in quibus tamen post rejectum ipsum Dei Fœdus ejus Sacramentum non amplius valuit. Interim ad Posteros Abrahami refer; α omnes *Servos*, sive Emptitios sive Vernas, Abrahami *Gen.* XVII. 12. 13. β omnes, qui Israëlis reipublicæ ut *Proselyti*, non *Portæ* tantum, sed & *Justitiæ*, fuerunt insiti, ad præfigurandam futuram Gentium Vocationem; ut nequaquam liberum fuerit *post Tempora Mosis* veris veri Dei Cultoribus negligere *Circumcisionem*, uti ob silentium perperam putant *Universalistæ*. 3. Et his quidem, qui *Necdum Circumcisi* erant; *Repetitione* actus naturaliter *Impossibili*, nec propterea admittendâ *Jos.* V. 2. ubi manifeste repetitio exponitur de solenni Populi in Deserto nati & ob molestiam itineris non Circumcisi, post prioris populi Circumcisi mortem, Circumcisione *vers.* 4. 5. 6. 7.

Cur Circumcidendus etiam fuerit Christus.

XII. Juxta Legis hujus tenorem debuerunt itaque Parentes *Christi* hujus *Circumcisionem* curare quoque, nisi monitione Divina id interdiceretur. Quod non contigit, volente Deo, ut Sacramenti hujus particeps quoque foret Filius, non ob *Peccatum ejus proprium* aliquod, aut ad *Perpetuitatem* Signi hujus exprimendam; sed α tum *generalius*, ad docendam Veritatem Naturæ Humanæ, Ortusque ex Abrahamo, & Scandali Ablationem, β tum *Specialius*, ad notandam Unionem cum Circumcisis,

sis, Ceremoniarum Sublationem, Necessitatem Sanctificationis, ejus sub Lege Subjectionem, Sanguinis Effusionem pleniorem secuturam, denique & ad Obsignandam ipsi Populi, promissi ac corpus ipsius constituentis, Mundationem à Peccato.

XIII. Tempus ceremoniæ hujus secundum Legem fuit; α in *Adultis* momentum Transitus solennis in Dei Fœdus, exemplo Abrahami, Ismaëlis, Servorum, & Proselytorum; β in *Parvulis* verò *Dies* à nativitate *Octavus*, ducentibus illuc, præter Mandatum, Exemplis *Gen.* XXI. 4. *Luc.* I. 59. II. 31. *&c.* in quibus ὀνομαθεσίαν tum quoque factam reperimus. Ratio determinationis hujus *non* est plane *ignota*, neque *omnis illa* quæ hic adduci solet à *Veteribus* & *Recentioribus*, quod Christus sc. Octavo Die esset Resurrecturus, quod Sabbathum ad Fœderis Sanctificationem debuerit intercedere, quod Circumcisio vera post Septem hujus vitæ Dies sit futura, quod Anno Octavo usus Rationis accedat, &c. sed *Triplex* potissimum; α *Naturalis* Infantum *Imbecillitas*, haud citius parium sustinendo alteri huic dolori, *coll. Gen.* XXXIV. 25. β *Impuritas Legalis* eousque durans *Lev.* XII. 2. 3. *Exod.* XXII. 30. γ *Necessitas* ad obsignanda teneræ ætati etiam Dei Beneficia, sed *Non Absoluta* ad illa operanda, cum de Infantium prius ante Octavum Diem mortuorum omnium Salute dubitare non liceat, ob generale Fœderis Divini promissum, ipsorumque à Contemptu Sacramenti Immunitatem, uti neque de Beatitate Suffocatorum à Pharaone, Mortuorum in Deserto, Exstinctorum ab Antiocho & Herode, &c. contra quam *Scholastici* & *Papistæ* plures statuunt. Uti verò non licuit *anticipare* eum diem, intuitu *Periculi* mortis, aut *Mortis* ipsius, quod utrumque agunt hodie *Judæi*, Mortuos etiam Infantes in Cœmiterio circumcidentes; ita non debuit differri, ob alias occupationes, aut Sabbathicam Quietem *Joh.* VII. 23. licet factum id sit ob Necessitatem Itineris Molesti in Deserto *Jos.* V. 5. & recte fiat id hodieque à Judæis ob notabilem Ægritudinem, misericordiam præ sacrificio diligente Deo, & dilata Circumcisio, cum tandem fit, Sigillum Fœderis, Deoque in se grata, esse non desinat, *coll. Exod.* IV. 26 [1].

Tempus Circumcisionis parvulorum Dies Octavus à Nativitate.

[1] *Exerc. Text.* IV. P. V.

XIV. Hunc tandem ritum severissimè Deus præcepit, addita Comminatione *Excidii Animæ ex Populo* adversus trangressores *Gen.*

Comminatio addita Excidii Animæ ex populo exponitur.

Gen. XVII. 14. [z] Quam Pœnam, indubie gravissimam, hic & alibi exponimus; non de *Supplicio Capitali*; aut *Excommunicatione Ecclesiasticâ*; aut *Morte* θεηλάτῳ, aut *Obitu Præmaturo*; aut ἀτεκνίᾳ; aut Excidio Æterno immediate; aut de Pœna Divina & Humana, & hac & illa simul, sive in iisdem sive in diversis locis, &c. quæ tamen omnes opiniones suos Autores suaque Argumenta habent. Sed de *Exclusione à Dei Fœdere*, cum *Judæis* & *Christianis* doctissimis; α secundum sensum *Phrasium similium Psal.* LXIX. 29. *Ezech.* XIII. 9. *Apoc.* XIII. 8. XXII. 19. *&c.* ϛ vim *Comminationis*, vel *Impersonaliter* vel *in Prima Persona* propositæ, sic exhaustam; γ *Mali* sic significati *Gravitatem & Accommodationem* ad violati Fœderis reatum; δ *Malorum* denique Variorum, imo Omnium, ex hac Exclusione *sequelam*. Nec valent quicquam *Objectiones*; α à secutura sic *Sanctorum Apostasia*, cum Exclusio à Fœdere interiorem ejus communiorem præcedentem non inferat magis, quam Deletio ex Libro Vitæ veram Dei Inscriptionem; β à *Varietate Delictorum*, & quorundam *Levitate*, quibus Pœna hæc additur, cum omnia mereantur sua natura Gratiæ Dei Abruptionem, & in Damnatione eam sequente dentur Gradus; γ ab *Excidio* dicto fieri *in Oculis Populi*, quod ad demonstrationem ejus consequentem, Divinam & Humanam, potest referri; δ à vocis *Excidii* latiori usu, quam solam hic non spectamus, sed integram phrasin. Isthæc verò Comminatio *non* spectat ad *Infantes*, nisi postquam adolevissent, uti *Veteres* aliique ex additione inepta *Versionis* LXX. *Viralis & Samaritana* voluere, sed *Adultos*; α ob phrasin activam, *qui non circumciderit*, ad Contemptum potius quam ad Neglectum respicientem; β ob rationem additam *Violati Fœderis*, non cum Adamo erecti, sed Circumcisionis, non passive tantum sed & activè; γ ob exemplum *Mosis puniti*; δ ob *gratiam* nimis indefinitè *Semini Abrahami* promissam, quam ut hac Parentum culpa everti potuerit; ε denique ob naturam *Comminationis omnis*, quæ semper aut plurimum ad intelligentes directa est, ut hi terreantur.

[z] *Exerc. Juven. Disp.* I. & II.

Res Significata Circumcisionis.

XV. *Ceremonias inutiles*, à *Judæis* ad Circumcisionem additas plures, hic mittimus, & ad explicationem *Rei Signatæ* progredimur; quæ est *Gratia Fœdere* promissa *Gen.* XVII. 11. tum *Justificationis* scilicet *Rom.* IV. 11. tum *Sanctificationis Deut.* XXX. 6 [a].

6. [1] *Rom.* II. 28. 29. *Col.* II. 11. *&c.* Quæ quo pacto hic significata fuerit, non uno modo ostenditur. Simplicissimè vero *Præputium* repræsentat hominis *Impuritatem*, secundum vim vocis antea expositam, & frequentem *Præputii Cordis & Membrorum* mentionem *Lev.* XXVI. 41. *Deut.* X. 16. *Jer.* IV. 4. VI. 10. IX. 26. *&c.* quæ uti à Nativitate ipsi adhæret, ita Abscissione dignum illum facit, & omne Salutis proprium Meritum tollit; quæ gratiose removenda per αἱματεκχυσίαν Christi, & dolorem illius simul & hominis resipiscentis; quæ denique non adfutura in Semine Promisso, sancto inde à nativitate, &c. Quamquam etiam dici possit, analogiam habuisse quandam ipsum *Christum* cum *Præputio Abscisso*; dum venit in Similitudine Carnis Peccaminosæ, ipse à Corpore Gentis abscissus fuit, & quidem cum Sanguinis fusione, ad Mundationem populi sui, &c.

[1] *Comm. in Pentat.*

XVI. Unde facile ceremoniæ hujus liquet *Finis*; quem multiplicem gratis fingunt *Judæi*, Carbunculi sc. Aversionem, Corporis Puritatem, Superflui à corpore Resectionem, Fertilitatem majorem, Imminutionem Libidinis, &c. nos vero credimus, α *Minus Principalem*, populi Judaici à Gentibus distinctionem perpetuam, β *Principalem* verò, tum inculcationem Miseriæ Naturalis, tum Obsignationem Liberationis ex ea per Christi Sanguinem & Spiritum, tum Obligationem majorem ad veram Sanctificationem & Officia omnia Deo grata, *Deut.* X. 16. *Jer.* IV. 4. *&c.* Ejus Finis varius.

XVII. Tandem circa *Durationem* hujus Sacramenti notandum est, contra *Judæos*, *Muhammedanos*, *Cerinthianos*, *Ebionitas*, *Samosatenianos*, *&c. non* debere eam *ultra Tempora Veteris Test. extendi*. Uti facile id demonstratur; α ex apertis Novi Test. locis *Act.* XV. 10 [2] 1 *Cor.* VII 19. *Gal.* V. 2. 3. 4. 6. *&c.* quæ sic quædam proximè & immediatè ad Gentiles spectant, ut omnino ad Judæos rectè quoque per consequentiam referantur; β ex textibus Veteris Test. quibus Legis Ceremonialis Abolitio generatim prænunciata est, uti *Jer.* XXXI. 31. 32. *coll. Hebr.* VIII. 7. γ ex Natura atque Institutione prima Circumcisionis, ut datæ *in seculum*, & *in generationes Abrahamidarum*, etiam onerosæ per se, distinctionem populorum inferentis quæ sub Novo Test. cessare debebat, præfigurantis effundendum adhuc Christi Sanguinem, &c. Neutiquam debet Circumcisio durare sub Novo Test. Nec potest probari praxis Æthiopum.

&c. Nec valent Objectiones, vel generales, propositæ *Cap.* XI. §. XXI. vel speciales; α ex *Circumcisionis* derivatione à *Patribus* ante Mosen *Joh.* VII. 22. quæ non magis hanc quam alias quæ tunc quoque viguerunt Ceremonias Moralem reddit; β ex *Æternitate*, pari cum Fœdere ipso, illi adscripta *Gen.* XVII. 7. 13. quæ vox pro subjecto vario varie merito explicatur, ipso speciali Fœdere cum Abrahami Posteris solis haud etiam absolute sic æterno ut semper excluderentur Gentiles; γ ex *Prædictionibus* expressis *Jes.* LII. 1. *Ezech.* XLIV. 9. quæ vel Ecclesiæ immunitatem ab oppressione hostium impurorum, vel Sanctitatem Ecclesiæ internam & externam stylo allegorico notant, *coll. Exod.* VI. 11. 29. *Jer.* VI. 10. *&c.* δ tandem ex *Observatione ejus sub Initiis Novi Test.* in Judæis, & *Timotheo* ipso, *Act.* XXI 21. XVI. 1. 3. &c. quæ ad tempus plenè intellectæ Libertatis tantum durare debuit, & ad juvandos infirmos facta est, hinc *Tito* non circumciso *Gal.* II. 3. 4. 5. Adeo ut hic eadem, quæ in Lege Ceremoniali Tota, attendi debeant Momenta, Circumcisionis; α Vigidæ, β Languidæ, γ Mortuæ, & δ Mortiferæ. Quod postremum Tempus cum jam per plura secula adfuerit; α exulare debet paradoxon de Circumcisione Mansura sub finem Novi Test. in Israëlitis Conversis, qui utique sic ab onere gravi non vere liberi forent; β & damnari simul praxis *Æthiopum Christianorum*, qui in *Signum Politicum* suæ *Nobilitatis*, confictique ortus Regis sui *ex Salomone per Maquedam*[z], Circumcisionem hodieque juxta Baptismum adhibent, α contra Interdicta jam adducta generalia, β sic Signo olim sacro abutentes, γ & in Carne magis quam decet gloriantes, δ & scandalum manifestum Christianis ponentes. Absit interim, ut Legem Circumcisionis, tanquam per se Malam, aut Alterius Dei, cum *Manichæis* rejiciamus, aut utilem ejus Instructionem sub Novo Test. tollamus.

[z] *Exerc. Text.* XL. P. V

Paschatis Nomen & Definitio.

XVIII. *Alterum* Vet. Test. *Sacramentum* dicitur PASCHA; voce Originis, non Græcæ ἀπὸ τοῦ πάσχειν, uti statuerunt vel forte verius huc alluserunt varii Patres, ob Præfigurationem Passionis Christi, & hujus circa Paschatis tempus solennem inter Christianos memoriam, sed Hebrææ à פסח / quod non simpliciter *transire*, sed potius *transilire*, *saltare*, hinc etiam *claudicare*, notat, 1 *Reg.* XVIII. 21. 26. 2 *Sam.* IV. 4. *&c* adeoque nos ducit directe, non ad Transitum Israëlis per Mare Rubrum, aut ad Transitum

itum Angeli per terram Ægypti, uti sic *Veteres* statuerunt plures, sed ad Præteritionem Domuum Israëliticarum in Ægyptiorum strage, docente id contextu & constructione cum עַל / & oppositione τῦ עבר / *Exod.* XII. 12. 13. 27. Hebraicè pronunciatur *Pesach*, Chaldaice *Pischa* & *Pascha*, Syriacè *Petscho*, in qua voce alludi quoque potest ad Hebræorum פסח / *diffringere*, & Syrorum פסח / *exultare*, adud *Josephum* φάσκα, & Græce magis ὑπερβάσια, sicut apud *Philonem* διαβατήρια, apud *Theodotionem* φασὲχ, apud LXX. promiscuè φασὲκ & πάσχα, apud *Hieronymum* & *Vulgatum* sæpius *Phase*, Græce vero & Latine vulgò ex emphatica Chaldæorum terminatione *Pascha*. Atque notandum est amplius, sumi vocem; α modo prò ipsa Angeli *Transilitione*; β modo pro *Festo* in ejus memoriam celebrato *Matt.* XXVI. 2. *Joh.* VI. 4. γ modo pro *Agno* mactando *Exod.* XII. 21. *Marc.* XIV. 12. *&c.* δ modo, ut hic, pro tota *Sacramentali Ceremonia Num.* IX. 2. 2 *Chron.* XXXV. 1. *&c.* Quo sensu hic definitur; *Sacramentum Vet. Fœderis alterum, in quo Pecudis Integræ Masculinæ & Annuæ, Segregatæ primum, dein Mactatæ, & Assatæ, Manducatione, facta ab Israëlitis, Mensis Primi Die Decima Quarta exeunte, in memoriam iis revocabatur Beneficium Transilitionis in Ægypto & junctæ Liberationis, simulque fidelibus obsignabatur Liberatio à Morte & Servitute Satanæ per gratiam Christi, sub Novo Test. similiter mactandi.*

Institutio Paschatis Divina.

XIX. Sacramenti hujus *Institutio* legitur facta ipso tempore *Exitus ex Ægypto*, quando Ultima Nocte mox etiam Primum Pascha fuit habitum *Exod.* XII. 3. 28. Tunc enim facta est demum Transilitio, cujus erat Occasio & dein Memoriale; & paulatim clarius Gratia Euangelii manifestata est, antea paucis Promissis Generalibus comprehensa, uti indubiè major Christi in Paschate, quam in Circumcisione, est adumbratio. Neque in hoc Sacramento ulla postea est *Essentialis* facta *Mutatio*; dum tamen alius ejus cum ipso Populo fuit Locus, & paucæ quædam Circumstantiæ Temporariæ desierunt. Ut consequenter rationem Servitutis & Oneris durioris post μοσχοποιίαν hæc non acceperit.

Substantia Visibilis fuit parva Pecus. Cujus specialia Requisita adduntur. Et ad quam Bos à nonnullis gratis adjicitur.

XX. *Substantia Visibilis* hic fuit שה / *Pecus* parva, ex *Ovibus* potius, sed & ex *Capris*, secundum Legem disjunctivam *Exod.* XII. 5. & generalem vocis notionem *Deut.* XIV. 4. dum alii perperam volunt, vel Utramque Speciem Pecudis in Paschate fuisse jungendam, vel Agnum tantum adhibitum ex communi Ovium

& Caprarum grege sumptum, mysterium Christi mansuetissimi ex communi hominum mixtura orti hic quoque quærentibus *Veteribus*. Cujus Animalis electio generatim à Deo facta est; α ob ejus *frequentiam*; β *accommodationem* ad familias singulas; ac γ laudabiles *qualitates*, verè in Antitypo adfuturas; non verò adeò, ut nugantur *Judæi*, ad detestationem Idololatriæ Ægyptiorum, in specie Arietis Jovem colentium, aut ad docendum, virtute Cœlestis Signi Arietis non exivisse ex Ægypto Israëlitas. Atque in hac Pecude requisivit Legislator Tria; α ut esset *Integra*, absque vitiis recensitis *Lev.* XXII. 22. 23. 24. ad quæ plurima in singulis Membris alia addunt Judæi, quod Sacrificiis omnibus commune fuit; β *Generis Masculini*, ob hujus Præstantiam, & majorem alterius Sexus Usum mansurum; γ & *Annicula*, quod intelligendum de ea Ætate circiter impleta, absque consideratione exigui Defectus vel Excessus, non vero simpliciter de *Anno Primo Currente* inde ab Octavo nativitatis Die ad illius præcisum terminum, sicuti ex Lege Impuritatis frustra concludunt Judæi *Exod.* XXII. 30. *Lev.* XXII. 27. Quos verò ad parvam hanc Pecudem addunt *Boves* Paschales, sive *Judæi* quidam, in usum majorum Familiarum, sive *Christiani* etiam multi, ad Repetitionem Paschatis Secundo Azymorum Die, quorsum & trahunt verba *Joh.* XVIII. 28. hos nos non reperimus textibus adduci solitis *Deut.* XVI. 2. 2 *Chron.* XXXV. 7. 8. 9. dum in posteriori expresse Oves Paschales & Boves distinguntur, & in priori, vel per *Pascha* Tempus ejus ellipticè innuitur, vel potius Tria hæc, פסח / צאן / & בקר / à se invicem distinguuntur. Quamquam sit certum, ad Sacrificia & Convivia in Festo Paschatis plures quoque Boves mactandos & mactatos fuisse.

Ritus Quintuplex in Pecude mandatus.

XXI. *Ritus*, circa Pecudem adhibendus, observatur *Quintuplex*; fuitque α *Separata Custodia per Quatriduum*, ut in tempore esset parata, de ejus integritate bene constaret, & solenniter ad hoc opus sanctificaretur; β *Mactatio*, ut sanguis emitteretur, de cujus modo ex voce שחט / difficile est judicium, nisi derivetur per transpositionem ex שטח / *expandit*, quo modo factam heic Mactationem volunt Judæi, dum certò ex Lege constat, Os Nullum fuisse Frangendum *Exod.* XII. 46. γ *Sanguinis Aspersio*, non ad limen inferius & contemptius, sed ad *Superliminare & Postes Ædium*, facta *Fasciculo Hyssopi*, ut sic ille Domino veluti consecra-

cra-

craretur, & ejus intuitu transiliret Angelus Percussor; δ *Assatio*, opposita tum *Cruditati Nimiae*, significatae voce נא / tum *Coctioni in Aqua*, *Exod.* XII. 9. *coll.* 2 *Chron.* XXXV. 13. ne nimis festinanter aut minus delicate comederent, in cujus *Assationis Modo* per Suspensionem in Transfixo Veru ligneo similitudinem etiam cum Cruce Christi quaerunt *Veteres*; ε *Manducatio* denique, ad quam reliqua omnia tendunt. Quae debuit esse, α *Integrae* Pecudis, ut *nihil efferretur foras*, vel *servaretur in crastinum*, potius igne comburendum, uti in Eucharisticis aliis, *Lev.* VII. 15. XXII. 30. β jungi *cum Panibus Azymis*, quorum usus per plures dies extendebatur, & *Amaritudinibus*, quarum species minus nota est; γ fieri ab *Accinctis*, *Baculo Instructis*, & *Calceatis*, ut praeparati essent ad instans iter, *Domi* tamen *se* ob Percussionem Angeli *Continentibus*, usque ad mandatum ex Ægypto Exitum. Hos vero *Ritus*, licet non desint qui omnes *Perpetuos* esse volunt, ex *Num.* IX. 3. nos omnino credimus quosdam fuisse *Temporarios*, & ad Primum forte Pascha restrictos; uti est α probabiliter *Separatio Quatriduana*, ex *Matt.* XXVI. 17. & *Joh.* 11. 13. 14. β certo magis *Sanguinis Aspersio* ad Fores aedium, cui successit Altaris Aspersio 2 *Chron.* XXX. 16. XXXV. 11. γ & *Manducatio cum Habitu Inter Ingressurorum*, *absque ullo Exitu ex aedibus*, ex *Matt.* XXVI. 20. 30 Uti haec fuisse Temporaria, ex mandati ratione cessante post exitum in Canaan, evidens quoque est.

XXII. *Personae*, Ritus hos peragentes, variae fuerunt pro Horum varietate. Incubuit enim; α Separatio *singulis Patribus Familias*, nisi plures ob exiguum domesticorum numerum se jungerent; β Mactatio *Iisdem Exod.* XII. 6. *coll.* 2 *Chron.* XXX. 17. *Hezr.* VI. 20. uti & in aliis sacrificiis id obtinuisse multi volunt ex *Lev.* I. 3. 4. 5. III. 2. IV. 24. γ Aspersio Altaris indubie *Sacerdotibus*, qui soli prae aliis erant Altaris ministerio dicati; δ Assatio iterum *Domesticis* Israëlis, coctionis peritis; ε Manducatio denique *Israëlitis* omnibus, & qui suscepta Circumcisione ad eos accedebant *Exod.* XII. 47. 48. non exclusis *Foeminis*, quae ad Israëlis Coetum pertinuerunt, pro Circumcisis fuerunt habitae, multae, non obstante sola de Viris Lege *Exod.* XXIII. 17. ad Festa quoque ascenderunt *Luc.* II. 41. & de Sacrificiis aliis etiam participarunt *Num.* XVIII. 11. 19. 1 *Sam.* I. 4. 5. 2 *Sam.* VI. 18. 19. imo nec *Infantibus*, qui per aetatem comedere jam poterant *Exod.* XII.

Personae quibus Ritus hi mandati.

XII. 26. sed tantum *Immundis*, ac longinquo *Itinere Impeditis*, qui casus solus ab *Excidii* pœna denunciata hic eximebat *Num.* IX. 13.

Locus habendi Paschatis.

XXIII. *Locus* Paschatis habendi primum fuit *Ægyptus*, dein *Desertum* Anno Secundo *Num.* IX. 4. & *Gilgal Jos.* V. 10. post introductionem vero pleniorem in Canaan *Sedes publica Divini Cultus Deut.* XVI. 2. 5. 6. & meritò, cum ad solennem Dei Cultum pertineret, Concordia sic etiam esset servanda, atque Passionum Christi locus sic clarius exprimeretur. Quod tamen ita non putamus debere accipi, sicuti statuunt multi Viri Doctissimi, ac si *alibi*, in Ædibus populi privatis, vel Jerosolymis, vel in terra Judæa, *illicitum* plane fuisset *Pascha mactare & comedere*; sed verius, ut *Publica Festi Celebratio*, atque *Agnorum* illorum *Mactatio*, *quorum Sanguine conspergebatur Altare*, in *Templo* fieri debuerit. Quo nos ducit; α Paschatis Usus, ad Israëlem universum extensus, dum Senes, Fœminæ, Pueri, &c. omnes Jerosolymam ascendere non potuerunt, nec hic Ascensus sub Excidii pœna usquam est mandatus, uti Paschatis Usus *Num.* IX. 13. β Loci in Templo, ad tot Agnorum Mactationem, Insufficientia; γ Temporis ad mactandum statuti Brevitas accedens; δ præter expressa satis *Philonis Judæi* testimonia. Dubium verò non est, quin quæ alibi mactabantur & comedebantur Pecudes Paschales, per Mactatas Jerosolymis in Templo fuerint Deo Consecratæ.

Paschatis habendi Mensis. Dies. Et Hora Pomeridiana. Ubi de Translationis Festorum Judaicæ Antiquitate agitur.

XXIV. *Tempus* Ceremoniæ hujus fuit. 1. *Mensis Primus Anni*, non Politici & Veteris, sed *Sacri*, in Exitu de novo instituti, dictus אביב / *Abibh*, ad aristis virentibus quæ in terris illis tunc nascuntur, & Chaldæis ניסן / *Nisan Neh.* II. 1. *Esth.* III. 7. sive à נוס / *fuga* Israëlitarum, sive à נסין / *vexillis* erigendis, quod ad mensem *Martium*, sic propterea apud Latinos quoque dictum, pertinet. Cui tamen Mensi *Secundus* additus est, in gratiam *Impurorum* & longius *Absentium*, à Regione verius quam ab Urbe Jerosolyma *Num.* IX. 10. 11. 2. *Dies Decimus Quartus*, à Novilunio exiens, sive XV. iniens. Quem *bifariam olim* fuisse, vel in ipsa Terra Israëlis, vel ibidem & in Ægypto, *computatum*, sc. à Συνόδῳ & Φάσει Lunæ, ut *Duo* observati Paschatis fuerint *Dies*, uti ponitur à nonnullis ad Dubia Euangelica circa Pascha Christi θανάσιμον tollenda; ita haud confirmatur satis ex Conviviis Neomeniarum per Biduum 1 *Sam.* XX. 24. 27. & adversum videtur stabili totius Anni inter Judæos, in primis Jerosolymitanos, Or-

Ordini. 3. *Pomeridiana Pars Diei*, dicta *inter Duas Vesperas*; uti tempus non inter Occasum Solis & Lucis Defectum, sed inter *Solis Descensum & Occasum*, vocant juxta Hebræos etiam Græci, & lex hæc à Judæis quoque explicatur de Pomeridianis Horis mactationem Sacrificii Jugis secutis, sive à Tertia ad Quintam, sive pluribus. Quando adhuc assari debebat Agnus, ut ineunte Nocte Diei xv. comedi posset. Disputatur vero hic inter Eruditos, an *Translatio Festorum*, adoque & *Paschatis* secundum *Canonem* גרו / ad vitandum proximum Festi Diei cum Sabbatho Concursum, ob quietem rigidam molestissimum, quæ à pluribus jam seculis inter Judæos fuit recepta, etiam *Christi tempore* obtinuerit, sive simpliciter sive ope Intercalationis. Quod *negant* multi, ob α autoritatem adversam *Talmudicorum*, ϐ nullamque rei *à Christo* factam *redargutionem*; nos verisimiliter potius cum aliis putamus *affirmandum*, α tum ob probabilia quædam indicia, in *Targum* & apud Judæos in *Chronico* occurrentia, β tum ob Molestiam perpetuam in illo Concursu, collatam cum Corruptione à Pharisæis tunc introductâ, γ tum ob *Emortuale Christi Pascha*. Quod α & verè θύσιμον fuit, non mere μνημονευτικὸν, uti absque indicio ullo & contra omnem speciem fingit *Grotius*, ϐ & habitum *Pridie Paschatis Judæorum*, secundum loca apertissima *Joh*. XIII. 1. XVIII. 28. XIX. 14. 31. rationemque à Judæorum Judiciali occupatione, Josephi item & Mulierum cura circa Cadaver, contra quæ gratis objiciuntur loca *Joh*. XVIII. 39. *Matt*. XXVI. 17. *Marc*. XIV. 12. *Luc*. XXII. 7. & rationes à publica in Templo Mactatione à Judæis ante tempus non concedenda, Offensione Discipulis & Hospiti sic data, Accusatione à Pharisæis hac de re non facta, &c. γ & *ante tempus Lege statutum perperam* à *Græcis* dicitur à Christo, illi utique perfectè subjecto, *habitum*; δ haud repertâ ullâ magis probabili dilati à Judæis Paschatis causa, quam *Translatione ob sequens tunc Sabbathum*.

Quæstio de Pedumlotione, & Cœna ἀπολυτικῆ tangitur. Et Pascha Sacramentum simul & Sacrificium fuisse, vario respectu monstratur.

XXV. Mittimus hic *Ritus Humanos* Judæorum, quos Philologi exponunt, horumque *disputationes*; tum de α *Pedum Lotione Joh* XIII. 4. an ea *Ordinario* à Judæis *in Festo Paschatis* fuerit adhibita, uti colligitur à multis ex *Luc*. VII. 44. XI. 38. & *Canonibus Judæorum*, an verò factum Christi fuerit *Extraordinarium*; β tum de *Cœna Altera* post Paschatis esum ἀπολυτικῆ, an ea *vulgo obtinuerit*, & à Christo in Novum Sacramentum mutata tantum sit,

an

an vero Paschatis Esu facto à Saturis, juxta Judæorum traditionem, *finis mensæ sit impositus vulgo*. Et decidimus potius quæstionem magis Theologicam, de *Paschate*, an *Sacrificiis*, an *Sacramentis*, an *Utrisque* annumerari debeat; quod postremum nobis placet, cum *Agnus* hic ita *Homini ad Esum* ejus fuerit concessus, ut simul α habeat nomen *Sacrificii*, זבח / & *Oblationis*, קרבן / *Exod.* XII. 27. *Num.* IX. 7. 13. *&c.* quod plusquam simplicem *Mactationem* hic dicit, β revera fuerit *Deo oblatus Sanguis*, juxta Adipem forte & Viscera *Exod.* XII. 7. XXIII. 18. 2 *Chron.* XXX. 16. XXXV. 11. *coll. Lev.* XVII. 6. γ & tandem maximè insignis *Sacrificii veri Christi Typus* fuerit. Adversus quæ à multis aliter statuentibus gratis objicitur; α *Differentia* formalis Sacrificii & Sacramenti stricte dicti, cum in Paschate plures Actus distinctissimi concurrant; β Sacrificiorum ad *Sacerdotes Aharonicos & Templum* alligatio, cum hanc generatim in Paschate quoque observemus, nec ratione singulorum Agnorum ob generalem populi usum illa hic obtinere potuerit; γ *Sacrificationis in Ægypto Interdictum Exod.* VIII. 26. cum mandatum faciendi Paschatis tum necdum accepisset Moses, nec ad interdictum aliquod Dei, sed ad periculum ab Ægyptiis imminens, ibidem respiciatur.

Significatio Paschatis distincte enucleatur.

XXVI. Nunc verò *Res* ritu hoc externo *Significata*, fuit quidem Securitas & Lætitia ex *Transilitione Israëlitarum* in cæde Ægyptiorum, & consequente ex Ægypto Liberatione orta olim *Exod.* XII. 27. XIII. 8. sed simul Beneficium Spirituale, *Liberationis à Morte* promerita, & à præsenti *Servitute Satanæ*, per Christum fidemque in eum. Ubi institui potest & debet collatio. 1. *Agni*, cum *Christo*, qui sub appellatione semel *Paschatis nostri* 1 *Cor.* V. 7. sæpius *Agni* venit *Jes.* LIII. 7. *Joh.* I. 29. 36. 1 *Petr.* I. 19. *Apoc.* V. 6. *&c.* Et recte, cum ipse α instar *Agni*, debilis, innocens, mansuetus, utilissimus, multique seminis parens fuerit; β instar *Agni Paschalis*, integer vitæ scelerisque purus, masculus sexu & robore, adultus ætate virili cum mactaretur. 2. *Rituum* α *Separationis Quatriduanæ*, cum Communi Christi hominumque aliorum Natura, Distinctione à Peccatoribus, Destinatione æterna, Prædicatione publica Quadriennii currentis, Ascensione Jerosolymitana aliquot ante passionem diebus, *coll. Joh.* XII. 1 *Matt.* XXVI. 2. β *Mactationis*, cum Effusione Sanguinis Christi, facta potissimum in Cruce, abs-

absque Ossium Fractione solita *Joh.* XIX. 35. 36. γ *Aspersionis Sanguinis*, eum Oblatione ejus Deo facta, animique & corporis nostri per hunc Lustratione *Hebr.* X. 22. 1 *Petr.* 1. 2. δ *Assationis*, cum Consumptione Christi per Zelum proprium, Ignemque Divinæ Iræ fervidissimum; ε *Manducationis* denique mandatæ, cum necessaria Meritorum Christi Apprehensione & Applicatione per Fidem, quæ & ad integrum Christum se debet extendere, fierique cum animo puro & sincero, inter angustias hujus vitæ, cum abjectione impedimentorum cœlestis itineris, promptitudine currendi, constantia, & mansione in familia Dei, &c. 3. *Personarum*; α *Separantium*, cum Judæis hinc rejicientibus, & omnibus inde Christianis, in pretio Jesum habentibus ac extollentibus; β *Mactantium*, cum Judæis & Sacerdotibus trucidantibus, quin & omnibus Fidelibus idem agentibus per peccata sua; γ *Assantium*, cum Peccatoribus Christum cruciantibus, ignemque Divinæ iræ incendentibus; δ *Aspergentium*, cum Jesu vero Sacerdote, sanguinem suum Patri offerente & nobis applicante, Nobisque omnibus, per virtutem ejus idem agentibus; ε *Comedentium* denique, cum omni Populo Electo, ex Judæis & Gentibus fraterne inter se viventibus, absque discrimine sexus, ætatis, & conditionis, &c. 4. *Loci*, mactati & manducati Agni; tum cum urbe *Jerosolyma*, ubi trucidatus est Dominus; tum cum *Ecclesia* vera ubique dispersa, ubi per Fidem comeditur. 5. *Temporis*, cum Novi Anni gratiæ per Christum adducti initio, Plenitudine Temporis tum præsenti & gratiæ hinc fluxura, Mundique appropinquante Vespera; præter literalem Mensis, Diei, & Horæ, in Christo adimpletionem. 6. Denique *Beneficiorum* Transilitionis, & juncti Exitus, cum Liberatione per fidem in sanguinem Christi à Morte æterna incredulo mundo infligenda, & à multiplici Servitute, exposita *Cap.* XXVIII. §. XX. XXI. Quæ omnia latius hic persequi, aut doctis aliorum collationibus augere, jam non licet; estque vere specimen hoc breve sufficiens.

XXVII. Vix est necessum, ut post hæc de *Fine* Ceremoniæ aliquid amplius dicamus; qui scil. est, α *Principalis*, Beneficii Præteriti Corporalis Memoria, & Futuri Spiritualis Obsignatio, β *Minusque Principalis* simul dici potest, mutuæ Charitatis in Israële Unionisque in Cultu Conservatio. Atque determinamus ex

Finis Paschatis & Duratio.

ante dictis facillimè simul Paschatis *Durationem*, iterum *non extendendam ultra dies Vet. Test.* α ex locis Novi Test. generalibus, quæ *Abrogationem Ceremoniarum* docent, tanquam Difficilium Christi venturi Umbrarum, & specialibus, quæ *Pascha* nobis *Verum* loco Umbratici tribuunt *Joh.* I. 29. I *Cor.* V. 7. β ex locis Vet. Test. quæ *Sacrificiorum* omnium Corporalium *Cessationem* inculcant *Dan.* IX. 27. *Mal.* I. 11. *&c.* γ tandem ex Natura & Institutione Paschatis, dati Israëli, in memoriam Beneficii minoris, Præfigurativi, Apparatum majorem exigentis, Præputiatos excludentis, &c. Ut debeant, ex contextu & natura rei, Mandata Minæque additæ *Exod.* XII. 14. 15. *Num.* IX. 13. *&c.* intelligi restrictè de *Seculo ante Messiam* currente.

Sacramenta Novi Test. Duo tantum esse, probatur.

XXVIII. Atque sic pervenimus ad *Sacramenta* NOVI FOEDERIS, cui uti Ceremoniæ Gratiam Præteritam & Præsentem obsignantes non repugnant, ita *Præcellentiora* Deus dedit, sensu à nobis tradito §. IV. ob hanc Præstantiam, majoremque ad Nos relationem, distinctius nunc explicanda. *Numerus* horum *Binarius* est, quem *numerantem* non quidem legimus in Scriptura, sed *numeratum* ibidem reperimus; α cum soli Baptismo & Cœnæ conveniant Sacramentorum Requisita, colligenda ex §. II. & III. β cum ad hæc Duo, Extraordinaria simul & Ordinaria Vet. Test. Sacramenta omnia, tanquam illis correspondentes Typos, referantur I *Cor.* X. 2. 3. 4. γ cum hæc Duo tantum ut Vincula Externa Communionis Spiritualis nobis proponantur I *Cor.* XII. 13. δ cum hæc revera sufficiant ad Regenerationis & Nutritionis nostræ plenæque Justificationis Obsignationem; ε ad quæ omnia addimus illustrem locum, I *Joh.* V. 6. 8. collat. *Joh.* XIX. 35. Ubi sicut plane repudiare nolumus cogitatam à multis allusionem, ad Umbraticum sub Veteri Test. Sanguinem victimarum & Aquam mundationis, vel ad Obedientiam Activam & Passivam Christi, vel ad Justificationem & Sanctificationem nostram; ita tamen magis directe & simpliciter innui credimus *Duplex Sacramentum cum Spiritu in Verbo* loquente junctum, quod de Christo Testimonium præbet, & per quod ipse ad nos in Gratia venit. Unde magis concidit *Objectio*, de *Numero Binario in Scriptura nusquam lecto*; uti vana est altera *Pontificiorum*, ex Nostrorum proprio dissensu, qui hic perperam fingitur, dum quandoque re probata, ut *Matrimonio & Ordine*, non hæc eo ipso

ipso Sacramentis annumerantur, & dum nominis *Sacramenti* etiam latior vel strictior usus obvius est.

[1] *Exerc. Text.* XLVI. P. I.

Non est Numerus Augendus per Pedum lotionem.

XXIX. Is verò Numerus uti sublato Baptismi usu temerè quandoque minuitur à *Socinianis*, ita augeri non debet; α vel per *Dominicæ Diei*, sive Sabbathi Christiani, *Sanctificationem*, utique Moralem, nec requisita veri Sacramenti habentem; β vel per *Pedumlotionem*, quam ut Officium Charitatis, antiquæ consuetudini accommodatum, in *Diaconissa* etiam ante Electionem exegit Paulus 1 *Tim.* v. 10. *coll. Gen.* XVIII. 4. *Luc.* VII. 44. quamque exercuit in Discipulis Christus, ut exemplo singulari Humilitatis & Benevolentiæ suis præiret, quibus idem occasionibus oblatis in specie, & similia omnia officia, agere quoque præcipit *Joh.* XIII. 5. 14. præcepto hoc ex agentis dicentisque Scopo intelligendo, uti *Matt.* v. 39. XVIII. 3. *&c.* Unde dici potest, *Lotionis Pedum Sacramentalis* æquè deesse *Institutionem*, quam *Rem Signatam*, licet de gratiosa à Peccatis Ablutione, occasione negatæ Ablutionis Externæ minoris recipiendæ à Petro, hunc monuerit Dominus v. 8. Unde & concidit *Ceremoniæ hujus Usus*, qui notatur apud *Veteres* nonnullos, obtinetque adhuc, tum apud *Anabaptistas* quosdam, tum ex parte apud *Pontificios*, in Pedumlotione Papæ & Episcoporum æque quam Principum.

Neque per Quinque alia Sacramenta ψευδώνυμα Papistarum.

XXX. Magis verò hic ineptiunt *Papistæ*, cum *Septenarium* urgent *Sacramentorum Numerum*, adeoque ad vera illa Duo addunt alia Quinque; α *Confirmationem*, β *Pœnitentiam*, γ *Extremam Unctionem*, δ *Ordinem*, ε *&* *Matrimonium*; quamquam in omnibus his, imo vix in ullo, plane inter se consentiant omnes. Atque ridendos illi se verè præbent in generali Numeri hujus Confirmatione, quæ fit. α Per rationes seu *Congruentias varias*, petitas; à *Requisitis Vitæ Corporalis*, quæ in singulis hominibus sint tria per se, *Generatio*, *Augmentatio*, *Nutritio*, duo per accidens, *Remedium contra Morbos*, & *Remedium contra Reliquias*, in Republica duo, *Vitæ Propagatio* per parentes, *&* *Gubernatio* per magistratus, in universum adeò Septem; à *Numero Peccatorum*, Originalis, Actualis Mortalis, Reliquiarum, Infirmitatum, Malitiæ, Concupiscentiæ, Ignorantiæ; à *Numero Virtutum*, Fidei, Spei, Charitatis, Justitiæ, Fortitudinis, Prudentiæ, Temperantiæ; à *Celebritate* tandem Numeri *Septenarii* in Scriptu-

ptura, in primis in Expiationibus, respectu Animalium oblatorum, Dierum, Aspersionum, Lotionum, &c. Quarum omnium futilitatem nemo non videt; & Veteris Oeconomiæ, in qua Septem Sacramenta non agnoscunt Adversarii, disparitas arguit; & ipsi satis fatentur, non audentes ea ut sententiæ suæ fundamenta defendere. β Per stabilem *Ecclesiæ Determinationem*, inde à tempore *Lombardi*, repetitam à *Concilio Florentino* & *Tridentino*; cum ob Ecclesiæ generalem Fallibilitatem, & specialem Romanæ Apostasiam, neque *Scholasticorum Magistrorum*, neque *Conciliorum borum* ulla apud nos sit autoritas, quamquam in hoc ipso argumento sibi & veritati non uno modo adversentur simul Papistæ.

Confirmationis Sacramentum exponitur, & exploditur.

XXXI. *Confirmationem*, (ut de singulis pauca etiam dicamus,) definiunt; *Sacramentum Novi Fœderis, in quo per Unctionem, factam Oleo Balsamo mixto atque ab Episcopo Consecrato, in Fronte ad formam Crucis, junctamque cum Alapa inflicta & certa Verborum Formula (consigno te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.) Baptizatis ab Episcopo confertur Gratia ad roborandam animam contra Diaboli impetus, imprimiturque Character Militiæ Christianæ Indelebilis.* Hic vero uti nos omnino desideramus *Divinam Institutionem*; ita *Probationes* adducunt illi insufficientes 1. Ex locis 2 *Cor.* 1. 21. 22. 1 *Joh.* 11. 20. Quibus sub nomine *Confirmationis*, *Unctionis*, & *Obsignationis*, non agitur de aliquo Signo Sacramentali, neque ad illud etiam alluditur; sed ostenditur Spiritualis Dei Beneficentia, cum allusione ad Unctiones Vet. Test. & ad vulgarem Sigillorum usum. 2. Ex *Impositione Manuum*, ab Apostolis facta, ad impetrandum Spiritum S. *Act.* VIII. 17. XIX. 6. &c. Quæ α Ritus fuit Extraordinarius, à Judæorum frequenti praxi in benedicendo derivatus; atque β ad Dona Spiritus Extraordinaria proximè spectavit; γ nec in Sacramento Pontificio vel Materiam constituit, vel adhibetur, perperam hic confugientibus Adversariis, vel ad variam administrati ab Apostolis Sacramenti rationem, vel ad locutionem Synecdochicam, vel ad Manus Extensionem & Signationem Crucis quasi hæc ipsa χειροθεσία foret, collato inepte textu *Marc.* VII. 32. 33. 3. Ex *Promissione Gratiæ* Spiritus magis copiosæ, facta Baptizatis, *Joh.* XIV. 17. XV. 26. XVI. 13. *Luc.* XXIV. 49. *Act.* 1. 8. &c. Quæ α collationem ejus per Speciale Sacramentum non infert; β & respicit quandoque ad Dona Extra-

traordinaria; γ utique Apostolis absque hoc Sacramento concessa. 4. Denique ex *Unctione in Veteri Ecclesia* cito adhibita, juxta Manuum Impositionem. α Cum plures tum Ceremoniæ Humanæ sint adhibitæ; β hæc ipsa Speciale non constituerit Sacramentum, Baptismi potius Appendix; γ neque Oblationem repetitam Baptizatorum, eorumque Benedictionem, nos plane improbare velimus; δ ne *Marcitarum Unctionem in Opobalsamo* memorem.

[1] *Exerc. Text.* XL. P. I.

XXXII. Alterum Sacramentum ψευδώνυμον est *Pœnitentia*, quam definiunt; *Sacramentum Novæ Legis, in quo, propter Peccata post Baptismum commissa Contritis, eadem in aurem Sacerdotis Confitentibus, Opereque ipso pro iis Satisfacientibus, eorum Remissio per Absolutionem Sacerdotalem confertur.* In hoc vero nos desideramus; α Divinam Institutionem, cui potius repugnat *Confessio Universalis* peccatorum, coram Homine ullo, scrupulosè & scandalosè instituta, dein *Satisfactio* Deo præstanda ab ipso homine, quæ *Indulgentiis* tamen redimi queat, atque *Absolutio* per verborum certam Formulam cum Autoritate plena ab Hominibus facta; β atque *Signum Externum*, Visibile, à Deo determinatum, quale hic dare nequeunt *Papistæ*, qui quidam ad Actus Pœnitentis, vel latentes, vel verbales, vel Sacramentum sequentes, quidam ad Absolutionem Oralem, ejusve humanum ritum, gratis hic confugiunt. Nec juvant Adversarios. 1. Loca, quæ *Clavium* & *Remissionis* Administrationem tribuunt Præpositis *Matt.* XVI. 19. [1] XVIII. 17. 18. [2] *Joh.* XX. 23. Cum hæc ad Ministerium Euangelii, Admissionemque vel Exclusionem ab ejus Sigillis spectantia, Sacramentum Speciale Pœnitentiæ, aut Autoritatem Absolvendi Infallibilem, non inferant. 2. Textus, quibus *Peccatorum Confessio* laudatur vel commendatur *Matt.* III. 6. *Act.* XIX. 18. *Jac.* V. 16. 1 *Joh.* I. 9. *&c.* Cum ab illa generatim ad *Auricularem* in specie non valeat sequela; dum concedimus nos, α Confessionem coram Deo, β coram Fratribus Læsis, γ coram facie Ecclesiæ Scandalizatæ, δ coram Pastoribus ad Conscientiæ turbatæ informationem; ε nec prioribus locis ad Privatam sed Publicam, non Specialem sed Generalem, non Post Baptismum sed ante eum & in eo, respiciatur. 3. Loca, quibus *Opera Resipiscentiæ* urgentur *Prov.* XVI. 6. *Jer.* XVIII. 8. *Dan.* IV. 27. *Matt.*

Pœnitentia illud declaratur similiter, & refutatur.

III. 8. I *Cor.* XI. 31. *&c.* Cum ea α nusquam ut Satisfactoria proponantur, ad expiandum aliquem Reatum Pœnæ post Culpæ Remissionem reliquum, uti hic supponitur; ϐ nec pendeant à jussu Confessarii, sed semper ex Mandato Dei nobis incumbant, cum vera Humilitate à nobis præstanda. 4. *Praxis Pœnitentium, Confitentium, Satisfacientium*, atque *Indulgentias* accipientium, *in Veteri Ecclesia.* Cum hæc sit humana, & à *Papistica* plurimum differat; dum α *Confessio* facta graviorum lapsuum, ob quos excommunicati erant, & primis seculis publicè; β *Satisfactio* spectavit ad scandalum & Pœnas Ecclesiæ Canonicas, necessaria quoque ante Absolutionem; γ eodem pertinuit *Indulgentia*, non pretio, sed prece atque resipiscentiæ seria demonstratione obtinenda; uti hæc omnibus notissima sunt.

[1] *Exerc. Text.* XXX. P. V. [2] *Exerc. Text.* XXXI. P. V.

Extrema etiam Unctio.

XXXIII. Tertio addunt *Extremam Unctionem*, quam volunt esse; *Sacramentum Novæ Legis, in quo per Unctionem Organorum Sensualium, Renum item & Pedum, factam Oleo Olivæ ab Episcopo Benedicto, junctamque Verborum Formulam, (per istam Sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per Visum, &c.) Christianis Adultis & de vita periclitantibus, per Presbyterum Sanitas Corporis restituitur, si animæ expedit, potissimum vero Peccatorum Mortalium, de quibus ob mortem instantem pœnitentiam agere nequeunt, Reliquiæ, cum anxietate illinc orta, absterguntur.* Ubi nos putamus omnino deesse *Divinam Institutionem*, veramque ejus originem ab *Heracleonitis* & *Marcitis* esse repetendam. Nec probatur contrarium 1. Ex Textibus *Marc.* VI. 13. *Jac.* V. 14. 15. [1] quibus volunt Sacramentum hoc vel *Adumbratam* & *Insinuatum*, vel *Institutum.* Cum *Unctio* non tantum in priori loco, consentientibus vulgò Adversariis, ob rationes demonstrativas, ex Fine, Subjecto, Effectu, Ministris, &c. sed & in posteriori innuatur *Extraordinaria* & *Miraculosa*, uti liquet itidem; α ex *Subjecto Recipiente*, Ægro & Laborante quovis; β *Fineque* & *Fructu*, Sanitatis restituendæ, ad quam solam per vocem ἐγερεῖ respici evidens est; γ haud valentibus quicquam *Exceptionibus* & *Instantiis Papisticis*, quod de solis *Decumbentibus* agatur, *Presbyteri* soli aut omnes donum Sanationis non habuerint, materia *Olei* hic sit præscripta, *Miracula* quærere non deceat, *Promissio* absoluta & spiritualis addita sit,

sit, reliqua *Epistolæ* istius *Monita Generalia sint*, &c. Adde *Unctionis Modum Papisticum* hic neutiquam esse delineatum. 2. Ex *Divina Providentia*, qua haud minus prospexerit Egredientibus ex hac vita, quam Ingredientibus & Progredientibus. Cum α non obstante hac Dei cura Fideles Veteres, & Stephanus, tali Sacramento caruerint; β & Sacramentorum priorum Memoria cum Verbo Dei per Spiritus gratiam morientibus omninò sufficiat.

[1] *Exerc. Text.* XLV. P. I.

XXXIV. Quarto memorant *Ordinem*, sive potius *Ordinationem*, pro diversitate Muneris iterum vulgò *Septuplicem*, ut vere tot Sacramenta distincta numerare ipsi hic deberent. Quam definiunt; *Sacramentum Novæ Legis, in quo per Manus Impositionem, & Porrectionem Instrumentorum, Calicis scil. & Patinæ, vel Libri Euangeliorum, junctamque, præter Rasuræ & Unctionis ceremonias accidentales, certam Verborum Formulam, (accipe Potestatem Offerendi Sacrificium, &c.) Sacerdotibus & Diaconis, quin & Subdiaconis ac Ordinibus Minoribus, (circa quas eidem ritus tamen non observantur,) Gratia ad obeundum Munus necessaria, cum impresso Charactere Indelebili, confertur.* Iterum hic deest; α *Institutio Divina*, tum Ordinum ipsorum uti à Pontificiis numerantur, tum Signorum & Rituum horum; β & præterea *Res Significata Sacramentorum*, quæ non est Gratia Particularis ad Ministerium necessaria, sed Communis Fœderatis omnibus; γ denique *Subjectum Recipiens*, quod debent esse omnes Fœderati per ætatem capaces. Luduntque Adversarii in re seria, cum opponunt. 1. *Munerum Sacrorum Institutionem* Divinam, ex *Act.* xx. 28. *Eph.* iv. 11. 12. &c. Cum α Munera hæc à Pontificiis multum differant; nec β quævis Divinitus Instituta mox sint Sacramenta. 2. *Impositionem Manuum* factam & mandatam *Act.* vi. 6. xiii. 3. xiv. 23. 1 *Tim.* iv. 14. v. 22. 2 *Tim.* i. 6. *&c.* Cum α hanc pro *Accidentaria* habeant multi *Pontificii*, Porrectionem Instrumentorum magis Essentialem credentes; β hæc per χειροτονίαν non debeat intelligi; γ hæc non sit Sacramentalis, sed simpliciter Apprecativa; δ hæc denique non fluat ex Mandato Domini Universali & Necessario, sed ex Praxi Antiqua Judæorum in Benedictionibus ac Inaugurationibus, unde nec in Apostolis ipsis, circa quos *Afflatu* usus ipse Dominus, expresse adhibita legitur. 3. *Gratiam ex Manuum*

Impo-

Ordo item.

Impositione derivatam 1 *Tim.* IV. 14. 2 *Tim.* I. 6 7. Cum hæc ad Dona ad Ministerium necessaria, Precesque cum χειροθεσίᾳ junctas, debeat referri. 4. *Bonitatem Dei*, per quam cum Potestate Gratiam ad exercitium ejus necessariam certo det. Cum id ad Ceremoniæ Visibilis Divinam originem, Gratiamque Fœderis significatam, nihil plane faciat.

Tandem Matrimonium ex numero Sacramentorum N. T. dispungitur.

XXXV. Quinto tandem inter Sacramenta numerant, (quod ob perpetuas alias Cælibatus laudes ac status Conjugati blasphemias mirum videri queat,) *Matrimonium*. Quod volunt esse; *Sacramentum Novi Fœd. in quo per mutuum Conjugum Christianorum Consensum, verbis signisve expressum, spiritualis Christi cum Ecclesia Unio significatur, & Gratia mutuæ Unionis Spiritualis Conjugatis confertur.* Requirimus nos hic; α *Institutionem* aliquam *Novam* aut *Peculiarem* in Ecclesia Novi Test. β *Signum Externum Visibile & Substantiale*, à Persona Sacramentum administrante & suscipiente distinctum; γ denique *Gratiæ Unionis cum Christo* obsignationem, ad quam Conjugium nusquam ordinatum reperimus. Et sunt levissimæ Objectiones. 1. Ex locis *Eph* v. 32. 1 *Tim.* II. 15. Cum in priori; α latiori sensu *Sacramenti* vox prò Græca μυστηρίȣ posita sit; ϐ loquatur Paulus non de Externo Conjugio, vel Adami & Evæ, vel Fidelium, sed dè *Unione Christi cum Ecclesia*, gratis opponentibus *Papistis* Ponomen τȣ̃το, Præpositionemque εἰς; γ nec inculcata qualiscunque *Similitudo* Sacramentum inferat. Et in posteriori; τεκνογονία non sit Causa vel Sigillum salutis, sed Status in quo per Fidem mulier sit salvanda; ϐ nec debeat etiam cum Conjugio confundi. 2. Ex ratione petita; ab α *Insolubilitate*, & *Monogamia*, quæ absque Sacramento relationem quandam ad Christum possunt habere; ϐ à Fine *Propagationis Sobolis* & *Impediendæ Fornicationis*, ad quæ verè necessaria est Gratia Dei, sed Communior, nec propterea per Matrimonium ut Sacramentum collata; γ à *Celebratione Solenni* in Ecclesia, quæ partim Politica est magis quam Ecclesiastica, partim nihil aliud dicit, quam solennem Divinæ Gratiæ in novo vitæ statu Apprecationem, aliis statibus functionibus & propositis meritò communem.

Signa alia Sacramentalia Papistarum notantur.

XXXVI. His vero omnibus Sacramentis necdum contenti *Papistæ*, Ceremonias ac *Signa Sacramentalia* plura addunt, *Crucis sc. Efformationem* frequentem, usum *Aquæ Lustralis* Salsæ & Exorciza-

cizatæ, *Lucernas* in Templis, *Ceram Benedictam*, insignitam nomine *Agnorum Dei*, *Eulogias* seu Buccellas Panis Benedicti, *&c.* quæ nolunt tantum significare, sed & *Energiam* habere, ad sanctificanda subjecta, pellendum Dæmonem, malaque animi & corporis curanda, & quidem quodammodo *ex Opere Operato*. Quæ omnia, præter Domini Institutionem introducta, & multa quidem ex κακοζηλίᾳ Judæorum & Gentilium, nos tanquam *Superstitiosa*, *Magica*, *&* *Idololatrica*, damnamus. Nec probantur illa magis solide per conquisitas Portentosorum Effectuum Fabellas; quam α *primum*, vel ex *Usu Antiquo* Christianorum, qui, antequam in Superstitionem res vergeret, hoc symbolo se Christianos tantum professi sunt, vel locis *Gen.* XLVIII. 14.[1] *Ezech.* IX. 4. *Apoc.* VII. 1.[2] 1 *Tim.* IV. 5. quibus *Crucis Formatio* nulla vel facta, vel præcepta, vel adumbrata est; β *alterum*, vel ex *Ceromoniis Leviticis Num.* VIII. 7. XIX. 12. Christum ipsum præfigurantibus, vel ex *Facto miraculoso Elisei* 2 *Reg.* II. 20. 21. & Christi per Fimbriam *Matt.* IX. 20. quod cum Aqua Lustrali nullum habet nexum; γ *tertium*, vel ex *Act.* XX. 8. cum *Lampades* illæ destinatæ fuerint tenebris nocturnis discutiendis, vel ex *Usu Christianorum Antiquo*, qui similiter ex Cœtuum Nocturnorum & Antelucanorum consuetudine ortus primum fuit, & postea à multis Impugnatus; δ *quartum*, vel ex *Jes.* LIII. 7.[3] ubi de *Christo ipso*, non Cereo Idolo, agitur, vel ex *Ethnicorum Bullis*, cum eorum Superstitiones imitari non deceat; ε *quintum* tandem, vel ex *Matt.* XIV. 19. *Luc.* IX. 16. ubi *Factum Christi Miraculosum* memoratur, vel ex *Praxi Antiqua Christianorum* circa Catechumenos, quæ à Superstitione omni liberari vix potest. Refer huc porro *Oscula*, ab *Anabaptistis* quibusdam & *Socinianis* adhibita, nec ratione hujus præcisè Symboli, sed mutuæ *Charitatis*, quam sic frequentius in oriente testabantur, nobis commendata *Rom.* XVI. 16. 1 *Thess.* V. 26. 1 *Petr.* V. 14. *&c.* atque hinc in Veteri Ecclesia, non sine Gentilium notis calumniis, adhibita. Quam *Sacramenti* nomen latius usurpasse de *Ritibus* vel *Rebus* quibusvis *Sacris*, est antea satis dictum; ut frustra hinc *Septem* sua *Sacramenta*, & *Signa* alia, commendent quoque *Papistæ*.

[1] *Comm. in Pentat.* [2] *Comm. in Apoc.* [3] *Anal. Exeg. Jes.* LIII.

CAPUT TRIGESIMUM.

De Baptismo Christianorum Sacro.

Baptismi Nomen exponitur.

REjectis sic Sacramentis ψευδωνύμοις, illa aggredimur exponere quæ sub Novo Test. vere id nomen habent. Quorum quidem, Institutionis, Administrationis, & Rei Significatæ intuitu, Primum est BAPTISMUS, sive *Baptisma*, respondens veteri Judæorum Circumcisioni. Derivatur *Nomen* hoc, origine *Græcum*, indubie à βαπτίζω, & βάπτω; quod volunt deductum, vel per transpositionem ex Hebræo טבע / vel à βαθύ, vel à βάω & πίπτω, quodque notat non tantum *Tinctionem* sive *Mersionem*, oppositam τῷ ἐπικυματίζειν simul & τῷ δύνειν, sed & *Lotionem Marc.* VII. 3. 4 [1]. *Luc.* XI. 38. *Hebr.* IX. 10. sive prior sive posterior significatio magis Propria sit. Legitur illud perpetuo in Scripturis; ubi tamen simul reperitur *Aqua*, *Lavacrum Aquæ*, *Lavacrum Regenerationis*, ἐπερώτημα sive *Stipulatio Bonæ Conscientiæ*, 1 *Joh.* V. 6. 8. [2] *Eph.* V. 26. *Tit.* III. 5. 1 *Petr.* III. 21. [3] *&c.* Apud Hebræos respondet טבילה / magis quam טביעה / quod *Submersionem* notat, & verius quam מבול / quod ex *Psal.* XXIX. 10. perperam huc quandoque trahitur. Adde Nomina Ecclesiastica, Græca, λουτρὸν πνευματικὸν, μυσαγωγίαν, τελείωσιν, καθαρμὸν, ἔνδυμα, μεγάλην περιτομὴν, φωτισμὸν, *&c.* quæ partim ad Scripturas quoque alludunt *Gal.* III. 27. *Col.* II. 11. 12. *Hebr.* VI. 4. [4] *&c.* & Latina, *Tinctionis*, *Mersionis*, *Mergitationis*, *Sacramenti Initiationis*, *Illuminationis*, *&c.*

[1] *Exerc. Text.* XXX. P. I. [2] *Exerc. Text.* XLVI. P. I. [3] *Exerc. Text.* XLII. P. V. [4] *Exerc. Text.* XLVII. P. III.

Homonymia ejus multiplex declaratur. Et Baptismi Christiani Definitio datur.

II. Misso *Octuplici* apud Patres nonnullos, vel *Quadruplici* vulgo, memorari solito, *Baptismo*, notamus nos potius, usurpari Vocem 1. Vel *Impropriè*, & sic iterum; α tum *Metonymicè*, pro Doctrina Baptismi, seu *Baptismo Luminis*, quo referunt *Matt.* XXI. 25. *Act.* XVIII. 25. XIX. 3. *Hebr.* VI. 2. [5] *&c.* β tum *Metaphoricè*, α partim prò *gravi Malorum Incursu*, qualis potissimum est in *Martyrio*, collato à *Veteribus* cum Baptismo, in Fidei Confessione, Aspersione, Acceptione Spiritus, Mortis Christi Participa-

cipatione, Vitæ Abrenunciatione, Peccatorumque Ablatione, & propterea secundum illos huic æquivalente, qui *Baptismus Sanguinis* appellatur, ex *Matt.* xx. 22. 23. *Luc.* xii. 50. [5] partim pro *Effusione Visibili* aut *Copiosa Donorum Spiritus S.* qui *Baptismus Flaminis* dicitur, ex *Joël.* ii. 28. [6] *Act.* i. 5. & *Matt.* iii. 11. [7] Ubi per *Ignem* neutiquam, uti volunt aliqui *Recentiores*, notatur perdens Dei Ira, de qua *vers.* 12. agitur, sed *Virtus Spiritus Ignea*, secundum *Connexionem*, non Distinctivam, sed Copulativam, *Promissum* ibidem propositum, non Judicium, textum *Parallelum Marc.* i. 8. Spiritusque repræsentationem per Ignem, in Prophetiis & in Eventu *Jes.* iv. 4. [8] *Act.* ii. 3. [9] *&c.* 2. Vel *Propriè*, de *Ablutione* per *Aquam*; α sive *Communi*, ad honestatem Civilem aut puritatem Naturalem spectante; β sive *Superstitiosa*, quæ apud *Gentiles*, *Pharisæos*, *Hemerobaptistas*, *&c.* obtinuit; γ sive *Ceremoniali*, olim ad Puritatem carnis Legalem à Mose præcepta variis in casibus, quorsum maxime referri debet *Baptismus Proselytorum*, (טבילת גרים) juxta Circumcisionem & Oblationem ab ævo à Judæis adhibitus, ex analogia quadam facti Jacobi *Gen.* xxxv. 2. Mosis item *Exod.* xix. 10. quin & omnium Purificationum Legalium, dum Gentilium naturalis Impuritas major erat, quamquam Superstitio non una Judaica accesserit, in Tempore plenè sanatæ Circumcisionis, necessaria Trium Virorum Præsentia, requisito Naturali Aquæ Conceptaculo, Corporis totius planè flagitatâ Mersione, &c. δ sive *Christiana* denique, quæ ad imitationem quandam Judaici Proselytorum Baptismi à Christo instituta est, hinc ob ritus antiquitatem facilius admissa. Atque hanc definimus; *Sacramentum primum Novi Test. in quo Corporis Ablutione, per Immersionem Infusionem aut Aspersionem Aquæ ab Euangelii Ministro factam, Ablutio Spiritualis à macula & reatu Peccati per Spiritum & Sanguinem Christi Fœderatis omnibus significatur & obsignatur, ipsique tanquam Regeniti, ac Ecclesiæ & Christo sic insiti, ad officia Fidei & Resipiscentiæ incitantur.*

[5] *Exerc. Text.* XLVI. P. III. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Exerc. Text.* XXVII. P. IV. [8] *Exerc. Text.* XII. P. VI. [9] *Exerc. Text.* XXXVI. P. II.

Institutio Divina ex multis locis Vet. Test. & Typis gratis reperitur.

III. Ante omnia credi debet Baptismi *Institutio Divina.* Ad quam existimamus nos, perperam à *Veteribus*, *Papistis*, *& Lu-*

theranis variis, trahi; α tum *Prædictiones*, aliaque Vet. Test. Loca fere infinita *Psal.* XXIII. 2. [1] XXIX. 10. XLVI. 4. CIII. 5 *Jes.* XII. 3. [3] XLIV. 3. XLIX. 22. LII. 15. LXI. 10. *Ezech.* XVI. 9. XXXVI. 25. 26. XLVII. 1. *Joël.* III. 18. [3] *Mich.* VII. 19. [4] *Zach.* XIII. 1. [5] *&c.* ϐ tum *Typos*, Aquæ in prima Creatione, Vestium Pelliccarum quibus induti Protoplasti, Diluvii, Circumcisionis, Rebeccæ circa Fontem ad Sponsum adductæ, Nubis, Transitus per Mare, Aquæ Dulcatæ, atque ex Petra fluentis, Aspersionum Legalium, Ductionis per Jordanem, Maris Æneï, Eliæ Aquam effundentis, Naamanis Abluti, Ferri Emergentis, κολυμβήθρας, &c. in quibus tamen simplex Convenientia qualiscunque, ad fundandam allegoriam humanam, observari potest.

[1] *Exerc. Text.* XXI. P. V. [2] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Loc.*

Primum Momentum Institutionis in Baptista Johanne. Cujus Baptismus in Substantia rei à Nostro non differt. Nec ideo per Baptismum Christianum repetitus est.

IV. Institutionis verò *Triplex* notamus nos *Momentum*; estque *primum* in *Johannis Baptismo*, quem tenemus. 1. *A Deo* fuisse illi *Imperatum*, juxta Prædicationem; ob α loca *Matt.* XI. 10. XXI. 25. *Luc.* III. 2. 3. VII. 30. *Joh.* I. 33. *&c.* ϐ & Approbationem à Christo ipso per eum Baptizato factam *Matt.* III. 13. Ut perperam à Johanne, tanquam ἐθελοθρησκείας Opus, Baptismum ejus repetant *Pontificii*, *Sociniani*, & *Anabaptistæ*; α gratis *excipientes*, Loca adducta vel de Prædicatione sola, utique inseparabili à Baptismo, vel de Communi Inspiratione Baptismi, excluso præter rationem ejus Modo, debere intelligi; ϐ & *opponentes* frustra appellationem *Baptistæ*, & *Baptismi Johannis*, quæ non nisi celebre primumque ejus Ministerium innuit, uti *Euangelium Suum* Paulus quoque dixit *Rom.* II. 16. 2. Fuisse *Diversum* quidem *à Baptismo Nostro*, quoad clariorem Christi præsentis & consummati jam Mediatoris patefactionem, & connexam uberiorem Spiritus modo mensuram, & latiorem ad Gentes extensionem, sed *Eundem quoad Rem*, adeoque Christiani Baptismi successione *non Iterandum*; uti id constat, α ex *Identitate*, in Divina *Institutione* jam asserta, in *Signo* & ritu externo, in *Re Significata*, in *Vi Obsignandi*, in *Officiis* exactis *Matt.* III. 6. 8. 11. [1] *Luc.* III. 3. *Marc.* I. 4. *Joh.* I. 29. *Act.* XIX. 4. 5. [2] *&c.* ϐ ex Facto Christi, qui Ecclesiæ Novi Test. per Baptismum hunc se jungere voluit. Ut perperam nominati modò *Adversarii Discrimen* hic *Essentiale* ponant, quoad Originem,

nem, Formam, Finem, & Effectum. Quod ineptè colligunt; α ex *Defectu Institutionis à Christo* factæ, cum Divina Institutio Christi voluntatem includat, & hæc ex Susceptione Baptismi Johannis propria satis constet; β ex relatione *Baptismi Johannis ad Oeconomiam Vet. Test.* quod de illius durantis languentisque tempore quoad circumstantias antea numeratas dari potest, non item respectu Doctrinæ & Finis, quomodo Veteri finem imponere cœpit *Luc.* XVI. 16. & Novi primus Minister fuit *Marc.* I. 1. 2. γ ex *neglecta Trinitatis Nominatione*, imo *Jesu* ipsius, quam demonstrare nequeunt Adversarii positive ex Silentio Euangelii, & quæ per modum Formulæ non est de Necessitate aut Essentia Baptismi Christiani, utique ex Autoritate Dei Triunius ac in Fidem & Obsequium illius & Christi Mediatoris baptizante Johanne; δ ex *Efficacia Baptismo Johannis denegata Matt.* III. 11 [6]. ubi non Externi Baptismi Johannis & Christiani est collatio, sed tum Personarum Johannis & Christi ipsius, *coll.* 1 *Cor.* III. 6. tum Signi ac Rei Signatæ, Futuro Tempore de Christo adhibito ob instantem adhuc hujus patefactionem & visibilem Spiritus effusionem, non excluso plane Præsenti *Joh.* I. 33. ε tandem ex *Baptismo Christiano* post illum Johannis in Iisdem Personis *Secuto*. Quod factum esse nos negamus; nec probatur, vel ex *Matt.* III. 11. [6] secundum modo dicta, vel ex Numero Baptizatorum à Johanne *Matt.* III. 5. qui non ita Omnes exhaurit Judæos, ut non Millia multa alia à Discipulis Christi baptizari potuerint, vel ex *Act.* XIX. 3. 5. [7] ubi, missis variis aliorum responsionibus, judicamus nullum à Paulo administratum esse Baptismum, sed factam tantum ab ipso χειροθεσίαν, postquam v. 4. & 5. Prædicationem & Baptismum Johannis explicasset respectu Administrantis personæ & Suscipientium, uti ex mutua relatione particularum μὲν & δὲ, simplici mentione ἀκουσάντων *vers.* 5. Paulique nomine *vers.* 6. demum posito, id evidens est, nulla hinc Sermonis fluente Redundantia, aut repetitione Baptismi Johannis in Iisdem Personis.

[6] *Exerc. Text.* XXVII. P. IV. [7] *Exerc. Text.* XXXVII. P. I.

V. *Alterum* instituti Baptismi *Momentum* observatur in *Discipulis Christi* durante illius Prædicatione propria. Qui baptizasse ita leguntur, ut ipsi Christo tribuatur hoc illorum factum publicum, qui tamen immediate id non egit, *Joh.* III. 22. 26. *coll.*

Alterum Momentum Institutionis Baptismi in Discipulis Christi ante Mortem hujus.

call. IV. 1. 2. verisimilius Baptizatis Apostolis à Johanne, quam à Christo; quamquam vel omnes, vel solum Petrum, vel hunc cum Maria Baptismum à Christo accepisse, reliquos à Petro, ferant inaniter quandoque *Veteres*. Videtur autem abstinuisse Christus ipse ab administrando Baptismo; α ob majorem Prædicationis dignitatem, β & ad sui ut gratiam obsignatam conferentis majorem Distinctionem, γ nec non Ministerii humani Commendationem, δ denique Ambitionis & Superstitionis omnis Aversionem. *Permisisse* porrò suis Christum, ut baptizarent, non *præcepisse*, hypothesis absurda *Socinianorum* est, adversa; cum phrasi *Johannis*; β tum perpetuæ Discipulorum directioni, quos in publico Muneris Exercitio sibi ipsis neutiquam reliquit Dominus. A qua interim haud multum abludunt *Pontificiæ* assertiones, de Sacramento Baptismi, vel non instituto ante Passionem Domini, ut Baptismus præcedens nuda fuerit præparatio, vel instituto sic in Baptismo Christi, ut nulla adfuerit Medii aut Præcepti Necessitas ante promulgatam die Pentecostes Novam Legem.

Tertia maxime solennis Institutio Baptismi post Resurrectionem Christi contra Socinianos asseritur.

VI. *Tertia* denique, α renovata, β publicè in Panegyri facta, γ latiusque ad Gentes promiscuè extensa, *Baptismi Institutio* accessit, paulo *ante Domini Resuscitati Ascensionem Matt.* XXVIII. 19. Quem textum metaphoricè de *Doctrina* cum *Socinianis* plurimis exponere nequaquam licet; α ob Propriam vocis Baptizandi notionem; β Doctrinam Baptismo hic junctam; γ & Intellectum Apostolorum, qui secundum Mandatum hoc Aquâ baptizarunt. Suntque inanissimæ objectiones, ab aliis *Socinianis* satis confutatæ; α alibi *Baptismum pro Doctrina* poni *Act.* XIX. 3. 1 *Cor.* X. 2. *&c.* cum non fit id propterea in hoc contextu, neque locis allegatis duobus, neque usquam ipse Aquæ Baptismus tum plane excludatur; β *Nullam hic* factam esse *Aquæ Mentionem*, quæ ex propria Baptizandi notione, & recepta dudum praxi, satis intelligitur; γ ex *Verbis* illis in baptizando ab Apostolis *non adhibitis*, quod neque absolute præcepit Christus; δ ex textu denique *Pauli*, ubi se negat *missum ad baptizandum* 1 *Cor.* I. 17. non absolute scil. sed comparatè, ex v. 14. & 16.

Quare hi impiè omnem Baptismi nostri Institutionem negant,

VII. Mirum ex dictis videri debet, ausos *Socinianos* esse, ad imitationem veterum *Manichæorum*, modo *Omne Præceptum*, modo *Perpetuum* tantum & *Universale*, Baptismi negare; contra α *In-*

α *Institutionem* triplicem jam adductam, ubi tertia omnino ad Gentes quasvis, & Seculi Consummationem, & æquè late quam Prædicatio ipsa, extenditur; β clare propositam *Credentium Obligationem* ad suscipiendum Baptismum *Marc.* XVI. 16. *Act.* II. 38. XXII. 16. γ Praxin *Christi*, & *Fidelium omnium* *Act.* VIII. 36. 37. X. 46. 47. XVI. 14. 33. XVIII. 8. *Rom.* VI. 3. 1 *Cor.* XII. 13. *Gal.* III. 27. *Eph.* IV. 5. *Col.* II. 1. 2. 1 *Petr.* III. 21. δ *Rei* denique *Significatæ* Extensionem Universalem. Nec valent quicquam Objectiones 1. Ex *Spirituali Disciplina Christi*, Ritus externos excludente; α cum Spiritualem Cultum & Gratiam Symbolis paucis Corporalibus declarari nihil obstet, uti fit certo in Dominica Cœna; β Ritusque Baptismi non sit Umbraticus aut Præfigurativus, qualis omnis modo cessat. 2. Ex *Mandatis* aliis & *Factis Temporariis*, uti est Interdictum Sanguinis & Suffocati, Manuum Impositio frequens, &c. Cum, ejusdem naturæ esse Baptismum, perperam supponatur. 3. Ex *Defectu Exemplorum Sacrorum*, ubi ex Fidelibus Nati sint Baptizati, dum qui memorantur in Sacris baptizati ex Judaismo aut Gentilismo ad Christianismum transierunt. Cum sit illud ex brevitate historiæ Euangelicæ, & ex Ecclesiæ tunc demum formatæ ratione; ac praxis Primitivæ Ecclesiæ illa omnibus constet. 4. Ex *Exemplo* frequenti *Non Baptizatorum*, Apostolorum, τῶν LXX. & Quingentorum Fratrum, &c. Cum, α ex Mentione Baptismi horum explicite non facta pessime id colligatur; β & in Multitudine Baptizatorum à Johanne & Discipulis Christi hi indubie comprehendantur.

VIII. *Signum Substantiale* & *Visibile* porro in hoc Sacramento est *Aqua*. Quam α Johannes Bapt. & Apostoli adhibuerunt, æque quam antea Judæi; β à qua nomen suum ille etiam habet *Eph.* V. 26. 1 *Joh.* V. 6. [1] γ quamque adhiberi voluit Deus, tum ob facillimum hujus usum, tum ob aptissimam significandi vim, quæ est in Aqua, refocillante lassos, exstinguente flammam, sedante sitim, fœcundante terram, &c. & potissimum heic abluente sordes. Ut damnanda sit Praxis Antiqua; α *Paulicianorum*, qui Elemento Externo huic substituebant *Verba Christi* immutata parum, *Ego sum Aqua Viva*, ex *Joh.* IV. 4. β *Seleucianorum* & *Hermianorum*, qui *Ignem* loco Aquæ adhibebant, ex *Matt.* III. 11. quibusque jungunt alii *Jacobitas* & *Abyssinos*; γ & re-

Signum Substantiale heic est Aqua; & quare. Nec est in specie Aquæ discrimen.

recentior *Flagellantium*, qui Sanguinem Proprium Aquæ in fine mundi succedere debuisse somniabant; δ quin etiam *Pontificiorum*, qui inutiliter de adhibendo quoque *Brodio*, *Lixivio*, *Lotio*, *Sputo*, *Luto*, *Arena &c.* disputant, dum in his omnibus gratis supponitur Casus *Absolutæ Necessitatis*, & *Defectus Aquæ* omnis ubi vivunt homines, qui si vere obtineret usquam, non improbanda magnopere videretur sententia *Bezæ*, ipsi *Luthero* haud improbata, de licita tunc alterius *Puri Liquoris* substitutione. Nullam porro *Aquæ Marinæ*, *Fluvialis*, *Pluviatilis*, aut alterius, *Frigidæ* item vel *Calefactæ*, hic esse differentiam, modo sit *Pura*, liquet ex promiscuo Aquæ cujusvis usu *Matt.* III. 6. *Joh.* III. 23. *Act.* II. 41. VIII. 36. X. 47. 48. XVI. 33. *&c.* & ex vi significandi communi. Quare reprehendenda est; α *Constantini M.* aliorumque de *Aquis Jordanis* superstitiosa persuasio; β *Olei* mixtura à *Marcitis* & *Abyssinis* adhibita; γ prævia *Papistarum* denique *Consecratio*, per Adjurationem, Crucis Immissionem, & Olei Infusionem, in Vigiliis Paschatis & Pentecostes facta, ut peccet mortaliter Sacerdos, qui hac Aqua extra necessitatis casum non utatur.

[1] *Exerc. Text.* XLVI. P. I.

Ritus adhibendus est Ablutio per Immersionem. Vel per Aspersionem, quæ defenditur.

IX. *Actio* adhibenda est *Corporis* per Aquam *Ablutio*; quam recte putamus fieri. 1. *Immersione*; α ut in qua maxima est Ablutio Corporis totius; β ad quam significandam vox propterea sæpissimè adhibetur; γ qua usi vulgò sunt Joh. Baptista, Discipuli Christi *Matt.* III. 6. 16. *Joh.* III. 23. *Act.* VIII. 38. *&c.* & Primi Christiani; δ & ad quam respicitur locis variis *Rom.* VI. 3. 4. *Gal.* III. 27. *Col.* II. 12. *&c.* 2. Etiam *Infusione*, vel *Aspersione*; α ob latiorem vocis Baptizandi usum, antea indicatum, per quam idcirco Immersionem districtè non præcepit Dominus, sicuti certum est sordes per hanc etiam ablui; β ob exemplum probabile Apostolorum *Act.* II. 41. X. 48. XVI. 33. *&c.* certumque Ecclesiæ Veteris in *Clinicis* circa mortis tempus baptizatis; γ ob expressionem Rei Significatæ Baptismi per *Effusionem* & *Aspersionem* *Jes.* XLIV. 3. *Ezech.* XXXVI. 25. *Hebr.* XII. 24. 1 *Petr.* I. 2. *&c.* ubi ad solas Vet. Test. Ceremonias respici non est certum, & si respiciatur quoque id argumentum nostrum non infirmat; δ denique ob Difficultatem majorem Mersionis, partim ortam ex majori requisito Apparatu, partim ex facilius læsa Honestate,

ſtate, partim tandem & maxime ex Tenera Ætate Parvulorum difficulter Merſionem in regionibus frigidioribus admittente, quamquam id tamen fiat in Aqua Calefacta apud *Græcos*, quin & Frigida vulgo apud *Moſcovitas*. Ut male urgeant *Græci* abſolutam *Neceſſitatem Merſionis*; atque alii magis *Decentem* ejus in Occidente *Reſtitutionem*, prætextu; α *Exempli Apoſtolici*, quod nec eſt Univerſale & Perpetuum, nec in Accidentalibus ſemper nobis regulam figit; & β *Significationis Specialis*, quam in *Merſione*, *Nudatione*, *Aſcenſione*, & *Indumento Novo*, conſtituit Apoſtolus, quæ principalis & immediata utique non eſt in Baptiſmo, & per analogiam quandam in Aſperſione quoque reperiri poteſt, quamque recté urſit Apoſtolus apud eos, qui hunc in modum baptizati erant; ne nunc dicam, quod non immeritò obſervant Viri Docti, Merſionem nunquam conſtituiſſe Baptiſmum, ſed factum potius eum eſſe per Infuſionem Aquæ in immerſos, cum alias Baptizatus ipſe Miniſter Baptiſmi ſui fuiſſet, & ingreſſus in aquam cum Baptizando Baptizans toties Baptiſmum quoque ſuſcepiſſet. De *Parte Corporis* aſpergenda, quamquam nihil præciſe mandatum reperiatur; decet tamen eam eſſe *Caput*, & *Frontem* potius, quam Verticem, quod ob ἐξοχὴν, & Situm ſuum, quin & diſcretionem maximam, totum Corpus optimè repræſentet.

X. De *Numero Ablutionum* porrò quæritur, an *Semel*, an *Ter* potius fieri illa debeat? Et errant; tam qui *Ter* ablui Baptizatos *neceſſario* ex mandato Domini cum *Canonibus Apoſtolicis* dictis volunt; quam qui *Semel* tantum abluunt, ſive ex nuda rituum Romanorum averſatione, ſive ex ſtudio ſe diſtinguendi ab Hæreticis Deitatem dividentibus, uti egerunt etiam ex conſilio *Gregorii* & *Toletanorum* olim *Hiſpani*, cum ab aliis Perſonarum Pluralitatem negantibus ſimilis diſtinctio tunc quoque neceſſaria credi poſſet. Eſt ſcilicet res hæc *Indifferens*; α cum Mandato Divino non ſit determinata, perperam pro una & altera praxi adductis locis *Eph.* IV. 5. & *Hebr.* VI. 2.[1] quæ ad Baptiſmi in pluribus Perſonis Unitatem Specificam recte referuntur; β cum etiam utrobique apta ſit repræſentatio, hinc Unitatis Divinæ Eſſentiæ, Mediatoris, Mortis Chriſti, Ablutioniſque à Peccatis, illinc Trinitatis Perſonarum, Triduanæ Sepulturæ Chriſti, Multitudinis Peccatorum, Perfectioniſque noſtræ Mundationis. Unde tutiſſimum putamus, in Eccleſiis variis variantem hactenus praxin liberè retineri.

De Ablutione Trina vel Una agitur.

[1] *Exerc. Text.* XLVI. P. III.

De Formula Verborum in Baptismo differitur.

XI. Juxta Ablutionis actum adhibetur *Formula* Verborum, *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus S.* Per quam notatur, α & *Autoritas* ritum hunc præcipientis Dei, β & *Obedientia* illi præstanda à baptizatis, γ & *Fides* in eum illiusque promissa; quæque adeo fidem *Trinitatis SS.* evidenter probat, perperam oppositis textibus *Exod.* XIV. 31. & 1 *Cor.* X. 2. ubi diversissima phrasi longe aliud significatur, sicuti *Trinitatis Confessio* ab ævo ante Baptismum quoque fuit requisita, & *Symbolo Apostolico* primum ortum dedit. Quamquam autem; α omnino necessum sit, sive in Baptismo, sive ante Baptismum, Verbo aliquo Ceremoniam externam Baptismi declarari; β piè etiam atque recte hæc Formula Verborum ex *Matt.* XXVIII. 19. [2] repetita, & ab Antiquitate omni adhibita sit; γ quin & damnari debeat Neglectus ejus, sive ex reluctatione contra laudabilem Ecclesiæ praxin, sive ex Hæretica Trinitatis rejectione, uti factum à *Gnosticis, Paulianistis, Eunomianis*, & secundum multos *Arianis*, quin & *Socinianis* variis: *non* tamen *præcepit Christus hac Formulâ* necessario uti, dum Baptismi rationem & naturam, quemadmodum mox simul substantiam Doctrinæ junctæ, *non Verba adhibenda*, describit. Quod amplius liquere potest; α tum ex *Analogia* reliquorum *Sacramentorum*, ubi nulla Verba sunt certa à Deo addita; β tum ex *Facto Discipulorum*, quos Formulam hanc unquam adhibuisse non constat, sed & verbis vel re ipsa *in nomine Jesu* baptizasse legimus *Act.* II. 38. VIII. 16. X. 48. *&c.* perperam illa phrasi vel ad solum Jesu Præceptum tractâ, vel ad Judæos tanquam peculiari Formula restricta, contra Exempla adducta, vel opposito etiam tum Mandato Domini, quod de Formula hac usurpanda semper illum dedisse *Matt.* XXVIII. 19. [2] gratis supponitur, tum loco *Act.* XIX. 2. 3. ubi non ad Personam Spiritus S. sed ejus Dona Extraordinaria, & Baptismi accepti Speciem, respicitur; γ tum denique ex *Verborum* diversorum *Synonymia*, & Trium Personarum Una Essentia, per quam fit ut in Precibus quoque Unam Personam tantum nominare liceat, non exclusis sic aliis. Ut admitti non possit *Papistica* superstitio in his verbis, per quam; α inaniter disputant adversus *Græcos* de locutione in Persona, aut Prima, *ego baptizo*, aut tertia, *baptizatur servus Christi*, quam ad evitandam in Ministris Baptizantibus Gloriatio-

tionem primum videntur adhibuisse Græci, & ad Baptismum repetendum usque hi postea urserunt; β *Innocentius* similiter Baptismum improbavit, in quo *abluo*, *balneo*, *mergo*, *tingo*, pro *baptizo*, foret dictum, aut Qualitas Personæ Baptizantis addita; γ vulgò contra *Ambrosii* & *Nicolai Papæ* decisionem Baptismum, non nominata Trinitate, sed solo *Jesu*, irritum volunt; δ verba Latina postulant adhiberi, etiamsi ea nec intelligat Baptizatus, nec etiam Baptizans, barbare dicens, *in nomine Patria*, *& Filia*, *& Spiritua Sancta*, contra verborum additorum scopum omnem, & Pauli generale monitum 1 *Cor*. XIV. 6. 8. 9. *&c.* imo & addens, juxta quosdam, *Crucis*, *B. Mariæ*, quin & *Diaboli*, nomen.

[a] *Exerc. Text.* XXVIII. P. I

XII. Ablutio porro hæc fieri debet *ab Euangelii Ministris*; secundum α Domini ordinationem *Matt*. XXVIII. 19. β generalem Mysteriorum Dei Dispensationem ipsis concessam 1 *Cor*. IV. 1. γ praxin in Scriptis Novi Test. obviam, & ab Ecclesia Primitiva observatam, δ & decentiam rei, dum Baptismus vere Sigillum est, non ergo à Subditis promiscue absque Divino jussu imprimendum; ε haud evertente id Paulo, ubi ad baptizandum se missum negat, vel unicè, vel præcipuè scilicet 1 *Cor*. I. 17. *coll. vers*. 14. 16. & ad Baptismi ἀυτεργίαν respicit. Quod tenendum contra hypotheses; tam *Socinianorum* & *Anabaptistarum*, qui ex *Ministerii Sacri* ipsiusque *Baptismi*, ut nudi Signi, *Contemptu*, quam *Pontificiorum* & *Lutheranorum*, qui ex somniata *Necessitate*, vel absoluta plane vel nimia Baptismi, *Baptismum Diaconorum*, *Laicorum*, *Mulierum*, imo *Non-Baptizatorum*, post Veteres *Marcionitas* & *Pepuzianos* probant. Gratis autem pro se adducunt; α *Circumcisionem à Tsippora & Mulieribus Maccabaicis* administratam, & à Deo probatam *Exod*. IV. 25. 26. [1] 1 *Macc*. I. 63. cum Circumcisio perinde certo Ordini hominum non fuerit alligata, ut Baptismus, & Factum ibi tantum habeamus, rei non modi impotentis respectu probatum, vel etiam Factum adhuc dubium sit; β Exemplum *Philippi Diaconi*, *Ananiæ Laici*, illorum qui *ad Jussum Petri* Cornelium ejusque familiam, & *ad Jussum Apostolorum* reliquorum die Pentecostes Tria Millia baptizarunt, *Johannis Bapt*. ipsius non baptizati, &c. *Act*. VIII. 38. IX. 18. X. 48. II. 41. cum Philippus Euangelista fuerit, & vocatus præterea extraordinariè per Spiritum *Act*. XXI. 8. VIII.

Ministri Baptismi quinam sint Legitimi, & non.

ϛ. 26 Ananias similiter à Deo missus sit, & verisimiliter jam antea Euangelii Præco fuerit *Act.* IX. 10. 11. ex Jussu Baptismi suscipiendi non liqueat Petrum ipsum non baptizasse Cornelium, minus id opus Laicis ipso præsente fuisse demandatum, Tria Millia ab Apostolis uno die bene potuerint baptizari, queantque Duodecim illis ut Baptizantes jungi alii ex LXX. Discipulis, denique de Johanne Bapt. non baptizato nihil constet, imo rectius is, sive à Se ipso, sive ab aliquo ex Discipulis, baptizatus credatur; γ *Discrimen* omne, etiam *Sexus*, *in Christo sublatum*, ut non tantum liceat, sed & deceat *omnes*, etiam *non-conversos*, *docere* alios, cum sublatio discriminis spectet ad Gratiæ & Salutis participationem *Gal.* III. 28. Institutio Privata ex charitate omnibus quidem incumbat, neutiquam autem Publica ex ordine & nomine Dei Prædicatio, quæ interdicta absque Vocatione *Rom.* X. 15. & speciatim quidem Mulieribus 1 *Tim.* II. 12. 1 *Cor.* XIV. 34. nihil obstante extraordinario Prophetiæ dono, in Debora, Hulda, Hanna, &c. Conversio denique Interna & latens cum Baptismo visibili & externa Professione Christianismi conferri non possit; δ *Discrimen nullum* esse *in Aqua*, quod nec dant Adversarii omnes, nec ob Signi Sufficientiam in Aqua quavis & non factam ejus à Domino determinationem ullam hic conferri potest; ε denique *Necessitatem Baptismi*, quæ quanta sit, postea explicabitur. Ex hac thesi nostra porro facile de *Athanasii Pueri Baptismo* ludicro judicatur.

[1] *Exerc. Text.* IV. P. V.

Quæstiones nonnullæ de Ministro Baptismi leviores.

XIII. De *Ministro Baptismi* variæ adhuc sunt quæstiones, graviores, & *leviores*. Quales sunt v. g. α *An quis se ipsum Baptizare queat*; perinde ut creditur vulgo Abrahamus Se ipsum circumcidisse, Ministrique sibi Symbola Eucharistica sumunt, & Se ipsos salvant 1 *Tim.* IV. 16 potissimum cum Sacramenti substantia omnis maneat; contra quam plures statuunt, ob receptam Verborum Formulam, Personarum Baptizantium & Baptizatarum in Institutione distinctionem, Regenerationis in ipso homine Impotentiam, Exemplum Christi à Johanne baptizati, &c. Quæ posteriores rationes, extra speciale Dei mandatum, quale in Johanne poni potest, videntur prævalere; quamquam inutilis apud nos sit quæstio omnis, dum Ministri Ordinarii, Ecclesiæ dudum insiti, Baptismo nullo ipsi opus habent. β *An destitutus usu Linguæ vel Manus baptizare queat*? Ad quod ex majori minorive, tum Necessitate

mem-

membri, tum & ejus Defectu, facilè responderi potest. γ *An ab Uno tantum necessario administrandus sit Baptismus?* Quod ut absolute asseramus, nulla videtur stringens esse ratio. δ *An χειροθεσία in Ministro plane prærequiratur?* Quod ob Ceremoniæ istius rationem veram, dein explicandam *Cap.* XXXIII. negamus, ut Ecclesiarum quarundam praxis alia hoc nomine taxari non debeat, &c.

XIV. *Graviora* sunt ζητήματα. 1. *An Fides Catholica in Ministro Baptismi* ita *sit necessaria*, ut Hæresis Illegitimum non tantum sed & Nullum illum faciat? Qua de re uti multa olim fuit disputatio, affirmantibus *Afris*, *Agrippino* maximè & *Cypriano*, & *Asiaticis*, negantibus *Romanis*, *Stephano* maxime & *Sixto*, atque his cum magis importuno fervore rem urgentibus ad Communionem usque negatam illis, quod neutiquam agebant illi, ita recepta vulgo est *Hæresios Distinctio* multiplex; in qua aliquatenus, sed diversimode nec per omnia recte, *Concilia Vetera*, *Nicænum*, *Constantinopolitanum*, & *Laodicenum*, præiisse videntur, inter *Catharos & Paulianistas*, *Arianos* cum sequacibus & *Cataphrygas*, *Novatianos*, *Quartadecimanos*, *Photinianos*, & *Montanistas*, discernentia. Scilicet docetur, esse distinguendam Hæresin; α abditam & professione externa expressam; β retinentem Essentialia Baptismi & evertentem eadem; γ junctam cum Ministerii Ordine retento & neglecto plane; ac debere pro nullo haberi Baptismum, si Hæresis sit posterioris generis, non item prioris. Quamquam non absque ratione forte dubitari posset, an *in Cœtu vere Hæretico* ullo, sive fundamentaliter errante, licet Ceremonia & Formula externa retineatur, qualis est v. g. *Ecclesia Romana hodierna*, à qua Ecclesia vera se dudum separavit, in qua adeò non Ministri sed declarati sunt Christi Hostes, nec Societas tam corpus Christi quam Diaboli constituit, *Verus Baptismus* queat agnosci; putemusque nos certò, magis tutam esse *Baptismi* minus veri qualemcunque *Repetitionem*, quam veri *Neglectum*; quin & certissimè indecens sit, vere Fideles, ubi Baptismi copia ipsis in Vera Ecclesia contingere potest, illam vel Sibi vel Infantibus petere aut admittere apud Hæreticos ullos. 2. *An pariter in Ministro requiratur vera Pietas?* Cui quæstioni *Donatistica* & *Anabaptistica* hypocrisis, & profligata Sacerdotum impietas seculis elapsis, occasionem dedit; satisfit autem distinctione *Requi-*

An & quousque vera Fides in Ministro Baptismi sit necessaria. Quo sensu etiam in hoc requiratur vera Pietas. Et Legitima Vocatio.

quisiti Personalis, ad propriam Ministri salutem, dignam Muneris administrationem, & majorem Ædificationem, à *Requisito Sacramentali*, ad ejus Veritatem & Integritatem, quale esse vel Pietatem internam Cordis, vel externam etiam Vitæ, concedere non possumus, α ob exemplum Judæ Baptizantis ex Domini jussu, β fructus à Deo ut Principali Causa dependentiam, Ministris non aliter hic considerandis quam ut Instrumentis Moralibus 1 *Cor*. III. 5. 7. *Matt*. III. 11. γ simile Verbi cum fructu à malis prædicati *Phil*. I. 17. 18. δ veramque Pietatem sic latentem, ut graves quoque verè piorum possint esse lapsus. 3. *An Vocatio plane requiratur Legitima in Ministro?* Quod eousque iterum est asserendum, ut suæ conscientiæ Baptizans cæteroquin satisfacere nequeat, Vitium vero Vocationis Arcanum, vel etiam Notum, si Ecclesia non repudiet propterea vocatum, Baptismi virtutem non tollat.

De Intentione Ministri baptizantis contra Pontificios dissentitur.

XV. Maxime omnium cum *Papistis* controvertitur de *Intentione Ministri* Baptizantis, quam illi asserunt *ad Integritatem* hujus *Sacramenti*, & Cœnæ aliorumque suorum, similiter esse *necessariam*; quamquam re ipsa eandem satis iterum tollant, urgentes *Intentionem Virtualem* magis quam *Actualem* aut *Habitualem*, *Generalem* magis quam *Particularem*, *Faciendi* potius *Quod facit Ecclesia*, Vera vel Falsa quoque, quam *Conficiendi Sacramentum*, *&c*. Nos *Intentionem Internam Ministri* conferendi Sacramenti Efficacis ex institutione Domini putamus *Requisitum* esse *Personale*, quod si absit, atque Baptismus tamen externe administretur uti decet, eum esse integrum nec carere justo fructu *per Fidem Utentis*; probamusque idem α tum argumentis contra Necessitatem Pietatis adductis §. XIV. & probatis ab Adversariis, β tum Absurdis hinc fluentibus, dependere salutem & gratiam Dei à voluntate Ministrorum, nullam fore Baptismi recte suscepti Certitudinem, periculo Idololatriæ continuo exponi Papistas, dum nec de Ordinatione Sacerdotum, nec dè recta Consecratione Hostiæ, unquam certi esse illi possunt, &c. Et argutiæ meræ sunt, quas opponunt. 1. Requiri *aliquid ad Indifferentiam Formæ Verborum*, quæ alio significatu & à psittaco quoque adhiberi possent, *Determinandam*. Cum Verba omnia simul juncta, adhibitaque ex voluntate Domini à Ministro, juxta ritum baptizandi, circa hominem petentem Baptismum, satis sint determinata, nec possint

sint per Intentionem latentem utique discriminari. 2. Ministros esse *Instrumenta Ratione utentia*, perinde ut Judicem in Sententia lata. Cum α non minus ratione utantur in Ministerio Verbi; β nec exigat propter rationis usum dominus à servo intentionem interiorem in opere; γ denique fructus Baptismi non sic pendeat ab Autoritate Ministri, uti Liberatio à Judice 3. Verba Baptismi non esse *Theoretica*, sed *Practica*, & *Operativa* gratiæ. Cum verba in se tantum sint declarativa, & efficacia illorum tota sit à cooperante Divina gratia. 4. Sequi hinc Aspersionem, *joco vel irrisoriè* factam à quovis secundum consuetudinem Ecclesiæ, fore Verum Baptismum. Cum Jocus latens aut Irrisio Sacramento non obsit, sed prodita illa palam illud evertant, utpote institutioni Domini adversa; præter Necessitatem Ministri antea assertam.

XVI. Ablutionem Baptismalem *recipere* debent; α non *Res Inanimatæ*, ut Naves, Triremes, *Crux* apud *Armenios*, & potissimum *Campanæ*, uti fit à multis seculis in *Papatu*, addita etiam ὀνομαθεσίᾳ & Testibus, quæ Baptismum magis quam *Consecrationem* qualemcunque inferunt; β non *Mortui*, juxta praxin *Cataphrygum*, ne quidem per Vivorum Substitutionem, uti fecerunt *Marcionitæ* & *Cerinthiani*, praxi hac optime creditâ notari à Paulo 1 *Cor* xv. 29.[1] cum palpabile inde petatur argumentum ad hominem pro Resurrectione, atque ipsa phrasis satis innuat institutum illud non esse aut commune fidelibus aut laudabile admodum; γ non etiam *Homines* adulti, qui aut *Dormientes*, aut *Furiosi*, aut *Inviti*, pro quibus tamen omnibus baptizandis varii disputant *Scholastici*, aut *Inscitia* crassa, *Hæresi*, vel *Impietate* publica, alienos se à Dei Fœdere declarantes, cum sic Sigillum Sanctissimum nimis profanetur; δ non denique *Soli* verè *Pii & Credentes*, cum hos noverit solus Deus, & longioris temporis scrutinium ab Apostolis adhibitum non reperiatur, vel Festo Pentecostes vel postea, quamquam fiant hi soli Rei Obsignatæ per externam Ablutionem participes; ε sed omnes per *Fidei* externam *Professionem & Vitæ Sanctimoniam* transitum suum in Dei Fœdus declarantes, sive *externè Fœderati*, absque discrimine gentis, sexus, conditionis, ætatis, &c. *Matt.* III. 6. XXVIII. 19. *Marc.* XVI. 15. 16. *Act.* II. 41. VIII. 12. XVI. 14. 15. *Gal.* III. 27. 28. *&c.* Atque uti non est dubium, quin ad *Professionem* hanc, quæ ante Baptis-

Baptizandi quinam sint, declaratur.

ptismum præcessit, pertineat vox ἐπερωτήματος 1 *Petr.* III. 21[2]. *interrogationis*, sive *stipulationis*, *bonæ conscientiæ*, ita huc facit Antiquæ Ecclesiæ *Symbolum*, *Abrenunciatio*, *Sponsio*, diversusque *Catechumenorum & Competentium* status; quæ neque hodie inter nos plane negliguntur.

[1] *Exerc. Juv. Disp.* XXV. & XXVI. [2] *Exerc. Text.* XLII. P. V.

Omnino etiam Baptismus conferri debet Infantibus Fœderatorum.

XVII. Præter Adultos vero baptizandos quoque statuimus *Infantes Fœderatorum*; α ob *Mandatum* generale, ad *Gentes Omnes* absque discrimine extensum, colligendas sc. in Disciplinam Christi, quod voce μαθητεύειν notatur, quodque fieri debebat, tum per Baptismum, tum per Institutionem, quæ posterior in contextu postposita verius quam præposita, in prima Ecclesiæ collectione & Adultis, non vero semper erat præcessura; quod mandatum amplius ad Infantes omnino extendi debet, ob consuetudinem Judæorum Proselytos cum Infantibus baptizantium, hic nequaquam à Domino redargutam; β ob *Fœdus Dei* ad ipsos pertinens *Gen.* XVII. 7. *Deut.* XXIX. 10. 11.[3] *Joël.* II. 16.[4] *Ezech.* XVI. 20. 1 *Cor.* VII. 14. *&c* juxta ejus promissa *Matt.* XIX. 13. 14. 15. *Act.* II. 39. & Spiritum S. *Rom.* VIII. 9. unde aliquod saltem Fœderis Sigillum rectè infertur; γ ob exemplum *Circumcisionis*, cui successit Baptismus ejusdem significationis cum illa, gratiâ Dei utique sub Novo Test. non magis restringendâ quam olim *Col.* II. 11. 12. *Gal.* III. 28. *&c.* δ denique ob *Antiquam Praxin*, tum Veteris Ecclesiæ, dudum ab Historicis demonstratam, tum *Apostolorum* ipsorum *Act.* XVI. 15. 31. 33. 1 *Cor.* I. 16. quorum factum vel ad Personas in familiis actu credentes, vel ad Familias in quibus non erant Infantes, gratis restringitur, potissimum cum Fides Lydiæ & Commentariensis expressè tantum memoretur. Quæ Argumenta nostra, omnia vel plurima, dolemus à Nonnullis hodie omni studio, quamquam irrito conatu, enervari.

[3] *Comm. in Pentat.* [4] *Comm. in Loc.*

Pædobaptismi Hostes, & Argumenta contra illum diluta.

XVIII. Pædobaptismum minus vehementer *Sociniani*, magis fervide *Anabaptistæ* oppugnant, ut *Idololatricum*, *Institutionem Satanicam*, *Ceremoniam Anti-Christi*, *de qua ne jota in Scripturis*, *&c.* multum eos huc quoque impellente hypothesi de Hominis & Virium Liberi Arbitrii Integritate *Pelagiana*. Atque uti inepte eos

eos juvant *Papistæ*, quando ex *Traditione* eundem repetunt, ut *Scripturæ Imperfectionem* arguant, ita imbecillia illorum sunt argumenta. 1. Ex *Defectu Mandati*. Quod habemus hic implicitum, æque quam de Fœmellis Baptizandis; nec explicitum fuit necessarium, ob receptam passim ejus Praxin. 2. Ex *Defectu Exempli*, Dominici, & Apostolici. Qui α partim perperam supponitur, secundum dicta §. XVII. β partim justis nititur causis, quod sc. Jesus ipse neminem baptizaverit, & Ecclesia tum demum fuerit constituenda, & in re vulgo recepta specialis narratio foret supervacanea. 3. Constantia ex *Ratiociniis* variis, petitis; *α ab Exemplo Christi*, baptizati *Tricenarii*, qui tamen Infantili Ætate circumcisus fuit, ante institutum Baptismum baptizari non potuit, ut Sanctus natura à nobis multum distinguitur, speciales dilati Baptismi rationes habuit, nec in omnibus sed in hominis pii Officiis tantum à nobis imitandus est, & tandem secundum Adversarios etiam quoad illam præcise Ætatem imitandum se non proposuit; β à frustra adhibito Signo *Absque ejus Intelligentia*, quæ heic est in Parentibus, & sequetur in Infantibus, longe diversâ Inanimatorum & Campanarum ratione, nec olim in Circumcisione Infantum, mox etiam adfuit; γ ex *Defectu Fidei*, ejusque & Peccatorum *Professionis*, quam requiri utramque ante Baptismnm in Adultis damus, sed simul putamus sufficere, si in Infantibus secundum judicium charitatis subsequatur; δ ex *Defectu Beneficiorum* obsignatorum, uti Sanctificationis, cum hæc in Infantibus vere quoque adsint, modo variante uti in Sanctificatione, quæ non magis ipsis quam Naturæ Corruptio præcedens negari debet; ε ab *Indecentia & Inutilitate Obligationis* per Baptismum impositæ, Infantibus non intelligentibus, & sæpe postea rescindentibus, cum Obligatio sit salutaris, ab iis qui potestatem habent imposita, postea intelligenda, & ab aversione à Deo hominem magis cohibitura, quâ tamen ipse etiam in Adulta ætate baptizatus ad suum exitium peccare potest; ϛ ab *Eucharistia Infantibus non data*, cum ejus ex natura sua ut Sacramenti Nutritionis solidioris, & ex requisitis Apostolicis satis claris, alia sit ratio; ζ denique ex *Unitate Baptismi*, quæ per Adultorum & Infantum non magis quam Virorum & Mulierum, Judæorum & Gentium, susceptionem tollitur. *Tertulliani* porro & *Nazianzeni* consilium, de *Baptismo Parvulorum* extra necessitatem potius *dif-*

ferendo, nec ipsam Praxin Pædobaptismi antiquissimam ejusve Decentiam evertit, quin potius firmat, nec nos multum sollicitat.

Ad Fœderatorum Infantes quinam pertineant.

XIX. Ad *Fœderatorum* verò *Infantes* putamus jure referri; α eos qui ex *Parentibus* nati sunt, adhuc *Infidelibus* sed postea *Conversis*; β qui ex *Alterutro Parente Christiano* provenerunt 1 *Cor.* VII. 14. γ qui a Christianis *in Filios* sunt *Adoptati*; δ qui ex ἀστοργίᾳ vel inopia Parentum *inter Christianos* sunt *Expositi*; ε qui ita sunt *Monstrosi*, ut principales tamen hominis retineant partes; ϛ qui *nati ex Illicito Coitu*, lege heic Politica *Deut.* XXIII. 3. perinde ut in Eunuchis, Moabitis, Ammonitis, intelligendâ de Publicis Functionibus, atque Maledictione Fructus Ventris *Deut.* XXVIII. 18. restringenda ad Pœnas Temporales aliasve sæpe à Deo, non tamen ab hominbus, inflictas; ζ qui nati *ab Excommunicatis*, aut *Schismaticis*, quin & *Hæreticis* forte, si Parentes id seriò poscant & ordini in Ecclesia statuto se subjiciant. Excludimus vero à Baptismo, Necdum Natos, ex Parte Natos, Liberos Infidelium ipsis per bellum aliamve vim ereptos, plane Monstrosos fœtus, Expositos inter Infideles, Ortos ex Hæreticis inde à majoribus ac à Baptismo in Ecclesia suscipiendo plane alienis, &c. Id adhuc addimus, uti Prudentiæ Ecclesiasticæ ab ævo fuit in Ecclesia, *Sponsionem Parentum aut Propinquorum* in Baptismo Infantum promiscuè exigere, quam respuentes graviter adversus optimum ordinem & Sacramenti dignitatem peccant; ita non immeritò velle *Ecclesiarum Canones*, ut ad evitandum Scandalum omne, & Signi Profanationem, in variis casibus recensitis solitâ major *Circumspectio*, *Dilatio*, & *Consultatio*, cum Parentum tractatione decenti, adhibeatur.

Christus ob quas rationes Baptismum susceperit.

XX. Verbum adjiciendum adhuc est de *Christo*, qui Ablutione Spirituali & Regeneratione nullâ cum haberet opus, Baptismum tamen juxta Circumcisionem quoque suscipere voluit; α ut *Exemplo* suo Baptismum nobis commendaret; β ut *Unionem* cum Baptizatis exprimeret; γ ut *Peccatorum Ecclesiæ* inhærentium sibique imputatorum *Ablationem* totalem ipsi obsignaret Pater, ac ipse vicissim nobis; δ ut doceret etiam suam *Sanctitatem* Naturalem, *Subjectionem* humilem pro nobis, & futuram *Mortem*, *Sepulturam*, ac *Suscitationem*. Quorsum spectat locus illustris, quo Johanni renuenti baptizare Dominum hic ipse respon-

spondit, ὅτω πρέπον ἐςὶν ἡμῖν πληρῶσαι πᾶσαν δικαιοσύνην *Matt.* III. 15. respiciens secundum quosdam ad Officiorum omnium decentium Exsecutionem, secundum alios, paulo subtilius, ad Justitiæ plene à Christo implendæ pro electis Obsignationem.

XXI. *Locus* Ablutionis Baptismalis Divino jussu *determinatus non est*; unde quocunque loco promiscuè, non tamen in *Cœmiteriis*, uti ad textum 1 *Cor.* XV. 29.[1] volunt quidam, Johannem & Apostolos baptizasse comperimus *Matt.* III. 6. *Joh.* I. 29. III. 23. *Act.* II. 41. VIII. 38. IX. 19. X. 47. XVI. 33. *&c.* & similiter Veteres Christianos, apud quos *Baptismus Clinicorum* quoque obtinuit, quin & *in Carcere* baptizati quidam fuere. Recte tamen Ecclesiastica ordinatione postea constitutum fuit, ut *in Ecclesiæ Cœtu* Baptismus administraretur, ideoque vel prope Templum vel in illius Introitu collocarentur Vasa apta, sub vario *Baptisteriorum*, *Photisteriorum*, *Piscinarum*, *Columbethrarum*, *Fontium*, *&c.* nomine celebria, vulgo ex lapide facta, aliquot gradibus depressa, concava, oblonga, in fastigio Columbâ post aurea vel argentea ornata &c. In his postremis enim quamvis Superstitio multiplex postea accesserit, in Ecclesiæ Cœtu generatim tamen Baptismum administrari, ubi tranquillus Ecclesiæ constitutæ status id permittit, convenientissimum est; α ab *Institionem* in Ecclesiam per Baptismum; β ob *Verbum* ibi prædicatum, cujus est Signaculum; γ ob *Testium* plurium illic præsentiam; δ ob majorem actus *Solennitatem*; ε ob junctas denique Fidelium *Preces*. Baptismum interim *Privatum*, præsente Presbyterio, in casu extraordinario aut majoris Necessitatis, ubi ex neglectu notabili Baptismi conscientia hominis circa se vel liberos suos aliter tranquillari non potest, post præviam institutionem de Baptismi haudquaquam absoluta ad salutem Necessitate, admittunt merito *Canones Ecclesiastici*, & nostri quoque *Dordraceni*.

Locus Baptismi administrandi.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* XXV. *&* XXVI.

XXII *Tempus* nullum aliud definivit quoque Dominus, quam seriæ *Conversionis in Adultis*, utique non procrastinandæ, & *Primum* quodcunque aptum *Momentum in Parvulis*. Ut α probari non possit factum *Clinicorum*, aliorumque cum *Constantino M.* Veterum, qui ex hypothesi de Peccatis Præcedentibus per Baptismum tantum ablutis, reliquisque haud ita facilè remittendis, illum *ad finem vitæ* differebant, faciente cum his quadantenus *Serveto*, qui

Tempus Administrationis ejusdem.

Trigesimum Annum secundum exemplum Christi Baptismum differri voluit; β improbari quoque debeat, tum praxis *Moscovitarum*, Pædobaptismum *ad Diem Quadragesimum* ætatis differentium, tum opinio *Fidi* ab Afris recte rejecta, de dilatione ejus *ad Diem Octavum* instar Circumcisionis, cum lex illa olim in Circumcisione data una cum ejus ratione præcipua in Baptismo non obtineat. *Solenniora* porro *Baptismi Tempora* apud Veteres fuerunt; α *Paschatis* Festum, in memoriam Resurrectionis & præcedentis Mortis Domini servatum, illudque præcedens *Vigilia*; β *Pentecoste*, ob effusum tum Spiritum; γ atque alicubi *Epiphania*, in memoriam, sive Nativitatis, sive Baptismi à Christo suscepti. Quod totum Constitutionis fuit Ecclesiasticæ, uti nos hodieque in Adultis Tempora potissimum Cœnam præcedentia, ac in Infantibus certos Conventus Ecclesiasticos, aliis vulgo exclusis, observamus; Matutinum tempus quibusdam immerito Pomeridiano præferentibus.

Necessitas Sacramenti hujus determinatur, contra Papistas. Quorum simul solvuntur objectiones.

XXIII. Divinum vero Præceptum fecisse Ablutionem hanc Christianis *Necessariam*, ut sit *Medium* quoque *Ordinarium* confirmandæ regenerationis & salutis, constat satis ex ante dictis. Quam *Necessitatem* tamen pessimè *Absolutam* faciunt *Pontificii*, post Veteres nonnullos *Pelagianorum Oppugnatores*; usque adeò, ut Non-Baptizati Infantes beatitate propterea excidere, vel etiam mitiori Sensus Pœnæ subjici credantur, sive in Limbo Infernali, sive quoque in Inferno ipso, contra communem regulam, de *Baptismi non Defectu sed Contemptu damnante*. Quam sàtis probat; α indefinita Divini Fœderis extensio ad Fidelium Semen *Gen.* XVII. 7. *Matt.* XIX. 13. *Act.* II. 39. I *Cor.* VII. 14. *&c.* β Circumcisionis olim severissimè quidem mandatæ, non tamen absolutè necessariæ, Exemplum; γ Domini ipsius aperta vox *Marc.* XVI. 16. ubi post exactum Baptismum juxta Fidem, Infidelitatem tamen solam absolutè damnare addit; δ ratio tandem multiplex, ex Salute addicta Latroni non baptizato, ex Dei in gratia sua communicanda Libertate, ex Salute Infantum sic suspensa ab arbitrio Hominum & Casibus multis fortuitis, ex natura Baptismi, non producentis salutem ex Opere Operato, ex Personali Parentum Culpa non imputanda liberis, ex falsis quæ hic supponuntur hypothesibus, de nullo ante Baptismum inter liberos Fidelium & Infidelium discrimine, de Loco aliquo præter

ter Cœlum & Infernum perpetuæ mansionis post hanc vitam Tertio, de Pœna aliqua Damni æterna absque Sensu, dè Peccato Originali Pœnam solius Damni inferente, &c ex Supplemento quoque Vicario Baptismi multiplici apud *Papistas* vel omnes vel quosdam saltem inculcato, Martyrio sc. Pœnitentia, Voto, etiam Parentum circa liberos, &c. Nec juvat adversarios. 1. Locus, quem tantopere ostentant *Joh.* III. 5.[1] Cum α *Aqua* ibidem notare possit, vel Originem Vitæ Animalis, *coll. Jes.* XLVIII. 1. *Psal.* LXVIII. 27. ad quam altera nova accedere debet, vel Obedientiam & Meritum Christi, quæ est Regenerationis nostræ Causa Meritoria, vel Spiritus Naturam Aqueam *coll. Jes.* XLIV. 3. *Ezech.* XXXVI. 25. 26. *&c.* per receptissimum ἓν διὰ δυοῖν, uti *Matt.* III. 11.[2] quò repetita solius *Spiritus* mentio *vers.* 6. *&* 8. nos quoque ducere queat, vix memorandis inanissimis instantiis *Papistarum*, de Spiritu sic ubique per Aquam intelligendo, de nulla tum futura Aquæ in Baptismo necessitate, de non asserendo tunc unquam ex Scripturis Pædobaptismo, de Regeneratione alibi ad Baptismum relata, &c. vel denique, Doctrinam Euangelii sanctissimam; β supposità Aquæ de Baptismo interpretatione, non mox æqualis sit necessitas Causæ Principalis & Instrumentalis nostræ Regenerationis, etiamsi utraque jungatur, alibi junctis etiam inæqualiter necessariis *Matt.* XVII. 21. *Rom.* X. 9. 10. *&c.* γ in summa denique hic non innuatur Baptismi, sed Regenerationis Absoluta Necessitas, ad quam vulgò concurrere Baptismum nemo negat 2. Loca alia *Marc.* XVI. 16. *Eph.* V. 25. 26. *Tit.* III. 5. 1 *Joh.* V. 6. 8. *&c.* Quæ nihil aliud, quam Mandatum Divinum suscipiendi Baptismi, atque Beneficentiam ejus per hoc medium Ecclesiæ & singulis vulgo collatam, neutiquam Absolutam ejus Necessitatem arguunt. 3. Ratio multiplex; α à *reatu Peccati Originalis* in Infantibus fidelium, ad quem tollendum Sanguinem Christi sufficere putamus; β à *communi Statu Parvulorum* ex fidelibus & infidelibus natorum ante Baptismum, quem ob promissa de illis præ his facta nos omnino negamus; γ ex *Salute nulla extra Ecclesiam*, in quam per Baptismum intramus, cum illud de Externa Visibili Ecclesia absolute concedi non possit, & Nativitatis jure ad Ecclesiam pertineant Fidelium Liberi, tales in Baptismo solennius declarati; δ à *Pædobaptismi* hinc secutura *Rejectione*, cum fundamentis aliis antea ad-

ductis, quam Absoluta Sacramenti hujus Necessitate, ille nitatur, &c. 4. Denique *recepta ab ævo in Ecclesia sententia*, ipsa praxi in Negatis Precibus pro Non-Baptizatis Parvulis juxta Sepulturam Ecclesiasticam demonstrata. Cum α erroris antiquitas, ex fervore *Anti-Pelagiano* orti, veritati non præjudicet; β multi, etiam in Papatu, sanius se explicaverint; γ nec cum credita ab ævo constanter Absoluta Necessitate facile conciliari possit Dilatio solita Baptismi ad Paschatis & Pentecostes Festa, & frequens ad vitæ finem. Interim nimium elevari Baptismi Necessitatem ab iis *Schismaticis*, qui Dilationem Pædobaptismi ut prudentiorem commendant, non dubitamus.

[1] *Exerc. Text.* XXXVII. P. V. [2] *Exerc. Text.* XXVII. P. IV.

Repetitio Baptismi veri improbatur. Ubi Anabaptismi patroni notantur, & argumenta solvuntur.

XXIV. *Non* est autem Ablutio Baptismalis *Repetenda*, cum semel rite facta est, & de hoc satis constat, dum in Casu Dubio minus periculum esse videtur in Baptismi Repetitione quam in ejus Neglectu. Ad cujus Irreiterabilitatis confirmationem non adducimus, vel Miracula dubia *Aquæ* in rebaptizandis *Exsiccatæ*; vel *Adumbrationem Mortis Christi*, quam semel tantum subiit, nos tamen sæpius recolimus in Cœna; vel loca *Joh.* IV. 14. XIII. 10. *Eph.* IV. 5. *Hebr.* VI. 4. *&c.* quæ partim ad donorum gratiæ perpetuitatem, partim ad ablutionis internæ integritatem, partim ad fidelium de Uno Sacramento participationem spectant, *coll.* 1 *Cor.* X. 17. partim de Peccato contra Spiritum illuminantem resipiscentiâ nunquam expiando agunt. Sed α tum *Institutionem*, in qua nulla repetitionis, perinde ut in Cœna 1 *Cor.* XI. 25. mentio est, nec improbatur recepta Judæorum circa Proselytos praxis; β tum *Praxin Ecclesiasticam* pariter *&* *Apostolicam*, in qua Anabaptismi, circa Lapsos etiam & Hæreticos, nullum occurrit exemplum; γ tum Exemplum *Circumcisionis*, quam talem non absque ratione voluit Deus esse, ut reiterari non posset; δ tum *Initiationem in Fœdus & Regenerationem* hic obsignatam, quæ ratio sola tamen absque Dei jussu non valeret. Adversantur interim non tam *Homerobaptistæ*, Judaicæ superstitionis studiosi, aut *Æthiopes*, Festum Epiphaniæ læta Mersione quotannis celebrantes, aut *Asiatici* & *Afri* olim, veritatem Baptismi Hæreticis solum negantes; quam quidem *Marcionitæ*, *Novatiani*, *Donatistæ*, *Ariani*, *Eunomiani*, nostrique *Anabaptistæ*, à rebaptizatione baptizatorum in In-

Infantia, alterave Ecclesia, aut Secta inter ipsos, nomen hoc meritò habentes. Quibus omnibus nequaquam favet. α Textus Pauli *Hebr*. VI. 2. in quo Numerus Pluralis βαπτισμῶν, vel ad Præstantiam Sacramenti, vel ad Signum & Rem signatam, vel ad Trinam singulorum Mersionem, vel ad plures Baptizatos referri debet potius, quam ad Ablutiones Judaicas ab aliis nominatas. β *Exemplum Rebaptizatorum* illustre *Act*. XIX. 3. 5. Quale perperam ibidem supponi docuimus §. IV. aliis etiam existimantibus, vel Baptismum priorem à Circumforaneis sub nomine Johannis male administratum fuisse, vel Baptismum priorem aut posteriorem impropriè de Doctrina aut Donis Spiritus intelligendum esse, saltem non juvante hoc loco *Anabaptistas* qui inter Baptismum Christianum & Johannis Essentiale Discrimen ponunt; γ Ratio; vel à *Quotidiana Remissione* & remissionis Obsignatione, cum prior semel tantum fiat, posteriorque tum ex Baptismi memoria, tum ex Cœna, sufficiens oriatur; vel *à Fœdere* per peccata graviora quandoque *Rupto*, cum nunquam id à parte Dei irritum fiat, hominesque per Pœnitentiam redire tum debeant; vel ab *hypocriticè accepto* prius quandoque *Baptismo*, cum vitium illud Baptizati latens fide succedente suppleri possit; vel à *male* in Infantia atque extra Cœtus Anabaptisticos *administrato Baptismo*, cum vitium illud gratis supponatur, nec vitium omne Ceremoniæ mox illam totam irritam reddat.

De Charactere Indelebili Papistarum agitur.

XXV. Connexa cum *Papistis* est quæstio de *Charactere*, quem Baptismo juxta Confirmationem & Ordinem tribuunt, sive *Signo Spirituali*, *animæ impresso*, *absoluto*, *aptum reddente ad Dei cultum*, *configurante Chirsto*, *distinguente ab aliis*, *& indelebili*; quod ita vulgo urgent eidem, ut nullum aliud sufficiens argumentum contra *Anabaptismum* adduci posse putent. Ad quod commentum explodendum uti sufficit; α Silentium Scripturæ; β communis hujus Sacramenti, ut Obsignantis, non interne subjectum mutantis, cum aliis omnibus Natura; γ experientia Baptizatorum, & absque Signo ullo impietati omni se dantium; δ tandem & Dissensus multiplex *Scholasticorum*, de Characteris hujus Veritate, Confirmatione ex Scripturis, Natura, Subjecto, Effectu, Indelebilitatis Causa, extensione ad Circumcisionem, Baptismum Johannis, Mariam, Christum, &c. Ita infeliciter idem confirmatur; α ex locis 2 *Cor*. I. 20. 21.[1] *Eph*. I. 13. 14. IV. 30.

ubi

ubi non agitur de Baptiſmo, ſed de Spiritus S. Gratia omnibus & ſolis Electis propria; ϐ ex Vaticiniis, & Typis, tum Signatorum Poſtium, tum Circumciſionis, *Jeſ.* LXVI. 19. *Ezech.* IX. 4. *Pſ.* IV. 7. *Exod.* XII. 22. *&c.* cum locis adductis, vel nulla Signi ſit mentio, vel agatur de Declaratione verorum Fidelium publica per Prædicationem & Profeſſionem Euangelii, & nec ad Sacramentum Baptiſmi reſpiciat Aſperſio Sanguinis, nec Circumciſio huc trahi poſſit, niſi Characterem Externum in carne quoque inferre velint; γ rationibus ineptis, à Dei Liberalitate in danda cum Sacramentis gratia, quæ nec ad Baptiſmum reſtringi nec ad omnes baptizatos extendi debet, à manente aliquo Sacramentali Effectu ex Baptiſmo abſque fide accepto, qui non eſt internus in anima, ſed externa Receptio in Eccleſiam non reiteranda, ab Irreiterabilitate, quæ alio fundamento jam expoſito nititur; δ *Veterum* tandem autoritatibus detortis, qui *Signationis*, *Formationis*, *Teſſeræ*, quin & *Characteris*, mentionem facientes, conſentientibus nonnullis *Scholaſticis*, vel ad Sacramentum ejuſque externas Ceremonias, vel ad Verborum Formulam, vel ad Gratiam internam, ſecundum *Pontificios* à Charactere omnino diſtinguendam, reſpexere.

[1] *Exerc. Text.* XL. P. I.

Ceremoniæ Baptiſmales variigeneris recenſentur. Exorciſmi ritus improbatur.

XXVI. De *Ceremoniis* ad Ablutionem accedentibus porrò verbo notamus, eſſe quaſdam; α *Apoſtolicas*, tum Perpetuas, ut peccatorum Confeſſionem ac Reſponſionem de fide, tum Temporales, ut Manuum Impoſitionem ſequentem; β *Eccleſiaſticas*, ſed antiquas & innocuas primum, ut Unctionem, Conſignationem, Lactis & Mellis guſtationem, Abrenunciationem, Coronæ & Albæ Veſtis geſtationem, Salis injectionem in os, Cereos Accenſos, & Nominis Impoſitionem, &c. γ *Superſtitioſas*, quales ſunt *Pontificiorum* illæ, à Veteribus magnâ parte acceptæ, ſive in ſe, ſive ob Efficaciam & Neceſſitatem iis tributam, ſive *Antecedentes* Baptiſmum, quas duodecim, ſive *Concomitantes*, quas quinque, ſive *Conſequentes*, quas tres numerant, & plurimas retinent etiam *Lutherani*, ne quidem excluſo *Exorciſmo*, in quo *adjuratur immundus Spiritus, in nomine Patris, Filii, & Spiritus S. ut exeat à baptizato Dei famulo.* Quem ritum, olim ex virtute miraculoſa fugandi Dæmonas circa Obſeſſos adhibitum, nec ut Neceſſarium dudum amplius, nec ut Indifferentem, in Baptiſ-

ptiſmo nos toleramus; *α* ob injuriam quæ ſic fit Chriſtianorum Infantibus, quaſi omnes forent Energumeni; atque ob temere adhibita verba, ubi Fides & Virtus Miraculoſa deeſt. Perperam objectâ; *α* ſpirituali omnium Obſeſſione, ex *Matt.* XII. 45. *Luc.* VIII. 12. *Joh.* XIII. 27. *Act.* V. 3. *Eph.* II. 2. 3. 2 *Tim.* II. 26. *&c.* ad quam tollendam Exorciſmus præſcriptus non eſt; *β* antiquâ item Exorcizandi Praxi, quæ alium finem habuit & donum extraordinarium ſuppoſuit, vel ludicris ſuperſtitionibus accenſeri debet; *γ* Repræſentatione denique, tum peſſimi Status Naturalis, tum Efficaciæ Baptiſmi, aptiſſimâ per hanc Ceremoniam, qualis ſcopus bonus ceremoniam alio citius longe trahendam, & alium in finem olim quoque adhibitam, juſtificare non poteſt.

Res Baptiſmi Signata eſt Spiritus & Sanguis Chriſti, & Ablutio Peccatorum per utrumque.

XXVII. Iſtis miſſis, ad *Rem Signatam* tandem progredimur, quæ indubie eſt 1. Tum *Sanguis & Spiritus Chriſti*; qui uterque ſub nomine vel ſimilitudine *Aquæ* venit 1 *Joh.* I. 7. *Petr.* I. 2. *Hebr.* XII. 24. *Jeſ.* XLIV. 3. *&c.* ob ſimilitudinem non unam, indicatam §. VIII. in primis in virtute Abluendi Sordes. 2. Tum *Ablatio Peccatorum*, quæ veræ ſunt ſordes in ſe, & maximè hominem fœdant *Ezech.* XXXVI. 15. *Act.* XXII. 16. *Eph.* V. 26. *&c.* Quæ quidem *α* ſe extendit *ad Peccata Omnia*, abſque diſcrimine, vel Temporis, contra quam peſſime ſtatuunt *Papiſtæ* poſt Veteres quoſdam, vel Gradus gravitatis, vel Subjecti ſpecialis; *β* *ad Reatum* ſimul *& Maculam*, ſecundum diſcrimen operationis Sanguinis & Spiritus Chriſti, dupliciſque beneficii Juſtificationis & Sanctificationis, quamquam hæc temporis tractu, ſed illa ſimul ſemelque perficiatur, *Marc.* I. 4. *Act.* II. 38. XIX. 4. *Col.* II. II. *&c.* *γ* conſideratur denique ſecundario quidem ut hominis Officium per Dei gratiam, ſed principaliter, ut conferendum à Deo Beneficium. Ad hanc autem Ablationem Peccatorum referri tanquam plane connexa debent, *Regeneratio*, *Indutio Chriſti*, *Inſitio in Eccleſiam*, *Mors ac Sepultura veteris*, *& Vita novi hominis*, *Salus æterna*, &c. Quorum quædam, cum reſpectu ad modum adminiſtrati Baptiſmi primum per Immerſionem, quandoque expreſſius nominantur *Tit.* III. 5. *Gal.* III. 27. 2 *Cor.* XII. 13. *Rom.* VI. 4. 5. 1 *Petr.* III. 21.

Finis & Effectus Baptiſmi κατ' ἀρετὴν & κατὰ θέσιν.

XXVIII. Unde ſponte fluit *Finis*, idemque in eventu *Effectus*, Ceremoniæ hujus externæ; qui *α non* eſt ſimplex *Profeſſio*

Christianismi, uti contra assertam antea Baptismi Necessitatem, & loca §. XXVII. adducta, pessimè statuunt *Socinianis*, ad elevandam Beneficentiam Christi, absque ulla ratione solida; β non item *Characteris Indelebilis* impressio, uti antea docuimus; γ non tandem *Impeccabilitas*, vel absoluta plane *Indamnabilitas*, vel *Liberatio ab Observantia divinæ Legis*, Obligatione Legum Ecclesiasticarum, & omnibus Votis, &c. quæ ex detorta malitiose doctrina nostra nobis affingunt *Papistæ*; δ sed tum *Obligatio* major ad Fidem & Resipiscentiam, tum præcipuè *Significatio*, *Obsignatio*, & actualis per gratiam Dei *Exhibitio*, *Ablationis Peccatorum*, per Sanguinem & Spiritum Christi.

Effectus debiti ex Baptismo non proveniunt ex Opere Operato. Quod contra Objectiones Papistarum defenditur.

XXIX. Notari verò hic debet insignis *Papistarum* error, (ad quem tum Sacramentorum in communi, tum illorum Novi Test. & Baptismi in specie, Efficaciam adversus nos fervidius urgentes *Lutherani* nimis appropinquant,) de Ablutione Externa ablutionem internam producente *ex Opere Operato*, sive propria Efficaciâ, licet nec principalis illa sit nec meritoria, oppositâ *Operi Operantis* & suscipientis Baptismum; quamquam hic secundum Recentiores per Peccatum Mortale aut Defectum Boni Motus *obicem* ponere possit, quod *Scholastici* antiquiores non videntur concessisse. Ad quam opinionem convellendam sufficit; α generalis *Sacramentorum ut Obsignantium & Moraliter* juxta Verbum *Operantium* natura; β *Salus Aquæ negata*, & Deo, Christo, ac Fidei & Resipiscentiæ adscripta 1 *Petr.* III. 21. 1 *Joh.* I. 7. *Joh.* III. 6. 8. γ *Gratia* sæpius *à Baptismo Separata*, ut in Simone Mago, iterumque *Concessa absque illo*, ut in Latrone, & Baptizatis adultis, qui Fidem suam adeoque Ablutionem ante Baptismum testantur *Marc.* XVI. 16. δ denique *Inefficacia Ritus Corporei per se in Animam*, & à peccato liberandam & gratia ornandam. Atque sunt inanissimæ Objectiones 1. Ex locis *Matt.* III. 11. *Marc.* XVI. 16. *Joh.* III. 6. *Act.* II. 38. XXII. 16. *Eph.* V. 26. *Tit.* III. 6. 1 *Petr.* III. 21. *&c.* Quæ omnia Salutem & Gratiam quidem ut Effecta Sacramento tribuunt, sed Modum Operationis Papisticum non definiunt, imò potius bene inspecta evertunt; conferendis merito similibus Elogiis quæ alibi Verbo Dei tribuuntur *Joh.* VI. 68. *Jac.* I. 21. *&c.* 2. Ex *Vaticiniis* Vet. Test. *Jes.* I. 16. *Ezech.* XXXVI. 25. *Mich.* VII. 19. *Zach.* XIII. 1. *Psal.* LI. 9. *Typisque*, uti aliis pluribus antea adductis, ita maximè

ximè Circumcisionis. Cum α loca illa nec spectent ad Baptismi Sacramentum, nec Modum Operationis ejus, etiam si illuc spectarent, determinent; β nec Judæis olim Circumcisio aliud quam Præputium Externum sua virtute abstulerit, perinde ut Aqua abluit Corporis Sordes. 3. Et *Rationibus* variis; α ab *Usu* sc. Baptismi in Non Intelligentibus, quales olim etiam fuerint quoad actum præsentem Pueri Circumcisi, & quales non sunt unquam Baptizandi, si Intellectus omnis præsens & futurus excludatur; β à requisita Divina Autoritate, quæ in Sigillo omnino est necessaria; γ à Distinctione à Verbo, quam quoad Claritatem, & Sensus Organum, & Gradum operationis, non verò quoad Speciem Operandi concedimus; δ ab Utilitate Baptismi in solis Suscipientibus, non Videntibus, quæ ex Applicatione ad Baptizatum fluit; ε ab Indifferentia Linguæ in Baptismo adhibitæ, quam juxta Divinam Ordinationem negamus; ϛ ab Independentia Effectus à Ministro, quæ pariter in Verbo obtinet, & ad Dei gratiam nos ducit; ζ ab Inutilitate in Doctis hinc secutura, quam ob Confirmationem majorem per Baptismum & reliqua Sacramenta, ac Doctissimorum dubitationes, negamus, *&c.*

XXX. Mittimus porro quæstiones varias de *Effectu Baptismi* motas; an certò sequatur *in Infantibus ante Usum Rationis Morientibus*; an *tollat Pœnam Civilem* per præcedens Scelus promeritam; quo modo cum Ablatione Peccati & manens *Macula & Mala* innumera conciliari possint; quo pacto *Peccata Futura* auferri possint, antequam existant, &c. quarum & similium omnium determinatio ex dictis satis facilis est. Notamusque potius clausulæ loco, Ceremoniæ hujus *Durationem ad finem seculorum* debere extendi; secundum α textum expressum *Matt.* XXVIII. 19. 20. ubi Doctrina Gratiaque Christi pariter cum Baptismo junguntur, β & Oeconomiæ Novi Test. Immutabilitatem; contra hypothesin *Socinianorum*, de Baptismo in Ecclesia ex Judæis & Gentibus colligenda tantum adhibendo, quam antea quoque evertimus.

Quæstiones nonnullæ de Baptismo reliquæ. Et Baptismi tandem Duratio.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

De Sacra Cœna Dominica.

Cœnæ Dominicæ & Sacræ nomen declaratur.

SEquitur, secundum ordinem Institutionis, Administrationis, & Rei Significatæ, COENA, distinctionis ergò dicta DOMINICA, & SACRA. Nomen ipsum, derivatum vel à θοίνη vel potius à κοινὴ, commune & liberale Convivarum dicit Epulum; & meritò quidem Sacramento huic datur, α ob *Institutionem* ejus *Vespertinam*, quamquam Romanos olim Cœnam pro Prandio posuisse velint, β ob hujus Epuli *Præstantiam* eximiam, γ & celebratam hic *Communionem Christianorum cum Domino ac inter Se*, tum Spiritualem, tum etiam Corporalem. Nec epitheton magis commodum addi potest, quam utrumque nominatum, dum est; α *Dominus* Jesus, Autor instituens, Hospes, Epulum, ejusque passi Memoria finis Ceremoniæ totius; β & *Sacrum* revera Epulum, respectu Originis, Symbolorum, Accumbentium, & Finis omnis. Unde legimus etiam Κυριακὸν Δεῖπνον 1 *Cor*. XI. 20. perperam Nomen hoc repudiantibus vulgo *Papistis*, atque de Agapis potius quam dè Sacramento olim usurpatum fuisse illud, contendentibus.

Adduntur Synonyma Sacra & Ecclesiastica. De voce Missæ agitur speciatim.

II. Alia plura habet Nomina; α tum in Scriptura, *Mensæ Domini*, *Fractionis Panis*, *Poculi Benedictionis & Panis Fracti*, *Manducationis Panis & Bibitionis Poculi*, *Sanguinis*, *Potationis*, *Spiritualis Cibi & Potus*, &c. 1 *Cor*. x. 21. *Act*. 11. 42. xx. 7. 1 *Cor*. x. 16. xi. 26. 1 *Joh*. v. 6. 8. 1 *Cor*. xII. 13. x. 4. &c. aliis huc quoque referentibus *Agapas* ex *Jud. vers*. 12. sed quæ potius cum Cœna ex antiqua Christianorum praxi junctæ fuere; ϐ tum apud Patres, εὐχαριστίας, συνάξεως, κοινωνίας, λειτουργίας, θυσίας, προσφορᾶς, *Immolationis*, *Sacramenti Altaris*, *Oblationis*, &c. Quæ posteriora Nomina, adhibita sic ad magis lucrandos Gentiles & Judæos, respexerunt primum, non ad *Sacrificium* aliquod *Incruentum Missaticum*; sed α ad *Oblationem Symbolorum* in usum Cœnæ & Agaparum à fidelibus factam, β ad repræsentationem *Sacrificii Christi*, γ & ad necessario junctam *Oblationem Spiritualem*, contriti Cordis, Precum, & Eucharistiæ. *Missæ* nomen serius

rius Sacramento huic tributum est, & usurpatum primò prò *Missione*, sive *Dimissione*, Catechumenorum, & Fidelium quoque subsequente, quomodo Latini *remissam*, *collectam*, *defensam*, *ultam*, *expositam*, *confessam*, *accessam &c.* similiter dixerunt. Ut errent pariter; α qui à Missione Precum, Symbolorum, vel Angeli alicujus assistentis, nomen id derivant; β qui Græcam illi tribuunt originem μυήσεως, aut aliam similem; γ qui ad Hebræam originem ascendunt, sive *Pontificii*, deducentes eam à משתה/ *convivium Jes.* xxv. 6. aut מסה/ *Deut.* xvi. 10. quod quidam per *tributum* aut *oblationem*, alii per *sufficientiam* vertunt, sive Nostri quoque, qui hic adducunt *Deum* מעזים / ex *Dan.* xi. 38. in qua voce tamen allusionem soni aliquam observari non abnuimus; dum Nomen *Missæ* ipsum *Latinum* esse, ex usu apud hos solos, Græcis & Hebræis exclusis, satis liquet.

III. Homonymia hic fere prætermitti posset; cum α rarius usurpetur *improprie*, tum de futura Gloria *Apoc.* xix 6. *Luc.* xiv. 24. tum de Gratia interna *Apoc.* iii. 20. quin & de Judiciis Dei *Apoc.* xix. 17. β vulgo verò ad Symbolum Gratiosæ & Gloriosæ Communionis Dei Externum applicetur. Quem ad modum definitur; *Alterum Novi Test. Sacramentum, in quo per Participationem de Pane Fracto & Vino Infuso vera spiritualis Nutritio per fractum pro illis Christi Corpus & fusum ejus Sanguinem, Fœderatis Adultis à Deo per Ministros Euangelii significatur, obsignatur, imò & per gratiam simul internè vere credentibus exhibetur, ipsique omnem ad Charitatem adversus Deum & proximum efficacius obstringuntur.* Cœnæ Homonymia & Definitio.

IV. Supponimus hic Domini *Institutionem.* Quæ, narrantibus juxta Paulum 1 *Cor.* xi. 23. Euangelistis Tribus *Matth.* xxvi. 26. *Marc.* xiv. 22. *Luc.* xxii. 19. *&c.* facta est à Christo *post habitum Pascha*, & factam *Pedum lotionem*, juxta alia pauca, *Ultima vitæ ejus Nocte*; α cum hactenus obtinuisset Paschatis Sacramentum; β & clarissima hic Mortis instantis esset Delineatio, γ ut eo majori cum Attentione & Reverentia Præceptum à moribundo Domino datum quoque observaretur ad finem mundi usque. Atque debent in hac Institutionis historia magis distinctè notari. 1. *Facta Christi*; qui α symbola externa *Panis & Vini accepit*, β ea per εὐλογίαν junctamque εὐχαριστίαν, unde voces hæ permutantur, ad Cœnæ usum *consecravit*, γ Panem *fregit*, δ tandem juxta Institutio Cœnæ, cujus Historia exponitur. Quoad Facta Christi. Et quoad Dicta ejus, Præceptiva & Promissiva.

ta Poculum *distribuit* inter accumbentes Discipulos. Ubi non est excludendus à Participatione *Dominus ipse*; α cum reliquis Sacramentis omnino fuerit usus; β in hoc Unionem amicam cum Suis optimè exprimere potuerit; γ & *non iterum Bibendum* cum Suis Vinum fore monens, Participationem præsentem satis expresserit; δ *silentio Euangelistarum* ad negationem rei non sufficiente. Quamquam verisimilius nobis videatur, *non participasse de Cœnæ Symbolis Judam*, perinde ut de Paschate egit; cum α post intinctam Offulam *statim exiverit Joh.* XIII 30.[1] β nec probabile videri queat, post apertissimam Proditoris Declarationem Sacramentum hoc cum Promissione tanta applicatum fuisse ipsi juxta reliquos Discipulos; γ gratis objecto à *Veteribus & Recentioribus* plurimis aliter statuentibus textu *Luc.* XXII. 21. 22. ut in quo rem non narrari secundum Ordinem Temporis, evidenter liquet ex *Matt.* XXVI. 24. & *Marc.* XIV. 18. 2. *Dicta Christi*, continentia; α *Mandatum*, *Accipiendi*, *Edendi*, *Bibendi*, & *Faciendi hoc ad sui Memoriam*, quod habet *Lucas*, & latius extendit Paulus, ineptissime vocem hanc trahentibus *Papistis* ad *Sacerdotii Novi Institutionem*, & *Sacrificium* verum, quod ea quandoque sic apud Latinos, imo forte & Græcos & Hebræos quoque, ex contextu sumatur *Lev.* XV. 15. 1 *Reg.* XVIII. 23. *Hos.* II. 7. *Luc.* II. 27. dum hic utique per additum *hoc* restricta est ad Facta & Dicta Christi præcedentia, & longe aliter à Paulo exponitur; β *Promissum*, quando addit Panem *esse*, phraseologia Metonymica quæ in aliis Sacramentis observatur pariter, & ex quotidiano omnium Usu satis intelligitur, *Corpus suum*, *Datum*, *Fractumque pro ipsis*, similiter *Poculum*, respectu Vini contenti, *Sanguinem suum*, & *Novi Fœderis*, *Effusum ad remissionem peccatorum*, *pro multis*, sive *Novum Fœdus in suo Sanguine pro ipsis Fuso*, in his Præsenti Tempore palam & certissime adhibito ob Instans Passionis Complementum. Neque dubitamus, quin pariter ad *Promissionem* referre aptissime liceat mentionem additam *Vini Novi*, bibendi cum Discipulis in Regno Patris; quod de Gloria potius & Gratia salutari, quam de Corporali Conversatione in his terris post Resurrectionem, intelligimus, ducente nos illuc etiam Paulo, quando *Adventum Domini* memorat.

[1] *Exerc. Text.* XXXIX. P. IV.

V. *Signum* in hoc Sacramento *Substantiale & Visibile* duplex est,

Panis & Vinum. Nulla in *Pane* facta est à Domino determinatio; α vel *Frumenti*, quoad ejus Speciem, ita ut *Triticum* tanquam maxime familiare & nutriens præferri quidem debeat, sed tamen credamus, ubi Panis deest, id quod loco Panis usurpari solet rectè adhiberi quoque; β vel *Fermenti*, addendi aut arcendi, cum Pane Obvio usus sit Dominus. Ubi putamus pariter errare. 1. *Græcos*, qui *Panis Fermentati* Usum necessarium ponunt; α ob nomen ἄρτϐ, derivatum ab ἄιρω, sive *sublatione* quæ fit per Fermentum; β ob abrogationem legis ceremonialis de *Azymis*; γ ob symboli Passionis & Tristitiæ exclusionem ab hac Cœna; δ ob *Salis & Fermenti* similitudinem à Domino adductam *Matt.* v. 13. XIII. 33.[2] *&c.* ε & maxine ob *Exemplum Domini*, quem anticipasse Festum Azymorum, & Fermentato pane usum fuisse, volunt. 2. Et *Latinos*, qui pugnant pro Necessitate *Panis Azymi*; tum α ex *Exemplo Domini*, qui ob habitum Pascha indubie Azymis secundum Legem usus fuit, tum β ex *Mysterio* ejus maximo, & in Christo, ut justissimo, & in Nobis, exposito etiam 1 *Cor.* v. 7. Quæ lis inter eos potissimum viguit à Seculo XI. sive tempore *Michaelis Constant.* & *Leonis* IX. *Rom.* Episcopr, & haud parum ad confirmandam augendamque Orientalium & Occidentalium divisionem fecit. Nec facile dixerim, an comparativè Azymi Panis usus, ob Mysterium & Factum Christi, an vero Fermentati, ob Nutrimentum majus ac Gratiorem usum præferri debeat. In *Forma* amplius panis Rotunda vel Oblonga, itemque *Magnitudine*, minori paulum aut majori, quamquam non sit discrimen; improbamus tamen omnino *Hostias* sive *Oblatas* Orbiculares *Pontificiorum*, à *Lutheranis* quoque plurimis retentas; α quæ respectu *Materiæ* Panis nomen vix merentur, & ad usum obsignandi, substernendi, aliosque potius quam ad esum fiunt; β respectu *Magnitudinis* Fractionem in communem usum sustinere nequeunt; γ ratione *Formæ Denarii* superstitiose ex Denariis, prò quibus venditus Christus, & Denario operariis soluto, derivantur; δ denique incognitæ Apostolis & primis Christianis ante pauciora secula demum ex Neglectu Sacramenti ac Paucitate Communicantium sunt introductæ, dum multum ab his differunt *Tortæ Azymæ* Judæorum tempore Paschatis. Veteres *Hæreticos*, α sive *Similam & Farinam* substituentes, ut *Barsanianos*, & *Semidalitas*, β sive *Caseum* Pani jungentes, ut *Arto-*

Signum Substantiale Duplex, quorum primum est Panis, cujus Qualitas inquiritur. Et Forma Orbicularis.

totyritas, γ sive *Sanguinem* aut *Semen* pani miscentes, ut *Gnosticos*, *Manichæos*, & *Cataphrygas*, vix nominatione dignos nos heic putamus.

² *Exerc. Text*. XXIX. P. V

Alterum Symbolum est Vinum; cujus Qualitas additur. In primis de Vini Mixtione agitur.

VI. Alterum Symbolum, juxta prius satis obvium & familiare, est *Vinum*; quod ipsum à Domino adhibitum esse, non discimus cum *Pontificiis* ex Traditione Ecclesiastica, sed α tum ex consuetudine Hebræorum Paschali, ϐ tum ex expressa mentione *Geniminis Vitis Matt*. XXVI. 29. Cui Symbolo licet substitui possit aliud Vini loco usurpari solitum ad Potum, ubi illud prorsus deest, vel in plane Abstemiis, si qui tales, ob generalem analogiam & Sacramenti scopum: damnanda tamen est perversa praxis *Tatianorum*, *Severianorum*, *Hydroparastatarum*, sive *Aquariorum*, qui Vinum repudiabant, *Aqua* substituta, prætextu Pravitatis Vini, vitandæ Intemperantiæ, Aquæ in Baptismo commendatæ, aliove simili, quibusque nos ob hypothesin de Necessitatis Casu modò propositam malitiosè accensent *Papistæ*. Nullum autem statuimus Discrimen. 1. In *Vini*, sive ortus *Loco*, sive *Colore*, rubro vel candido; quamquam probabilius forte sit ob Paschatis Festivitatem, Vino Rubro Dominum esse usum, *coll. Gen*. XLIX. 11. ¹ *Deut*. XXXII. 14. ² *Prov*. XXIII. 31. *Jes*. XXVII. 2. *&c*. & in hoc major etiam adsit Sauguinis Christi repræsentatio. 2. In usu, vel *Vini Meri*, quod neutiquam *Græci* omnes sed *Armenii* habent, vel *Aqua Mixti*, sive *Diluti*, quod post longiorem Veteris Ecclesiæ usum, ex Agaparum conjunctione ad vitandam ebrietatem ortum, *Papistæ* necessario adhibendum volunt, sive *ad Constitutionem Sacramenti*, sive potius ad *Rectam ejus Administrationem*, sive *ex Præcepto Domini*, sive *ex Ecclesiæ Ordinatione*. Nixi gratis; α *Exemplo Domini*, quem diluisse conjectari, haud obstante mentione *Geniminis Vitis*, non demonstrari potest, nec in eo regulam nobis perpetuam dare voluisse existimamus, utpote Circumstantiâ ex Terræ & Temporis consuetudine fluente; ϐ *Aquæ* cum sanguine *Fluxu* ex latere Christi, quem ad Sacramentum Geminum potius mysticè referimus quam ad Unum unius Sacramenti Symbolum, & ad literam putamus ad certitudinem mortis Christi spectare; γ *Mysteriis* sic repræsentatis, vel Duarum Naturarum in Christo, vel Obedientiæ ejus Activæ & Passivæ, vel Unionis ejus cum Ecclesia, &c. quæ meræ allusiones sunt humanæ.

¹ *Comm*.

[1] *Comm. in Pentat.*. [2] *Comm. in Pent.*

VII. *Non* debent hæc Symbola Duo sibi invicem *Misceri*, uti factum olim in *Panis Intincti Offulis*, quæ Ægris, Infantibus, & aliis quoque tandem dabantur; contra Praxin Christi, & Præceptum distinctum *edendi & bibendi*. Sed neque à se invicem *Dividi*; vel ut *Duplex in Cœna* una stricte dictum *Sacramentum* agnoscamus, cum in Convivio ad Nutritionem utrumque hoc plane sit necessarium, *Veterum* latiori phrasi perperam à Viris Doctis nonnullis opposità; vel ut *Communio sub Una Specie Panis apud Laicos* introducatur, uti exclusa Communione Laicorum sub Utraque cœptum fieri apud *Papistas* Sec. XIII. & stabilitum sacrilegè Sec. XV. in *Concilio Constantiensi*. Sufficit ad sacrilegii hujus eversionem *α Institutio Christi* prima, ubi Edentes Discipulos etiam bibere jussit, *omnes* compellans, uti *omnes* mox biberunt, & sic porrò facere jussi sunt; vanissimè excipientibus *Papistis*, vel non debere vocem illam *Universalissimè* accipi, quod respectu Omnium Hominum aut etiam Fœderatorum Infantium lubentes concedimus, vel *Solos* adfuisse *Apostolos*, cum ibidem non aliter quam ut Fideles Discipuli communicantes possint considerari, vel Institutionem hac in parte, non magis quam in Circumstantia Temporis, nobis legem perpetuam figere, dum Pars Essentialis in Circumstantiam indifferentem mutari neqnit. *β Praxis Apostolica*, irrefragabiliter liquens ex 1 *Cor*. x. 15. 16. 21. xi. 23. 27. 28. Inaniter iterum cavillantibus Adversariis; non omnia istius Epistolæ Dicta ad Omnes pertinere, Traditionem non esse Præceptum, Bibitionem conditionate & disjunctive proponi, Exemplum non inferre Legem Universalem, &c. *γ Ratio*; tum ex *Potu Necessario* juxta Cibum, & ad Integritatem Convivii, & ad veram Nutritionem; tum ex *Beneficio Effusi Sanguinis* ad Omnes pertinente, & ab omnibus memorando; tum ex *Imbecillitate Fidei* Fidelibus communi; tum ex *Communione Sanctorum* in hoc Sacramento præ reliquis repræsentatà, &c. *δ* Tandem *Praxis Ecclesiæ Antiquæ* universalis, ita palam constans, ut *Leo M. Episcopus Rom. Manichæos* per *Communionem sub Una* scripserit dignosci, & *Gelasius* rem eandem ut *Grande Sacrilegium* damnaverit; stultè oggerentibus *Pontificiis* Temporis Antiqui *Ruditatem*, & credentium *Paucitatem*. Unde ab aliis omnibus præter *Papistas* Christianis hodieque servatur eadem, tantaque plurimo-

Non debet Panis Vino misceri. Nec Vinum Laicis negari, ut fit sacrilege in Papatu.

rum in Ecclesia Romana, ante & post tempora Concilii Constantiensis, hic fuit oppositio.

Cassus Sacrilegii prætextus tolluntur.

VIII. Gratis opponunt ad excusationem Sacrilegii hujus *Papistæ*. 1. Loca; quibus vel *Figuram* volunt *Communionis sub Una* legi, quæsitam ab ipsis in Ligno Vitæ, Agno Paschali, Manna, Panibus propositionis, Sacrificiis, &c. vel *Manducatio sæpius* quam Bibitio commendatur, uti fit clare *Joh.* VI. 50. 51. vel *Panibus in usum Populi* benedixit Christus, non item Potui, *Joh.* VI. 11. &c. Cum α Figuras non agnoscamus Cœnæ ullas, sed Christi, nec enumeratæ Figuræ illæ à Potu fuerint sejunctæ; β juxta Manducationem, sæpius synecdochicè repertam ut priorem vulgo, urgeatur Bibitio, non referenda tamen illic cum priori actu ad Cœnam, sed ad Fidem v. 35. 53. 55. 56. γ Benedictio panis Miraculosa nihil spectet ad Sacramentum, & facta fuerit propter hujus solius præsentem defectum, dum aderat ad potum Aqua sufficiens. 2. *Praxin Christi & Apostolorum*, quam exsculpere student, ex memorata *Panis Fractione* sola *Luc* XXIV. 30. *Act.* II. 42. 46. XX. 7. XXVII. 35. Cum α vel non agatur illic de Cœna Sacramentali, sed Communi, uti fit primo & postremo loco; β vel Locutio sit Synecdochica, in Scriptura & Usu quotidiano satis trita *Gen.* XVIII. 5. XXXI. 54. *Prov.* XXX. 8. *Jes.* LVIII. 7. *&c.* 3. Rationes; α ex Comprehensione Christi totius sub unaquaque Specie per *Concomitantiam*, stabilitam loco 1 *Joh.* IV. 3. præsenti Christi post mortem semel gustatam Vita, miraculis Emanantis ex specie Panis Sanguinis, &c. cum sic *Transubstantiatio* temerè supponatur, res hæc in Laicis non magis quam in Clericis obtineat, abundantior Domini ordinantis Bonitas à nobis non debeat minui, non Corpus denique Integrum sed Fractum, neque Sanguis Venis inclusus sed Effusus, in Cœna nobis exhibeatur; β ex *Sacramenti Ratione* & utilitate integra *in solo Pane*, quod de Sacramento, uti à Domino institutum est, eodemque utilitatis gradu negamus, & Vinum sic protinus ab eo excluderet; γ ex repertis olim *Naziræis*, hodieque *Abstemiis*, qui pauciores omnino omnes fraudare non debent, aliis viis potius juvandi, & qui inter Sacerdotes reperiri quoque possent; δ ex *Defectu* aut *Penuria Vini* in aliquibus regionibus, cui consideratione exiguæ mensuræ, quæ hic requiritur, vel substitutione alterius Potus apti, succurri potest; ε ex defectu *Vasis tam Ampli*,

ad

ad potionem Multitudinis, cui plurium vel ejusdem repetitus usus substitui potest; ϛ ex *Periculo perdendi Sanguinis* per majores barbas, vel *corrumpendi* si quid supersit, quale in Pane quoque concipi potest, & prudentiâ debita averti debet, & Transubstantiationem rursus malè supponit; ζ ex *Contaminatione Vini*, per oris quorundam impuritatem, quæ hic vulgo obtinere gratis fingitur, & si mediocris sit nos non magis quam in communi convictu deterrere debet, si nimia per peculiare Poculum aut ultimum Potum tolli potest; η ex *indecenti Æqualitate Plebis cum Clericis*, quam in Participatione Signi æquè quam Rei Signatæ nos decentem potius statuimus; θ ex longiori per plura Secula *Praxi Ecclesiæ*, quæ semper ad Domini & purioris Ecclesiæ Praxin reformanda, nec supra 400. ferè annos antiqua est; denique ex *Hæreticorum Oppugnatione*, qui in rebus decentibus audiendi potius, quam rejiciendi sunt, ut in veritate fidei facilius eos lucrari possimus. Omnes vero hæ Rationes mirum quod olim, nec à Domino, nec ab Apostolis, nec a Patribus, sint observatæ. 4. *Praxin Ecclesiæ Veteris*, quam sibi aliquatenus adhuc favere putant; α dum non damnavit illa in *Manichæis* Calicis Ablationem, quod utique explicitè egit *Leo*, & implicite anteriores Hæresiologi; β dum fraus notatur Fœminæ Macedonianæ circa Panem solum, miraculo punita, quâ utique fraus circa Calicem similis non tollitur; γ dum leguntur antiqui Ritus, *Asservationis Sacramenti*, *Communicationisque Domesticæ*, *Infantium*, *Ægrotorum*, *Laicæ*, *Peregrinæ*, *Præsanctificatorum*, &c. qui omnes non sunt paris antiquitatis, quosque non favere Papisticæ Communioni sub Una, dudum ab Historicis monstratum est. Et conscientiam ablationis indecentis Calicis satis arguit in Papatu *Vinum Non Consecratum*, quod Laicis post Communionem præbent, specie externa decepturi.

IX. Post Visibilia Symbola sequuntur *Ritus* adhibendi; qui quidam Pani & Vino *Communes*, alii *Speciales* alterutri, alii *Ministrorum* item, alii *Participantium* sunt. Atque inter hos numeramus. 1. *Acceptionem* Panis & Calicis *in manus Ministri* de Mensa; quæ tamen non plane necessario Antecedit, aut respectu omnium Partium Panis singulatim requiritur. 2. *Consecrationem* utriusque, quæ fit *Prece* ac *Symboli Explicatione* clara & intelligibili, non autem vocibus his quinque solis, *Hoc enim Est Corpus Meum*, iis-

Ritus in Symbolis adhibendi Communes quinque. Acceptio sc. Ministri. Consecratio debita. Distributio inter Fœderatos, quæ

Missas Privatas evertit. Acceptio Fidelium, ejusque Modus. Tandem Usus ad Nutrimentum.

iisque *clam Admurmuratis*; α cum post Eulogiam Christi illæ demum sint pronunciatæ ab ipso, nec à Ministro in prima persona perinde ut à Domino ipso usurpari possint, nec solæ sufficiant; β & Submissa Vox exemplo Domini pariter, & praxi Veteris Ecclesiæ acclamantis *Amen*, & Scopo omni contrarietur, gratis palliata, vel Typo Pontificis, qui post Velum in Festo Expiationis à populo non audiebatur, vel Silentio Christi in Cruce præter prolata Septem Verba, vel Vilitate Verborum hinc secuturâ, vel Fabella de Pastoribus in agro per verba prolata Panem in Carnem mutantibus, in sceleris pœnam Igne Cœlesti absumptis, quæ uti die & consule caret, ita hypothesi Papisticâ propria de requisito ad Efficaciam Ordine Sacerdotali exploditur. 3. *Distributionem* inter Fœderatos præsentes, ex facto Christi, praxi primorum Christianorum, & scopo Sacramenti plane necessariam: eversam tamen per Pontificiorum *Missas Privatas*, in quibus Populo spectante Solus manducat Sacerdos, præter quas Quintuplicem aliam Speciem hoc nomine appellatam producunt *Papistæ*. Uti vero *Missæ* hæ Privatæ, Canonibus, Liturgiis, & monitis Patrum adversæ, in Ecclesiam Latinam paulatim irrepserunt; ex Veterum Communione Quotidiana, per decrescentem fervorem Christianorum collapsâ, & somniata prò necessitatibus quibuscunque vivorum & mortuorum Oblatione, ita inepte defenduntur, prætextu; α *Spiritualis Communicationis* per Fidem, quæ sola non satisfacit mandato Domini; β *Utilitatis Communis*, à publico Ecclesiæ Ministro intentæ, cum hæc modo præscripto à Domino quæri deberet, per particularem scopum & applicationem re ipsa satis tollatur, nec in Acceptione Symbolorum magis quam in Prædicatione aut Baptismo omnium personam sustinere possit Minister. Distributio hæc porrò fieri potest, *immediate*, vel *mediate*, ut jubeantur Fideles symbola accipere, de manu alterius, aut de mensa; neque Minister hic se ipsum, ubi unus est ipse, præterire debet. 4. *Acceptionem*. Cujus Instrumentum naturale *Manus* est, adhibita à Veteribus Christianis satis constanter, donec invalente superstitione post sex fere secula, Linteum mundum *Dominicale*, & *Vasculum*, adhiberi cœpit pretiosum, & mox Panis in Os intra dentes Laicis fuit ingestus; quæ res licet indecens & superstitiosa vere sit, dum nec manus Clericorum præ manibus Laicorum puræ, nec manus

nus præ organis interioribus impuræ censeri debent, non tamen Veritatem Sacramenti tollit. Addimus, cum non determinaverit Dominus, *accumbens* cum Discipulis juxta regionis & temporis morem, *Situm Corporis*, libertati Ecclesiarum hunc esse relinquendum; ut sive accipiant symbola *Stantes*, vel *Ambulantes*, ad notandam promptitudinem proprii servitii, sive *Sedentes*, ad exprimendam amicam cum Deo familiaritatem, sive etiam *Genua Flectentes*, ad humilitatem declarandam. Quamquam ob *Periculum & Speciem* ἀρτολατρείας *Papalis*, ac inculcatam à multis pessimè ejus Necessitatem, hic Situs Corporis hodie Adiaphoris vix amplius fortè annumerari possit. 5. *Usum ad Nutrimentum*, per Panis esum, oppositum religiosæ *Asservationi in Pyxide*, *Circumgestationi*, *Adorationi*, &c. & Vini Potionem, qualis an dici possit, quæ per superstitionem haud levem fit per *Fistulas Argenteas*, ex Poculo protensas, dubitare licet. Jungitur verò cum hoc usu meritò latior elata & intelligibilis *Mysterii Explicatio*, atque excitatio ad *Corda* per fidem in Jesum *Sursum* elevanda, illique obstringenda arctius, dum necdum participans Multitudo *Psalmodiâ* vel *Lectione Verbi* accommodata ædificatur.

X. Uti verò *Vino* tantum competit *Infusio in Calicem*, (cujus nec Materia nec Forma determinata est,) in prima Institutione facilè collecta ex Poculi Traditione; ita specialis in *Pane* ritus est ejus *Fractio*. Quam nos urgemus esse, non Indifferentem, sed ad legitimam & integram Sacramenti administrationem *Necessariam*, contra aliter in gratiam Oblatarum suarum statuentes *Lutheranos* & *Papistas*; α ob distinctè memoratum Christi Factum, ac Praxin Antiquitatis Apostolicæ & Christianæ omnis; β appellationem totius Ceremoniæ, ab hoc ritu sumptam, *Act.* II. 42. XX. 7. γ mysterium Fractionis Christi per Mortem hic repræsentatum, juxta Unionem Fidelium de uno Pane participantium 1 *Cor.* XI. 24. X. 17. Ad quæ uti gratis α regerunt illi, Christi Factum fluxisse ex Consuetudine Judaica, ad Panis molem accommodata, mandatum *Hoc Faciendi* ad rem non ad ejus modum pertinere, mysterium Fracti Corporis Christi fingi extra quin & contra Scripturam, *Joh.* XIX. 33. *coll. Matt.* XIV. 19. *Act.* XXVII. 35. &c. Fractione Panis non Cœnam sed vulgarem Convictum innui, Fractionem prò Distributione sola usurpari *Jes.* LVIII. 7. *Thren.* IV. 4. &c. Fractionem denique esse suffi-

Ritus Specialis Fractionis Panis, cujus monstratur Necessitas.

cientem, tum in prævia Massæ Distributione in Minutias nummularias, tum in Manducatione sequente, &c. β ita Fractioni decenti inepte substituunt *Papistæ* Fractionem Hostiæ Unius suæ in Tres Partes, quarum una mittitur in Calicem, altera Sicca comeditur, tertia deponitur in Altari, ad adumbrandum Mysterium Trinitatis, Triplicis Status Corporis Christi, Triplicis Partis Christi maxime Vulneratæ, Triplicisque Status Ecclesiæ. Ita porrò prò Fractione pugnamus, ut nec communionem cum non frangentibus plane repudiemus, nec modum certum aut mensuram Fractionis determinemus.

Administratio Cœnæ præcipua competit Ministris Verbi.

XI *Administratio* Sacramenti hujus; α *Subserviens* uti tribui potest, & Presbyteris de Plebe, & Diaconis, quorum ad ævo hæc fuit cura ob Agaparum & Cœnæ antiquam Conjunctionem; β ita magis *Principalis* competit solis Euangelii *Ministris*, ex *Matt.* XXVIII. 19. & 1 *Cor.* IV. 1. reliquisque argumentis, contra Laicorum Baptismum adduci solitis. Quod tenendum, non contra *Lutheranos*, gratis hic à *Pontificiis* accusatos, sed *Socinianos & Remonstrantes*, qui ob decus ordinem & εὐταξίαν Ministris Cœnæ Administrationem tantum tribuunt, Jus ejus cæteroquin Fidelibus omnibus promiscuè dantes, ex noto Ministerii contemptu, & Sacramentorum quoque ut Nudorum Signorum, atque abusi textibus 1 *Cor.* X 16. XI. 26. dum priori indefinitè loquens Paulus non omnes sed Ministros intelligit, & posteriori de Esu agitur. De Ministrorum verò Fide Catholica, Pietate vera, Vocatione Legitima, Ordinatione per χειροθεσίαν, Intentione, aliisque, vide dicta à nobis *Cap.* XXX. §. XIII. XIV. XV.

Ad Communionem Symbolorum quinam admittendi, & qui inde arcendi sint. Officia eorum circa Cœnæ usum. Non arcet inde Conscientia Peccati Mortalis, ut volunt Papistæ.

XII. Ad Symbola *Recipienda* admittimus; α non *Mortuos*, aut *Exspirantes*, ubi vel actus Fidei vel Esus corporeus vel uterque cessat, quod tamen olim superstitiosè factum esse ex Canonibus, sive interdicentibus, sive partim mandantibus, liquet; ϐ non *Baptismo Carentes*, quales erant olim *Catechumeni*, hinc *missi* ante communionem, quamquam non absque *Eulogiis*; β non *Infantes Baptizati*, inepti ad requisitam sui Explorationem, corporis Christi Discretionem, & Mortis Domini Commemorationem, quamquam ex sacramentaliter & absolutè intellecto textu *Joh.* VI. 53. ac nimia Sacramenti veneratione, hos olim Seculo III. & IV. quoque admiserint, nec etiam nos putemus ad Adultam

tam plane Ætatem Sacramenti hujus usum omnino differendum esse; δ non *Aberrantes à Fœdere* in Doctrina aut Moribus externis, qui vel non admittendi, vel per Excommunicationem iterum pellendi; ε non *Solos vere Pios & Fideles*, cum hi dignosci à solo Deo possint, inquisitio nimis severa periculum vere fidelibus adferat *Matt.* XIII. 29. & Christus ipse in communione sui, & Paschatis, & juxta multos quoque, uti ante dictum, Cœnæ [1], *Judam* admiserit; ς sed *Adultos Fidem & Pietatem veram Profitentes*, nec ipso opere professionem evertentes, absque discrimine gentis, sexus, ætatis, status, &c. ita ut ne quidem *Amentes* intervallis magis dilucidis, neque *Surdi* & *Muti*, qui indicia fidei per Spiritum productæ dant extraordinaria, arcendi sint. Hos vere omnes putamus circa Cœnæ Usum actus Fidei & Pietatis magis debere exercere; α sui & viarum suarum *Excussione* diligenti 1 *Cor.* XI. 28. 2 *Cor.* XIII. 5. *Psal.* CXIX. 59. *Thren.* III. 4. *Tseph.* II. 1. *&c.* β atque *Præparatione* justa ad magnum hoc epulum 1 *Cor.* XI. 27. 29. *coll.* *Matt.* XXII. 11. Quæ tamen instante Cœna sic non, etiam per plures Septimanas, fieri debent, ut in Precibus Quotidianis, & mox post habitam Cœnam, intermittantur plane; quæ nec etiam cum *Pontificiis* extendere eousque oportet, ad urgendam *Sacramenti Pœnitentiæ* necessitatem, ut excludantur *Conscientiam Peccati Mortalis habentes*, α cum hanc habeant Homines Omnes semper, β Peccatores ad sui communionem vocet Salvator *Matt.* IX. 12. 13. XI. 28. *&c.* γ finis denique Sacramenti sit Obsignatio Remissionis peccatorum omnium. Perperam objicientibus *Papistis*; α tum *Puritatem* requisitam in esu Agni Paschalis, Panum Propositionis, Sacrificiorum, &c. quæ juxta parabolas *Matt.* XXII. 11. *Luc.* XV. 22. & ablutionem à Domino institutam *Joh.* XIII. 5. nihil præter industriam præparationem inferre potest; β tum *Probationem* mandatam, quam ad Peccatum aliquod Mortale malè restringunt; γ tum *Cœnæ Finem*, qui ob ejus à Baptismo distinctionem, & exclusionem pœnitentium, & locum *Joh.* VI. 54. 55. non sit Remissio peccatorum, sed Nutritio Spiritualis, quasi hæc essent opposita, & non expresse in Institutione Remissio peccatorum memorata esset. Interim *Conscientiam Graviorum Scelerum*, dum humiliatione & lacrymis illa quasi expiata fuerint, in primis *Publicorum*, dum pro Scandalo Ecclesiæ sit satisfactum, hominem merito arcere ab Usu Cœnæ, & nos tenemus.

[1] *Ex-*

[1] *Exerc. Text.* XXXIX. P. IV.

Locus Cœnæ habendæ declaratur.

XIII. *Locus* Cœnæ habendæ omnis ille est, ubi convenit Ecclesia 1 *Cor.* XI. 18. sive sit *Privatus Matt.* XXVI. 18. *Act* II. 46. sive *Publicus*, post libertatem coëundi Ecclesiæ datam. Quamquam autem absolutè damnare nolimus, improbamus tamen ut indecentem; *α* tum separatam *Communionem Laicam* extra Chori Cancellos, cum Communio spiritualis omnium hic excolatur; *β* tum *Altarium* aut Mensarum hanc formam habentium usum, cum Cœna non sit Sacrificium sed Sacramentum, Christus juxta Apostolos Mensis fuerit usus vulgaribus, quæ mox impropriè apud Christianos *Aræ* dictæ sunt, & Altarium apparatus umbras veteres reducat; *γ* tum *Delationem* Symbolorum ad Ægros & Absentes alios, quæ & Convictui communi adversatur, & nimiam Sacramenti venerationem infert, vel supponit, perperam *Pontificiis* & *Lutheranis* post Veteres sublatum sub Novo Test. Locorum Discrimen prætexentibus.

Tempus ejus exponitur.

XIV. Cœnæ *Tempus* non magis determinatum est, dum prima habita Die Septimanæ Sexto ineunte post habitum Pascha, & primi Christiani uti quotidiè convenerunt, ita etiam communicarunt *Act*. II. 46. & quidem *in Tempore Victus*. Cum vero *Dies Dominicus* Domino sit sanctificandus præ reliquis, tum Synaxin hanc Sacram haberi potissimum decet quoque, ad exemplum Veterum, quod etiam legimus *Act*. XX. 7. Cumque Matutino tempore ante victum solitum spiritus promptior cibique desiderium majus sit, eas nos horas similiter præferimus, uti non obstante contrario Christi Exemplo, in quo nos ad Imitationem non magis quam ad Hierosolymæ Locum obligare voluit, citò admodum egerunt Veteres in *Cœtibus* suis *Antelucanis*; quamquam lex universalis de *Jejunio* servando ad Communionem, à Latinis sancita, nimis stricta sit. Alligatio Cœnæ ad Festa Annua, utpote humanitus non divinitus ordinata, tanquam ad superstitionem fovendam faciens, improbari debet.

Necessitas ejus Hypothetica est agnoscenda. Non tamen Absoluta.

XV. *Necessitatem* porrò tenemus Ceremoniæ hujus, non Absolutam, sed *Hypotheticam*, fluentem ex Divino Præcepto, nobis ob imbecilitatem nostram verè salutari. Atque hanc urgemus. 1. Contra eos, qui cum *Grotio* volunt, *non esse Communicandum semper per Symbola*, ex *definito* aliquo Christi aut Apostolorum imperio; ac si *α* Salvator voluisset in Cœnis Judaicis Festo-

storum tempore, quamdiu hæ durarent, juxta beneficia antiqua suam memorari Mortem; β & Paulus rem eandem utili tantum monitione traduxisset ad Gentilium Convivia Sacrificialia, hinc *Traditionis*, non Præcepti, voce usus; γ & tandem Cœna liberæ Charitati & spirituali Pietati repugnaret. Quæ plane adversantur; α expressis textibus Euangelistarum, & Pauli, qui fidem mortis & resurrectionis Christi etiam se *tradidisse* dicit 1 *Cor*. xv. 3. 4. ϐ naturæ rei, γ & Symbolorum in Ecclesia Usui omni ejus ætate. 2. Contra *Veteres*, eosque ex parte sequentes *Papistas*, qui dictum *Joh*. vi. 53. de Esu Sacramentali interpretati sunt; plane contra α explicationem Christi per Fidem & Adventum ad se *vers*. 35. 40. 47. ϐ Vitam cum Esu certò connexam, γ rationem temporis, cum necdum tunc Sacramentum hoc esset institutum, ut mittam alia.

XVI. Est vero hic omnino *Repetitioni* locus; uti docet Institutio, & Nutritio Spiritualis hic obsignata. Quamquam *quoties* præcisè haberi debeat Cœna, à Domino aut ab Apostolis determinatum non legamus; atque hinc Praxis ab ævo variaverit, in Communione, vel *quotidie*, vel *semel* aut *bis hebdomadis* singulis, vel postea etiam *minus frequenter* habita, uti variat hodieque in Ecclesiis nostris, vel hebdomadis, vel mensibus, vel bimestribus, aut trimestribus, Communionem instituentibus Eucharisticam. Licet autem *Praxis non facile sit mutanda*, theoreticè tamen statuimus; & damnandam *Papisticam* legem, de Una per Annum Communione; & magis frequentem Communionem esse præferendam, α ob usurpatum à Paulo ὁσάκις, β Antiquæ Ecclesiæ laudabilem in hac parte zelum, γ fructumque firmatæ Fidei & Charitatis adauctæ præstantissimum, δ gratis objecto, vel Comtemptu, hinc non secuturo nisi per accidens, uti in Verbo sæpius prædicato idem observamus, vel minus Digna Præparatione, ad quam vere pii septimanis pluribus non opus habent aut saltem habere debent, quamque in Precibus ac Auditu Verbi putamus quoque esse necessariam, vel Molestiâ Ministerii nimium sic augenda, cum inspectio Ecclesiæ semper Ministros deceat, & Visitationes Domesticæ lege eadem Ecclesiastica qua sancitæ sunt paulo aliter ordinari queant. Id tamen addimus; α *Communionem* nos nolle *Quotidianam*, quæ in constituenda Ecclesia ex continuo accedentibus novis fidelibus orta est, & male

Quoties Cœnæ Usus sit repetendus.

Iiii quan-

quandoque à Veteribus ex phrasi *Panis Quotidiani* in Oratione Dominica probata; β præstare etiam Communionem Minus Frequentem, sed Plenam totius Ecclesiæ, præ Communione sæpius repetita Partium & Membrorum variorum ejusdem Ecclesiæ.

Ritus Missatici Papistarum enumerantur.

XVII. Intolerandum vero est jugum *Rituum Humanorum*, paulatim introductorum, & à *Pontificiis* ad constitutionem *Sacrificii* sui *Missatici* ac Efficaciam singularem Sacramenti ita requisitorum, ut Peccatum Mortale sit notabilis aliqua Negligentia; dum interim simplicitas atque etiam veritas Sacramenti à Domino instituti sic perit. Scilicet numerant illi distinctè *Ritus*. 1. *Prærequisitos*; uti sunt illis Sacer Vestitus Ministri, Consecratio Templi & Altaris, Sacra pretiosa Vasa, Calices sc. Patinæ, Candelabra, Thuribula, Cerei Accensi, Jejunium, &c. 2. *Concomitantes*; qui sunt α respectu Dei, Elevatio Manuum & Oculorum, ac Inclinatio Corporis totius aut Genuum flexio, β respectu Symboli, Elevatio, Ostensio, Fractio, Commixtio, γ respectu Sacerdotis, Tunsio Pectoris, & Lotio Manuum, δ respectu Populi, Salutatio & Dimissio, ε respectu denique horum omnium quodam modo, Recitatio Canonis Missatici quadripartiti, juxta Cantum & Instrumenta Musica. Addunt insuper Ceremonias Communes Signi Crucis, Aspersionis Aquæ, Thurificationis, Osculi, &c. 3. *Sequuntur* tandem, consecratæ Hostiæ Asservatio, Expositio, Circumgestatio pomposa, &c. Neque singulari horum omnium refutatione hic opus est, dum collatus hic Appparatus omnis cum Institutione Christi ipsius mox evanescere debet.

Res Significata Cœnæ traditur.

XVIII. Utilior erit consideratio *Rei* per Signum externum *Repræsentatæ*. Estque hæc; α tum *Corpus Christi* fractum, ac *Sanguis ejus* pro nobis ad peccatorum nostrorum remissionem effusus; β tum *Nutritio* spiritualis animæ per illa. Uti constat ex Institutione prima; ex textu *Joh.* VI. 55. & ex multiplici *Convenientia* inter *Panem & Christi Corpus*, in ortu ex terra, subactione iterata & varia, coctione per ignem, aptissima omnium nutritione, &c. inter *Vinum* item & *Sanguinem ejus*, in expressione violenta, pretio, virtute sedandi sitim, exhilarandi, sanandi, &c. inter *Fractionem Panis & Christi*, in hujus morte, enervatione, confossione manuum pedum & lateris, &c. inter *Effusionem*

nem Vini & Sanguinis copiose factam, uti in victimis, potissimum in Flagellatione & Crucifixione, pro delictis nequaquam suis sed nostris, &c. inter *Esum & Fidei Applicationem*, fidelibus charitate inter se junctis, licet genere dissitissimis, communem, &c. denique inter *Vitæ Corporalis & Spiritualis* fluentem hinc *Conservationem* atque Incrementum.

XIX. Quæstio vero hic agitatur magna illa de *Unione Signatæ Rei cum Signo*. Quam statuimus nos *veram* quidem & *realem*, sed *spiritualem & sacramentalem*, non corporalem & localem; ut scilicet α per Analogiam seu Convenientam Res Signata promiscuè *repræsentetur* omnibus, β per Dei vero verbum *obsignetur* tantum credentibus, γ iisdemque solis per gratiam Spiritus *conferatur*, dum infideles non nisi nuda, sibique inutilia, quin & noxia, signa sumunt. Quâ Unione non contenti *Papistæ* & *Lutherani* addiderunt aliam *Corporalem* per *indistantiam* loci, licet *invisibilem*, & *illocalem*, ex qua fluat *Oralis Manducatio Corporis Christi* ipsius, propriè non metonymicè dicti, credentibus & incredulis communis, licet cum diverso effectu. Divisi interim inter se sunt; α statuentibus *Papistis* incomprehensibilem quandam *Transubstantiationem*, ut nudæ *Species* externæ *Panis & Vini* supersint, sive horum substantia sit dicenda *annihilata*, sive non *conservata*, sive *remota* per successionem, sive *mutatio* fuerit *productiva* sive *adductiva in instanti*, de quibus magnopere iterum inter se litigant, ex qua hypothesi porro fluit religiosa & divina hostiæ *Adoratio*, ad opprobrium fidei Christianæ tanquam θεοφαγίαν introducentis apud Gentiles Judæos & Muhammedanos introducta; β *Lutheranis* verò, qui in *Confessione Augustana* id tamen clare non expresserunt, urgentibus *Consubstantiationem*, per quam *In Cum & Sub Pane* vere manente sit ac detur Christi Corpus, cujus ad servandam hanc thesin *Omnipræsentia* quoque fuit excogitata, parum tamen revera cum ἐνουσίᾳ vel συνουσίᾳ speciali in Cœna cohærens.

Unio qualis sit inter Signum & Rem Signatam vere. Qualis etiam gratis fingatur à Papistis & Lutheranis.

XX. Sententiæ nostræ Confirmatio & adversæ Eversio æque facilis est. 1. Ex *Analogia* omnium *Sacramentorum*, ubi distinguuntur Signum verè superstes, & Res Signata, neque omnibus collata, neque adeo signo inclusa; gratis urgentibus Adversariis, vel Sacramentorum Novi Test. à Veteribus Differentiam Essentialem, eversam *Cap*. XXIX. §. IV. vel expressum Domini de hoc

Sententia Orthodoxa confirmatur, & opposita refutatur. Etiam ex Antiquitate Christiana.

hoc Sacramento verbum, eâdem utique phrasi in aliis quoque adhibita. 2. Ex *Prima* Cœnæ *Institutione*, in qua; α non suæ Passionis solum, sed & Sui corporaliter Absentis futuri & redituri aliquando, *Memoriam* imposterum Dominus præcepit coli; β ipse mensæ visibilis adhuc certo *accumbebat*, necdum passus vel glorificatus; γ *ipse Panem & Vinum* sumpsit, quæ hoc nomine veniunt adhuc post Consecrationem *Matt*. XXVI. 26. 29. 1 *Cor*. X. 16. 17. XI. 23. 26. 27. 28. non itaque ob Speciem Externam, aut ob Tempus Antecedens, aut Sensu Spirituali, &c. 3. Ex *Analogia Fidei*, Symbolo Apostolico expressæ; de *Incarnatione* vera Christi, semel facta ex substantia Virginis, per peculiarem Spiritus operationem; de *Passione* semel tolerata sub Pontio Pilato; de *Ascensione* in Cœlum, terrâ quoad humanitatem sic derelicta ut ea in terris quæri non debeat, secundum *Matt*. XXIV. 26. 27. XXVI. 11. *Joh*. XVI. 28. *Act*. III. 21. *&c*. de gloriosa *Sessione ad Dextram Patris*, cum præsentia humili & manducatione multiplici in terris non conciliandâ; de *Reditu* semel futuro die novissimo ad judicandum, &c. Quos omnes Articulos re ipsa monstrosa opinione sua evertunt Adversarii; quamquam nec fateantur, nec ob præjudicium de verbis Domini id agnoscant. 4. Ex clara rejectione *Manducationis Oralis*, *& Capernaiticæ*, tanquam inutilis & indecentis *Joh*. VI. 52. 60. 63. uti ex ipsa Cibi Corporei ad Corpus relatione, piorumque & impiorum communione in eo, id etiam liquet. 5. Denique, ut de *Sensuum* testimonio nihil dicam, ex *Rationis Rectæ* dictamine; quæ Corporis Humani Visibilitatem, Determinatam Præsentiam, Extensionem aliud Excludentem, Accidentium Inhæsionem in Subjecto perpetuam, Motus Successionem, Annihilationis & novæ Productionis in creaturis omnibus Impotentiam, aliaque plura, Præsentiæ Corporali per Transubstantionem aut Consubstantionem planè adversa, docet. 6. Ad quæ omnia addi adhuc potest, dogma illud utrumque *Antiquitati* omni *Christianæ ignoratum*, imo palam satis *negatum*; α conceptionem primam *Seculo* tantum debere *Octavo*, occasione controversiæ de Imaginibus apud Græcos & Latinos tunc agitatæ; β formationem majorem *Nono Seculo*, & qui tum vixit *Paschasio Ratberto* Corbejensi, à multis & maxime *Bertramo* egregie confosso; γ complementum tandem subsecutis *Seculis Ferreis*, quando tamen fervide sese opposuerunt

Be-

Berengarius cum sequentibus *Gallis*, *Italis*, *Anglis*, multo numero, similiterque *Waldenses* & *Albigenses*, quin & usque ad *Concilium Tridentinum* Transubstantiationis hostes in Ecclesia Romana superfuerunt varii.

XXI. Non desinunt tamen Adversarii multa nobis objicere *Scripturæ Loca*. 1. Quibus proponuntur *Typi*, nostro Sacramento Cœnæ, aut *Æquales*, uti est *Panis Melchizedeki*, *Propositionis*, *Primitiarum*, *Eliæ ab Angelo suppeditatus*, *&c.* aut *Superiores*, uti est *Agnus Paschalis*, *Sanguis Vet. Test.* & *Cœleste Manna*, nisi Corporaliter in Cœna Præsens sit Christus. Ad quod respondemus; α nullos nos Typos Cœnæ stricte dictos agnoscere, sed Christi ipsius in Cœna repræsentati, & supra Signa omnia Excellentis; β neque Sacramentorum Præstantiam quærendam esse in Externo rei Pretio, sed in facili ejus Usu, Duratione, Verbi additi Claritate, &c. quæ in Sacramentis Novi Test. magis deprehenduntur, quam in aliis ullis. 2. Quibus *Promissam* volunt *Corporalem Christi in Cœna Præsentiam* ante Institutionem ejus. Quo referunt *Caput* VI. *Joh.* inde à *vers.* 51. distinctè notantes; α agi ibidem de *Sacramento*, ob usurpatum Tempus Futurum in *Datione* Filii, ob Convenientiam verborum cum Institutione Cœnæ, ob Novum & Mirandum quid à Discipulis hic intellectum quale deprehenditur in Cœna non in Fide, ob distinctam Manducationem Carnis & Potionem Sanguinis, ob Comparationem cum Manna, ob præmissam Panum Multiplicationem Typicam, ob repetitum quasi cum Juramento Manducandi jussum, ob Convenientiam Phrasios cum inculcata Baptismi Necessitate *Joh.* III. 5. denique ob absurda alias sequentia, non memoratam esse usquam à Johanne Cœnam, non explicatam usquam à Christo ejus Præstantiam, nusquam legi Præceptum percipiendi Sacramenti hujus, &c β & nullum hic esse *Tropo* locum, ob veri hujus Panis supra multiplicatos miraculo Panes & Manna Præstantiam, ob Dubitationem Capernaitarum & Discipulorum Offensionem à Domino non correctam, ob Distinctionem Manducationis & Potus, &c. Quæ omnia tribus verbis enervamus; α non agi scil. ibidem de Sacramento, sed de Christo, uti hic credentium Spiritualis Cibus & Potus est, secundum dicta §. XV. & rejectum aperte à Domino Capernaiticum intellectum, & derivatam ex hoc Usu solo & certò Vitam, &c. β si etiam agere-

Objectiones Adversariorum ex Scriptura, Typis scil. ibi repertis. Et ex Promissis factis. Et ex Verbis planis Institutionis primæ, pro quorum Propria Intelligentia multis cavillantur. Et ex locis quæ tandem de usu Sacramenti hujus agunt.

tur de Cœna, non obstantibus argutiis adductis, Metonymicè textum æque quam verba Institutionis Cœnæ posse explicari. Neque merentur rationes oppositæ, non obstante maximo numero verè stramineæ, ut eas denuo repetamus. 3. Quibus legitur *Institutio* ipsa *Cœnæ*, dum Christus dixit, *Hoc Est Corpus Meum.* Ubi urgent, esse retinendum *absque Tropo* τὸ ῥητὸν; ob *Materiam* Sacramentalem, Testamentariam, Fœderalem, Legalem, Dogmaticam; ob *Discipulos* rudes & magistros futuros; ob nullam additam Tropi *Explicationem*; ob eandem Euangelistarum *Phrasin*; ob *Obscuritatem* nimiam alias hic repertam; denique & ob *Dissensum Nostrorum*, tum circa Explicationem *Pronominis Neutrius* τῦτο, & *Corporis* Christi, tum in constituenda *Tropi Sede*, vel in *Copula* vel in *Prædicato*, &c. Ad quæ respondemus; α nec retinere Adversarios τὸ ῥητὸν, vel Sublato plane Pane, quem Pronomine Substantive usurpato & δεικτικῶς ob nexum cum prioribus, juxta obvium ubique usum, indicavit Dominus, vel à Corpore Christi Distincto per notum illud *in cum & sub Pane*; β nec posse illud retineri, ob Disparati de Disparato Prædicationem in Casu Recto, ob Fractionem ad Corpus additam, ob Institutionis Circumstantias antea recensitas, & ob Naturam Sacramenti; γ nec contra Metonymicum sensum, per quem *Panis* dicitur *esse Corpus*, h. e. Signum & Sigillum veri Corporis Christi, aliquid solidi produci, dum in Sacramentis omnibus eadem Locutio Impropria obtinet *Gen.* XVII. 10. *Exod.* XII. 11. 1 *Cor.* X. 4. *Tit.* III. 5. *&c.* Testamenta non minus, quam Fœdera, &c. Improprium sermonem admittunt, *coll. Gen.* XLIX. *Deut.* XXXII. XXXIII. 2 *Sam.* XXIII. *&c.* uti & hic *Calix* pro Vino positus est quoque, Discipuli ex natura rei & Paschatis analogia facile Metonymiam hic intelligere potuerunt, in re tam manifesta Explicatione nulla opus fuit alia, Phrasin à Domino efficacissime usurpatam meritò retinuerunt Euangelistæ, Obscuritas non est in Metonymia tritâ usu quotidiano & Scripturæ perpetuo, in Annulo Conjugalis Fidei, muneribus Homagio oblatis, *&c. coll. Gen.* XLI. 26. *Ezech.* XXXVII. 11. *Dan.* VII. 17. *Matt.* XIII. 38. 39. *Apoc.* I. 20. *&c.* Consensus tandem in re satis Universalis est apud Nostros, explosis dudum conjecturis paucorum minus solidis, & eodem plane deprehenso sensu, sive in *Copula*, geminum tum usum habente, vel copulante res secundum earum naturam, sive in *Prædicato* Tro-

Tropus potius constituatur, neutiquam eversus per *Fractionis* mentionem additam, quæ vero Christi Corpori, cujus Panis est Signum, competit. 4. Quibus de *Usu Sacramenti* agitur 1 *Cor.* x. 16. xi. 27. 29. Ubi volunt; *Consecrationem* inutilem fore, si Christi Corpus non adsit; *Fractionem* pro Immolatione positam esse; *Communionem* Corporis Christi Corporalem memorari; neglectam *Discretionem* Corporis Domini indignis tribui, & *Reatum* Corporis ipsius, &c. Ad quæ sufficit notasse; α Consecrationem omnino necessariam esse ad Panem Eucharisticum à Vulgari discernendum; β ludicram esse mutationem Fractionis Panis in Immolationem; γ Communionem pro Signo & Medio Communionis Spiritualis positam esse, vel Communionem Symbolicam recte ipsi Pani tribui; δ Discretionem neglectam & Reatum pertinere ad non admissum verum Domini Corpus per Fidem, illudque injuria affectum in Symbolis, uti Læsio Imaginis Regiæ in ipsum Regem redundat.

XXII. *Loca Patrum* magno numero amplius ostentant Adversarii, qui; α vel Symbola *Corpus & Sanguinem Domini* vocant, utique cum Scripturâ, ac sensu ejus Metonymico; β vel *Comparant* Cœnam, tum *cum Sacramentis Veteribus* ut Præstantiorem, tum *cum Incarnatione & Apparitione Angelorum*, quæ Comparationes non ultra scopum sunt extendendæ; γ vel *Mutationem*, *Conversionem*, *Transitum*, μεταστοιχείωσιν, μεταβολὴν, μεταποίησιν, *&c.* inculcant, utique non quoad Substantiam sed Usum, *Symbolicam*, *in Imagine*, *Figura*, *Signo*, uti ipsi se explicant; δ vel *Mysterium Magnum* hic celebrant, quale & est absque Corporali Christi Præsentia; ε vel *Venerationem Sacramenti* multifariam tradunt, quæ iterum, exclusâ Adoratione Symbolorum, justa est; ς vel *Unionem cum Corpore Christi* ut Cœnæ fructum proponunt, quæ vere hinc in credentibus fluit. Ut inanissima sit hæc ostentatio omnis, dudum *Veteris Ecclesiæ* per multa admodum sæcula *Orthodoxiâ* à Nostris demonstratâ argumentis multis, & Recenti Origine Præsentiæ Corporalis, quin & magis recenti Transsubstantiationis, addita. Ne de *Marcitarum* & *Eutychianorum* errore simili nunc dicam.

Objectiones ex Patribus recensentur & generatim diluuntur.

XXIII. Addunt tandem *Rationes*, quibus docere conantur. 1. *Præsentiæ hujus Possibilitatem*; dum Dei Omnipotentia non est limitanda, Christus simul fuit in Cœlo & in Terra à Paulo visus

Rationes tandem à Papistis additæ ad examen vocantur.

visus ac à Sanctis aliis, Deus in Universo ac Anima est in qualibet Corporis Parte, Mysteria difficillima creditu sunt complura Trinitatis, Incarnationis, Resurrectionis, Creationis, Æternitatis, &c. Corpus absque Occupatione Loci in loco esse potest, exemplo Cameli transeuntis per Foramen Acus, Penetrationis Uteri clausi in Christi Nativitate, Clausarum Forium in Christi Apparitione, Lapidis Sepulchralis in ejus Resurrectione, Cœlorum Solidorum in ejus Ascensione, &c. atque Qualitates Naturales, ponderis, coloris, &c. à Corpore tolli possunt, &c. Verum α nec valet Consequentia à Posse ad Esse, Impossibilitate & Pugna rei cum recta ratione in superpondium tantum à nobis adducta; β nec Omnipotentia Dei ad Contradictoria vere extendi debet, secundum dicta *Cap.* IV. §. XXII. γ & sunt partim Falsæ & frustraneæ Hypotheses, alibi refutatæ, partim Dissimilia plane, quæ ad Multipræsentiam ejusdem Corporis, vel Illocalitatem ejus, hic adducuntur. 2. *Ejus Veritatem*; quam ludicre plane probant, α ex contrariæ sententiæ recenti à *Berengario* ortu, β Ecclesiæ Consensu, γ diligenti rei Inquisitione in Synodis, Romana, Vercellensi, Turonensi, Lateranensi, Viennensi, &c. δ virorum asserentium, Dominici, Thomæ, &c. Sanctitate, ε Berengarii & Reformatorum Infamia, ς Miraculis innumeris, ζ Utilitate denique & Decentia rei, ad veram cum Christo Unionem. Quæ pueri facile explodant.

Absurda Dogmata ex Transsubstantiatione fluentia rejiciuntur, imprimis Hostiæ Adoratio.

XXIV. Ipsâ porro Corporali Christi Præsentia eversa, simul concidunt; α omnes disputationes de ejus *Modo*, primo *Initio*, & *Duratione*, tam cum *servatur* extra usum in pyxide, ad exemplum veterum *Acephalorum*, quam cum *consumitur* Panis; β omnis *Manducatio* Christi ipsius *Corporalis*, quæ fiat ore corporeo, promiscuè à piis & impiis, nec tamen sit Physica aut Capernaitica; γ omnis potissimum *Hostiæ Adoratio*, à *Papistis* mandata, respectu Christi sub Externis Speciebus præsentis, & Specierum quoque harum, tam quotidie, quam solenniter in *Annuo Festo*, introducto per Urbanum IV. Quam; α nec jussit Christus; β nec instituerunt aut commendarunt unquam Apostoli; γ nec admittit unius Dei gloria *Matt.* IV. 10. nunquam ab ipsis Gentibus devoratæ Escæ data; δ nec absque Periculo Idololatriæ præstare possunt *Papistæ* per proprias hypotheses, ob incognitam Panis & Vini Puritatem, Sacerdotis Ordinationem & Baptismum decen-

decentem, quin & Intentionem, atque Verborum Consecrationis Recitationem, &c. quod per additam in Adoratione Conditionem, vel implicite vel explicite, tolli non potest. Nec obstat; α vel *Præsentia Christi* in Cœna à nobis quoque asserta, cum hæc distinctionem Symboli & Christi ipsius non tollat, in Verbo & Baptismo quoque locum reperiat, nec à nobis tanquam in Terris sed in Cœlo secundum humanitatem existens adorari velit; β vel necessaria *Veneratio Symboli Sacri*, quæ in Usu Sancto consistens, multum ab Adoratione differt; γ vel *Circumgestatio & Adoratio* antiquæ *Arcæ*, quæ prior in alium finem præcepta *Jos.* VI. 4. posterior nunquam licita fuit, Deo tantum invocato super Arcam 2 *Sam.* VI. 2. δ vel *Intentio Adorandi Christum* juxta suppositionem Præsentiæ illius, quæ ab execranda Idololatia non magis liberat *Pontificios*, quam similis suppositio & intentio de Diis suis justificat omnes Idololatras Gentiles.

XXV. Ex iis, quæ de Re Significata diximus, liquet facile *Finis & Effectus* Sacramenti hujus. Qui α *Principalis* est Commemoratio Mortis Domini, Confirmatio nostræ Fidei, & Corroboratio Spiritualis in gratia; β *Minus Principalis* simul, Fidelium publica Discretio, atque potens Incitatio ad Charitatem vivam in Deum tantopere amantem, & in Proximum, cum quo eodem pane nutrimur; quò antiquæ etiam spectabant *Agapæ*, nunc cum Eleemosynis magis largis vulgo apud nos permutatæ. *Efficacia* autem in his omnibus, non tam ex Externa Ceremonia, quam ex Fide communicantium & Gratia Dei fluit.

Finis & Effectus Cœnæ Principalis & Minus Principalis.

XXVI. Errant autem hic magnopere; α tum *Sociniani*, Divini amoris aut Fœderis Sigillum nullum, nudam vero Professionem Christianæ fidei & charitatis in hoc Sacramento statuentes, atque sic, contra diserta Christi verba, jungenda dividentes; β tum maxime *Papistæ*, qui Sacramentum hoc in *Sacrificium vere Expiatorium pro Viventibus & Mortuis* transformant. Quo ipso; α tollunt Naturam, & Sacramenti in genere, in quo aliquid à Deo hominibus datur, & hujus in specie, uti à Domino absque ullo Apparatu Sacrificiali institutum legitur; β Unitatem & Perfectionem Oblationis Christi pessime abnegant, contra *Hebr.* VII. 26. IX. 11. 26. 27. 28. X. 10. 12. 14. gratis adductis ad palliationem distinctionibus ἀγράφοις, ἀντιγράφοις, & ἀλόγοις, *Sacrificii Cruenti & Incruenti*, *Redemptionis & Applicatio-*

Non est Cœna Nudum Symbolum Christianismi. Nec Sacrificium Expiatorium pro Vivis & Mortuis, ut volunt Papistæ.

 tio-

tionis, *Primarii & Secundarii*, *&c.* γ Umbras veteres in media luce Solis male reducunt *Col.* II. 17. *Hebr.* X. I. 18. *&c.* δ & difficultatibus insolubilibus se implicant. Dum nec dare possunt nobis *Victimam Visibilem & Hilasticam*, ob invisibilem Corporis Christi & Incruentam Præsentiam, & Panis veri absentiam, *coll. Cap.* XX. §. XXVIII. nec *Altare* Divino jussu factum, quale sub Novo Test. solus est Christus *Hebr.* XIII. 10. nec *Sacerdotalem Ordinem* ullum, præter Aharonicum dudum abrogatum, & Melchitsedecianum in Christo solo impletum; nec *Actum Sacerdotii* verum, frustra omnino in Fractione, Consecratione, Traditione, Acceptione, Manducatione, quærendum.

Argumenta ab ipsis opposita solvuntur.

XXVII. Ineptissime illi opponunt nobis. 1. *Typos*, *Oblationis Melchitsedeci*, *Agni Paschalis*, *Sacrificiorum Vet. Test.* & *Vaticinia* 1 *Sam.* II. 35. *Prov.* IX. 2. *Jes.* XIX. 19. 21. LXVI. 21. *Jer.* XXXIII. 18. *Dan.* VIII. II. XII. II. *Mal.* I. II [1] *Joh.* IV. 21. 23. *&c.* Cum α Typi omnes ad Christi Sacrificium Cruentum in Cruce respiciant, Pane & Vino à Melchitsedeco neutiquam oblato ut Sacerdote, secundum dicta *Cap.* XX. §. XV. β Vaticinia vero, quædam pertineant ad Dies Vet. Test. Sacerdotium sc. tunc in aliam lineam Translatum, aut Restituendum post Captivitatem, aut Abolendum ab Antiocho, quædam Mysticè & Spiritualiter intelligi debeant ex contextu, quædam de Sacrificio nequaquam agant sed vel de Mactatione vel dè Adoratione. 2. *Institutionem Cœnæ*, quasi; α *Datio*, *Fractio*, *Effusio*, in Præsenti proposita, non respicerent unicè quoad veritatem rei ad Crucifixionem Instantem; β & præceptum *Faciendi Hoc*, quod egerat jusseratque Christus, Sacrificationem inferret; γ nec Christi Corpus in alium finem præsens esse posset. 3. *Praxin Apostolorum*; quibus tribuitur λειτεργία *Act.* XIII. 2. & à quibus Cœna cum Sacrificiis Judæorum & Gentilium confertur 1 *Cor.* X. 18. 21. Cum α λειτεργία generale Cultus & Functionis publicæ sit nomen, Magistratibus & Angelis quoque tributum *Rom.* XIII. 6. *Hebr.* I. 14. dudum postea ad Cœnam ab hominibus applicatum, neutiquam ad Sacrificia ex se restrictum, ibidemque pro Prædicatione, Sacramentorum administratione, & potissimum Oratione, sit positum; β Comparatio Cœnæ nulla propriè instituatur cum Sacrificiis sed cum Conviviis Sacrificialibus, quale verè est Cœna, nec extendi debeat ultra scopum. 4. *Rationes*; α ex perpetua *Con-*

Conjunctione Religionis & Sacrificiorum Externorum, quam non nisi de tempore inde à Lapsu usque ad Christum dare possumus; β ex *Lege Mosis* per Christianismum mutata, *non sublata*, quod respectu Observationis Ceremoniarum præfigurantium est falsissimum; γ ex *Discrimine Cœnæ* ab aliis Sacramentis in propria Administratione, Re permanente, Præsentia Corporis Christi, &c. quæ partim temere supponuntur, partim non faciunt ad inferendum Sacrificium. ς. Tandem *Patrum Phrases*, qui *Oblationem*, *Sacrificium*, *Immolationem*, *Altaria*, *Sacerdotes*, *&c.* memorant; sed sensu à *Papistis* diverso, secundum §. II. ad alliciendos magis Gentiles & Judæos, etiamsi id errori postea occasionem præbuerit.

[1] *Comm. in Loc.*

XXVIII. Non erit opus, subruto fundamento, amplius ut evertamus; α *Vim Impetrandi* omnis generis *Beneficia*, quam juxta Propitiationem Missæ suæ tribuunt; β atque Oblationem, quæ hic fiat *pro Omnibus Viventibus*, *in Purgatio degentibus*, quin & *Sanctis Cœlitibus*, & quæ similia monstrosa figmenta plura theoreticè & practice inædificant superstitiosi Idololatræ. Non etiam *Differentiam* multiplicem *Cœnæ & Missæ*, ex priorum lectione liquentem, & à multis operose diductam, hic late persequemur. Neque tandem *Durationem Cœnæ* ad finem mundi usque multis denuo nunc adstruemus, utpote expresse in Institutione comprehensam 1 *Cor.* xi. 25. 26. & inculcatam satis atque vindicatam §. IV. & XV. *Theses hinc fluentes aliæ notantur. Cœnæ adhuc Duratio.*

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

De Ecclesia Deo Fœdere juncta.

EX Beneficiis maximis Fœderis Gratiæ, illorumque per Sacramenta Obsignatione, cum satis constet *Fœderatæ Multitudinis* beatitas; cumque bene eam nosse nos deceat, ut Communionem ejus quæramus; cum plures etiam gravissimæ de ea Quæstiones agitentur; ejus Explicatio quoque uberior à nobis non est prætermittenda. Quamquam neque ex perversa plane metho- *Transitus ad Ecclesiam.*

do *Pontificiorum* præmittenda, tanquam magis principalis & fundamentalis præ cognitione Doctrinæ Fœderalis, qua de re actum est *Cap.* II. §. VI. VII. XLI. XLII.

Vocis Etymologia & Synonyma.

II. Venit Multitudo illa sub nomine ECCLESIÆ Græco; derivato ἀπὸ τῦ ἐκκαλεῖν, quod non *ex* Communione Dei sed Satanæ & Mundi sit hæc *evocata*. Legitur non tantum perpetuò in Novo Test. sed & apud τὰς LXX. & alios Græcos, qui sic, potissimum Athenienses, vocabant publicum *Populi Conventum ex Jussu Magistratus*, oppositum ὄχλῳ promiscuæ *Turbæ*, & συγκλήτῳ vel βυλῇ *Senatui*. Synonyma Hebræa præcipua sunt קהל / quasi *Convocata* multitudo, unde derivatur *Koheleth*, & forte Græcorum καλέω juxta Latinum *calare*; & עדה / quasi *Congregatus* Cœtus per condictionem, uti docet radix יעד / & derivatum inde מועד / *tempus statutum*. Latini dicunt *Cœtum*, *Concionem*, *Collectam*, &c. & Græci juxta eos συναγωγὴν, qua voce non tantum τὸ עדה vertverunt Græci, sed & alterum קהל / amplius & fere promiscue adhibentes σύστασιν, πλῆθος, συνέδριον, λαὸν, ὄχλον, ἐπισύστασιν, &c. Antiqua verò Distinctio inter *Synagogam & Ecclesiam*, ut illa sit Judæorum, hæc Christianorum, cum aliquo præjudicio in Veteres quasi Bestiarum instar magis ductos ab *Augustino* ipso inculcata, licet respectu Usus Recentioris & Frequentioris concedi possit, non procedit tamen, si spectemus; α Originalem Significatum Vocis utriusque, notante etiam עדה / Collectionem Indictam; β Usum Sacrum Novi Test. in quo τὸ συναχθῆναι, συναγωγὴ, ἐπισυναγωγὴ, etiam ad Christianos applicantur *Act.* XI. 26. *Joh.* XI. 52. *Jac.* II. 2. *Hebr.* X. 25. *&c.* γ usum τῶν LXX. vertentium קהל / per συναγωγὴν, Patrum Antiquissimorum, & Syri Interpretis, qui pro Ecclesia posuit כנושתא / δ denique Vocationem per Verbum Fidelibus Veteribus communem, & ad Oves ipsas extensam *Joh.* X. 16. sicuti Ductio & simile Gregis ad Fideles Novi Test. refertur *Hebr.* XIII. 17. 20. *Luc.* XII. 32. *&c.*

Nominis Homonymia multiplex.

III. *Varie* sumitur *Ecclesiæ* vox. 1. Prò *Quovis* scil. *Cœtu*, vel Multitudine hominum, uti fit *Psal.* XXVI. 5. *Act.* XIX. 32. 39. 40. 2. Pro *Loco Cœtus Sacri*, uti fit apud *Patres* sæpe, atque etiam in usu quotidiano quandoque, non tamen in Scriptura, ut contendunt multi, vel *Act.* XI. 26. 1 *Cor.* XIV. 28. 34. 35. vel loco apocrypho *Judit.* VI. 17. 18. vel 1 *Cor.* XI. 18. 22. [1] ob negatam illic

illic Ecclesiis φιλονεικίαν, Schismata Corinthiorum intuitu Sanctitatis Ecclesiæ ipsius non Loci aggravata, additum Ecclesiæ Contemptum, Pauperes consideratos ut ejus partem, Templorum denique isthac ætate Defectum; nihil obstante, vel sequenti phrasi ἐπὶ τὸ αὐτὸ, vel oppositione Esus in Ædibus propriis, &c. vel etiam *Jac.* II. 2. [1] ubi per *Synagogam*, alias sæpe pro Loco Conventuum Judaicorum positam *Luc.* VII. 5. *Act* XV. 21. *&c.* Cœtum potius Christianorum quam ejus Locum intelligimus, non obstante mentione *Standi*, *Sedendi*, & ὑποποδίυ. 3. Pro *Cœtu Visibili* externe Vocatorum; α sive *Universali* omnium locorum, sive *Particulari* alicujus partis Orbis, Regni, Provinciæ, Urbis, quin & *Domus Rom.* XVI. 5. 1 *Cor.* XVI. 19. *Col.* IV. 15. *Philem. vers.* 2. β sive *toto* 1 *Tim.* III. 15. 1 *Cor.* I. 2. 1 *Thess.* I. 1. *&c.* sive *Parte* ejus, tum plebeja, collectiva, & *Repræsentata Act.* XX. 28. *Apoc.* I. 20. *&c.* tum præposita & *Repræsentativa*, seu *Repræsentante*. A quo Nomine uti non abhorremus tanquam *Papistico*, dum Pastores primam Ecclesiæ constituunt partem, & plebis gubernationem spiritualem à Deo vel immediate vel mediâ ipsâ Ecclesiâ sibi habent commissam, abhorrentes interim ab ejus applicatione ad Unum Pontificem; ita illuc referre non dubitamus textum *Matt.* XVIII. 17. [2] cum singulis in Ecclesia ejus Gubernatio & Disciplina non competat; utrumque tam nomen scil. quam textus hujus citationem impugnantibus *Recentioribus* quibusdam absque ratione ulla solida. 4. Pro *Cœtu Vocatorum* secundum propositum Electionis, quo spectant loca *Matt.* XVI. 18. *Eph.* I. 22. V. 23.... 32 *&c.* Ex consideratione verò Homonymiæ hujus concidit Discrimen Sententiarum inter Nos de *Membris Ecclesiæ*, à *Pontificiis* gratis exprobratum; intelligitur similiter facile, quo sensu Ecclesia *Una* & *Duplex* dicatur; illique *Visibilitas* ratione humanæ Naturæ & Professionis externæ, *Invisibilitas* verò respectu Electionis & Fidei tribuatur.

[1] *Exerc. Juven. Dispp.* XXIII. *&* XXIV. [2] *Exerc. Text.* XXXI. P. V.

IV. Ex significationibus vero his quænam maxime nativa & propria sit, adeoque quinam pro *Veris Ecclesiæ Membris* habendi sint, controvertitur in antecessum cum *Papistis*. Nos ultimam urgemus, ut nomen *Membrorum Verorum* mereantur tantum *Electi*;

Præcipuus Vocis Significatus, juxta quem Electi soli sunt Ecclesiæ Membra. Quod contra Papista defenditur.

cti; α ob vim vocis *Ecclesiæ* seu *Evocatæ*, multitudinis, quam non implent, qui ad Mundum & Regnum Satanæ utique verè & pleno sensu pertinent, licet externe ab iis sint segregati; β ob *Prædicata Ecclesiæ & Membris* ejus tributa, Propria & Impropria, Objectiva & Subjectiva, quod sint sc. *Corpus & Membra Christi*, pro quibus Christus *ex amore se tradidit*, & quæ *servat*, *nutrit*, plene aliquando *sanctificanda Eph.* v. 23. 25. 27. 29. 30. Domini *Sponsa* dilectissima & pura *Hos.* II. 19. 2 *Cor.* XI. 2. *Oves* ductæ ab eo & audientes vocem ipsius *Joh.* x. 27. *Templum* ejus spirituale *Eph.* II. 20. *Genus Electum*, *Regale Sacerdotium*, *Populus Sanctus & Acquisitus* 1 *Petr.* II. 9. *Zelo bonorum operum præditus Tit.* II. 14. arctissime Unitus Fide & Charitate *Joh.* XVII. 20. *Eph.* IV. 3. 4. *Electus juxta Præcognitionem Dei in Sanctificatione Spiritus* 1 *Petr.* I. I. *&c.* γ ob expressam *Aliorum Exclusionem Rom.* IX. 6. 7. 1 *Joh.* II. 19. *Matt.* VII. 23. XXIII. 13. *Jud. vers.* 12 *&c.* δ denique ob *nomen Ecclesiæ Visibili Cœtui*, intuitu Electorum inter eos hærentium, & Fidei Pietatisque externè ostentatæ, tantum datum. *Pontificii* verò inculcant significatum *Cœtus Visibilis*, referentes ad Ecclesiam ut *Propria & Vera ejus Membra* eos, *qui fidem profitentur*, exclusis sic Infidelibus & Hæreticis, *qui de Sacramentis participant*, exclusis Catechumenis & Excommunicatis, *& qui Romano Pontifici subsunt*, exclusis Schismaticis; licet cæteroquin sint *reprobi*, *scelesti*, *impii*, *nulla interna virtute præditi*, *&c.* quandoque tamen coacti fateri, non esse eos nisi *Membra Mortua*, *Arida*, *Æquivoca*, *&c.* Objiciuntque gratis. 1. Obvium usum vocis de *Externo & Visibili Cœtu Matt.* XVIII. 17. *Act.* II. 47. 1 *Cor.* I. 2. IV. 17. *&c.* Cum α Unus Significatus minus proprius Alterum potiorem non excludat; β Electi ut Homines externè conjuncti Cœtum Visibilem constituant; γ omnes vero secundum Judicium Charitatis ad Cœtum illum tantum referantur. 2. *Parabolas* varias *Matt.* III. 12. XIII. 3. 25. 47. XXII. 12. XXV. 1. 2. *Joh.* XV. 2. 3. 2 *Tim.* II. 20. *&c.* Quæ α vel ad Externam Communionem spectant, uti Peregrini quin Proditores inter Bonos Cives sæpe versantur; β vel ad ad Mundum, aut Prædicationem Verbi, potius quam Ecclesiam respiciunt. 3. Secutura hinc *Absurda* plura; α Infideles, modo Prædestinati sint, posse esse Ecclesiæ Membra; β Ecclesiam fore Invisibilem & Incognitam, ipsis etiam Pastoribus, & debere consequenter delite-

rescere ipsam Scripturam, Sacramenta, Fidem; γ *Novatianorum*, *Catharorum*, & *Donatistarum*, reduci Perfectionem; δ Membra Præcellentiora ex 1 *Cor*. XII. 15. 16. ad Corpus posse non pertinere, &c. Quæ nos amolimur, notando; α Fidem à Prædestinatione ad vitam esse inseparabilem; β Visibilitatem & Cognitionem Probabilem Membrorum Ecclesiæ Hominibus, etiam Pastoribus, sufficere, καρδιογνωσία Deo relinquendâ, nec dependente ab Ecclesiâ nedum à veris & sinceris ejus Membris Scriptura & Fide tota; γ Imperfectionem Electis hic semper adhærere; δ denique Membra externæ Societatis Præcipua, ipsosque Ministros, ad Ecclesiam Electorum posse non pertinere, quod Servorum Hirami & Hominum tempore Noachi concurrentium ad ædificationem Templi & Arcæ illustrari solet.

V. Ecclesiam itaque, cujus *Existentia* à priori ex Illustratione Divinæ Gratiæ decenti, Electione, Redemptione, ac Vocatione, à posteriori verò ex Fide & Sanctitate hominum, Mundique Conservatione, & perpetua Ecclesiæ Historia liquet, definimus; *Multitudinem Hominum Lapsorum, qui secundum æternam Electionem per gratiam Dei ad ejus Communionem Vocati, Christoque & inter se, per Spiritum, Fidem, & Charitatem Uniti, posthac æternum Salvantur.* Ecclesiæ brevis Definitio.

VI. *Hominum Lapsorum* cum dicimus *Multitudinem*; α excludimus hinc *Angelos*, secundum dicta *Cap*. IX. §. XVI. quamquam hi Christo ut Domino quoque subjiciantur, Fidelibus per Christum sint reconciliati, & ad eandem Cœli civitatem & gloriam pertineant, *coll. Hebr*. XII. 22. *Matt*. XVIII. 10. *&c*. β *Christum* similiter, qui tamen ad Ecclesiam latius sumptam spectat, sicuti Rex ad Regnum, Pater ad Familiam, &c. cum nobis proponatur ut *Caput Ecclesiæ Eph*. I. 22. 23. IV. 15. *Col*. II. 19. *&c*. ob Unionem Corporalem & Spiritualem, Excellentiam, Gubernationem, Influxum Spiritus, &c. imo ut *Ecclesia ipsa* 1 *Cor*. XII. 12. *coll. Eph*. I. 23. *Act*. IX. 4. 5. γ *Discrimen* porrò *omne* Temporis, Loci, Gentis, Sexus, Status, Ætatis, &c. *Act*. XV. 11. [1] *Mal*. I. 11. [2] *Gal*. III. 28. *Act*. X. 34. 35. *Apoc*. V. 9 [3]. *&c*. cujus & intuitu Ecclesia *Catholica* in *Symbolo* dicitur; δ ponimus tandem *Magnum* Fœderatorum, ad Dei Civitatem pertinentium, *Numerum Psal*. II. 8. [4] LXXII. 8. 9. [5] *Jes*. II. 3. XLIX. 6. 20. LIII. 11. [6] LIV. 1. *Matt*. VIII. 11. *Hebr*. XII. 23. 24. Est Multitudo Hominum Lapsorum.

Apoc.

Apoc. VII. 9.[7] *&c.* quamquam idem parvus sit *Luc.* XII. 32. *Matt.* VII. 14. XX. 16. *&c,* si conferatur cum Mundo toto, aut Damnatis, aut etiam Externè Vocatis.

[1] *Exerc. Text.* XL. P. V. [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XV. P. III. [5] *Exerc. Text.* XVII. P. II. [6] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [7] *Comm. in Loc.*

Quæ ab aliis discernitur per æternam Electionem. Per Vocationem dein Efficacem ad Communionem arctam cum Christo ac inter se. Per Glorificationem tandem certam.

VII. Hujus vero Multitudinis Discretio ab aliis Cœtibus petitur ex Triplici capite. 1. Ex *Æterna Electione*; cujus respectu ad Ecclesiam referri quoque possunt & debent Necdum Nati, aut Conversi, imo servidissimi ejus Hostes aliqui, *coll. Joh.* X. 16. XI. 52. XVII. 20. *Act.* IX. 15. XVIII. 10. &c. 2. Ex Temporali *Vocatione Efficaci*, indeque fluente *Unione*, tum *Inter Se* mutuo per vinculum Charitatis, & Fidei ἰσοτίμου, ad bonorum malorumque spiritualium & corporalium Communicationem lætam se extendente 1 *Cor.* I. 10. XII. 12. 13. *Gal* VI. 1. 2. *Eph.* IV. 3. 4. 2 *Petr.* I. 1. *&c.* tum *Cum Christo*, Deoque *Patre* per eum *Joh.* XVII. 21. 1 *Joh.* I. 3. Quæ *Unio* est. α *Arctissima.* Ex *Similibus Increatis* Personarum Trinitatis *Joh.* XVII. 11. 22. *&c.* & *Creatis*; tum *Politicis*, Mariti & Uxoris *Jes.* LIV. 5. *Hos.* II. 18.[1] 2 *Cor.* XI. 2. Parentis & Liberorum *Deut.* XXXII. 6.[2] *Jes.* VIII. 18. LIII. 10.[3] Fratrum & Sororum *Cant.* V. 1.[4] *Rom.* VIII. 17. 29. *Hebr.* II. 12. Domini & Servorum *Psal.* CXVI. 16. 1 *Cor.* VIII. 6. Magistri & Discipulorum *Matt.* XXIII. 8. 10. Regis & Subjectorum *Psal* II. 6.[5] CX. 3.[6] *&c.* tum *Artificialibus*, Fundamenti & Ædificii 1 *Cor.* III. 11.[7] *Eph.* II. 20. 21.[8] Hominis & Vestimenti *Rom.* XIII. 14. *Gal.* III. 27. Tecti & Incolarum *Jes.* XXXII. 1. 2. Templi & Domini inhabitantis 2 *Cor.* VI. 16. *&c.* tum *Naturalibus*, Vitis & Palmitum *Joh.* XV. 2. Cibi & Corporis nutriti *Joh.* VI. 51. Capitis & Membrorum, *Eph.* I. 22. Animæ & Corporis 1 *Cor.* XV. 45. quin & Spiritus Unius, 1 *Cor.* VI. 17. *&c.* β *Mutua.* Unde *Nos in Ipso*, *& Ipse in Nobis*, esse dicitur 1 *Joh.* III. 24. IV. 13. operante huc à parte Christi vinculo *Spiritus* 1 *Joh.* IV. 13. *Rom.* VIII. 1. 9. & à parte Nostri *Fide Joh.* I. 12. *Eph.* III. 17. & *Charitate* sincera *Joh.* XIV. 23. γ *Operosa & Efficax*, in iisdem Desideriis, Actionibus, Passionibus, Bonis & Malis, &c. δ *Indivulsa* tandem. Unde phrases *manendi*, *non ejiciendi*, *non separandi*, *&c. Joh.* VI. 37. XV. 4. 1 *Joh.* II. 6. *Rom.* VIII. 39. &c. manente semper & Amore Christi *Joh.*

XIII.

XIII. 1. & Spiritu S. *Joh.* XIV. 16. & donis Fidei & Charitatis ἀμεταμελήτοις *Rom.* XI. 29. Pertinent vero ad hunc Vocationis & Unionis statum, tum epitheta *Unius*, *Sanctæ*, & *Christianæ*, data in *Symbolo* Ecclesiæ, tum *Communio Sanctorum*, in eodem memorata. 3. Ex *Salute Æterna* futura. Quæ omnibus gratiose *Destinata* est, & quibusdam actu quoad Animam jam *Concessa*, unde Ecclesiæ in *Militantem* & *Triumphantem* oritur divisio, secundum *Eph.* VI. 12. *Gal.* V. 17. *Apoc.* VII. 9.[9] *&c.* male Tertiam partem in purgatorio *Laborantem* fingentibus *Papistis*; & in qua secunda manet arctissima cum Christo Unio, Fide in Visionem mutatâ, mutua item per Charitatem, qua Cœlites se invicem atque etiam Fratres Militantes complectuntur, similiter ab his amati, licet Unio hæc, nec ad Intercessionem Particularem ab una, nec ad Invocationem ab altera parte sit extendenda, more *Papistico.*

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Pent.* [3] *Anal. Exeg. Jes.* LIII. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XV. P. III. [6] *Exerc. Text.* XVIII. P. II. [7] *Exerc. Text.* XLI. P. III. [8] *Exerc. Text.* XLIII. P. III. [9] *Comm. in Loc.*

VIII. Apparet ex dictis; α tum *Catechumenos*, necdum Baptizatos, *Excommunicatos* item injuste, vel ad tempus, vel resipiscentes, tandem *Schismaticos*, graviter licet peccantes in rupta externa Ecclesiæ Unione, quicquid ad externam Ecclesiæ Societatem non pertineant, *Vera* tamen ejus *Membra* esse posse, ob Electionis, Vocationis, & Salutis Immutabilem Certitudinem; β tum esse hactenus *Ecclesiam Invisibilem*, ut homines nulli distincte & infallibiliter ejus Membra Vera præter se ipsos dignoscere queant. Quo faciunt, præter dicta §. IV. & VII. α satis expressa Loca *Psal.* XLV. 14.[1] *Luc.* XVII. 20. *Rom.* II. 28. 1 *Petr.* III. 4. *Apoc.* II. 17.[2] *&c.* β Gloria Dei & Christi in hac Cognitione sita *Joh.* II. 23. 24. VI. 70. X. 14. XIII. 18. 2 *Tim.* II. 19[3]. *&c.* γ Hypocritarum denique in Officiis externis Zelus, cum Torpore fidelium quandoque obrepente collatus. Dum lubentes concedimus; esse Visibiles Homines qua tales, juxta Ministerium Verbi & Sacramentorum, Professionem Fidei, & externa Pietatis Opera, ex quibus probabile *Judicium Charitatis* de Hominibus singulis formari potest. Præter quæ, aliaque antea §. IV. adducta, vix quidquam objiciunt *Papistæ*; quorum tamen magnopere interesset, ut de Ecclesia Verâ Electorum dicta suis Cœtibus

An Catechumeni, Excomunicati, & Schismatici etiam dici possint Membra Ecclesiæ. Et quo sensu ipsa Invisibilis dici debeat.

applicare, illamque totam Pontifici suo subjicere possent.

[1] *Anal. Exeg. post Cant.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XLIV. P. III.

De Notis Veræ Ecclesiæ generatim agitur.

IX. Urgemus verò nos, omnino *Visibilem* hactenus esse *Ecclesiam*, ut ex certis & indubitatis *Notis*, κριτηρίοις, τεκμηρίοις, γνωρίσμασι, *dignosci* possit *Vera* à Falsa, sciamusque infallibiliter, inter quos plures Electi & Vocati degant. Quod & utilissimum est; α ad Separationem à Malis; β Unionemque magis arctam, tum Internam, tum Externam cum verè Piis; γ fluentemque hinc Nostri & Aliorum Ædificationem. Cura interim gerenda est, ut *Notæ* ponantur *Certæ*, ad quas requiritur; α ut *Propriæ* prorsus sint Ecclesiæ Veræ Visibili, sive illi *soli*, *omni*, & *semper* competant, *diverso* licet *Gradu*; β ut sint *Notiores* suâ naturâ, quam est ipsa Ecclesia, per eas cognitas demum dignoscenda; temere numerum Requisitorum adaugentibus aliis. Neque disputandum credimus operosè de harum ipsarum *Notarum Numero*; α aliis non nisi *Unam* nominantibus, puram *Doctrinæ Divino Verbo* comprehensæ prædicationem ac professionem; β aliis verò addentibus, sive legitimam *Sacramentorum* Administrationem, sive etiam *Disciplinæ* Usum, sive Vitæ *Sanctitatem*, sive *Amorem* fraternum, &c. sive plura hæc simul. Quæ omnia cum se mutuo vulgò consequantur, imo sibi invicem ex parte inclusa sint, nulla hic est vera pugna, sed tantum *Diversa doctrinæ Methodus*; facile concilianda per Majorem & Minorem Gradum Necessitatis, in his Notis deprehensæ, Veritatemque Doctrinæ reliquis Notis antepositam.

Dicuntur illæ merito Duæ, Doctrinæ Puritas & Vitæ Sanctitas.

X. Facimus nos cum iis, qui *Duas* ponunt *Notas*, unam velut à priori & antecedentem, *Doctrinæ* scil. fundamentalis *Puritatem*, alteram à posteriori & consequentem, *Vitæ Sanctitatem* decentem, Amore in Deum & Fratres demonstratam. Quas α ponit Scriptura *Deut.* IV. 6. *Matt.* VII. 16. XXVIII. 19. 20. *Joh.* VIII. 31. X. 27. *Act.* II. 42. *Eph.* II. 20. 21.+ 1 *Joh.* IV. 1. 2. *Joh. vers.* 9. 10. *&c.* β & probat Requisitorum collatio, dum *Soli & Omni Veræ Ecclesiæ* competere debet verum salutaris Fidei Objectum illiusque Consequens Fructus, & hæc externè demonstrata & cum Scripturis collata *Notiora* sunt sua naturâ quam est ipsa Ecclesia; γ & agnoscunt quandoque inviti Adversarii, dum *Doctrinæ Sanctitatem & Efficaciam* inter Notas & ipsi numerant. Inepte verò og-

ogganniunt vulgo *Pontificii*; α modò, Notas has *Omnes sibi arrogare*, cum inquiri debeat an verè eis conveniant, ad lydium lapidem Scripturarum minimè controversum; β modo esse eas revera *etiam apud Schismaticos*, quos ab Ecclesia Vera plane etiam excludere non licet, licet Schisma eorum corruptelis & vitiis sit accensendum; γ modò has esse *Minus Notas* ipsâ Ecclesiâ, cum veritas ab hac & sanctitas disci debeat, cum etiam sit doctrina fundamentum Ecclesiæ latens, quæ prior hypothesis falsissima est, minime ex interveniente Ecclesiæ Ministerio probata, si vera fidei & sanctitatis analysis instituatur, & quæ posterior similitudo non ultra scopum suum est extendenda, quamquam & fundamenta multa satis conspicua sint; δ modò has *non* esse satis *Sensibiles* ad Plebis captum, nec distinctas ab Essentiali Forma, quorum prius ob Judicium Discretionis omnibus tributum negamus, alterum non putamus necessarium, ob rerum spiritualium à naturalibus discrimen, atque etiam falsum, ex collatione § VII. ε modo tandem *nos agnoscere* inter eos *Veram Ecclesiam*, quorum tamen *Doctrinam improbamus & Vitam*, cum nec omnis Error sit fundamentalis, nec omnis Impuritas vitæ sanctitatem habitualem omnium tollat.

✝ *Exerc. Text.* XLIII. P. III.

XI. Repudiari itaque debent Notæ, quæ & quousque ab his differunt; α tum *Perfectionis*, somniatæ à *Donatistis*, qualis nec in ipsis vere Electis, nedum in Externis Cœtibus, hic unquam reperietur; β tum inculcatæ quandoque ab *Anabaptistis* & *Indifferentismi* patronis *Fraternæ Charitatis Externæ*, quam urgens in Discipulis suis Dominus *Joh.* XIII. 35. Doctrinam veram & Fidem præsupposuit, ut ex qua Charitas vera provenire debet *Gal.* v. 6. 1 *Tim* 1. 5. dum satis docuit experientia, Hæreticos pessimos externam Sanctitatem & Charitatem sæpe quam maxime mentitos esse, secundum *Matt.* VII. 15. *Luc.* XVIII. 11. 12. *&c.* γ tum *Papisticæ*, sive Unam, sive Duas, sive Tres, sive Quatuor, sive Sex, sive Decem, sive Undecim, sive Duodecim, sive Novendecim, sive *Quindecim* cum *Bellarmino* nominent, *Nomen* sc. *Catholicum*, *Antiquitatem*, *Durationem diuturnam nec interruptam*, *Amplitudinem*, *Successionem Episcoporum continuam ab Apostolis*, *Conspirationem in doctrina cum Ecclesia Antiqua*, *Unionem Membrorum inter se & cum Capite*, *Sanctitatem Doctrinæ*,

Repudiantur Notæ ab Adversariis datæ. In specie quidem Quindecim, quas Bellarminus dat,

Efficaciam ejus, *Sanctimoniam Antistitum*, *Gloriam Miraculorum*, *Lumen Propheticum*, *Confessionem Adversariorum*, *Infelicem Exitum hostium*, *Felicitatem Temporariam illius Membrorumque ejus*. Ex quibus, uti quædam bene expositæ à Nostris non differunt; ita aliæ α *non* competunt *Ecclesiæ Soli*, ut Nomen Catholicum, Antiquitas, Duratio, Amplitudo, &c. β *non* competunt *Ecclesiæ Omni & Semper*, uti præter nonnullas modò positas est Gloria Miraculorum, Lumen Propheticum, Confessio Adversariorum, &c. γ imo *adversantur* naturæ vel sacræ descriptioni *Ecclesiæ*, ut est Amplitudo & Felicitas Temporalis, contraria *Luc.* XII. 32. 2 *Tim.* III. 12. *&c.* δ *non* sunt *Notiores Ecclesiâ*, ut sunt pleræque exigentes Historiæ omnis hominibus plebejis inaccessæ Cognitionem curatam, atque Unio nominata, si intelligatur Interna & Spiritualis. Ad quæ Nostri adhuc addere solent rectè; *Notas has*, bene consideratas, *non competere Ecclesiæ Romanæ*, etiam dum hoc nomine superbit; multas ex adverso *Ecclesiæ Nostræ longe melius applicari*, qualis est Antiquitas, ex Consensu cum Ecclesia Apostolica irrefragabiliter & facillimè demonstrata. Quæ pro Singulis Notis & contra eas speciatim adducuntur, ubique leguntur, nec poni hic à nobis operæ pretium videtur.

Notarum Applicatio ad Ecclesiam nostram facilis. Ad Papisticam impossibilis ex adverso.

XII. Veræ Ecclesiæ Notæ si applicentur ad *Cœtus omnes Hæreticos*, *& Ecclesiam* nostram *Reformatam*, mox apparebit, hanc Veram esse, illos ad Falsam spectare. Ad cujus rei probationem sufficit; α notasse *Gnorismata Veræ Religionis* quatuor specialia, proposita *Cap.* III. §. XIX. juxta Articulos Fundamentales expositos *ibid.* §. XIII. β conferre Idololatriam, ἐθελοθρησκείαν, Superstitionem, superbam Meriti Persuasionem, Impietatem non unam, publicè fotam & defensam apud illos, cum humili *Sanctitatis Spiritualis* studio, quod apud Nostros inculcatur & viget. Atque sic evidens est, præ reliquis quidem *Pseudo-Christianis* excellere *Ecclesiam Romano-Papisticam*, tanquam desertæ Doctrinæ Necessariæ Veræque Pietatis multis modis ream, ac hostili impetu in Ecclesiam dudum commune omnium Christianorum odium meritam. Haud juvante eam; α vel *Nomine Ecclesiæ Christianæ*, *coll. Rom.* II. 17. *Apoc.* III. 1 *&c.* quod illi non aliter, quam secundum quid, & respectu doctrinæ ex parte retentæ, dari debet; β vel *Fide Symboli Apostolici*, *Orationis Dominicæ*, *Decalogi*, *&c.* dum sensus eorum genuinus, æquè quam Scripturæ ipsius, everti-

tur

tur in ea palam; γ vel *Salute Parentum Nostrorum* ante Reformationem in ipsius communione, cum eorum ætate consque necdum desciverit, Ecclesia ex Babele tunc nondum fuerit egressa, nec Communio Externa infidelium ac impiorum, licet periculo salutis maximo hominem exponat, mox inferat Internam & Universalem; δ vel multiplici *Hæresios*, *Impietatis*, *& Crudelitatis palliatione*, quâ fucum faciunt simplicioribus, quamdiu non fuerint revocata *Anathemata Tridentina*, & improba majorum Placita, atque Ecclesiæ Judicium Infallibile & ἀνυπεύθυνον, cui omnes subjicere se debeant, repudiatum.

XIII. *Inania* porro sunt *Præjudicia*, quæ *contra Ecclesiæ Reformatæ Veritatem* objiciuntur; α partim *Personalia*, uti est *Vita Scelerata* primorum *Reformatorum*, quam, licet & Instrumentis Malis in Bonum Finem Deus uti possit, impiâ calumniâ instar Pharisæorum & Gentilium veterum iis affingunt, verè reperta in *Pontificibus* & Ecclesiæ Romanæ Vindicibus maximis; dein *Vis Publica*, quæ tempore Reformationis à Papistis verius est facta, ad defensionem sui difficulter olim hodieque coactis Nostris; tum etiam *Vilis Conditio Membrorum*, quam cum Apostolicis Ecclesiis habemus communem 1 *Cor*. I. 26. *Jac*. II. 5. dum Reges Terræ plures scortantur cum Meretrice *Apoc*. XVII. 1. 2 [1] & pauci horum Christo se subjiciunt sincerè; β partim *Realia* magis. Quorsum refer. 1. *Recentem Ecclesiæ Nostræ Ortum*, quæ *nusquam* scil. fuerit *ante Zwinglium* & *Lutherum*. Cum α Antiquitatem Apostolicam probet Doctrinæ ac Disciplinæ collatio, nec respiciat Reformatio nisi ad Corruptionem recentius & successive introductam; β perpetuus Splendor Externus Ecclesiæ Veræ inde ab Apostolis gratis supponatur, confutandus mox; γ Testes denique Veritatis omni tempore in Papatu & extra eum exstiterint plures, quorum catalogum publicè nostri dederunt, secundum *Apoc*. XI. 3. [2] XIII. 7. 8. [3] *&c*. 2. *Secessionem ab Ecclesia Schismaticam*. Cum α non omnis Secessio ab Externa aliqua Societate sit damnanda 2 *Joh*. *vers*. 9. 10. [4] *Tit*. III. 10. 2 *Cor*. VI. 14. 15. *&c*. β Nostra fuerit Justa, ob Mandatum Dei expressum *Apoc*. XVIII. 4. [5] ob Religionis Christianæ quoad Theoriam & Praxin Corruptionem introductam vere Anti-Christianam & inemendabilem, quin & ob Vim illatam Conscientiæ simul & Corpori; γ non fuerit itaque Secessio Nostra ab Ecclesia, sed Ec-

Præjudicia Papistarum inepta adversus Nos tolluntur. Uti sunt præcipuæ, Novus Ortus Ecclesiæ nostræ. Secessio à Romana Schismatica. Doctrinæ impietas. Defectus Legitimæ Vocationis. Independentia Politica & Ecclesiastica.

clesiæ Veræ à Synagoga Satanæ, quæ ipsa sua obduratione in Errore, & correctione non admissa, Ecclesiam Veram dereliquit, & Persecutione ad derelictionem ulteriorem simul coëgit. 3. *Doctrinam*, tum *Blasphemam* & *Impiam*, in rejectis Dogmatibus Ecclesiæ Romanæ pluribus, Securitate Carnali introducta, Deo Autore Peccati constituto; &c. tum *Confusam*, per dissidia plura. Cum α nihil credamus nos, præter Scripturam, merito Traditiones Romanas extra eam cum Paulo anathematizantes *Gal.* 1. 8. 9. nec curantes multum Absurda quæ nos toto corde detestamur Dogmata, per ludicras Consequentias nobis imputata; β Consensus vero Universalis his in terris sperari non possit, nunquam obtinuerit, debeat esse liber & ex convictione mentis profectus, nequaquam apud *Pontificios* reperiatur in gravissimis capitibus, ne addam, ad Dissidia nostra augenda pessime nobis accenseri Hæreticos, qui vel ex sinu ipsius Ecclesiæ Romanæ, vel etiam ex Communione nostra Externa tantum, exierunt. 4. *Defectum Vocationis Legitimæ*, in *Ministris* nostris, præsertim primis *Reformatoribus*. Cum α Vocationem plures habuerint ante Reformationem in Ecclesia adhuc à *Papistis* non separata, secundum quam prædicaturi ex voluntate Domini ejus Verbum, ad Reformationem, ab hominibus licet non intentam, tenebantur; quæque per Anathemata injusta egressis cum Ecclesia vera auferri non potuit; β eandem porrò nacti sint, ab Ecclesiis secum egressis, earumque Nutritiis, Deo per Extraordinariam Benedictionem opus mirificè approbante; γ tabulas tandem de Jure Vocationis ad se pertinente Romani Divinas nullas aut justas proferre queant. 5. *Independentismum Politicum & Ecclesiasticum à nobis introductum.* Cum, α Principum & Magistratuum, etiam durorum & infidelium, Obedientiam, attamen sub Deo, urgeamus constanter, evertentibus illam per Pontificis sui Jus in omnia evidenter *Papistis*; β ac Ordinem velimus in Ecclesia Apostolicum & decentem, repudiata tantum Tyrannide & Ambitione Papali ac Monastica.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XLVII. P. I. [5] *Comm. in Loc.*

Syncretismus cum qribus & qualis Indecens & Decens sit.

XIV. Statuimus amplius, *nullum* quacunque ratione debere fieri *Ecclesiæ Veræ*, aut Fidelium, *cum Falsa*, manente sc. tali, *Syncretismum*, secundum adducta *Cap.* III. §. XX. atque hinc omnem

omnem *Reditum ad Papistas*, mille artibus & tormentis adducere nos studentes, *Illicitum esse*; parum juvante *Papistas* mitiori Nostrorum judicio, de multis in Externa Communione Ecclesiæ Romanæ salvatis. Cum simul notemus; α gravissime peccare contra Conscientiam & Gratiam Dei, qui Romæ adhærent melius illuminati, aut ad eam redeunt, instar Judæorum *Joh.* XII. 42. 43. β periculo salutis summo, & per humanam virtutem insuperabili, eos se exponere; γ denique salutem omninò juxta Scripturam abjudicemus iis qui in Fide & Cultu Papistico exspirant. Sicuti ab altera parte in Ecclesia Vera agnoscimus *varios Puritatis Gradus*; quibus non obstantibus, Syncretismo hic locus esse potest & debet *Rom.* XIV. 1. 1 *Cor.* I. 10. 11. 12. *Phil.* III. 15. 16. *&c.* tali scil. per quem toleratur spiritu longanimitatis, non tamen diffunditur latius, impuritas, nec veritatis & pietatis prudens professio interdicitur. Qualia consilia henotica sola placent; reliquis omnino improbandis omnibus, utpote ad Indifferentismum & Confusionem ducentibus.

XV. Post Notas memorantur recte *Attributa* alia Ecclesiæ, ex quibus illius natura & conditio magis etiam innotescunt. Inter quæ primùm occurrit *Externa Unitas*, ex interna Spiritus, Fidei, & Charitatis Unione fluens; & conservata maximè per *Conventus Communes Sacros*, & olim *Exod.* XXIII. 17. *Lev.* XXIII. 3. *Deut.* XXXI. 11. [1] *Act.* XV. 21. [2] *&c.* & sub Novo Test. commendatos *Act.* II. 44. 46. 1 *Cor.* XI. 18. 20. *Hebr.* X. 25. *Jac.* II. 2. *&c.* Quorum, α uti *Tempus Sacrum* est Unus *Dies Primus* Septimanæ, secundum *Cap.* XII. §. XV. XVI. Horarum determinatione sic relicta prudentiæ Ecclesiæ, ut hæc etiam alia Tempora, vel perpetua, vel extraordinaria, addere possit, sed ad quæ observanda non eodem prorsus modo obligantur fideles; β & *Locus* sub Novo Test. *nullus à Deo determinatus est* *Joh.* IV. 21. 1 *Tim.* II. 8. *&c.* hinc privatim ubique convenientibus olim Christianis, quamquam *Templa* communia, satis ampla, decora, & apta recipiendæ multitudini, ubi temporum ratio id permittit, præferri debeant, damnatâ sic horum *Formâ*, *Consecratione*, *Exornatione*, ac *Dedicatione* superstitiosa & idololatrica, ut locum ipsum propterea profanari plane ad negatam usque expiationem per meliorem ædificii usum non putemus; γ ita *Necessitas non* est *Absoluta* plane, & *Æqualis* omni tempore, sed ex Divino mandato, & de-

Est Ecclesia Una, ad cujus Unitatem fovendam faciunt Conventus Sacri. Quorum Conventuum Explicitio additur.

decentia rei, illiusque fructu optimo, fluens, & obligans omnes & singulos, ubi aut interna Corruptio veritatem fidei vel pietatis tollens planè, aut externa Persecutio, non obstat, quibus casibus privatim Deum coluisse sufficit, nunquam publica Professione oppositi Cultus licitè additâ; δ *Agenda* denique ab ævo fuere, *Verbi Lectio ac Prædicatio* per explicationem & applicationem decentem, *Oratio Communis* præeunte elata voce *Ministri* prò fidelium aliorumque necessitatibus, *Psalmodia* variè instituta & *Organis* rectè non tamen necessario adjuta, *Sacramentorum Baptismi & Cœnæ* administratio, *Eleemosynarum* distributio, *Benedictio* solennis, ut *Agapas*, *Oscula mutua*, *Sacramentum* de non committendis sceleribus, similiaque jam obsoleta, & superstitiosos ritus, postea introductos, mittam.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc Text.* XLI. P. V.

Est in Terris semper Imperfecta. Hinc & vulgò Fallibilis.

XVI. Competit Ecclesiæ dein his in terris semper *Imperfectio*, tum quoad societatis Corpus, tum quoad Singula ejus Membra, tum quoad Obedientiam Divini mandati, tum quoad Cognitionem fidei, *Perfectione* ac *Pulchritudine* semper restricte & comparate intelligenda; uti contra *Perfectistas* omnes, veterum *Donatistarum* & *Catharorum* vestigia prementes, ex omnis ætatis Historia liquet, & latius adstructum est *Cap.* XI. §. XXXVII. *Cap.* XXV. §. IX.... XIII. Ex qua fluit ejus *Fallibilitas*, absque Extraordinariis Spiritus Donis, qualia Prophetis & Apostolis olim concedebantur, tam de verè *Fidelibus*, quam dè Externis *Cœtibus* eorumque *Antistitibus*, tenenda; contra *Papistas*, Judicium ἀνυπεύθυνον de Religionis Capitibus Ecclesiæ sub hoc prætextu vindicaturos. Demonstramus autem illam; α tum argumentis communibus, adductis *Cap.* II. §. XLII. β tum hypothesibus *Papistarum* ipsorum, de Fallibilitate & Conciliorum & Pontificis solius, de Errore Ecclesiæ in rebus Facti, de Dubia legitima Ordinatione Episcoporum & Pontificis ipsius, de multis Mediis necessario adhibendis ad Infallibilitatem, &c. Nec obstat, præter memorata *Cap.* II. §. XLII. α aut *Promissio Christi* multiplex *Matt.* x. 19. 40. xviii. 20. xxviii. 20. *Joh.* xvi. 13. *&c.* quæ partim spectat ad Apostolos primosque eorum Cooperarios, partim non magis Infallibilitatem Ecclesiæ quam ejus Impeccabilitatem infert, partim ad omnem Veritatem quam docet Spiritus, & Necessariam, est restringenda; β aut *Ecclesiæ* Ve-

Veræ Perseverantia, quæ non omnem Errorem, sed tantum Fundamentalem & Finalem excludit; γ aut *Ecclesiæ & Synodicorum Decretorum* nimia *Elevatio*, cum illa hinc non nisi per accidens fluat, & cura simul gerenda sit, ne Dei & Verbi ejus gloriam rapiant ea ratione homines nudi.

XVII. Imperfectionem Sanctificationis sequitur *Imperfectio Felicitatis*, sive *Calamitas* multiplex; quâ libet Deo Ecclesiam suam hic exercere, ut α Capiti suo Christo conformetur, β virtus membrorum foveatur, exerceatur, & augeatur, γ Dei gratia præsens magis agnoscatur, δ ejusque gloria fervidius desideretur. Sunt autem Calamitates hæ; α vel *Particulares*, vel *Universales* magis; β vel *Internæ*, à Fidelibus ipsis externisve Ecclesiæ Membris ortæ, vel *Externæ*; γ vel *Spirituales*, vel *Corporales*; δ vel *Immediatè*, vel *Mediate* magis à Deo immissæ; ε vel denique ex hisce variis inter se *Mixtæ*. Inter eas potissimum excellunt; α tum *Schismata* domestica, Ecclesiam instar civilium discordiarum, ex affectu vario, vel ex discrepantia in rebus levioribus, turbantia & vastantia, *coll. Matt.* XII. 25. I *Cor.* I. 10. 11. 12. III. 3. 4. *&c.* quæ nec inter Apostolos defuerunt plane *Act.* XI. 2. XV. 39. *Gal.* II. 13. 14.[1] *&c.* quibus ferendis fovendisque prudenter Antistites & Christiani Magistratus se opponere debent; β tum *Hæreses*, quibus Doctrina Sana Christi impetitur, & cum Erroribus magis aut minus Exitialibus mutatur, quæ cito admodum ortæ in Ecclesia, etiam sub Novo Test. secundum prædictiones 1 *Cor.* XI. 19. *Act.* XX. 29. 30. 1 *Tim.* IV. 1. 2.[2] 2 *Petr.* II. 1. *&c.* hodieque similes Veteribus illis à *Pontificiis*, *Fanaticis*, ac *Socinianis*, inculcantur,[3] licet nos accusare earum non dubitent impudenter, quibusque iterum omnis diligentia Ministrorum & Magistratum opponi debet; γ tum *Persecutio*, qua ab incunabulis primis pressa olim Ecclesia, sub Novo Test. haud minus vexata fuit, secundum prædictiones frequentissimas *Joh.* XV. 20. 21. XVI. 1. 2. *Act.* XIV. 22. 2 *Tim.* III. 12. *Apoc.* XII. 13. 17.[4] XIII. 7.[4] *&c.* à *Gentilibus* primum, dein ab *Hæreticis*, *Muhammedanis*, & *Papistis*, non cessante sed renovata potius hodie eorum rabie insana, adversus quam Patientia, Innocentia, & jugi Prece potissimum, certandum est.

Calamitas Ecclesiæ multiplex. Inter quas Schismata, Hæreses, & Persecutiones.

[1] *Exerc. Text.* XLV. P. V. [2] *Exerc. Text.* XLIX. P. IV. [3] *Exerc. Misc. Orat.* II. III. & IV. [4] *Comm. in Loc.*

Pugnandum illi est cum Hostibus variis.

XVIII. In mediis his Calamitatibus Ecclesia spectatur, tanquam *Pugnans Rom.* VII. 23. *Eph.* VI. 12. *Phil.* I. 27. *Jud. vers.* 3. *&c.* utpote exposita *Hostium*, non tantum specie talium, uti est ipse Deus aversum se quandoque ostendens, sed vere infensissimorum, Incursui armato. Hi plures leguntur & actu deprehenduntur; α *Personales & Reales*, ut Lex, Peccatum, Mors, &c. β *Aperti* & *Operti*; γ *Interni & Externi*; δ *Spirituales* & *Corporales*; ε *Principales*, Diabolus sc. cum Angelis suis malis, & *Ministeriales*, Mundus & Fideles ipsi suæ Carnis respectu. Horumque *Insultus* non minus variant; α per adhibitam Fraudem vel Vim; β seductionem Theoreticam vel Practicam; γ in Impietatem vel Desperationem; δ in Peccatum unum vel aliud; ε repræsentatione, vel Commodi exspectandi, vel Mali metuendi; ς fœdata facie Virtutis, vel palliato Vitio, &c. Adversus quos πανοπλίᾳ Christiana, descripta *Eph* VI. 13. *&c.* Vigilantiâ 1 *Petr* v. 8. Resistentiâ robustâ *Jac.* IV. 7. quin & Hostium Aggressu forti *Rom.* XVI. 20. *Col.* III. 5. opus est constanter, donec in Ecclesiam Triumphantem contingat transferri.

Inter quos maxime excellit Anti-Christus. Quem esse Romanum Pontificem, latius demonstratur.

XIX. Præ reliquis verò Hostibus Mundanis eminet *Anti-Christus*; non latius & *appellative* sic dictus, quo sensu usurpatur hoc nomen 1 *Joh.* II. 18. notaque etiam est distinctio Anti-Christi in *Orientalem* & *Occidentalem*; sed *antonomastice* & ἐξόχως, qui alias *Apostata*, *Homo Peccati*, *Filius Perditionis*, ἄνομος &c. dicitur, ac hieroglyphicè tanquam *Stella è Cœlo Delapsa*, ac cum Multitudine ipsi adhærente tanquam *Bestia Meretrixque* proponitur. Non licet autem ex Eventu, post multorum in Papatu ante Reformationem observationes similes, dubitare, quin nomine isthoc notetur *Pontificum Romanorum*, inde ab *Apostasia* magis publica & *Principatu* totius Ecclesiæ, *Ordo*; ducente nos illuc. 1. Nomine *Anti-Christi*; quod illi maxime convenit, dum simul est *contra* Christum, atque se illi *substituit* tanquam vicarium, & *æqualem* se illi fingit. 2. Descriptione Pauli 2 *Thess.* II. 2.... II. Dum α *Adventum* ejus *differt* tanquam necdum proximè instantem *vers.* 2. β ἀποστασίαν insignem, non tamen verbis apertis propterea declaratam, aut ad Judaismi Gentilismique assumptum nomen, illi tribuit *vers.* 3. γ *Impietatem* insignem addit; δ refractariam *Elationem* supra omnem Deum & Numen, verum falsumque, nomine & re ipsa tale, inculcat, cum *Divinitatis Affectatione vers.* 4.

4. ι *Sessionem* memorat *in Templo*, sive *in Templum Dei*, h.e. Præsentiam in Ecclesia Christiana, illiusque Oppressionem; ς τοῦ κατέχοντος ad tempus sui interitus Imperii Romani mentionem subjicit *vers.* 6. 7. ζ arcanam isthoc jam tempore *Mysterii Iniquitatis Efficaciam* notat; η *Manifestationem* item *cum Efficacia Satanæ*, Signis, & Seductione magna hominum v. 9. 10. ϑ *Consumptionem* Successivam *per Spiritum oris Domini* in Verbo efficacem; ι denique *Abolitionem* totalem in illustri Adventu Domini *vers.* 8. Quæ omnia tam clare ad *Romanum Pontificem* nos ducunt, ut inanissimè excipiant *Pontificii*; α modo, *Unum Singularem* hic innui *Hominem*, ob Numerum Singularem, Oppositionem contra unum Christum, & præpositum Articulum, quasi Singularis Numerus non posset collective poni, in primis pro Uno subsequente hominum Ordine, & plures Inimici uni Christo opponi, & Articulum eundem tanquam Designativum certi Ordinis etiam τῷ κατέχοντι non præposuisset Paulus; β modo, *Sessionem in Templo Jerosolymitano* prædici, quasi non totiens Templum Dei pro Ecclesia poneretur, nec scivisset Paulus illud post destructionem Romanam non fore reædificandum; γ modo, *Impietatem* tribui Anti-Christo, & *Apostasiam* publicè declaratam, quasi hæc non æque factis quam verbis fieri posset; δ modo, *Humilitatem* suam declarare Pontificem, etiam titulo *Servi Servorum*, dum utique supra Reges re ipsa se effert, & efferri à suis vult Nominibus variis plane Blasphemis, &c. 3. *Descriptione Johannis*; α tam quoad *Doctrinam* 1 *Joh.* II. 18. 22. IV. 3. 2 *Joh. vers.* 7. verè *negante* Pontifice *Christum illiusque Adventum in Carnem*, quod tum agebant explicite *Hæretici* varii, implicite per reductas Umbraticas Ceremonias, confictam Transubstantiationem, negatum Fructum Adventus ipsius verum, rapta ipsi Munera, &c. β quam quoad *Potestatem*, *Fraudem sub specie Cornuum Agni*, *Miracula*, *Subjectionem Orbis*, *Persecutionem Ecclesiæ*, *Ministrorum noxiorum Multitudinem*, *Sedem Septicollem*, *Scortationem*, *Blasphemiam*, quin & *Numerum Nominis* quo regnum ejus discernitur ab aliis, quodque apud Græcos λατεῖνος, apud Hebræos רומיית / per literas efficit 666. *Apoc.* IX. XI. XIII. XVII. XVIII. [1] Quibus Capitibus de *Urbe Roma* agi, ipsi facilè viderunt *Papistæ*, ad eam adhuc Gentilem, vel qualis sub extremum Mundi Finem futura sit, illa dicta perperam referentes.

[1] *Comm. Apocal.*

Grotii deliria, & ineptiæ Papistarum notantur.

XX. Uti vero refutatione digna non sunt *Grotii* somnia, qui contra Temporis rationem, Verborum vim apertam, & Contextum, loca adducta partim dè *Caligula & Simone Mago*, partim de *Barchochabo*, partim de *Trajano*, *Domitiano*, *& Apollonio Thyaneo*, explicare pessimo instituto conatus est. Ita necessum non erit; α vel ut prolixe respondeamus ad cavillas *Pontificias*, de ipsis sic dicto *Convicio* vere *Achristiano*, de *læsa Majestate Principum* Pontificiæ professionis, de sumpto nobis *Judicio Personali de Pontificibus*, de *damnatis sic Patribus* nostris, &c. quæ concidunt, si consideretur, misso omni Odio Personali atque Injuriæ inferendæ scopo, nos tantum ferre judicium necessarium ex Scripturis, de *Doctrina*, *Disciplina*, *& Munere*, quæ ab omnibus *Papistis* nequaquam vel corde, vel etiam ore probantur; β vel ut evertamus figmentum *Papisticum*, non absimile alteri Judæorum de *Armillo*, de Anti-Christo futuro *Homine* aliquo *Singulari*, *ex Judaica tribu Dan* orituro, *Messiam* se dicturo, *Mira* patraturo, *Templum Jerosolymitanum* reædificaturo, *Orbem* subacturo, *Christianismum* eversuro, juge *Sacrificium Missæ* ablaturo, *adorandum in Templo* se propposituro, *Enochum & Eliam* trucidaturo, tandem & à Christo *in monte Oliveti Trucidando*, post Regnum Trium Annorum cum Dimidio, Quadraginta quinque Diebus ante Mandi Finem. Quæ æque infeliciter ex variis Patrum conjecturis, ante vaticiniorum implementum sufficiens propositis, hinc facilius excusandis, quam ex detortis locis *Gen.* XLIX. 17.[2] *Jer.* VIII. 16. *Dan.* VIII. & XI. *Apoc.* VII. XI.[3] *&c.* confirmantur Quæ de *Gog* & *Magog*, ut spectantibus ad Anti-Christi Pugnas contra Ecclesiam, commentantur *Pontificii*, ad *Apoc.* XX. 8[4]. *Ezech.* XXXVIII. & XXXIX. *&c.* improbare non adeò possumus; dum modo, α apud *Ezechiëlem* non excludantur plane Typici Anti-Christi præcursores, à quibus olim post Reditum ex Babele vexati fuere Judæi, β nec apud *Johannem* alii præter Anti-Christum Populi Ecclesiæ Hostiles, quibus post Mille Annos contra Ecclesiam usurus est Satanas.

[2] *Comm. in Pentat.* [3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.*

Non est Ecclesia semper Visibilis Omnibus in Mundo.

XXI. Ex Calamitatibus & Pugnis fluit *Frequens Ecclesiæ Invisibilitas*; non absolute intelligenda sed *Comparatè*, de sæpius obscurato sic ejus splendore externo, ut per Puritatem Fundamentalem Doctrinæ veramque Sanctitatem Vera Ecclesia ab hominibus

bus vel omnibus vel plurimis promiscuè dignosci nequeat. Quæ liquet; α ex *Historia Test. Veteris*, tempore Kaini, Diluvii, Abrahami, Israëlitarum in Ægypto, sub Judicibus, sub Regibus variis, in Captivitate Babylonica, sub Antiocho, quin & tempore Nativitatis & Prædicationis Christi, *Gen.* IV. 26. [1] VI. 5. *Jos.* XXIV. 2. *Ezech.* XX. 8. *Jud.* II. 10. 11. 12. XVII. 6. 2 *Chron.* XV. 3. 1 *Reg.* XIV. 22. 23. XIX. 10. *Psal.* XII. 2. *Jes.* IX. 1. *Mich.* VII. 2. [2] *&c.* gratis vel majora Promissa Ecclesiæ Novi Test. vel agnitum semper Israëlem pro Populo Dei, obtendentibus Adversariis; β ex Prædictionibus de Tempore Novi Test. hujusque tum Persecutionibus, Hæresibus, Schismatibus, tum Ecclesiæ Statu Obscuro, in Fugata in Desertum abditum Muliere *Apoc.* XII. 6. 14. [3] ac Terra omni Bestiam adorante *Apoc.* XIII. 8. [4] γ denique ex Eventu, qui Persecutiones gravissimas, Hæreses latissimè diffusas, Schismata nocentissima, Ecclesiamque Latentem, nobis exhibet sub Imperatoribus Gentilibus, Arianis, Muhammedanis, & *Papistis.* Qui nos vexaturi historicâ Demonstratione Ecclesiæ Nostræ Ante tempora Reformationis, fingunt Perpetuum *Externum Ecclesiæ sub Novo Test. Splendorem & Cathedram Externam*; prætextu, 1. *Promissionum* variarum *Jes.* LX. 1. 2. LXI. 9. LXII. 6. *Psal.* XLVIII. 9. [5] *Matt.* XVI. 18. XXVIII. 20. [6] *Luc.* I. 33. *Matt.* XXIV. 14. *Eph.* IV. 8. *&c.* Quæ α vel ad certas Temporum feliciorum Periodos spectant; β vel Perpetuitatem, non perpetuam Visibilitatem, docent. 2. *Descriptionem Ecclesiæ*, propositæ instar *Candelabri*, *altissimi Montis*, *Urbis in Monte*, *&c. Apoc.* I. 20. [7] *Jes.* II. 2. 3. *Dan.* II. 35. *Matt.* V. 14. *&c.* Quæ Similia; α omnia Obscurationem multiplicem per impositum modium, tenebras nocturnis, & tempestates graves, admittunt; β ad Decus Internum magis quam externum spectant; γ quibusdam Temporibus majorem veritatem habent quam aliis; δ denique quædam ad Ministros magis illorumque Officium quam ad Ecclesiam Totam in contextu referuntur. 3. *Rationum* petitarum, à *Necessitate Professionis* fidei, *Unionis cum Ecclesia*, *Obedientiæ* huic præstandæ, &c. ex *Rom.* X. 10. 1 *Cor.* XII. 13. *Matt.* XVIII. 17. [8] *&c.* Quæ non sunt magni ponderis; dum Necessitas Professionis externæ non est æquè Absoluta quam Fidei; Unio iterum cum Ecclesia per Fidem veram & Charitatem Unionem externam cum aliquo Cœtu semper non infert; denique Ec-

clesiæ Obedientia non ulterius quam ad vocem ejus Divinæ conformem, & auditam à nobis, extendi potest.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* III. [2] *Comm. in Loc.* [3] [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XX. P. IV. [6] *Exerc. Text.* XXX. P. II. [7] *Comm. in Loc.* [8] *Exerc. Text.* XXXI. P. V.

Nunquam tamen illa plane Deficit in Terra.

XXII. Interim Lunæ instar non Apparens Ecclesia Vera, *Semper* tamen *Manet* aliqua his in terris. Uti contra *Socinianorum & Remonstrantium* hypotheses, de Defectibilitate Ecclesiæ totius, & Singularium ejus Membrorum, constat; α ex *Æternitate Regni Messiæ* [1] *Psal.* LXXXIX. 36. 37. 38. *2 Sam.* VII. 13 [2]. *Dan.* II. 44. VII. 18. *Luc.* I. 33. *&c.* quod solo Regnandi Jure & Hostium Punitione non absolvitur, secundum *Cap.* XX. §. XXII. β ex *Mundi Conservatione*, tribuenda Electis adhuc reliquis *2 Pet.* III. 9. *coll. Gen.* XVIII. 26. γ ex *Experientia Seculorum Omnium*, quibus sævissime etiam pressa Ecclesia fuit; δ denique ex Perpetuitate Roboris, Sapientiæ, Curæ Christi, ex *Joh.* XIV. 16. *Matt.* XVI. 18. XXVIII. 20. *&c.* Objectiones facilè solvuntur; dum 1. *Externa Invisibilitas* Defectum non magis hic infert, quam in Luna, Candela, Urbe, &c. 2. *Locutiones* variæ, quales sunt *Luc.* XVIII. 8. *Apoc.* XIII. 8. [3] *&c. Comparate* potius quam Absolutè debent intelligi. 3. *Ecclesia*, ab una Gente, Urbe, Loco, in alium *Translatio Matt.* XXI. 41. 43. *Rom.* XI. 20. 21. *Apoc.* II. 5. [3] *&c.* Perpetuitatem potius ejus quam Defectum arguit. 4. *Apostasia* denique Membrorum singulorum Ecclesiæ ineptissimè hic supponitur, latius confutata *Cap.* VII. §. XIII. XIV. *Cap.* XXII. §. XXV. *Cap.* XXVII. §. VI. VII.

[1] *Exerc. Misc. Orat.* V. [2] *Exerc. Text.* VIII. P. VI. [3] *Comm. in Loc.*

Ex Calamitatibus Emergit semper Ecclesia, & emerget maxime in futura Judæorum Conversione.

XXIII. Non tantum permanet Ecclesia, sed & ex obscuro magis statu *lætior* usque *Emergit*; ad similitudinem Spiritus tandem de Carne in Electis singulis triumphantis, & Solis Matutini post noctem surgentis, vel Sudi Cœli post nubila. *Emersio* autem uti exspectatur à Christianis omnibus *Plenissima* in Glorificatione Consummata diei Judicii; ita *Insignis* aliqua, omnibusque prioribus *Gloriosior*, merito adhuc creditur Futura ante Judicium, per *Conversionem Judæorum*, non paucorum, aut singulorum, sed *Generalem* Gentis Israëliticæ, Decem Tribubus neutiquam exclusis, qualis diu jam ejus fuit Incredulitas & Rejectio. Quò faciunt,

ciunt; *α* plurima *Vaticinia*, tum *Veteris Test. Jes.* XI. 11. 12. 13.[1] XXVII. 9. 13. LIX. 20. *Jer.* XXX. 8. 9. XXXI. 1. 31. *Ezech.* XXXIV. 23. 24. XXXVII. 23. 24. *Hos.* I. 10 II. 12.[2] II. 22[3]. III. 5.[4] *&c.* tum etiam *Novi* 2 *Cor.* III. 16. *Rom.* XI. 11. 12. 15. 23. 24. 25. 26. 31. ubi non agi de Israële Spirituali ex Gentibus, aut dè Paucis Judæis initio & progressu Euangelii prædicati Conversis, docet continua Gentium Conversarum & Judæorum oppositio, Lapsus & Incredulitas his modò tributa, Carnalis cum Paulo Nexus, Mysterium hujus rei à Paulo inculcatum, adducta Prophetarum Prædictio, collatio cum Conversione Gentium sub initiis Novi Test. &c. *β* dein etiam *Rationes* à priori, ex *Æternitate Divini* cum eis *Fœderis Gen.* XVII. 7. *Lev.* XXVI. 44. 45. *Deut.* IV. 31. *&c.* & à posteriori, ex mira *Dei Conservatione*, *coll. Num.* XXIII. 9.[5] *Deut.* XXXIII. 28.[6] *Esth.* III. 8. ex *Constantia* in retinendis *Scriptis Vet. Test.* ex manente *Perpetua* Messiæ & Melioris Status *Exspectatione*, *&c.* *γ* haud obstante utique *Gentis* præsenti *Duritie*, quæ judicio Divino inflicta per potentissimam ejus gratiam facilè tolletur, aut *Peccati Gravitate* in Majoribus Christum crucifigentibus, cum pro his ex parte Christus ipse oraverit, & posteri in propria persona rei non sint ejus nisi per approbationem, in Conversione seriò quoque ab his improbandam.

[1] *Exerc. Text.* XVI. P. VI. [2] [3] [4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Pent.* [6] *Comm. in Pent.*

XXIV. Non ignoramus, esse Viros Doctos, qui *Circumstantias Modumque* rei hujus curiosius determinant; & qui speciatim ad votum Judæorum cum Veteribus nonnullis opinantur, *in Conversione Judæos* simul redituros ad *Possessionem Peculiarem terræ Canaan*, quin & forte ad *Ceremoniarum Observationem*, alium licet Finem habituram. Sed uti posterius clare repugnat dictis *Cap.* XI. §. XXI. ita prius credere hactenus non possumus; *α* ob *Defectum Vaticiniorum*, quæ id clare innuant, & literaliter intelligi debeant; *β* ob *Vaticinia Contraria*, tum *Implicita*, quæ *Regni finalem* à Judæis dicunt *Ablationem*, totius *Terræ Sanctificationem*, *Discriminis* omnis *Gentium Exclusionem Gen.* XLIX. 10.[1] *Jes.* XIX. 19. 24. *Mal.* I. 11.[2] *&c.* tum *Explicita*, quæ reperimus, *Jes.* XXIV. 20. XXV. 2.[3] *Ezech.* XVI. 53. 55. *coll. Zeph.* II. 9[4]. *Dan.* IX. 26. 27.[5] *Hos.* I. 4. 6.[6] *Mich.* III. 12.[7] *Matth.* XXIII. 38.

Cujus Circumstantiæ non sunt nimis curiose determinandæ. Nec jungenda illa cum Reditu illorum in Canaan.

38. *&c.* γ ob *Rationes* plures, quas suppeditat *Typica* terræ *Canaan* datæ ratio, *Distinctio & Excellentia Israëlis* per ejus possessionem, necessaria *Gubernatio* secundum antiquam *Mosis Legem*, &c. Nec putamus contrarium solidè astrui. 1. Vel ex *Promissione Abrahamo* facta, Terræ *Decem Populorum*, usque *ad Euphratem*, in Hæreditatem *Æternam Gen.* xv. 18. 21. xvii. 7. 8. Quæ α utique debet dudum impleta credi, ob Tempus additum *Gen.* xv. 13. 14. β impleta est certo, ex 2 *Sam.* viii. 3. & *Deut.* vii. 1. xxxi. 3. [8] ubi *Septem* tantum *Populis* nominatis Minores sub Majoribus comprehenduntur, forte ante occupationem Israëlis ab iis devicti, vel Nomina quædam Generaliora prætermittuntur. 2. Vel ex *Vaticiniis Vet. Test.* postea repetitis *Lev.* xxvi. 42. *Deut.* xxx. 3. 4. [9] *Jer.* xxx. 8. xxxi. 38. *Ezech.* xx. 40. xxxvi. 10. 11. xxxvii. 12. 13. xl. *Zach.* viii. 8. [10] *&c.* Quæ α partim Conditionatæ verius sunt Comminationes & Promissiones, quam certæ Prædictiones; β partim ad Reductionem ex Babele ac Reædificationem tum factam literaliter respiciunt; γ partim Spiritualiter & Mysticè de Recollectione per Conversionem exponi debent, uti sic omninò accipere illa per Analogiam Fidei cogimur, quæ de Levitico Sacerdotio quandoque subjiciuntur *Jer.* xxxiii. 18. *&c.* 3. Vel ex *Dictis Novi Test. Luc.* xxi. 24. *Act.* 1. 6. *&c.* Quorum α posteriori nihil de *Regno Israëlis* determinat Salvator, nedum Corporalia Discipulorum suorum cogitata probat; β & priori vel *Donec* non excludit Tempus Sequens, uti alias sæpe, vel ad Judicium Ultimum extenditur, vel cessatura *Calcatio Jerosolymæ* ad Gentis Conversionem, Terræque à vastatione liberationem, per Fideles promiscuè inhabitantes, nos ducit.

[1] *Comm. in Pent.* [2] *Comm. in Loc.* [3] *Exerc. Text.* XVII. P. VI. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XXV. P. VI. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Comm. in Loc.* [8] *Comm. in Pent.* [9] *Comm. in Pent.* [10] *Comm. in Loc.*

Officia quæ exspectata Judæorum Conversio à nobis exigit.

XXV. Jubet verò exspectata *Judæorum Conversio*, ut. 1. Concedamus illis *Habitationem Tranquillam* inter Christianos, absque opprobrio & oppressione, quæ ad ad Conversionem necessario prærequiritur: haud probanda facile vel *Expulsione* vel *Exclusione* eorum à Convictu omni, sive ob *Christum Trucidatum* olim, sive ob illum *Rejectum* hodie, sive ob *Periculum Seductionis*, sive ob solitas *Exactiones*, compescendas potius Legibus & Pœnis male

male facientium, &c. 2. *Promovendæ Conversioni* eorum omni ope studeamus; α per Ablationem Mediorum confirmandæ gentis in Incredulitate, qualia sunt Synagogarum liber plane absque Inspectione ulla Usus, Blasphemiarum solitarum Permissio, Scandala omnia gravia à Christianis data, Præjudicia quæ petuntur ex Christianorum Divisionibus Sacris & Politicis ac crassa Papistarum Idololatria, Vis Conscientiis illata, &c. β positivè amplius adhibendo fervidas Preces, Instructionem jugem & mansuetam, per curatam Bibliorum impressionem, Doctrinæ Christianæ coram ipsis Explicationem, denique & Disputationes ex fundamento linguæ & religionis institutas, tandem Defensionem Conversorum ab omni injuria à Christianis aut Judæis inferenda.

XXVI. Vix dubium est nobis, quin cum hac Conversione Judæorum sint jungenda 1. *Major Euangelii ad Gentes Extensio*; tum α ob *Vaticinia* illustria *Jes.* LX. *Dan.* 11. 35. *Zach.* XIV. 9 [1] *&c.* ex parte quidem non verò in totum adhuc impleta; β tum ob *Testimonium Pauli* clarissimum *Rom.* XI. 12. 15. 25. 26. ubi ad Conversos prius Gentiles restringi sermo ob scopum & contextum non potest, neque dici debet, absolutam Gentium Plenitudinem præmitti ordine temporis ante Conversionem Judæorum, neque etiam Æmulatio Judæorum Zelum per eos conversos in Gentilibus excitandum excludit; γ tum ob *Naturam Rei*, in qua insigne Divinæ bonitatis miraculum conspicietur, & quidem ubique, dispersis longè lateque Judæis, qui indubiè prò magnitudine præcedentis incredulitatis zelum demonstraturi majorem, & ad exemplum Pauli magis convicturi erunt alios. 2. *Major* etiam *Anti-Christi Romani*, æque quam *Orientalis*, non tamen Totalis novissimo die demum Exspectandus, *Lapsus*. Quem inferunt; α & Vaticinia, tam successivæ Consumptionis 2 *Thess.* II. 8. quam horrendorum in Babelem Judiciorum, utique non nisi ex parte adhuc impleta *Apoc.* X. 4. [2] XIV. 8 [2] XVII. 16 [2]. XVIII. 2. [2] *&c.* β & Natura Rei, cum Regnum Christi Verum non nisi cum imminutione Regni Anti-Christi, per omnes plagas orbis nunc adhuc diffusi, ad perfectionem tantam pervenire queat. 3. *Major* tandem, non tamen Consummata, *Ecclesiæ Felicitas*, per Malorum Ablationem & Bonorum Collationem, tam Corporalis quam Spiritualis. Quò iterum, præter Prophe-

Conversionis Judæorum Connexa Tria.

Nnnn tarum

tarum Vaticinia antea adducta, ducit Rei ipsius Consideratio, utique Zelo pari Judæorum & Gentium inferente Donorum Abundantiam, ex Pietate fluente Felicitate Temporali, nec turbandâ hac perpetuo & æque post quam ante Hostium & Seductorum numerum minutum, Carnisque Vim magis fractam.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Apoc.*

Quis Modus sit servandus in inculcanda futura Ecclesiæ Felicitate in his terris.

XXVII. Cura tamen hic gerenda est; α ne Felicem hanc Ecclesiæ Emersionem continuo tanquam *Fidelium Spem Summam*, exspectatæ Beatitati æternæ fere parem, inculcemus; β ne eam quæramus *Omnibus promiscue Locis*, ubi vel ad *Novi Test. initia*, vel ad *Cœli gloriam*, clarè respicitur; γ ne scrupulose *Momentum Modumque ejus determinemus*, seductis sic proximè instantis vel post gravissimas Persecutiones demum exspectandæ Liberationis terrestris intuitu facilè Fidelibus, & Turcis quandoque in Europæ cor per vota sermonesque sparsos allectis; δ ne eam *nimium Augeamus*, re ipsa vel phrasi, sive *Intensivè*, ad negatas usque omnes Hæreses, Schismata, Persecutiones, aliaque Mala immissa, &c. contra horum ad Judicium Ultimum durationem, in Scripturis assertam, secundum §. XVII. sive *Extensivè*, utique Collapsurâ iterum Ecclesiâ graviter ante Domini Adventum Novissimum, *Matt.* XXIV. 37. 38. 39. *Luc.* XVIII. 8. *&c.* ad quem hi textus omnino spectant. Quæ omnia vellemus pariter, juxta postremum hoc, ritè teneri à *Recentioribus* multis.

Vitandus his præcipue est Chiliasmus. Cujus Fundamenta præcipua convelluntur.

XXVIII. Maximè vero omnium vitandus est *Chiliasmus*; α tum crassior *Hæreticorum Millenariorum*, quales olim *Cerinthiani* potissimum & *Nepotiani*, Carnales ventris & libidinis Voluptates Judaico & Muhammedico more fingentes, & tempore nostro *Fanatici* plures, ac *Quintæ* terrestris *Monarchiæ* fautores; β tum & subtilior *Patrum* plurimorum, inde à *Papia*, qui & aliqui de fermento *Cerinthiano* haud parum retinuerunt, atque nonnullorum quoque ex *Nostris*, qui *Resurrectionem Particularem* ante universalem statuerunt simul, sive *Justorum* omnium, sive *Martyrum* solorum, ad Regnum Tranquillum per Mille Annos continuos tenendum cum Christo, sive in his Terris ad quas visibiliter descensurus sit ipse, sive in Cœlo. Quod somnium facile evertitur; α locis Scripturæ quæ *Resurrectionem* omnium, Piorum & Impiorum, *ad Diem Ultimum* differunt *Joh.* V. 28. VI. 48. 1 *Cor.* XV. 23. 24. 1 *Thess.* IV. 15. *&c.* 6 illis similiter, quæ do-

docent porro, *Regnum Christi non esse Mundanum*, *non Rediturum Christum* Corporaliter *nisi ad Judicium*, *Tribulationes Piorum* eousque *non cessaturas* plane, *Anti-Christum* tum demum fore *prorsus abolendum*, *Tempus Judicii* Ultimi esse *Incognitum*, &c. *Joh.* XVIII. 36. *Act.* I. II. III. 21. *Joh.* XVI. 33. 2 *Thess.* II. 8. *Marc.* XIII. 32. [1] *&c.* Et uti vanus fuit olim prætextus *Traditionis Apostolicæ*, ita præter mentem Spiritus ad Regnum Millenarium trahuntur; *a* tum loca alia *Dan.* II. 44. VII. 13. 14. *Matt.* V. 5. XIII. 13. 43. [2] XXIV. 42. 43. 44. XXV. 31. 32. *Luc.* XVII. 22. 23. 24. *Act.* I. 6. 7. III. 19. 20. 21. I *Cor.* VI. 2. [3] *&c.* quæ partim ad Spirituale Christi & Electorum Regnum in hoc mundo, partim ad Gloriam Futuram & Judicium Ultimum evidenter spectant; *b* tum maximè textus *Apoc.* XX. 1..... 7. [4] ab ævo vexatus, quo nos, Historiâ Novi Test ab initio suo repetitâ, uti & fit *Apoc.* XII. I. *&c.* credimus innui Longius & circiter forte Mille Annorum Spatium, quod vel à Nativitate, vel à Prædicatione, vel à Resurrectione Christi, vel à Spiritus Effusione, vel à Vastatione Jerosolymæ, vel etiam à Constantini Imperio, vel ab his omnibus per Gradus successivos, fluxit ad erumpentem magis, etiamque per Gradus successivos, Anti-Christianam & Muhammedicam Impietatem, Ligato tum à Christo Satana magis quam antea, per impeditam Gentium Seductionem, Viventibusque & Regnantibus Martyribus ac reliquis Fidelibus respectu Animarum cum Christo in Cœlesti throno, & in omnem porro æternitatem, dum non reviviscebant similiter in ipsa Morte, nec salutari etiam Conversione ante eam his in terris, reliqui mortui.

[1] *Exerc. Text.* XXXII. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XXIX. P. V. [3] *Mant.* X. *post Anal. Exeg. Jes.* LIII. [4] *Comm. in Apocal.*

XXIX. Pauca addenda sunt de *Ecclesiæ Periodis* variis, quæ tam in Vet. quam in Novo Test. variè numerari solent, pro vario ejus Statu, Loco, Seculo, Regimine, &c. dum & unus plura sub Eadem Periodo jungit quam alter, atque magis afficitur præ altero contemplatione Rerum Gestarum, vel certæ Partis Orbis; neque velimus hic cuiquam auferre libertatem prò arbitrio Res Gestas digerendi aut Ætates numerandi. Admodum verò fervide urgent multi *Recentiores*; *a* tum *Sex Signa Temporum*, sive Periodos Veteris Test. inde à Mose ad Christum, *Benedictionis* scil.

Doctrina hodierna Periodorum Vet. & Novi Test. declaratur.

communis in Occupatione Cananneæ Terræ & Felici Regno tribus Judæ, *Maledictionis* subsecutæ in multiplici Castigatione, & potissimum Abductione Assyriaca & Babylonica populi, tum *Illuminationis*, ad Animadversionem, Resipiscentiam, & Obedientiam, in Captivitate, *Recollectionis* porro, ex locis Exilii ad Terram Canaan, tum *Beneficentiæ* repetitæ, in populum recollectum, tandem *Amplificationis* & Seminis & Gentis præ Patribus, quas putant passim delineatas, maxime autem *Deut.* xxx. 1..... 5. & significatas quoque *Matt.* xvi. 3. β tum *Septem Periodos Novi Test.* inde à Christo illiusque Adscensione in Cœlum usque ad Finem Mundi. Quarum Prima est *Prædicationis Euangelii*, inter Judæos & Gentes, ante ingravescentes Persecutiones & destructum Templum, sive, ut alii dicunt, integri Seculi Primi Apostolici; Altera *Persecutionis* diræ, sub Imperatoribus Gentilibus usque ad Constantinum; Tertia *Pacis*, in qua Ecclesia maxima Certamina cum Falsa Ecclesia & Hominum Dominatione experta Quietemque tandem nacta, vix substitit, à Constantino usque ad Phocam; Quarta *Luctæ & Ostensionis in Ecclesia Falsa*, cum conatu non uno Reformationis, extensa à Bonifacio ad Reformationem usque; Quinta *Reformationis*, sed minus perfectæ & junctæ cum Exagitatione usque ad Pacem secutam; Sexta *Angustiæ Novæ* post Pacem, & simul Reformationis magis perfectæ & vigentis; Septima tandem *Aspirationis* post multa Certamina ad Regnum Christi, & simul *Collectionis*, Atque hanc quidem Temporum Novi Test. Divisionem Necessariam plane faciunt, Aptissimam, à Deo certissimè inculcatam in Epistolis, Sigillis, & Tubis Apocalypticis, significatam Septem Columnis, Oculis, Gradibus Templi, &c. verissimam denique Normam explicandarum Prophetiarum Vet. & Novi Test. quæ verè vel ex hypothesi tales, & speciatim Canticorum Mosis, Davidis, Salomonis, &c. quin & Dominicæ Orationis ipsius.

Improbatur eadem quo ad Tempus Vet. & Novum.

XXX. Ad hæc omnia, quorum distinctæ discussioni hic locus non est, paucis notamus. 1. *Distributionem Temporum Vet. Test.* propositam *non posse probari*; α tum *ob Historiam*, quæ *Maledictiones* plures obtinuisse ante Regnum Judæ docet, in primis sub Judicibus, *Benedictiones* similes ætate subsecuta, *Resipiscentiam* majorem sæpe ante Captivitatem, quam in ea, haud obstante excellenti Sanctorum aliquot virorum Zelo, *Beneficentiam* post

Ca-

Captivitatem semper multis judiciis mixtam, *Gloriamque* Gentis minorem longe tunc quam antea; β tum *ob Contextum Mosis*, in quo verius Conditionata est Promissio & Comminatio, quam Certa Prædictio, nulla utique Temporum se invicem excipientium Distincta Recensio, nulla ad Numerum Senarium restrictio, nulla *v.* 6. Termini Novi Test. indicatio, *Circumcisione Cordis* ad priorem etiam Oeconomiam pertinente; [1] γ dum per *Signa Temporum* nihil aliud intelligit apud *Matthæum* Salvator quam Gnorismata certa quibus Adventum Messiæ dignoscere debuissent Judæi, [2] quæ longe alia dedimus *Cap.*. XVIII. §. VIII. *&c.* 2. *Digestionem Temporis Novi* similiter *minus probandam esse*; α ob res Plures & Diversissimas ad Periodum Unam relatas sæpe, ϐ Res similiter easdem ad Periodos Varias, γ Incertos plurimarum Periodorum Terminos, δ nimis Inæquabilem Durationem, ε Minorem aliquoties Rei traditæ cum Historia Convenientiam, hinc Elevatione aut Extensione aut temporum Confusione turbatâ; ut alia nunc mittam.

[1] *Comm. in Pent.* [2] *Ibid.*

De Epistolis Apocalypticis agitur. De Sigillis quoque. De Tubis tandem.

XXXI. *Nullum* utique decantatarum *Septem Periodorum Fundamentum* est. 1. In *Septem Epistolis Apocalypticis*. Quæ α stylo simplici & historico scriptæ, præter omnem rationem in Allegorica Vaticinia convertuntur; β à Prophetica Libri Parte evidenter distinguuntur *Apoc.* I. 19. IV. 1. γ directæ ad Ecclesias Asiæ, Johannis curæ speciali commissas, in Secunda Persona, non possunt non de iis intelligi; δ denique Increpationes, Laudationes, Incitationes, Promissiones, Comminationes, continent nudas, benè iis Ecclesiis convenientes, atque ob morum diversis locis & temporibus similitudinem facilè aliis Cœtibus tantum accommodandas. Nec valent Objectiones; α ex nomine *Prophetiæ* Libro toti dato *Apoc.* I. 3. quod omni Scripturæ latiori sensu datur 2. *Petr.* I. 20. 21. & ad maximam Libri Partem refertur, Historicis etiam in *Jesaiâ*, *Daniele*, &c. comprehensis; β ex Nomine Urbium, *Ephesi*, *Smyrnæ*, *Pergami &c.* Mysticum sensum suppeditante, qui merus est lusus, hinc maxime dissimilis apud varios, facile etiam reperiendus in nomine Romæ, Corinthi, &c. necessariâ prius Mysterii à Deo in eo intenti demonstratione; γ ex *denominatione Christi & Spiritus ab his Ecclesiis Asiaticis*, *coll. Matt.* XVIII. 20. *Apoc.* V. 6. *&c.* quæ ulteriorem Curæ & Nominis Extensionem non excludit, applicatione hic ad earum spe-

cialem consolationem tantum facta, *coll. Exod.* III. 6. *Jos.* I. 5. δ ex *Numero Septenario*, æquali cum Sigillis & Tubis, cum Septem etiam reperiamus Tonitrua, Millia Nominum, Capita Bestiæ, Phialas, &c. & Numerus hic in Apocalypsi respiciat, tum, ut alibi, ad Perfectionem, Mundo absoluto spatio Septidui, tum ad Ecclesias has quas informatione per Epistolas dignari pro beneplacito suo voluit Deus, uti quoque Bis Septem sunt Paulinæ & Septem Catholicæ; ε ex *Epilogo Generali* Singularum Epistolarum, & totius Apocalypsios *Cap* XXII. 16. ad Ecclesias omnes, quem putamus immediatè spectare ad Ecclesias Septem Asiæ, usu manente communi etiam seris nepotibus, & everti magis per singularem ad certas Periodos restrictionem, quam per sensum Historicum; ϛ denique ex *Argumento Epistolarum*, quod sit palam Allegoricum in Nomine *Jesabelis*, *Nicolaitarum*, *Antipæ*, *&c.* non conveniat etiam istis Ecclesiis in Personis modò nominatis, Persecutione Decem Dierum, Throno Satanæ, &c. conveniat vero optime Periodis positis &c. dum utique locutio Tropica non mox infert Vaticinium nec in omnibus adductis reperitur, nihil contra res gestas in iis Ecclesiis atque à Patribus juxta Spiritum traditas positivum producitur, applicatio denique argumenti ad Periodos plane est contorta & facilè à nobis methodo eadem ordine inverso institui potest. 2. In *Septem* perinde *Sigillis Cap.* VI. VIII. Quæ aperta ad diversos rerum patefactarum Gradus longe certius respiciunt, ad Periodos non nisi difficillime torquentur, atque simplicissime exponuntur; *Primum* de Christi per prædicationem Verbi cum Spiritus virtute Exitu Victorioso per orbem totum ad finem usque; *Alterum* de Persecutionibus à Diabolo motis Prædicationemque semper & ubique sequentibus; *Tertium* de Hæresibus cum Verbi Divini subtractione jugiter per Satanam excitatis; *Quartum* de Lethalibus aliis Dei Judiciis; *Quintum* de felici Animarum fidelium in morte Requie usque ad Judicium; *Sextum* de Judicii Ultimi Apparatu & Exsecutione; dum *Septimum* tandem non est nisi Transitus ad repræsentandas Tubas, quæ ad Septimum Sigillum idciro omnes pertinent. 3. In *Tubis* adhuc *Septem Cap.* VIII. XI. Quarum Sonus, dum Intercessione suos juvat Christus, declarat Mala instantia; *Quatuor* communiora & vulgo obtinentia, α Persecutiones sanguinolentas; β Mundanum Fastum cum Contentionibus in Ecclesiam intro-

tro-

troductum, γ Doctorum ab Officio per Hæreses Defectum, δ Inscitiam denique & Impietatem surrepentem; *Tria* tum specialia magis, hinc & ab aliis satis distincta *Cap.* VIII. 13. ε Anti-Christi Romani sc. Ortum, Progressum, & Motus, ς Muhammedanismum ingruentem, ζ Judicii tandem Ultimi Complementum. Fundamento vero Periodorum Apocalyptico subruto, concidunt, tam Exempla alia Numeri Septenarii, quæ more Papistico præter scopum corraduntur, quam perpetuæ Scripturæ omnis Torsiones huic inædificatæ, & quædam recensione vix dignæ, licet ut demonstratæ veritates ferè supponantur.

[1] *Vid. Præfat. in Comm. Apocal.*

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

De Regimine Ecclesiæ Vario.

SOcietas nulla Hominum, in primis Corruptorum, Pugnisque perpetuis & variis expositorum, cum absque REGIMINE omni subsistere queat, illud Ecclesiæ suæ Dominus deesse noluit; providit vero ei, α tum de Regimine *Speciali & Proprio*, quod *Ecclesiasticum & Spirituale* quoque dici solet, β tum *Communi* cum aliis ad Ecclesiam ne quidem externe spectantibus, quod *Seculare & Temporale* alias audit, iterumque duplex est, *Politicum* sc. & *Oeconomicum*. *Convenientia* inter Speciale & Commune Regimen est, quod α utrumque sit à Deo, β illi Subordinatum & Dependens, γ ac tendat ad Publicum Bonum: *Differentia* vero simul maxima, α quod primum sit à speciali Gratia, alterum à communi Providentia, β primum Limitatum prorsus & Ministeriale, alterum magis Absolutum & Coactivum, γ primum ad Salutem Animæ spectet, alterum ad Externum Commodum. Regimen Ecclesiæ Duplex distinguitur.

II. A *Regimine Speciali* explicationis initium facimus, utpote magis *Proprio* Ecclesiæ, magis tractationis *Theologicæ*, quin & non una ratione *Præstantiori*, dum in aliis Magistratuum Majestas excellit. Atque hoc quidem dari, generatim liquet; α tum ex speciali *Necessitate Ecclesiæ*, fluente maximè ex hominum Spirituali Inscitia & Pravitate; β tum ex perpetua *Experientia*, tam Vet. Regiminis Ecclesiastici Veritas docetur.

quam

quam etiam Novi Test. sub quo reperimus huc spectantia quoque nomina *Pastorum*, κυβερνήσεων, προϊσαμένων, προεστότων, ἐπιμελούντων, ἐπισκόπων, ἐξουσίας, ῥάβδου, *&c.* *Eph.* IV. 11. 1 *Cor.* XII. 28. *Rom.* XII. 8. 1 *Tim.* V. 17. III. 5. *Act.* XX. 28. *Hebr.* XIII. 7. 17. 2 *Cor.* XIII. 10. 1 *Cor.* IV. 21. *&c.* Quæ verò apud *Pontificios* frequentissime adhibentur Nomina *Ecclesiasticorum* & *Clericorum*, non admodum probanda sunt; α cum in oppositione *Secularium & Laicorum* innuant nimiam quandam elationem, β & Scriptura Populum *Ecclesiam & Cleros* appellet *Act.* XX. 28. 1 *Petr.* V. 3 [1]. Sed nec improbanda admodum, si elatio absit; dum Præpositis *Ecclesiæ* nomen ut eam repræsentantibus vindicatur *Matt.* XVIII. 17. [2] & specialis *Clerus Ministerii* tribuitur *Act.* I. 17. 25 [3].

[1] *Exerc. Text.* L. P. IV. [2] *Exerc. Text.* XXXI. P. V. [3] *Exerc. Text.* L. P. IV.

Neutiquam debet esse Monarchicum. Quod pessime urgent Papistæ.

III. Ad *Qualitatem Regiminis* hujus spectat, quod *nequaquam* esse debeat, nec sit *Monarchicum*. Tale *non debere* id *esse*, probamus; α ex relinquenda Uni Christo gloria hac, quod Unus ille sit *Dominus*, *Rex*, *Fundamentum*, *Caput*, *Sponsus*, *Pontifex*, *&c.* Ecclesiæ 1 *Cor.* VIII. 6. *Psal.* II. 6. [1] 1 *Cor.* III. 11. [2] *Eph.* I. 22. 2 *Cor.* XI. 2. *Hebr.* III. 1. [3] *&c.* nullo hic *Vicariatu*, aut instituto, aut necessario propter Christi Omnipræsentiam & Omniscientam, aut etiam decente; β ex *Dissimilitudine Regni Christi* à Mundanis *Matt.* XX. 25. 26. *Joh.* XVIII. 26. *&c.* γ ex *Extensione* ejus *per Totum plane Orbem*, qualis post multiplicatos homines nunquam visa est Monarchia Mundana, nec ob unius hominis insufficientiam & gentium ingenium varium dari potest; δ denique ex vitanda *Corruptione & Tyrannide* omni, quæ ex Unius Præfectura in Ecclesiam totam facillimè flueret. Contra quam volunt *Papistæ*, Pontificatus sui fundamentum structuri, & gratis nobis objicientes 1. *Præstantiam Formæ* regiminis *Monarchicæ* præ aliis. Quæ α absolute & universaliter concedi non potest, uti suo loco notandum; β à Republica aliqua ad Ecclesiam latius diffusam male transfertur; γ observari hic potest in ipso Christo ut Monarcha vero *Ezech.* XXXVII. 22. *Joh.* X. 16. *&c.* 2. *Exemplum Angelorum*, qui Uni subsint *Michaëli*. Qui α utique est Christus ipse Archangelus, β modo Regiminis Angelorum cæteroquin nobis incognito, γ nec per omnia ad Ecclesiam transferendo. 3. *Regimen Ecclesiæ*, tum *Vet. Test.* quæ subfuit Uni *Pontifici*

fici, tum *Novi Test.* quæ in primordiis *Christo* ut visibili Capiti subjecta fuit. Dum, α Pontifex olim fuit non unicus Ecclesiæ Judaicæ Præfectus aut Summum ejus Caput, ipse Synedrio subjectus, sed tantum inter Sacerdotes Ordine & quibusdam Officiis Excellens, quamquam & hic Typus Unius Christi, & Ecclesia tum magis restricta; β Regimen verò Christus Visibile his in terris in Paucos tantum exercuit, in Munere Successores non admittens. 4. Rationes plures; α ex Similitudinibus *Exercitus*, *Corporis*, *Uxoris*, *Regni*, *Ovilis*, *Domus*, *Navis*, *&c.* sub quibus, Unum Rectorem inferentibus, Ecclesia passim veniat; β ex *Subordinatione Gradata* Presbyterorum, Episcoporum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, ad Unum Pontificem nos ducente; γ ex necessaria *Ecclesiæ Unitate*; δ & *Fidei* tandem *Propagatione*. Ad quas dicimus nos; α Similitudines non debere ad omnia extendi, & simul facere contra Pontificios, cum doceant præter Christum alterum non debere esse Monarcham aliquem; β adductam Ordinum sive Dignitatum distinctionem humanam esse, nec mox unum supremum Caput, quo dudum post illas introductas caruit Ecclesia, inferre; γ Unitatem Reipublicæ per Regimen Aristocraticum non tolli, eandemque heic per unam Scripturæ Normam & Spiritus sequelam debere servari; δ denique Propagationem Fidei multorum junctâ curâ satis posse promoveri.

[1] *Exerc. Text.* XV. P. III. [2] *Exerc. Text.* XLI. P. III. [3] *Exerc. Text.* XLV. P. VI. [4] *Exerc. Text.* XXIV. P. VI.

IV. Minùs verò necessaria judicari queat hæc quæstio, cum deprehendamus, ipso actu *repugnare Divinam Ordinationem*; α tam *sub Vet. Test.* ubi Supremum Regimen Ecclesiæ ob mixtas Dei Leges & specialem θεοκρατίαν fuit penes *Synedrium*, & inferior sacrorum cura penes *Sacerdotes* plures, in quos imperium habuisse Pontificem gratis supponitur; β quam *sub Novo*, ubi sunt primum *Apostoli* constituti Plures, Æquali & à se invicem Independente datâ Potestate *Matt.* x. 1. *Joh.* xx. 21. 22. cum Interdicto affectandæ Excellentiæ majoris *Matt.* xx. 25... 27. eâdemque actu observatâ, ex 2 *Cor.* xi. 5. *Gal.* ii. 7. 9. 11. [1] *Act.* i. 23. vi. 2. viii. 14. xv. 2. 6. 24. 25. *&c.* dein *Ministri* alii *Ordinarii* multi, nusquam inter hos comparente Uno Præfecto generali *Rom.* xii. 7. 8. 1 *Cor.* xii. 28. 29. *Eph.* iv. 11. *&c.* præter Christum ipsum ἀρχιποιμένα. 1 *Petr.* v. 4.

Nec Monarchicum id esse voluit Deus.

[1] *Exerc. Text.* XLV. P. V.

Sententia opposita Papistarum de Pontificatu Petri Universali, quem urgent illi Promissum. Et actu postea Collatum. Confirmatum adhuc variis Modis. Et Agnitum tandem semper in Ecclesia.

V. Contrarium tanquam *Summam Rei Christianæ* tenent *Papistæ*, statuentes *Primum Pontificem Universalem* Ecclesiæ Christianæ post Christum sub Novo Test. fuisse *Petrum Apostolum*. Cui volunt. I. *Pontificatum hunc esse Promissum Matt.* XVI. 18. 19. [1] Ubi notant; α per *Petram* innui *Petrum*, ob Nomen idem plane apud Syros, ac ejusdem significationis apud Græcos, & Pronomen Demonstrativum ταύτῃ additum; ϐ *Ædificari Super* aliquem ut *Fundamentum* notare Regimen Supremum, metaphora à sustentatione petita, & in nomine Hebræo אבן quoque observatâ; γ *Claves Regni Cœlorum* Uni *Petro* in persona singulariter fuisse datas; δ & notare has iterum metaphoricè *Summam Potestatem* in Ecclesiam, etiam ex *Ligandi & Solvendi* facultate proximè subjecta. Sed α per *Petram* intelligere heic non debemus *Petrum*; ob mutatum ab Euangelista Genus Nominis non absque ratione gravi, ob neglectum Pronomen Personæ Secundæ, ob Inconstantiam Petri secutam, ob Ecclesiam in homine nullo propriè fundatam, &c. haud obstante Eodem Nomine Syriaco *Cepha*, quod additi Pronominis Genere fuit variè expositum, secundum infallibilem textum Græcum, vel Simili Significatione πέτρα & πέτρος, quæ tamen non est plane eadem, una voce *Saxum* altera *Rupem* magis notante, vel Pronomine Demonstrativo, quod addito Nomine novo non necessario ad proximè Antecedens refertur, sed vel ad Remotius, *coll. Act.* III. 15. 16. XXVI. 28. 29. vel ad corporis Gestum sermoni junctum, *coll. Jes.* XXV. 9. *Joh.* XXI. 20. *Apoc.* VII. 13. 14. *&c.* Verum est *Petra*, aut *Christus* ipse *Matt.* XXI. 42. 1 *Cor.* III. 11. [2] *Eph.* II. 20. 21. [3] *&c.* analogiam *Fundamenti* optimè sustinens; aut ejus *Doctrina*, à Petro antea exposita, *coll. Eph.* II. 20. [3] ϐ *Fundatio* etiam qualiscunque Ecclesiæ *super Petrum* Regimen Universale non infert; cum reliquis Apostolis respectu Doctrinæ prædicatæ, & Proximi cum Christo Nexus, & aliorum ad Christum adductorum, id sit commune *Apoc.* XXI. 14. [4] *Rom.* XV. 20. *&c.* similitudine semper ad omnia non extendendâ. γ *Claves non* sunt datæ *Petro* cum exclusione aliorum; cum Omnium Nomine prius fuisset locutus, *coll. vers.* 15. 16. & subjecta Potestas aliis alibi quoque tribuatur *Matt.* XVIII. 18 [5]. *Joh.* XX. 23. quamquam Petri solius expressa Nominatio nos aptè ducere videatur ad ejus ἐξοχὴν in Usu Primo Clavis aperientis Regnum

gnum & Judæis & Gentilibus. *Act.* XI. 14. X. 34. δ *Claves* tandem *non* inferunt *Supremam Potestatem*; tum quod eas reliqui etiam habuerint Apostoli, tum quod *Dominicam Clavem* solus teneat Jesus *Apoc.* III. 7. ε *Ministeriali* tantum suis tradita; quare & *Ligatio & Solutio* de Declaratione Divinæ voluntatis exponi debent. 2. *Pontificatum esse actu ipso collatum Joh.* XXI. 15. 16. 17. Ubi urgent; α sermonem *ad Petrum* solum, & quidem *ter*, institui, adhibito nomine *Simonis Jonæ*, quod etiam legitur *Matt.* XVI. 17. & factâ ejus ab aliis Apostolis distinctione *vers.* 15. β *Pascere* notare *Potestatem Summam*, ex natura rei *Luc.* XII. 42. collato Pastoris Ovium officio, & usu vocis apud Hebræos *Psal.* II. 9. *Jes.* XLIV. 28. *Matt.* II. 6. *&c.* γ *Universam* denique innui *Ecclesiam* per *Oves* & *Agnos*, quæ duo nomina variè distinguunt, & per additum Pronomen *Mei*, quod ad omnes extendendum, uti fit *Joh.* X. 14. Sed α *Sermo* ad Petrum *Peculiaris* non infert Novi & Peculiaris Muneris Institutionem, verum Novam tantum Confirmationem intuitu gravis qui præcesserat Lapsus in Trina Domini Abnegatione, & Excitationem singularem qua ipse opus habebat, nomine *Simonis Jonæ* forte adhibito, quod per Lapsum veluti nomine Petri indignus esset; β *Pascere* per se magis Pabulum Præbere notat quam Regere, & Potestatem notans non mox dicit Supremam, utique promiscuè Doctoribus tributum *Jer.* III. 15. *Act.* XX. 28. 1 *Petr.* V. 3. γ quibus Dominatio denegatur ibidem, atque etiam hic, cum Christus *Suas*, non Petri, illas dixit *Oves*; γ *Oves & Agni*, sive promiscuè sive distinctè pro magis & minus Robustis positi, indefinitè proponuntur tantum, nulla Extensione Universali necessariâ ob additum Pronomen, quamquam universalis etiam Prædicatio, quousque possibilis illa erat, coram *Gentibus Omnibus* mandata sit singulis Apostolis *Matt.* XXVIII. 19. 3. Pontificatum esse *Confirmatum*, per XXVIII. Prærogativas; *Nominis Petri*, quod juxta Syrorum Cepha *Caput* notet per convenientiam cum κεφαλή & כיפא ראש *Impositionem*, *Nominationem* ejus vel *Solius* vel *Ante alios*, *Ambulationem super Aquas*, *Revelationem Peculiarem Christi*, *Cathedræ ejus Immobilitatem*, *Conjunctionem cum Christo in solutione Tributi*, *Miracula in Piscatione Petri repetita*, *injunctam Fratrum Confirmationem*, *Primam Christi resuscitati Apparitionem*, *Primam Pedum Lotionem*, *Mortis à Christo factam Prædictionem*, *Præsidium*

dium in Electione Matthiæ, *Primam Euangelii Prædicationem*, *Miraculi Patrationem*, *Ananiæ Punitionem*, *Transitum per Omnes*, *Conversionem Cornelii*, *Orationem Ecclesiæ pro eo*, *Præsidium Synodi Hierosolymitanæ*, *Pauli Visitationem*, *Baptismum à Christo ipso susceptum*, *Csnsecrationem Episcopalem similem*, *Simonis Magi Confessionem*, *Romanam Divino jussu Sedem*, *Apparitionem Christi in Porta Romæ*, *Fundationem Ecclesiarum Patriarchalium*, *Festum Cathedræ ejus Publicum*, *Additionem denique nominis Petri in Literis Formatis Veterum post nomen Patris Filii & Spiritus*. Ad quæ omnia tribus verbis dicimus; α posse numerari æquè facile, & esse numeratos dudum, multos *Petri Errores*; β reliquos *Apostolos* omnes sibi etiam multa *habere particularia*; γ *nullum* esse harum *Prærogativarum cum Pontificatu Nexum*, uti Nominationis Primæ, factæ ex ordine aut vocationis aut ætatis aut donorum & zeli, &c. δ quædam ex his *non competere Soli Petro*, uti Nominis Dationem Filiis Zebedæi communem, Christi Revelationem, &c. ε quædam *aperte* esse *falsa*, uti Primam semper Nominationem, *coll.* 1 *Cor.* I. 12. *Gal.* II. 9. & Præsidium Jerosolymitanum, *coll. Act.* XV. 13. 22. ς multas denique misceri *incertissimas Fabellas*. 4. Pontificatum tandem *Tributum* à Veteribus, qui Petrum *Caput*, *Principem*, *Coryphæum Apostolorum*, dixerunt. Cum hæ phrases de Primatu, non Jurisdictionis, sed Ordinis, Donorum, & rerum Gestarum debeant exponi, *coll.* 2 *Cor.* XI. 5. & *Gal.* II. 9: cæteroquin non vocando ab iis Paulo quoque *Apostolo* κατ' ἐξοχὴν, & *Principe Apostolorum*, nec collocando à Dextris Petri in Diplomatum Pontificiorum antiquis Sigillis, quod diffiteri nequeunt *Papistæ*, inanes & inter se pugnantes rei hujus rationes tantum conquirentes.

[1] *Exerc. Text.* XXX. P. V. [2] *Exerc. Text.* XLI. P. III. [3] *Exerc. Text.* XLIII. P. III. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XXXI. P. V. [6] *Comm. in Loc.* [7] *Exerc. Text.* L. P. IV.

Progressus Papistarum à Petro ad suum Pontificem Romanum.

VI. Longius adhuc aberrant *Papistæ*, cum Pontificatum hunc Universalem *Episcopo Romano* inde ab Excessu Petri vindicant, his prætextibus; α quod *Petrus Episcopatum Romanum* tenuerit, & quidem post priorem Antiochenum ad finem vitæ, per annos XXV. ibidem mortuus; β *Successio* non tantum in Episcopatu sed & *in Pontificatu* fuerit *necessaria*, perinde ut in Vet. Test. γ illa non possit alteri tribui, quam *Sedis in qua exspiravit* Præse-

fecto; *& agnita* in hoc fit eadem *à Conciliis*, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, &c. *ab Imperatoribus*, *&* *Patribus*, Latinis & Græcis, *Opere* multis modis, & *Ore* in Nominibus illi datis *Papæ*, *Patris Patrum*, *Summi Sacerdotis*, *Episcopi Universalis*, *Sponsi Ecclesiæ*, *&c.* e devoluta tandem *Constanti Serie usque ab Nostra Tempora*, nec exstinguenda unquam.

VII. Pro ratione compendii hujus opponimus nos. 1. *Gratis Successionem Petri ullam hodie Romano Episcopo tribui*; post mutatam Doctrinam & Disciplinam omnem, & per plura Schismata, Simonias, ac Pontifices Apostaticos & Apotacticos, dudum interruptum Ordinem Legitimum. 2. *Successioni huic in Pontificatu repugnasse ab ævo Ecclesias* integras, Asiaticas, & Africanas, & Occidentales quoque plures, quicquid affectaverint per vim & fraudem Romani imperium omne, uti ex Controversiis de *Paschatis Die*, *Baptismo Iterando*, *Juribus Patriarcharum*, *Appellationibus Transmarinis*, *&c.* id notissimum est; repugnare *Canones Conciliorum* adductos, & quandoque impiè falsatos; repugnare *Decreta Imperialia*, tum conficta, quale est *Constantini* illud *&* *Ludovici Pii*, tum vera, quale est *Phocæ* aliud; reclamare tum vim passos *Imperatores & Doctores*, tum servire coactos alios, intuitu, vel Potentiæ Urbis, vel Favoris Imperantium, vel Imaginariæ Sedis Petri, vel majoris per secula priora in Doctrina Puritatis ac in Vita Pietatis, quæ existimationem absque ullo Divino Jure dederunt; dum Nomina illa adducta vel communius fuerunt usurpata, vel à gnathonibus data. 3 *Successionem majori jure posse vindicari Orientalibus Episcopis*, & nominatim *Jerosolymitano*; ubi certissime versatus est Petrus juxta Apostolos omnes, & Christus ipse, ac unde Euangelium exiit, Mora mansionis aut Morte nihil ad Successionem per se faciente. 4. *Successionem in Principatu Apostolorum non magis esse necessariam*, *aut decentem*, *quam in Apostolatu ipso*, illius fundamento; quæ tamen non datur, cæteroquin & hodie futuris ubique Apostolis, & horum singulorum Successoribus, dum Successio tantum in Munere Docendi obtinet & in Doctrina tradita; haud obstante Ordine Veterum apud Judæos Pontificum, qui ut Umbraticus ad Christum ducere debuit, nec eadem habuit cum Apostolatu requisita. 5. Tandem, *a* esse *Certum*, quod *nec Petrus Romæ fuerit Episcopus*, cum Apostolicum munus ab Episcopatu distinctum & magis Universale

Qui quam ludicrus sit, docetur. Dum certum est, non fuisse Petrum Romæ Episcopum; & incertum, an ibi unquam fuerit.

ſit, *nec fuerit ibi per Annos XXV.* ob repugnantem plane Temporum ſupputationem, *nec initio Unus aliquis fuerit Epiſcopus Romæ*, unde in proximis Petri Succeſſoribus nominandis, Lino, Cleto, Clemente, Anacleto, nota oritur diverſitas; β eſſe dein *Incertum* & *Minus Probabile*, quod Petrus, tum *Romæ ſit Mortuus*, cujus rei Traditio quoad tempus & modum variat quoque, tum *ipſe unquam Ibidem fuerit.* Qua de re *ſilet* prorſus *Scriptura*; & in *Actis*, etiam XXVIII. *Capite*, ubi Pauli in Urbem Acceſſus & Tractatio cum Judæis narratur; & in *Epiſtolis*, tum *ad Romanos*, ubi ſalutatorum Fidelium tantus eſt catalogus, tum *Roma* ſcriptis, potiſſimum 2 *Tim.* IV. 16. Cui porro repugnat *Lucas*, in *Actis* continuo *in Oriente Petrum* ponens, etiam tempore Synodi adhuc *Act.* XV. Cui tandem obſtat *Judæorum Miniſterium* Petro datum *Gal.* II. 7. 8. & Pauli ſuper alieno fundamento non ædificantis praxis *Rom.* XV. 20. Contra quæ inaniſſime objicitur; α modo *Antiqua Traditio*, quæ ſæpius incerta, atque ex ambitione Epiſcoporum Romanorum, aut ex credita Petri Doctrina, Romæ videtur profecta; β modo *Hiſtoria Geſtorum Romæ*, inter quæ felix cum *Simone Mago Pugna*, quæ conficta, hujus ſpeciatim Fabulæ origine dudum ab eruditis indicatâ; γ modò Locus 1 *Petr.* V. 13. ubi *Babylone* Romam notari abſque fundamento ullo dicitur, & repugnat ſubſcriptionis ſolitæ ſimplicitati, cum qua Allegoricus Johannis ſtylus in Propheticis Vaticiniis male confertur, dum vere Petrus notavit, aut *Chaldaicam*, aut *Ægyptiacam* potius *Babylonem*, ſitam è regione Memphis ad ripam Nili Orientalem.

Regimen Eccleſiæ etiam non competit Toti Cœtui. Sed accedit illud maxime ad Formam Ariſtocraticam.

VIII. Monarchicâ Forma Regiminis ab Eccleſia excluſâ, in *Democraticam* propendere quoque non licet cum *Mennonitis* & *Socinianis*, in *negata Vocationis Specialis* ad Prædicationem & Sacramentorum adminiſtrationem *Neceſſitate*, & *Diſciplina ad Cœtus* integros extenſa; cum α diſtincti à Plebe Chriſtiana ſint ejus Præpoſiti, β nec hi Poteſtatem habeant Demandatam ab Eccleſia, ſed à Deo, licet Miniſterium Eccleſiæ in Ordinaria Vocatione intercedat, γ nec obſtent præter alia, aut dicta *Cap. XXX.* §. *XII.* aut mox de Vocatione dicenda, vel Interdicta Miniſtris Dominatio, quæ in Regimine Miniſteriali non adeſt, vel adſcriptum Eccleſiæ Judicium *Matt.* XVIII. 17. ubi non pro Integro Cœtu, ſed pro illum Repræſentantibus Perſonis vocem uſur-

surpari, est antea observatum, & necessarium plane, tum ex rei natura, tum ex Judæorum in Synagogis suis consuetudine. Ut supersit nil aliud, quam *Regimen Ecclesiæ* dici *Aristocraticum*; utpote quod est penes Plures, & Præstantiores, non opibus, divitiis, aut honoribus mundanis, sed Bonis Spiritualibus, internis & externis, quorum Ordines iterum fuerunt semper suntque modo varii.

[1] *Exerc. Text.* XXXI. P. V.

Rectores Ecclesiæ Vet. Test. Ordinarii & Extraordinarii:

IX. Sub Vet. Test. *Ordinarii Ecclesiæ Rectores* fuerunt, primum *Patriarchæ*, dein *Sacerdotes* Aharonici, quibus *Levitæ*, & *Nethinæi* quoque, in minoribus operibus subserviebant, iterum in varios ordines *Cantorum*, *Ostiariorum &c.* divisi, *Scribarum* & *Legisperitorum* nominibus latius usurpatis, & *Synedrii Magni Assessores*, summam Reipublicæ curam in Sacris & Politicis, ob junctas Dei leges habentes juxta vel infra Regem, aut Judicem, aut Ducem, de quorum originibus variant sententiæ. [2] *Extraordinarii* vero exstiterunt *Prophetæ*; qui Revelationem Dei Specialem nacti, veluti Legati Cœlestes, audiendi erant, Fide vaticiniorum, & Obedientiâ præceptorum, sive tantum prædicarent, sive simul scriberent, semper tamen doctrinâ eorum conferenda cum Verbo Scripto, cum quo nisi conveniret, ne quidem ob Miracula fidem merebantur *Jes.* VIII. 20. [3] *Deut.* XIII. 1. 2. 3. Atque hi, uti vigente Israëlis Republica ante Captivitatem vix unquam defuisse videntur, ita haud dudum post Captivitatem, cum fatis Haggæi, Zachariæ, & Malachiæ, cessarunt usque ad Johannem Bapt. ex *Mal.* IV. 5. [4] 1 *Macc.* IX. 27. fassis id vulgò *Judæis* ipsis.

[2] *Exerc. Text.* XII. P. V. [3] *Exerc. Text.* XXIII. P. III. [4] *Comm. in Loc.*

Extraordinarii sub Novo Test. Apostoli. Et Discipuli LXX. Ex quibus orti Prophetæ & Euangelistæ.

X. Sub Novo Test. *Extraordinarios Ecclesiæ Ministros* à Domino versante in terris reperimus constitutos duplices. 1. *Apostolos*; quorum nomen hoc, Græcis vario sensu familiarissimum, repetendum potius ab Hebræorum מלאך / & שליח / usurpatum de Domino ipso ob Paternam Legationem *Hebr.* III. 1. [5] & extensum quandoque ad plures Missos 2 *Cor.* VIII. 23. *Phil.* II. 25. forte & *Act.* XIV. 14. *Rom.* XVI. 7. 1 *Cor.* XV. 7. hic applicatur strictius Legatis Christi Immediatis, Infallibilibus, Universalibus, αὐτόπταις, &c. Miraculorum dono instructis præ reliquis. Quales

les juxta Numerum *Filiorum Israël*, *Tribuum*, *Gemmarum in Pectorali*, *Exploratorum* Terræ promissæ, *Signorum Zodiaci*, *&c.* primum constituti *Duodecim*; addito postea *Paulo*, sed uti videtur solo, cum relatione extensi ad Gentes Præconii. Qui porro *Nullos* habuerunt in isthac dignitate *Successores*, nisi quod deficienti ante Christi Suscitati Prædicationem *Judæ* substitutus est Divino consilio & indicio *Matthias Act.* I. 24. 26. Nomina reliqua, uti satis nota sunt ex Euangeliis, ita *Singulorum Historia* Vitæ & Mortis in multis *Incerta*, quin & *Fabulosa* est. 2. *Discipulos* LXX. secundum numerum *Seniorum*, missos primum *Luc.* x. I. 17. proximos Apostolis Autoritate & Donis; quos credimus eosdem cum Apostolorum συνέργοις, quamquam alii postea accesserint plures, apud Paulum *Eph.* IV. II. distinctis, in α *Prophetas*, qui sub Novo Test. dono Prophetiarum Explicandarum præ reliquis instructi, hoc munere fungebantur *Rom.* XII. 6. 7. I *Cor.* XIV. 3. licet & simul Prædicere Futura potuerint, ex *Act.* XX. 23. XXI. 8. 10. β & *Euangelistas*, qui scil. non scripserunt Euangelicas Historias, sed Euangelium cum Apostolis ubique annunciarunt, *Act.* XXI. 8. 2 *Tim.* IV. 5. *&c.*

[5] *Exerc. Text.* XLV. P. III.

Ordinarii sunt Pastores & Doctores. Qui sub communi Episcoporum & Presbyterorum nomine veniunt.

XI. *Ordinarii* vero dicuntur Paulo *Pastores* & *Doctores*. Quo duplici Nomine, ob neglectam heic distinctionem τὰς δὲ quæ ante afuit adhibita, *non* credimus *Distinctas* plane innui *Functiones*, sed potius *Diversos Actus* ejusdem Muneris, quos distinguere tamen Ecclesiæ licuit, *Academiarum Scholarumque & Ecclesiasticorum Cœtuum distincta Curâ* pro diversitate donorum, *coll. Rom.* XII. 7. 8. & distinxerunt forte mox, certissime jam Seculo II. ut ex *Scholæ Alexandrinæ Catechistis*, *Pantæno*, *Clemente*, *Origene*, *&c.* liquet. Hi porrò uti sub variis veniunt Nominibus, Propriis & Impropriis, Peculiaribus & Communibus, ad Dignitatem vel Laborem spectantibus; ita promiscue dicuntur eidem, modo *Presbyteri*, modo *Episcopi*. Inter quos Divino Jure *Nulla* est *Distinctio*, vel *Ordinis*, vel *Potestatis*; α ex Nomine utroque Iisdem dato *Act.* XX. 17. 28. *Tit.* I. 5. 7. β Pluribus ejusdem Ecclesiæ Episcopis memoratis *Philip.* I. I. γ Episcoporum recensitis officiis absque Presbyterorum mentione I *Tim.* III. I. 2. δ denique, tum communi Constitutione *Act.* XIV. 23. *Tit* I. 6. tum communi Facultate, & Doctrinæ, & Disciplinæ, & Ordi-

nationis, quam multi etiam non male colligunt ex 1 *Tim.* IV. 14. ubi tamen scopus & ratio χειροθεσίας innui quoque potest, ex *coll.* 2 *Tim.* I. 6. Gratis objicientibus, tum *Pontificiis*, tum *Hierarchicis* ex Nostris; α vel *Titi* & *Timothei* exempla 1 *Tim.* V. 19. 22. *Tit.* I. 5. qui ut Extraordinarii *Euangelistæ* considerari debent, nec usquam Episcopi vocantur, *Subscriptionibus Epistolarum* ab aliis additis; β vel *Angelos Ecclesiarum* singulariter memoratos *Apoc.* II. I.[1] *&c.* cum Numerus Singularis Collective ponatur, uti *Mal.* II. 7. aut ad Præsidem Presbyterorum, non tamen propterea Perpetuum, spectet; γ vel *Subordinationem* inter *Pontificem & Sacerdotes* olim, inter *Apostolos & Discipulos* LXX. deinde, cum Successio Episcoporum & Presbyterorum in eorum locum gratis supponatur; δ vel *Aërianismum* reductum, quem ob impugnatum vehementius constitutum Ecclesiæ Ordinem Schismatibus esse forte, Hæresibus verò in negata Distinctione Divina Episcoporum & Presbyterorum non magis, qnam in impugnatione Precum pro Mortuis, Jejuniorum Statutorum, Paschatisque annui, debere annumerari putamus. Interim *Jure Humano* Discrimen cito admodum esse introductum, ad vitandam Confusionem & Contentionem, primum nudi *Ordinis*, dein etiam *Potestatis* alicujus, ex *Hieronymo* aliisque constat; nec velimus nos, vel omnem *Inæqualitatem* similem, quæ in plurimis Protestantium Ecclesiis deprehenditur, vel hanc etiam in specie, si absit Superstitio Idololatria & Tyrannis Papalis, plane damnare, tanquam vel impedientem Communionem nostram cum Ecclesiis illis, vel etiam prorsus Adversam Voluntati Christi, qui unam communem & perpetuam Regiminis Formam, ut necessariam, in omnibus, Ecclesiæ Universæ in variis Gentibus & Ætatibus, vix videtur præscripsisse.

[1] *Comm. in Loc.*

XII. *Presbyteris* vero his *Docentibus* in Ecclesiæ Præfectura junguntur *Presbyteri* vel *Seniores Regentes*, qui Inspectioui Gubernationi & Censuræ simul vacent, sive Perpetui sive Temporarii, qua de re, uti quoque de eorum justo aliquo Stipendio cum *Brouwnistis* litigare nolimus; quos implicite vel explicite memorari reperimus *Rom.* XII. 8. 1 *Cor.* XII. 28. & potissimum 1. *Tim.* V. 17. ubi minus aptè per τὺς κοπιῶντας ἐν λόγῳ *præ reliquis laborantes magis* intelligemus. Quin & *Diaconi*, quo nomine in

De Presbyteris Regentibus & Diaconis agitur. Et de aliis Muneribus humanis.

in se communiori, hinc Doctoribus ut Ministris Verbi, & Christo ipsi, quoque tributo 1 *Cor.* III. 5. 2 *Cor.* III. 5. 6. 1 *Tim.* IV. 6. *Rom.* XV. 8. &c. hic illi notantur, quibus *Pauperum Cura* demandata fuit *Phil.* I. 1. 1 *Tim.* III. 8. 12. 1 *Petr.* IV. 11. *Rom.* XII. 8. quorum prima Institutio legitur *Act.* VI. 2. 3. 4. uti *Diaconissas* quoque reperimus *Rom.* XVI. 1. 1 *Tim.* v. 9. quorumque Munus paulatim latius extensum est, tum ex conjunctione *Agaparum* cum *Cœna*, tum etiam ex Munere hoc cum aliis juncto quandoque, uti ex *Stephano & Philippo* liquet. Quæ præter hæc Munera amplius obtinent apud *Papistas* partim, partim etiam apud alios alia, uti illi nominare solent *Sex Dignitates*, Episcoporum, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, Patriarcharum, Cardinalium, ac Pontificis, & *Ordines Septem*, quatuor *Minores*, Ostiariorum, Lectorum, Exorcistarum, Acoluthorum, tres *Majores*, Subdiaconorum, Diaconorum, & Sacerdotum Presbyterorum, illa Humanæ sunt ordinationis, vel antiquioris, vel recentioris, vel improbanda prorsus, vel ob usum nonnullorum commodum probanda, sicut & nos *Ministerii Candidatos*, *Cantores*, & *Lectores*, constitutos habemus.

Munus Ministerii exigit specialem Vocationem.

XIII. Ad Regiminis, cujus qualitatem vidimus, *Originem* nunc est adscendendum; quæ sic in genere *à Deo* est repetenda, ut speciali *Divina Vocatione Personarum* ad Munus hoc simul opus sit ex Dei Ordinatione, præter Aptitudinem inditam. Quod contra *Socinianos*, *Anabaptistas*, & *Fanaticos*, liquet; α ex textu expresso *Rom.* x. 15. ubi non minus absoluta Impossibilitas *Prædicationis absque Missione* quam in antecedentibus actibus innuitur, nec ulla ad *Apostolatum*, aut *Doctrinam Novam*, & inauditam, est restrictio; β ex Redargutione repetita *Currentium absque Missione Jer.* XXIII. 21. 31. 32. γ ex Exemplo *Pontificis*, *Apostolorum*, reliquorumque Novi Test. Doctorum, & *Christi* ipsius *Hebr.* v. 4. 5. *Eph.* IV. 11. Labore olim Honori, & Honore Labori quoque jam mixto; δ ex similitudine *Operariorum*, *Ducum*, *Oeconomorum*, *Legatorum*, *&c.* sub qua veniunt Ministri. Contra quæ frustra objiciunt; α tum Commune Officium, instruendi fratres, Bonaque agendi, cum privatum Charitatis Officium, à quo cum illuminatione juncto spiritualiter *Prophetæ* vocantur, multum à Ministerio Publico ex Dei nomine differat, & Bonum Opus non sit Prædicatio absolutè, sed facta à

Vo-

Vocato; β tum *neglectam Requisitæ Vocationis mentionem*, imo eversam illam per *Desiderium* ἐπισκοπῆς omnibus concessum 1 *Tim.* III. 1. 2. cum ibi tantum agatur de Requisitis Personalibus ante Vocationem quæ hanc non excludunt, atque aliud longe sit Conatus decens ad Episcopatum, aliud Administratio ejus proprio arbitrio sumpta; γ atque *Praxin laudatam*, tum *Dispersorum Act.* VIII. 4. tum *Domus Stephanæ* 1 *Cor.* XVI. 15 tum *Prophetantium* apud Corinthios 1 *Cor.* XIV. 29. 30. cum Dispersi illi non omnes Vocatione caruerint, aut etiam publicè prædicaverint, Domus Stephanæ tantum commendetur à promptitudine Ministerii, non referendi necessariò ad Prædicationem aut assumti absque Vocatione, Prophetantes denique de Vocatis ordinariè vel extraordinariè debeant exponi; ut mittam alia, & loca plura, à *Fanaticis* adducta, quæ dedimus *Cap.* II. §. XXXI.

XIV. *Dividitur* Vocatio; α tum in *Extraordinariam*, quæ talis iterum diversimodè dicitur, cum respectu sc. vel ad Doctrinam, vel ad Munus ipsum, vel ad Modum vocandi, vel ad Eventum, cum relatione etiam ad Ordinem à Deo primum constitutum, aut vitiosè introductum ab hominibus, & *Ordinariam*; β tum in *Immediatam*, sive absolute talem *Gal.* I. 1. sive respectu Mediorum Solitorum 1 *Reg.* XIX. 16. & *Mediatam.* Uti vero *Vocatio*, strictius dicta *Extraordinaria & Immediata*, quæ *Prophetis* vulgo & *Apostolis* contigit, Dona necessaria non supposuit sed contulit, & debito modo confirmanda fuit; ita Ordinariæ & Mediatæ *Vocationis Jus* est *Originaliter*, non penes *Episcopos*, aut *Pontificem*, sed penes ipsum *Ecclesiæ Corpus.* Uti constat; α ex Usu temporis Apostolici *Act.* I. 23. VI. 3. 5. XIV. 23. χειροτονίᾳ ibi non confundendâ, uti postea apud Veteres quandoque fit, cum χειροθεσίᾳ, sed *Electionem per Suffragia* omnino notante; β ex Muneris ratione, cum sit totius Ecclesiæ Ministerium, *coll.* 1 *Cor.* III. 22. 2 *Cor.* IV. 5. *&c.* γ ex Discretione Falsorum & Verorum Doctorum, omnibus demandata *Gal.* I. 8. 1 *Joh.* IV. 1. 2 *Joh. vers.* 10. δ denique & ex constanter requisita apud Veteres *Populi* sive *Electione* sive *Assensu.* Perperam objecto; vel Exemplo *Extraordinariè Vocatorum*, ut plane alieno; vel *Constitutione ab Apostolis* facta & jussa, cum illa Suffragationem Ecclesiæ non excludat, ad Moderationem actus referenda, & alia adhuc horum superiori & Extraordinaria Potestate instructo-

Vocationis necessariæ Distinctio varia. Vocatio Mediata in Ecclesia cui competat.

ctorum in Ecclesia constituenda, quam Episcoporum in Ecclesia constitutâ, sit ratio. Potest vero *Jus* hoc quoad *Usum*, per cessionem sive explicitam sive implicitam Ecclesiæ, devolvi; α sive ad *Presbyteria*, aut *Consistoria*, quibus Regimen Ecclesiæ competit, & quorum iterum, tam quoad Personas Suffragantes, quam Suffragiorum modum, variat praxis; β sive ad *Patronos*, aut *Collatores*, unum vel plures, quorum Jura antiqua, etiamsi Religionis fuerint & ipsi hostes, non sunt ab Ecclesia temerè sollicitanda, meritò tamen à Magistratu Supremo aut restringenda aut tollenda; γ sive denique ad *Magistratus Christianos*, sic etiam *Nutritios* se demonstrantes, & Pietatem promoventes *Jes.* XLIX. 23. 1 *Tim.* II. 2. *&c.* qui tamen in Jura Ecclesiarum aut Presbyteriorum temere pro arbitrio hic involare non debent. Quo omni in casu necessaria ad Legitimam Vocationem est subsequens ipsius *Ecclesiæ Approbatio*, nisi improbatio ejus ineptis plane rationibus nixa sit; uti & in Consistoriorum Electione decens est, accedere *Approbationem Magistratus Christiani*, tanquam Præcipui Ecclesiæ Membri. Interim cum Jus illud originaliter sit penes Ecclesiam, iis ad quos Exercitium est devolutum male vel negligenter agentibus, id ad eam denuo devolvi putamus. Ex quibus omnibus abunde justificari potest *Primorum Reformatorum*, nostrorumque hodiè *Ministrorum Vocatio*, Ordinaria quidem, sed Modi, Fructus, & Ordinis Papalis respectu *Extraordinaria* plurimum, adversus *Papistarum* perversas hypotheses, & Judaicas vexationes *Matt* XXI. 23 qua de re vide *Cap.* XXXII. §. XIII.

Vocationis Prærequisita nonnulla. Quorsum male à Papistis refertur Cælibatus.

XV. In Vocatione Ordinaria, à quibuscunque tandem hæc instituatur, ratio haberi debet *Doctrinæ*, *Pietatis*, *Donorum Dicendi*, *&* *Virium*, quæ omnia ex *Examine* Ecclesiastico, sive *Præparatorio*, sive mox etiam, uti fit alibi, *Peremptorio*, constare decet; simulque *Necessitatis Particularium Ecclesiarum*, quæ facit ut quandoque Eruditio, quandoque Pietas, quandoque Facundia, *&c.* magis sit spectanda, imo etiam Vox, Robur, Ætas, Ortusque vocandi. Neque dubitandum est, quin liceat deceatque per prudentiam Christianam, instante Electione, tum *Deliberationes Prævias* in timore Domini, seriò invocandi, instituere, tum per *Suffragiorum Collationem* minus aptum aptiori præponere, si his divisis ineptus cæteroquin foret introducendus. Uti vero exulare debet hinc omnis Favor Personalis Indecens, Pren-

Prensatio iniqua, Simonia, &c. & adesse consideratio *Ortus Legitimi*, ad Decus Ministerii majus, itemque *Ætatis Justæ*, quæ tamen Doctrinâ singulari & Morum gravitate virili compensari potest, nec generali aliqua Lege ob liberam Dei Gratiam nimium protendenda est; ita inepte *Papistæ*, omnes magis devincturi suo Pontifici, & majorem sanctitatis speciem addituri, in *Clericis Majorum Ordinum* requirunt *Cælibatum Perpetuum*, sive ex intrinseca *Conjugii Impuritate*, etiam præ Scortatione, sive ex *Voto* Sacris Ordinibus annexo, sive ex *Lege* aliqua *Divina vel Ecclesiastica*. Contra α legitimi *Conjugii Honestatem in Omnibus*, assertive non imperative propositam *Hebr*. XIII 4. & fluentem, tum ex Divina ejus in Statu ipso Integritatis Institutione *Matt*. XIX. 4. 5. tum ex Necessitate ad generis Multiplicationem, Dei Gloriam, propriamque Castitatem, improbandam tantum ψευδολόγοις hypocritis adducturis *doctrinas dæmoniorum* 1 *Tim*. IV. 1. 2. 3. [1] β ejus *Necessitatem* omnibus Abstinentiæ donum non habentibus impositam 1 *Cor*. VII. 2. 9. *coll. Matt*. XIX. 11. γ exemplum, tum *Sacerdotum & Levitarum* sub Vet. Test. tum *Apostolorum* sub Novo *Matt*. VIII. 14. 1 *Cor*. IX. 5. quibus plures *Paulum* ipsum annumerant ex hoc loco & *Phil*. IV. 3. *&c*. [2] quosque post Vocationem Uxores suas dimisisse gratis & impiè dicitur, tum *Euangelistarum Act*. XXI. 8. 9. & subsequentium Doctorum; δ libertatem denique expressè datam *Episcopis* 1 *Tim*. III. 2. 4 [3]. etiam in *Canonibus* dictis *Apostolicis*, & Constitutionibus Synodicis Veterum, in ipso *Concilio Nicæno* ad votum *Paphnutii* quamquam Cælibis. Nec obstat; α aut mandata *Castitas & Temperantia* 1 *Tim*. III. 2. *Tit*. I. 8. quæ in Conjugio etiam locum reperit, & per illud facilius servari potest; β aut *Existentiæ in Carne*, & *Negotiorum vitæ Implicationis*, interdictum *Rom*. VIII. 8. 2 *Tim*. II. 4. *&c*. cum prius ad omnes spectans Fideles, Statum Peccati, non Conjugii, notet, posterius ad Nimiam Temporalium Curam à Munere avocantem referatur; γ aut *commendatio Cælibatus & Abstinentiæ* 1 *Cor*. VII. 1. 8. [4] *&c*. ubi nulla ad Clericos est restrictio, & non ad inditam Honestatem, sed ad Temporis Necessitatem, & Commodum continentiæ dono instructorum respicitur *vers*. 9. 26. 28. 35. & Abstinentia suadetur tantum Temporaria ex mutuo consensu; δ aut tandem *Potestas Legislatoria Ecclesiæ*, quæ ad jugum indecens imponendum liberis se non extendit.

dit. *Græcorum* porro Conjugatos Ordinantium licet doctrina hic sit sanior, tamen non potest ea probari, ob rationes superiores; dum α *Conjugium Contrahendum Ordinatis* interdicunt, β & *Bigamos* arcent, prætextu loci 1 *Tim.* III. 2. [5] ubi excluditur sola *Polygamia Simultanea*, sive crassior, sive subtilior per Repudium prioris Uxoris, uti & alia vitia plura adduntur, quæ omnes dedecent Fideles, & propterea maximè à Ministro abesse debent.

[1] *Exerc. Text* XLIX. P. IV. [2] *Exerc. Juven. Disp.* XXII. [3] *Exerc. Text.* XLVIII. P. IV. [4] *Exerc. Juv. Disp.* XXII. [5] *Exerc. Text.* XLVIII. P. IV.

Vocationis consequens Ordinatio, cujus ratio exponitur.

XVI. Cum Vocatione connectitur *Ordinatio*, sive *Consecratio*, etiam per χειροθεσίαν; quæ ex *Judæorum Usu* fluxit, observata quoque in *Levitis* & in *Josua Num.* VIII. 10. XXVII. 18. *Deut.* XXXIV. 9. hinc *facta & commendata ab Apostolis Act.* VI. 6. XIII. 3. 1 *Tim.* IV. 14. V. 22. 2 *Tim.* I. 6. Spectat autem hæc potissimum; α ad Præsentationem magis solennem coram Deo & Ecclesia; β ad adumbrationem impositæ Curæ Gregis; γ ad distinctionem Præfectorum à plebe; δ denique ad Apprecationem gratiæ Spiritus & Defensionis cœlestis. Unde facilè æstimatur ejus; α tum *Necessitas*, fluens ex Usu antiquo & pio, atque admittenda, ubi commode haberi potest, ad vitandum omne Scandalum, non autem ex Universali aliquo Mandato, prorsus obligante per omne tempus; β tum *Irreiterabilitas*, quæ rursus non est absolute urgenda, vel ex *Act.* XIII. 3. hinc etiam hodieque in quibusdam Ecclesiis Reformatis in Inauguratione in novam stationem χειροθεσία repetitâ; γ tum *Locus*, *Tempus*, *Modusque* omnis, nusquam determinatus, ita ut coram Cœtu Ecclesiæ Die Sacro à Ministris Pluribus commodissimè fiat. Interim uti Ritus hic jam ab ævo cœptus est corrumpi, ejus Jure ad Episcopos quoque restricto, & Usu ad Fœminas Presbyteras & Diaconissas extenso; ita plane eversus est ille in *Papatu*, per *Sacramentum* in eo agnitum Novi Test. & *Characterem Indelebilem* ex eo derivatum, atque *Ceremonias alias* complures Humanas, *Unctionis*, *Osculi*, *Traditionis* variorum *Instrumentorum*, *&c.* substitutas, vel ita junctas, ut χειροθεσία Accidentalis evaserit; de quo vide etiam *Cap.* XXIX. §. XXXIV. De *Presbyteris* & *Diaconis* nostris quoque inaugurandis χειροθεσίᾳ sic judicamus; α nihil quidem magnopere obstare, spectato scopo ejus; β sed tamen neutiquam esse id necessarium; γ imo minus for-

forte decens, ubi non Perpetui ſed Temporarii ſunt hi ad annum unum aut plures.

XVII. Nunc exponenda venit *Poteſtas Regiminis Eccleſiaſtici*, tùm *negative*, tum *poſitivè*. Ubi primò notandum eſt, *non extendi* eam *Jure Divino*, quod Juriſdictioni à Magiſtratibus conceſſæ hic opponimus, ad *Corporales Res aut Poſſeſſiones*, nedum ad ipſa *Regna Omnia*; cum talem non exercuerit ipſe Chriſtus Dominus his in terris, ne tum quidem cum zelo Prophetico & Divino Templum profanatum repurgavit, aut Aſinam per Diſcipulos ad uſum tantum voluit, aut Locum habendi Paſchatis ex recepto Judæorum more determinavit *Joh.* II. 15. *Matt.* XXI. 3. XXVI. 18. *&c.* β cum nuſquam Eccleſiæ illam Poteſtatem Dominus dederit, imo expreſſe ei denegaverit *Matt.* XX. 25. 26. 1 *Petr.* V. 3. 1 *Rom.* XIII. 1. *&c* γ cum nunquam tandem hanc Poteſtatem Eccleſia vera exercuerit, aut ſibi tribuerit, utpote alienam à Spirituali indole Regni Chriſti, *coll.* 2 *Cor* X. 4. quicquid olim Synedrium Judaicum, qua Magiſtratum Populi illius conſtituens, exſequi potuerit Judicia Divinâ Lege ſtatuta, aut juxta Prophetas Petrus virtute Miraculoſa Chriſti ultus fuerit ſcelus Ananiæ & Sapphiræ *Act.* V. 4. 5. 9. 10. *coll. Act.* XIII. 11. *Luc.* IV. 54. 55. Contra quæ *Pontificii*, *Poteſtatem utramque*, tam *Temporalem* quam *Spiritualem*, Eccleſiæ tribuentes, ut ei competentem *Summam*, vel *Directè* vel *Indirecte*, eamque actu in *Fideles* & *Infideles* uſurpantes, inepte opponunt. 1. Loca *Matt.* XXVIII. 18. *Luc.* XXII. 38. *&c.* Quæ plane non faciunt ad hanc rem; cum priori agatur de Chriſto Mediatore ipſo exaltato; alter vero per inanem & à ſcopo alienam allegoriam Duorum Gladiorum huc torqueatur. 2. *Rationes*; α ex *Subjectione* neceſſaria *Poteſtatis Civilis*; β ex neceſſaria *Sufficientia Eccleſiæ* ad ſui Defenſionem; γ ex Poteſtate *Deponendi Reges Infideles & Hæreticos*, aſſerta à Paulo ipſo 1 *Cor.* VI. 4. atque ex mera Impotentia olim à Chriſtianis non exercita; δ ex *Pacto*, vel explicito, vel implicito in Baptiſmo, à Regibus ſubſcripto; ε denique ex mandato *Paſcendi*, quod Poteſtatem non minus contra Arietes quam Lupos inferat. Cum α Poteſtas Civilis & Spiritualis, utpote diſtinctiſſima, nullam Subordinationem patiatur, coordinanda verius; β Eccleſia per Poteſtatem Spiritualem ad ſui Defenſionem ſibi ſufficiat, Corporali Poteſtate à Regibus mutuanda quandoque; γ Poteſtas De-

Poteſtas Eccleſiaſtica ſe non extendit ad res Temporales. Quod peſſime ſtatuunt Papiſtæ.

Deponendi Reges impie plane tribuatur Ecclesiæ, nec à Paulo sit somniata, cum à Litibus dehortaturus Arbitros Christianos commendavit, imò eversa, cum Subjectionem sub Incredulis quoque Magistratibus non ex impotentia aut metu, sed *ob Conscientiam*, ursit *Rom.* XIII. 1. 5. δ Pactum tale expressum Regibus iniquissimè imponatur, & implicitum per Baptismum nequaquam inferatur, Adjumento Ecclesiæ justo multum differente à Subjectione in Temporalibus omnibus; ε Pastura denique tota Spiritualis sit, Magistratibus inepte in Arietes quoque mutatis. 3. Tandem *Exempla*, tum Vet. Test. in *Hazaria* expellente Huzziam 2 *Chron.* XXVI. 17. & *Jojada* trucidante Athaliam 2 *Chron.* XXIII. præter superiora alia, tum Novi Test. in *Ambrosio*, *Gregorio* II. *Zacharia*, *Leone* III. *&c.* Cum α priora partim sint aliena, ob Dei judicium θεήλατον, & Reipubl. Judaicæ specialem constitutionem, partim Extraordinaria ex præsenti Necessitate & prævia Conspiratione; β posteriora similiter, vel non faciant ad rem, ut Excommunicatio Theodosii & Consilium illi datum, vel sint Facti ad Anti-Christianum fastum pertinentis. Addimus porro, ita *differre Potestatem Temporalem & Ecclesiasticam*, ut major utraque, Magistratus sc. Summi & Ministerii, ob summam ejus discrepantiam, & hominis unius ad plura ardua insufficientiam, non concurrat modò apte in iisdem personis, *coll.* 2 *Tim.* II. 4. Gratis opponentibus *Papistis*, ad defensionem Principatuum, quos ex Raptu verius quam ex Donatione tenet Pontifex; α Exempla, tum Extraordinaria Melchitsedeki, Mosis, &c. tum Ordinaria, sed partim Facti, ut Maccabæorum illud, partim ex speciali θεοκρατίᾳ, qualis nulla modo exstat, orta, ut Synedrii alterum; β dein rationes ex nulla Potestatis utriusque Pugna, Imperio juncto sæpe Senatus & Exercitus, diversissimarum Nationum concurrente Regno, &c. quas enumerasse est eas refutasse.

[1] *Exerc. Text.* L. P. IV.

Non etiam ad Dispensationem, Remissionem, vel Legislationem propriè dictam.

XVIII. Pergimus *negativè*, non extendi Potestatem Ecclesiæ in Spiritualibus ipsis; vel ad solvendas per *Dispensationem* ipsius Dei Leges, de quo actum *Cap.* XI. §. XXX. vel ad *Peccata* pro autoritate *Remittenda*, de quo *Cap.* XXIV. §. V vel tandem ad *Ferendas Leges*, quarum Observantia constituat Dei Cultum, aut quæ per se extra rationem Scandali Conscientiam obligent. Cum, α solus Deus in Ecclesia sit Legislator, qui Pastoribus, ut Ministris

ſtris ſuis & Eccleſiæ, mandata ſua annuncianda & inculcanda dat *Jeſ.* XXXIII. 22. *Jac.* IV. 12. *Matt.* XXIII. 8. 10. (ubi non ad Nomen aut Titulum ſed ad Rem Significatam reſpici evidens eſt,) *Matt.* XXVIII. 19. 1 *Cor.* IV. 1. 2 *Cor.* I. 24. IV. 5. *&c.* β Additiones omnes Humanæ ad Dei Legem ſint interdictæ *Deut.* IV. 2. XII. 32. *Matt.* XV. 9. γ & ad Libertatem vocati Fideles 1 *Cor.* VII. 23. *Gal.* V. 1. *Col.* II. 20. *&c.* Contra quæ fruſtra opponunt iterum *Papiſtæ*; α tum Exemplum *Sacerdotum Veterum Deut.* XVII. 10. 12. qui ſanè ibidem expreſſe ad Legem Dei alligantur, neque ut Legiſlatores ſed ut Judices ex & de Divina Jure conſiderantur; β tum *Jus & Praxin Apoſtolorum*, ex *Matt.* XVI. 19 [1]. *Luc.* X. 16. *Joh.* XX. 21. XXI. 15. *&c. Act.* XV. 28. 29. 1 *Cor.* XI. 2. 1 *Tim.* III. 2. cum Jus Ligandi, Annunciandi, Paſcendi, alias evidenter ad Divinam Voluntatem reſtringatur, & nullam hic reperiamus Praxin, quam Declarandi eam per Spiritum, aut Conſtitutiones ad εὐταξίαν ordinandi; γ tum Mandatum *obediendi Ductoribus Hebr.* XIII. 17. *omnibuſque Poteſtatibus ſupereminentibus Rom.* XIII. 1. quod prius ad Ductum Legitimum & Salutarem limitari debet, poſterius autem ad Poteſtates Temporales gladio armatas ſpectat; δ tum *Legis Euangelicæ* nimiam *Univerſalitatem*, quæ niſi ad Ordinis & Modi externi Cultus Conſtitutiones reſpiciatur, blaſpheme inculcatur.

[1] *Exerc. Text.* XXX. P. V.

XIX. *Non* tamen propter Anti-Chriſtianum hunc abuſum, & impium Poteſtatis apud *Papiſtas* progreſſum, *omnis Poteſtas* veri nominis Eccleſiæ *eſt deneganda*; quod fit ab *Eraſtianis* & *Libertinis*, obſtetricantibus temerè *Recentioribus* quibuſdam in phraſi, Vocatione Divina in contractum humanum mutata, & Diſcrimine Vet. & Novi Teſt. hic continuò inculcato. Quod facile evertitur; α per rationem ſpecialem *Muneris*, quod gerunt Præpoſiti Eccleſiæ, & quod abſque ſpeciali aliqua Poteſtate ſubſiſtere non poteſt; β per *Nomina* Eccleſiæ Miniſtris data, & allegata §. II. γ per tributam iis expreſſe *Poteſtatem* 2 *Cor.* X. 8. XIII. 10. *Virgam* 1 *Cor.* IV. 21. & *Claves Matt.* XVI. 19. quæ plane ad Apoſtolos ſolos reſtringere non licet; δ per Subjectionem & Obedientiam fidelium adverſus eos inculcatam *Hebr.* XIII. 17 *Phil.* II 29. 1 *Theſſ.* V. 12. 13. *Tit.* II. 15. 2 *Cor.* II. 9. &c. Haud metuendâ ſic; α vel *Dominatione* Miniſtrorum, propria & cæcam obedientiam

Non eſt tamen ideo omnis Poteſtas Eccleſiaſtica neganda.

 exi-

exigente, cum Poteſtatem profiteamur Miniſterialem, & Judicium Diſcretionis omnibus tribuamus fidelibus; β vel *Humilitatis & Fraternitatis* Chriſtianæ Everſione, cum hæ inter Magiſtratus ipſos & Subditos manere debeant; γ vel Erectione *Imperii in Imperio*, cum nullam hic ſit Imperium, uti partim liquet ex §. XVII. & XVIII. partim ex ſequenti explicatione amplius patebit.

Eſt vero ea Triplex; primo Doctrinæ.

XX. *Poteſtas* itaque hæc *Eccleſiæ* poſitive vulgo & rectè *Triplex* dicitur, α *Doctrinæ*, δογματική, Scientiæ, ſive Miniſterii, β *Diſciplinæ*, κριτική, Correptionis, ſive Juriſdictionis, γ & *Directionis*, διατακτική, Regiminis, ſive Ordinis; venitque ſub *Triplicis Clavis* nomine ex *Luc.* XI. 52.[1] & *Matt.* XVI. 19.[2] *Prima ſpecies Poteſtatis* dicit; α Jus *Annunciandi* nomine Dei Verbum ejus, cum Promiſſionibus & Minis connexis, publicè & privatim, cum accommodatione ſpeciali ad ſingulorum ſtatum *Jer.* I. 17. *Matt.* XXVIII. 19. 2 *Cor.* V. 20. 1 *Tim.* 13. 14. 15. 16. 2 *Tim.* II. 15. IV. 2. *&c.* β Jus *Interpretandi* illud ſecundum analogiam Fidei & Contextus, quamquam non ſemper infallibiliter, *Neh.* VIII. 9. *Act.* VIII. 34. 35. *&c.* γ Jus *Defendendi* illud, contra Infidelitatem & Hæreſin ſurrepentem 1 *Tim.* I. 3. 4. 2 *Tim.* I. 13. *Tit.* I. 10. 11. *&c.* quo faciunt *Symbola*, & *Confeſſiones*, reliquique ſive *Libri* ſive *Canones Symbolici*, qui ſemper in Eccleſia fuerunt, & ad Unitatem ac Societatem ſervandam ſunt quam maxime neceſſarii, & obligant conſcientiam, non quidem per ſe ut Dei Verbum ipſum, ſed Autoritatem tamen certam habent ex Dei Verbo, ad quam tenentur omnia Eccleſiæ iſtius Membra ex confeſſione & conceſſione ſpontanea; δ denique Jus illa *Agendi*, quæ cum hoc Verbi Miniſterio plane ſunt *Connexa*, ut ſunt *Preces*, Publicæ potiſſimum, quæ debent fieri *elata voce*, aliter quam multi volunt *Mennonitæ*, ut à Plebe *Amen* ſubjici poſſit *Jer.* XV. 1. *Ezech.* XIV. 14. *Joël.* II. 17.[3] 1 *Cor.* XIV. 16. *Jac.* V. 14.[4] *&c.* *Sacramentorum ſub Novo Teſt. Adminiſtratio*, in qua prudentiâ juſta, non tamen ſcrupuloſitate nimiâ, opus eſt, & de qua actum *Cap.* XXX. §. XII & XXXI. §. XI. denique *Ceremonialium Statutorum* veterum *Tractatio*, quam diu illa durarunt.

[1] *Exerc Text.* XXXIII. P. II. [2] *Exerc. Text.* XXX. P V.
[3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XLV. P. I.

XXI. *Altera ſpecies Poteſtatis*, cui *Juriſdictionis* nomen, ob ana-

analogiam Citationis, Exauditionis, & Sententiæ secundum Dei Legem latæ, haud prorsus ineptè datur, in *Disciplinæ* exercendæ *Jure* cernitur. Quod speciatim contra negantes *Erastianos* probamus. 1. Ex *perpetuo Usu*; α tam sub Vet. Test. ubi *Impuri* communione Sacrorum arcebantur secundum Legem Mosis, *Separatio* ab Ecclesia facta fuit *Hezr*. x. 8. *Luc*. vi. 22. *Joh*. ix. 22. 34. xii. 42. xvi. 2. & noti fuerunt sive *Duo* sive *Tres Excommunicationis Gradus*, significati vocibus, נדוי / חרם / שמתא / quin & verisimiliter מרן אתא / [1] ut de *Ejectione Adami*, *Kaini*, *Excidio ex Populo*, aliisque nostro judicio huc non adeò spectantibus, nihil nunc dicamus; β quam sub Novo Test. ubi nota Christianorum Veterum Severitas, per omnia fortè haud probanda, in *Quatuor Pœnitentium Statibus*, προσκλαύσεως, ἀκροάσεως, ὑποπτώσεως, συστάσεως, ad multos annos extensis, priusquam μέθεξις contingeret, secundum *Pœnitentiales Canones*. Quorsum & optimè refertur *Traditio Satanæ*, à Paulo proposita & actu facta 1 *Cor*. v. 5. 1 *Tim*. i. 20. [2] ex α conveniente Excommunicationis natura, β Pauli cum Ecclesia in hoc Judicio concursu, γ & Fine addito; quicquid alii potius de Miraculoso Corporali Supplicio, simul vel solum, illam exponant. 2. Ex *Mandatis Claudendi*, *Ligandi*, *pro Ethnico & Publicano Habendi*, *Retinendi Peccata*, *Declinandi*, *Expurgandi*, *Non Miscendi*, *Judicandi*, *Devitandi*, *Non Recipiendi*, *Non Ferendi*, *&c.* quæ sic ad Privatos partim spectant, ut etiam & maximè concernant Ecclesiæ Præpositos, ex quorum judicio Plebi sic agendum, quorumque præcipua, vel Restrictione ad Apostolos, vel Extensione ad singulos Fideles, quam faciunt quidam *Recentiores*, enervari absque ratione non debent, *Matt*. xvi. 19. [3] xviii. 17. 18. [4] *Joh*. xx. 23. *Rom*. xvi. 17. 1 *Cor*. v. 7. 9. 13. 2 *Thess*. iii. 14. *Tit*. iii. 10. 2 *Joh*. *vers*. 10. 11. [5] *Apoc*. ii. 21. [6] *&c.* 2. *Ratione* petita; α & à *Necessitate*, ad Societatis Ecclesiasticæ Conservationem; β & ab *Utilitate* multiplici, Pudore sc. & Dolore peccantium, vitanda Contaminatione Ignominia & Vastatione Cœtus integri, arcenda denique Sacrorum Profanatione *Matt*. vii. 6. γ & tandem à Judicio per Baptismum in Ecclesiam introducendi, quod certissime est penes Ecclesiam. Nec evertunt Jus illud Adversarii. 1. Per *Potestatem Puniendi Magistratibus* propriam, & *Christianorum* reliquorum *Æqualitatem*. Cum α Pœna Magistratus strictius dicta

Secunda Disciplinæ, seu Censuræ.

& facinorosis inflicta multum differat à Correptione Ecclesiastica erga Aberrantes à Fide aut Pietate Christiana; ϵ & perperam in Æqualitate Fraterna omnis Potestas sublata supponatur. 2. Per *Praxin*, tum *Christi* circa Judam, tum *Johannis Baptistæ* circa Tsadducæos & Pharisæos, tum *Pauli* circa Corinthios indecenter ambulantes, &c. Cum α Christus Judam simulantem ex abundantia bonitatis tulerit in consortio, non utique secundum omniscientiam Divinam agere obligatus; β Tsadducæi & Pharisæi similiter Resipiscentiam fuerint professi; γ Paulus denique Præfectorum inter Corinthios curæ commiserit Disciplinæ contra vitia usum. 3. Per *Adversum* in speciem *Jus Matt.* XIII. 30. & 2 *Tim.* II. 24 25 Cum α Dominus de occulte malis loquatur, quorum evulsio damnum vel periculum bonis adferre posset; β & Paulus in Ministris mansuetudinem tantum exigat erga Incredulos, quæ nec in Censura adversus Membra Ecclesiæ deponenda est. 4. Per *Simile*, tum Verbi Auditus non impediendi peccatoribus, tum *Secessionis* ab impiis Fidem veram profitentibus non licitæ fidelibus *singulis*. Cum α alia sit ratio Verbi, ut medii resipiscentiæ, à quo tamen in Cœtu fidelium audiendo ad Veterum exemplum quandoque facinorosos recte excludi dici forte posset, alia Sacramentorum; β majorque Potestas Ecclesiæ Præfectis quam singulis fidelibus sit data, qui etiam licet ab usu Cœnæ propter impios admissos se segregare non debeant, tamen ab eorum familiari consortio abstinere possunt & debent.

[1] *Exerc. Text.* XLVIII. P. V. [2] *Exerc. Text.* XLIV. P. V. [3] *Exerc. Text.* XXX. P. V. [4] *Exerc. Text.* XXXI. P. V. [5] *Exerc. Text.* XLVII. P. I. [6] *Comm. in Loc.*

Cujus Disciplinæ describitur Objectum. Modus & Gradus. Et Effectus consictus & verus.

XXII. Quoad *Exercitium Potestatis* hujus notari vero debet. 1. Ejus *Objectum*; non Bruta, aut Insecta, uti obtinet in *Papatu*, sed *Homines*, non extra Ecclesiam, sed *Ei Insiti*, sive per Baptismum solum sive etiam per Cœnæ usum 1 *Cor.* V. 12. 13. non Mortui, sed *Vivi*, non Plures indiscriminatim, velut integræ Gentes & Respublicæ ob quorundam delictum, sed *Singuli* & *Determinati*, dum generalis denunciatio impiis facta ante Cœnæ usum nomen Censuræ non meretur, non denique vel Clam Impii & Hæretici, vel Christiani Imbecilles & Imperfecti, sed professione vel opere ipso *Declarantes*, aut *Hæresin* aut *Impietatem* 2 *Thess.* III. 14. *Tit.* III. 10. *&c.* absque discrimine status exter-

terni in mundo aut dignitatis. 2. Ejus *Modus*. Quo refer; α *Gradus*, secundum privatorum exemplum, à Domino delineatum *Matt*. XVIII. 15. [1] ab Ecclesia imitandum, nisi Delictum Publicum & Grave aliud exigat; β *Censuræ Adæquationem* ad Delicti magnitudinem, durationem, & Delinquentis statum, tum externum tum internum, unde usitata hodieque Separatio, brevior longior aut indefinita, notificata Ecclesiæ clarius aut obscurius vel tacita, exacta Confessio privata vel publica, Excommunicatio tandem totalis, unde porro fuerunt *Veterum Canones & Dispensatio* ab eorum rigore ex variis causis; γ *Prudentiam*, ne Censurâ aut magis perdatur frater, aut periclitetur Ecclesia, quare circa Magnates ea quam maximè adhibenda, non probato vulgo per omnia *Ambrosii* in Theodosium facto, quamquam felix fuerit eventus; δ *Mansuetudinem* denique animi, ut liqueat ex affectu provenire Disciplinam, quæ hanc ob levem causam, & nimis facilem, ab *Anabaptistis* usurpatam, quoque interdicit. 3. Ejus *Effectus*. Qui est; α non *Corporalium Possessionum Jactura*, *Infamia*, *Civilis Commercii Denegatio*, *Solutio Vinculi Principalis & Maritalis*, uti partim *Papistæ*, partim *Anabaptistæ* ore & opere tenent, extra Scripturam, imò contra eam *Matt*. XIX. 6. *Rom*. XIII. 1. 1 *Cor*. V. 10 2 *Thess*. III. 15. *&c*. & contra rei naturam ac scopum; β non etiam *Exclusio ab omni Verbi auditi quoque Usu*, cum per illud ad Resipiscentiam duci debeat homo; non tandem *Certa Damnatio*, cum & Excommunicatio iniqua esse queat, uti Judaica fuit contra Christianos & Papistica contra Reformatos, & Excommunicatis vel in fine vitæ gratiam Resipiscentiæ Deus dare possit; δ sed *Exclusio ab externa & Fraterna Ecclesiæ Communione*, potissimum in Usu Sacramenti Cœnæ, quæ uti in se grande est malum, ita magis metuenda ob Dei Exclusionem ex Regno suo similem & certam, nisi resipiscentiâ judicium hoc tristissimum occupet homo.

[1] *Exerc. Text*. XXXI. P. V.

XXII. *Tertia* tandem *Potestatis Species* conspicitur in *statuendis Canonibus*, διαταγαῖς, θεσμοῖς, sive etiam *ferendis Legibus*, quæ ad Ordinem & εὐταξίαν omnem faciant; quam α exercuerunt Apostoli 1 *Cor*. XI. 33. 34. XVI. 1. *&c*. β & exerceri porro ab Ecclesiæ Præpositis voluerunt, nullâ in singulis his vel data vel etiam possibili ferè Lege Universali 1 *Cor*. XIV. 40. 1 *Tim*. III. 15.

Potestas tertiò est Directionis & Regiminis.

15. γ secutâ perpetuâ Praxi Ecclesiæ, cujus variè collectos *Canones Antiquissimos* hodieque habemus. Dum tamen *Apostolorum* nomen gratis *Constitutionibus* & *Canonibus* sic dictis, utpote longe recentioris ex argumento ortus, prætexitur; & Canonum horum aliorumque immixtorum in *Jus* speciale *Pontificium*, Civili oppositum, mutatio, per *Gratianum* primum, dein *Gregorium*, *Bonifacium*, *Clementem*, *&c.* ut verè Anti-Christiana, improbari debet. Cura vero in Potestatis hujus Exercitio gerenda; α ne *Legum* harum *ad Ordinem* spectantium *nimia sit Multitudo*, ut novum introducatur in Ecclesiam Liberam Jugum; β ne earum *Observantia Nimis urgeatur*, vel tanquam ad *Divinum Cultum per se* faciens, vel tanquam *æque necessaria*; γ ne in iis ferendis *cum Magistratu* Christiano & Orthodoxo ulla oriatur *Collisio*, per quam Constitutionum harum vis & fructus facile perit, quæque tam à parte Magistratus, per relicta Ecclesiæ sua Jura, quam à parte Rectorum Ecclesiæ, per amicam collationem est avertenda, ut Magistratus sic autoritate sua robur & vim Legum Constitutionibus Ecclesiasticis quoque addat.

Potestas Ecclesiæ Præfectorum varia. Nec alia sub V. & N. F. Nec derivata & dependens à Magistratu.

XXIV. Ex dictis plura liquent. 1. *Potestatem Præfectorum Ecclesiæ pro ratione Muneris Variare*; adeo ut prima species maximè Pastoribus, altera duplex Senioribus Regentibus, & in minoribus Synedriis meritò etiam Diaconis, conveniat. 2. *Potestatem* in substantia rei penes Ecclesiæ Præfectos *sub Vet. & Novo Test. esse Eandem*; quamquam variet Doctrinæ Circcumstantia, Cultus Externi ratio, ac utriusque Potestatis Summæ in Iisdem Personis Coalitio antiqua. De qua re lege amplius *Cap.* XX. §. XXXVI. XXXVII. 3. *Potestatem hanc non esse Derivatam & Dependentem* à Magistratu, juxta hypothesin *Libertinorum*, *Pseudo Politicorum*, & blandientium aliquando Magistratibus *Remonstrantium*; α cum Vocationem Ministri habeant à Christo, non à Magisttatu qua tali, 1 *Cor.* IV. 1. 2 *Cor.* V. 20. *&c.* β Christo cum neglectu Magistratus in Muneris exercitio obedire debeant *Act.* IV. 19. V. 29. γ Magistratus ipse Fidelis in Spiritualibus Ecclesiæ subjiciatur, Infidelis vero aut Hæreticus doctrinæ aut disciplinæ rationem fideli Cœtui non nisi per vim & tyrannicè præscribere possit; δ Magistratus denique sic immediate Potestatem Triplicem adductam exercere posset, contra judicium *Huzziæ* illatum 2 *Chron.* XXVI. 18. 19. & Vocationis Specialis Necessitatem adstructam §. XIII.

XIII. Unde porrò ejus Exercitium per Magistratum, neque ad tempus neque in perpetuum, justè impediri potest; Censurâ hic Ecclesiæ relinquendâ, nisi violato Boni Civis officio Ministri graviorem Pœnam Temporalem per vitia simul mereantur.

XXV. Est in hac Potestate Ecclesiastica quoque *Subordinationi* locus; α Pastorum sub *Synedriis*; β Synedriorum sub *Classibus*; γ Classium sub *Synodis* vel *Conciliis*, quæ *Oecumenica* seu *Generalia*, qualia celebriora Seculi Quarti & Quinti Quatuor, Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Chalcedonense, vel *Nationalia*, vel *Provincialia*, iterumque *Ordinaria* vel *Extraordinaria* dicuntur. Quam Subordinationem cum non admittant *Independentes*, qui simul nimium Pietatis Examen in singulis Ecclesiæ Membris admittendis, Numerum unicujusque Ecclesiæ non Majorem quam ut uno Conventus loco capi possit, Potestatemque Clavium originaliter penes totum esse Cœtum, &c. urgent, nec Conventus tales concedunt Stabiles, sed *Occasionales*, qui non possint quicquam nisi per modum *Consilii* & *Suasionis*; nos eam adstruimus, α tam *Lege Divina* 1 *Cor.* XIV. 29. 32. β quam *Praxi* simili, tum Vet. Test. tum Apostolica *Act.* XV. 2. 6. 22. 28. à Christianis semper servata; γ & *Necessitate* fluente, ex vitandis Confusionibus, perpetuis Dissidiis, & Hæresibus. Contra quæ omnia vanus est Libertatis Singularum Ecclesiarum prætextus; quæ cum in singulis Fidelibus Subjectionem non tollat sub Ministris, in Ministris etiam Subjectionem non tollet sub Cœtibus Majoribus, Potestate Domiuicâ & absolutâ semper uni Domino heic relicta.

Potestas Ecclesiastica Synodalem admittit Subordinationem.

XXVI. De *Conciliis* porrò, quorum usus per abusum multiplicem non tolluntur, contra varios *Pontificiorum* errores tenemus. 1. Non competere *Jus ea Convocandi Romano Pontifici*, cujus Munus totum, etiam hac in parte, Anti-Christianum est; sed vel *Ecclesiæ Præpositis* ex communi Consensu, aut Ordine stato, vel *Magistratibus Christianis*, coactiva potestate instructis, post collationem cum prioribus. Quod constat; α ex exemplis perpetuis Vet. & Novi Test. in Josua, Davide, Salomone, Josaphato, Hiskia, Josia, Apostolis Jerosolymæ congregatis, Constantino, Theodosio utroque, Martiano, Justiniano, &c. β & Congregationum harum natura & scopo; γ non obstante congregatione *in nomine Christi*, cujus autoritas penes Pontificem non

De Synodorum Convocatione, Præsidio, Membris, Autoritate & Infallibilitate agitur. Tridentini Concilii Censura.

non resider. 2. Non habere *Pontificem* eundem *Jus Præsidii in his*; quod α *Politicum* esse debet penes Supremas Potestates, aut missos ab his, β *Ecclesiasticum* verò penes eos ex Membris, qui vel Ætate, vel Ecclesiarum Ordine, vel Suffragiis potiores; secundum antiquum ordinem, ab ipsis Apostolis *Act.* xv. servatum, ubi Petrum Præsidium tenuisse, falsum est. 3. *Non esse Excludendos* plane à Conciliis, & Suffragiis Decisivis quoque, vel *Seniores Regentes*, vel *Doctores in Scholis*, legitimè missos, ut locus hic non sit, nisi de jure Episcopis & Archiepiscopis, & ex privilegio Cardinalibus, Abbatibus, & Generalibus Ordinum; cum tota repræsentetur Ecclesia, & exemplum aliud habeamus in Synodo Apostolica, ad quam admissi etiam fuere Presbyteri *Act.* xv. 2. 6. 23. quos neque omni Vocatione aut Cura Gregis privare licet. 4. *Non dependere* eorum *Autoritatem à Romani Pontificis Approbatione*; cum hic ipse homo fallibilis sit, & Conciliis subjectus, sola vero Scriptura fidei nostræ fundamentum, nec Conciliis tum fere opus foret, decisione omni potius immediatè à Pontifice petenda; quamquam ab ævo Consensum Episcoporum Romanorum, ob summam Sedis Dignitatem, & majorem tum in ea Doctrinæ Puritatem, æstimatum fuisse à Conciliis, probè noverimus. 5. *Non esse illa*, etiam Oecumenica, & à Pontifice approbata, *plane Infallibilia*, ut eorum sententia veluti Prætoria & ἀνυπευθύνῳ omnibus necessario sit standum; α ob Fallibilitatem Ecclesiæ totius, tam Invisibilis quam Visibilis, assertam *Cap.* II. §. XLII. *Cap.* XXXII. §. XVI. β ob Conclusionem Synodicam per Suffragia plura, quæ utique à veritate aliena esse possunt, dum omnes qui Synodos constituunt Fallibiles sunt; γ ob nostri denique sub unius Scripturæ Judicium Subjectionem perpetuam, reliquorum omnium Probatione non tantum permissa sed & mandata; δ nihil obstante præter alia, vel *Obedientia Ecclesiæ* mandata *Matt.* XVIII. 17. quæ ad Peccati commissi Redargutionem justum ibi restringitur, vel *Anathemate* quod denunciant Concilia, cum hoc tantum sit Divini Anathematis ex Verbo ejus declaratio, quam aliqua ratione singuli facere possunt, vel *Obligatione Decretorum Synodicorum*, quæ tota est ex Conformitate cum Dei Verbo, aut Subjectione fidelium Divina sub Ordinis Leges ad scandalum & confusionem vitandam. Nulla vero Concilia si sint Infallibilia plane, etiam legitime indi-

dicta & habita, multo minus ad fidem nos obligant illegitimorum *Papisticorum Conciliorum Constitutiones*, & nominatim *Tridentini Conciliabuli Decreta*; quod nec indicentis Papæ, nec Membrorum, ejus juratorum mancipiorum, & veritatis declaratorum hostium, nec Normæ, traditionis sc. & dictaturæ Papalis, nec Loci minus tuti, nec Initii, in nomine Sanctorum potius quam Christi facti, nec Progressus, in interdicta Causæ controversæ ex Scriptis Cognitione, & agendi Modo omni à *Paulo Soavi* curatè notato, nec Decretorum, partim ambiguorum, partim ridiculorum, partim impiorum, ratione, à nobis admitti potest, nec admissum etiam à Regibus & Principibus potentissimis est Seculo XVI. quo habitum fuit.

[1] *Exerc. Text.* XXXI. P. V.

XXVII. In *Exercitio Muneris* porrò Ministros verbi decet versari; *α in Propria Persona*, non per meros Vicarios, uti fit ab Episcopis nominalibus, contra *Act.* xx. 28. *β Fideliter*, & assiduo 1 *Cor.* iv. 1. *Hebr.* iii. 5. 2 *Tim.* iv. 2. *&c.* *γ Constanter*, quousque id vires permiserint, ut nec mundanarum *Dignitatum*, nisi forte Ecclesiæ Bonum plane id exegerit, nec *Contumeliarum*, quæ honesta studia umbrarum instar sequi solent & in Christo ipso secutæ sunt, nec *Persecutionum*, nisi personales plane fuerint, & eorum fuga Ecclesiæ Pacem promovere queat, *coll. Joh.* x. 11. 12. *Act.* ix. 24. 25. 2 *Cor.* xi. 23. 33. nec *Pestis* grassantis, in qua tamen Ministrorum functio in commune bonum ab Ecclesia quodammodò restringi potest, &c. intuitu, Officium vel plane vel ad tempus nimium negligere liceat, imò ut ne quidem ab Una Ecclesia ad Aliam, nisi ob gravem satis causam, transire ipsos, vel etiam transferre, deceat. Quem ad modum ab altera parte est fidelis *Populi Totius*, absque discrimine status; *α Æstimare* Præpositos suos in Domino, non supra vel juxta hunc 1 *Cor.* iii. 5. iv. 1. 1 *Thess.* v. 12. 13. *&c.* *β Obedire* eorum ex Deo verbis & jussis *Matt.* xxiii. 2. 3. [2] *Luc.* x. 16. *Hebr.* xiii. 17. *&c.* *γ Retribuere* illis, tum *Ore* omnem benedictionem, humanitatemque, tum *Opere* decens etiam *Stipendium*. Quo ducunt; *α* expressissima Loca *Matt.* x. 10. *Luc.* x. 7. *Gal.* vi. 6. 1 *Tim.* v. 17. 18. 1 *Cor.* ix. 5. 6. 7. 9. 11. 13. 14. *&c.* *β* Exemplum *Levitarum Num.* xviii. 8. 9. 10. 12. xxxv. 2. *Neh.* x. 37. xiii. 10. & *Christi* ipsius *Luc.* viii. 3. *γ Ratio* denique evidens,

Quale debeat esse Exercitium Potestatis Ecclesiasticæ. Fidelium Officia adversus Ministros. Inter quæ est Stipendium Justum, ab Anabaptistis male impugnatum.

tum ex necessaria *Gratitudinis* pro maximo beneficio retributione, tum ex *Compensando* Curæ rerum temporalium Neglectu, quem Ministerium infert, atque Sumptu studiorum in Academiis & Scholis, utilium & vulgo hodie necessariorum, quicquid oggan-niant de Apostolis, & spreta mundana sapientia, *Mennonitæ*. Quæ etiam non patitur, his *plane Egenis Victum tantum dari*, & quidem pro ratione Necessitatis; cum Officium speciale in communem Eleemosynam sic mutetur, via ad Divites ineptos præ Pauperibus aptis eligendos sternatur, Contemptus tandem & varia Contentio introducatur. Nec probant contrarium *Anabaptistæ*. 1. Vel ex *Exemplo Pauli Act*. xx. 34. 1 *Thess*. II. 9. 2 *Thess*. III. 8. 1 *Cor*. IV. 12. IX. 12. 15. Quod, α *Singulare* est, β hominis probabiliter *Cælibis*, γ *Extraordinariis Donis* præditi, δ *Speciali ratione* nixum 1 *Cor*. IX. 12. 15. 2 *Cor*. XI. 12. 13. ε nec *Perpetuum & Universale*, ex 2 *Cor*. XI. 8. 9. *Phil*. IV. 10. 15. 16. ς nil ergo aliud docet, quam certi Juris Usum à Paulo prudenter Neglectum, & simili in casu merito negligendum. 2. Vel ex *Interdictis*, tum *Explicitis Mich*. III. 11.[3] *Matt*. x. 8. tum *Implicitis*, in damnatione *Mercenariorum Joh*. x. 12. 13. Cum, α priora respiciant, partim ad Pretium Indecens supra Statutum Legis, & Doctrinam ob id corruptam, partim ad Virtutes Miraculosas, non exercendas Pretii oblati intuitu aut ad opes corradendas; β *Mercenarios* notet Dominus, non ob Mercedem acceptam, sed nimis amatam, cum neglectu gregis, quo pacto certum est, graviter peccare eos, qui Ministerium vel desiderant, vel exercent, aut solum aut præcipuè propter Stipendium. Interim neutiquam probare possumus Excessum *Pontificiorum*, in corradendis per fas & nefas fictique *Purgatorii* metum *Bonis & Proventibus Ecclesiasticis*, atque immensum augendis iisdem, ad Luxum mundanum & Fastum secularem Clericorum. Quorum, uti Cura plurima meritò post Reformationem devoluta est ad Principes & Magistratus Christianos, ita *Usus* tamen manere debet *Pius* potius quam alius Communis, utpote maxime conformis Donantium scopo & eorum longiori Usui; ut hinc Stipendia Ministris solvi, Templa conservari, Scholæ foveri, Pauperes juvari, recenter Conversi sustentari, &c. potissimum debeant, nisi Præsens aliqua Reipublicæ Necessitas, aut Nimia Abundantia, aliud quandoque suaserint, quod & satis honestum sit.

2 *Ex-*

[2] *Exerc. Text.* XXVII. P. II. [3] *Comm. in Loc.*

XXVIII. Nunc ad *Regimen Ecclesiæ* cum aliis hominibus *Commune* transimus, & quidem primo *Politicum*, dein *Oeoconomicum*, utrumque brevissime explicaturi. Illius mox *Decentia* liquet; α tum ex communi Necessitate hominum Credentium cum Infidelibus Corporali, ad quam Regimen Speciale non est accommodatum, tam propter Officia exacta, quam propter Hominum variorum in eadem Republica Mixturam, *coll. Jud.* XVII. 6. XVIII. 1. XXI. 25. β tum ex Perpetuâ omnis temporis Historia, quæ Regimen Politicum in Ecclesiam semper ponit, sub nomine *Deorum*, *Filiorum Dei*, *Ministrorum Dei*, *Seniorum*, *Principatuum*, *Potestatum*, *Ordinationum Humanarum*, *Judicum*, *Regum*, *Legislatorum*, *Dominatorum*, *&c.* Nequaquam *Deorum* Nomine ad Vet. Test. Oeconomiam & *Israelitici Populi Magistratum* solum restringendo; α cum omnes alii quoque Magistratus Dei sint Ministri; β Majestatem Dei inter homines in Judicio & Dominio speciatim referant; γ nec Potestas nunc eorum minor sed potius Major sit. Dum specialis Allocutio ad Israelis Præfectos *Ps.* LXXXII. 6. [1] neutiquam est Exclusiva aliorum; & Magistratus etiam hoc nomine denotari possunt 2 *Thess.* II. 4.

Transitus ad Regimen Politicum.

[1] *Exerc. Text.* XVII P. II.

XXIX. Quoad *Qualitatem* Regimen hoc Politici statuunt; α. vel *Simplex*, *Monarchicum* sc. *Aristocraticum*, aut *Democraticum*, β vel ex his speciebus *Mixtum*; uti & sunt notæ Divisiones aliæ Magistratus, *Perpetui* & *Ambulatorii*, *Supremi* & *Subalterni*, *Absoluti* magis & *Limitati* quoad potestatem, &c. Ubi multis disputari solet; de *Præstantia* v. g. *Magistratus Perpetui vel Ambulatorii*, quem utrumque habere commoda & incommoda putamus, non facile mutando usquam ordine constituto *Prov.* XXIV. 21. & *Formæ Regiminis*, Monarchicæ, Aristocraticæ, vel Democraticæ. Ex qua triplici *nullam* nos putamus; α vel *absolute damnandam esse*, uti damnant quidam *Regimen Monarchicum*, ex 1 *Sam.* VIII. 7. & 11. cum non ad Formam eam Regiminis, sed ad Diffidentiam in Deo, Imitationem pravam Gentium, Eversionemque Ordinis optimi à Deo statuti, non item ad Jus Decens, aut actu Competens Regi, sed *Consuetudinem* usurpatam vulgo, ibidem respiciatur; β vel *absolute & semper præferendam*, uti *Pontificii* maximè commendare solent Monarchiam, prætextu Con-

Quod variè quoad Formam suam dividi solet.

ſenſus Antiquorum, Primæ Originis, Naturalis Inſtinctus etiam gruum & apum, Exempli Iſraelitici in Patriarchis, Ducibus, Judicibus, Regibus, majoris Ordinis, Concordiæ, Roboris, Durationis, Facilitatis, Imitationis denique Dei & Chriſti, qui ex parte non ſunt ſolidi, & omnes nihil generale concludunt; γ *accommodandam* verò ſic eſſe Formam Regiminis *ad temporum & populorum rationem*, ut generatim videatur *prævalere Forma ex his Mixta*, ob evitata ſic facilius incommoda, quæ ex una aut altera ſola facile fluunt.

Origo ejus eſt à Divina Providentia repetenda. Nec hinc ejus Functio Chriſtianis eſt Illicita.

XXX. *Origo Regiminis* hujus; α ſic eſt *ſubordinatè ab Hominibus*, etiam quoad ejus *Formam*, & *Modum*, vel Succeſſionis vel Electionis, utrumque ſua commoda & incommoda habentem, repetendus, unde uti & ob Subjectum Objectum & Finem Petrus κτίσιν ἀνθρωπίνην dixit 1 *Petr*. II. 13. ϐ ut tamen *ſuprema Cauſa*, illud conſtituens, & Perſonas certas vocans per providentiam, ſit *Deus ipſe*. Secundum loca aperta *Prov*. VIII. 15. 16. *Rom*. XIII. 1. 2. 3. 4. 5. 6. (ubi nec de nuda Dei Permiſſione, nec de Directione rei malæ ad finem bonum, nec de Uſurpatione ad exſequenda extraordinaria Dei judicia agi, ſatis clarum eſt, ex mandata Subjectione propter Conſcientiam, & Fine optimo, & Perpetuitate Muneris,) 1 *Sam*. X. 24. *Dan*. IV. 32. *&c*. Unde conſequitur, *non dedecere Chriſtianos*, ut & ipſi Munere hoc fungantur, uti perperam contendunt *Anabaptiſtæ*, copioſius facilè refutandi; α ex optimo *Muneris Fine*, declarato *Rom*. XIII. 4. 1 *Tim*. II. 1. 2. *&c*. ϐ ex *Exemplis Fidelium*, tum Vet. Teſt. plurimis, in Davide, Salomone, Joſia, Joſaphato, &c. qui Reges quoque fuerunt, tum & Novi *Marc*. XV. 43. *Joh*. III. 1. IV. 46. 53. *Act*. VIII. 27. XIII. 7. 12. *&c*. quos Munus ſuum poſt Fidem Chriſtianam depoſuiſſe, gratis fingitur, ne de piis Regibus & Imperatoribus ex hiſtoria Eccleſiæ quicquam dicam; γ ex *Vaticiniis* de Tempore Novi Teſt. *Jeſ*. XLIX. 23. LX. 3. 10. 11. 16. *Pſal*. LXXII. 10. 11.[2] *coll*. 1 *Tim*. II. 3. δ tandem ex *Similitudine Dominii*, quod licet Chriſtianis tenere in Servos *Eph*. VI. 5. 6. *Col*. IV. 1. 1 *Tim*. VI. 1. 2. *Philem*. 16. Adverſus quæ nihil valet. 1. Non reperta ejus Inſtitutio Divina inter Munera Eccleſiaſtica 1 *Cor*. XII. 28. *Eph*. IV. 11. 12. nec etiam Præſcriptio certarum Legum. Cum α Regimen hoc non ſit Eccleſiæ proprium, hinc inter Munera in Eccleſia Novi Teſt. à Domino inſtituta numerari

rari nequeat; ϐ & Leges hic peti debeant à Naturæ luce, populorum voluntate, exemplo Israëlis, &c. dum modo Morali Legi non adversentur. 2. Interdictum, quod volunt contineri; tum in Salvatoris, Imperium omne detrectantis, exemplo *Luc.* XII. 14. *Joh.* VI. 15. VIII. 11. tum in ejus verbis *Joh.* XVIII. 36. *Matt.* XX. 25. 26. *&c.* Cum, α Salvatoris, qui ad aliud in mundum venerat, Exemplum in omnibus nobis regulam non figat, uti neque ejus Paupertas ad abdicandas Possessiones nos obligat; ϐ & dicta ejus vel ad Naturam Regni ipsius in se, quod à Regni Mundani fruitione subditos non excludit, vel ad Discipulos qua Ecclesiæ Ministros illorumque necessariam humilitatem, respiciant. 3. Prædictio multiplex, de Potestate Magistratuum sub Novo Test. tollenda *Gen.* XLIX. 10. [3] *Psal.* II. 9. 10 [4]. *Dan.* II. 44. *&c.* Cum illa tantum spectet; α vel ad Temporale Regnum Judæ, cum Messiæ Adventu cessaturum; ϐ vel ad Regum & Regnorum Christo hostilium & qua talium interitum. 4. Natura Muneris, α ut Typici, ϐ nec cum Humilitate & Charitate Christiana conciliandi, γ nec Divini, vel quoad Modum Acquirendi, vel quoad Functionum solitarum exercitium. Cum α Typica ratio non fuerit in Munere Magistratus per se, sed tantum ex accidenti in Regno Davidis similiumque in Judam, hinc in aliis Gentibus & Personis Munere ipso quoque reperto; ϐ Humilitas & Charitas per majorem Dignitatem non evertatur, magis in ea potius demonstranda; γ Modus Acquirendi Muneris iniquus, per Dei providentiam permissus, cum Munere ipso ordinato ab ipso confundi nequeat; δ denique Functiones solitas licitas esse mox sit demonstrandum.

[2] *Exerc. Text.* XXII. P. IV. [3] *Comm. in Pent.* [4] *Exerc. Text.* XV. P. III.

XXXI. Tandem *Potestas Magistratuum* considerari debet. Quæ extendenda est. 1. Ad *Omnes* in Republica *Personas*, nequaquam exceptis, vel *Monachis*, uti ex Humano instituto ortis, vel *Ecclesiæ Præfectis*. Quos *Divino Jure à Potestate Seculari exemptos esse*, *Universaliter*, *Personarum & Bonorum respectu*, hierarchiam suam & potestatem in Reges stabilituri *Papistæ* vulgo statuunt pessimè; α contra generale *Mandatum Rom.* XIII. 1. ubi de *Potestatibus* Temporalibus, gladio armatis, in pœnam & præmium, agitur; ϐ *Exemplum* Christi & Apostolorum *Matt.* XVII. 25. *Joh.* XIX. 11. *Act.* XXV. 10. γ perpetuam tandem *Praxin*, tam *Sa-*

Potestas Magistratus extenditur ad Omnes in Republ. Personas. Attamen quoad Corpus, non Animam. In rebus Sacris & Civilibus.

Sacerdotum sub Veteri quam *Pastorum* maximorum sub Novo Test. qui Potestatem Magistratuum, ut *Dominorum* suorum, tum ore tum & ipso opere agnoverunt, uti & *Imperatorum*, qui Legibus hanc suam Potestatem contra fastum Ecclesiasticum stabilierunt, & opere ipso exercuerunt; δ denique & contra *Reipublicæ* Unitatem, Securitatem, Sufficientiam ad portanda onera, &c. quæ sic servari amplius non possunt. Perperam urgentibus Adversariis; α vel *Clericorum Superioritatem* supra Magistratus, quæ ad Ministerii curam & Potestatem Spiritualem est restringenda, in qua non esse subjectos eos nisi Christo uni etiam nos urgemus; β vel *Spiritualitatem*, quæ ad Ministerium referenda Corporalem statum non excludit; γ vel *Exemptiones* quasdam in Sacris lectas *Gen.* XLVII. 26. *Hezr.* VII. 24. *&c.* aut in Civili Jure repertas, quæ utique sunt particulares, & humani facti, non inferentes Jus Perpetuum, Universale, & Divinum, sed id potius evertentes. 2 Ad *Corpus solum*, sive Res & Actiones Corporeas; α cum Potestas in Animam competat soli Deo à quo solo dependet, β nec exerceri possit ab hominibus, ob defectum cognitionis cordis, & punitionis ejus impossibilitatem 1 *Cor.* II. 11. *Matt.* x. 28. *&c.* unde omnis ad Religionem Veram aut Falsam Coactio manifestè tollitur. Quamquam fatendum sit, hactenus mediate per Dei mandatum Animam quoque subjici, quatenus Magistratibus nos in iis quæ Divinæ Legi non repugnant *Propter Conscientiam* obedire debemus, Inobedientiæ Internæ interim rationem non reddituri nisi Deo. 3. Ad *res*, tum *Sacras & Ecclesiasticas*, tum *Communes & Civiles*. Quamquam in illis major quædam Potestas fuisse videatur olim penes Magistratum Judaicum, ob Mixtas Leges, Personas, & Forum; quin etiam fluat eadem non ex Munere Magistratus per se, cæteroquin Infidelibus similiter tribuenda, sed ex Fidei Christianæ Conjunctione cum illo, nunquam & neutiquam probandâ usurpatione violenta Infidelium aut Hæreticorum Principum.

Potestas Magistratus in res Sacras astruitur, & exponitur.

XXXII. *Magistratus Christiani* Aliquam generatim esse *in res Ecclesiasticas Potestatem*, negari non potest; α ob *Perpetuum* in Vet. & Novo Test *Usum*, nominatim in Davide, Salomone, Asa, Josaphato, Joaso, Hizkia, Josia, &c. Constrantino M. Theodosio utroque, Martiano, Justiniano, &c. β ob titulum *Nutritiorum* ipsis datum *Jes.* XLIX. 23. γ ob curam *Utriusque Tabulæ* ipsis

ipsis demandatam *Deut.* XVII. 18. 2 *Reg.* XI. 12. *Psal.* II. 10. 1 *Tim.* II. 2. δ denique & ob *Reipublicæ Salutem* pro viribus omnibus promovendam, quæ absque Sacrorum Cura omni obtineri nequit. Non debet vero *Potestas* hæc; α nimium *Extendi*, ad ea quæ sunt *Intra Ecclesiam*, ut vel per se agere possint, vel Pastores ex eorum autoritate agere debeant, quæ sunt Muneris horum proprii, prædicare sc. Verbum, judicare Controversias, administrare Sacramenta, Disciplinam exercere, vel etiam nimis *indefinitè & absolute* ad ea omnia quæ sunt *Extra Ecclesiam*, ut nullus hic amplius vel Consiliis vel Canonibus Ecclesiasticis locus sit; β sed nec nimium *Minui*, ut vel nihil possint supra reliquam Plebem Christianam, vel solummodo debeant exsequi ab Ecclesia statuta. Ut positivè teneamus, meritò tribui iis *Potestatem*; α *res Ecclesiæ Externas* atque indifferentes *Moderandi*, legibus latis ex Ecclesiæ consilio, atque prudenter exsecutioni datis; β & *res ejus omnes Juvandi*, per Ministerii, Scholarum, quin & Piorum omnium decentem Curam, Templorum structuram vel conservationem aptam, Synodorum Convocationem & Confirmationem validam, Veritatis receptæ Pietatis & Ordinis Defensionem promptam, adversus omnes Profanos, Schismaticos, & Hæreticos, aliunde vel ex ipso Ecclesiæ sinu latenter ortos. Ubi non dubitamus asserere Magistratui Jus; α *Bello* publico *Ecclesiam* adversus vim illatam *Tutandi*, aut ab oppressione vicinorum Principum vi mysticæ unionis *Vindicandi*, licet non sit illa per Bella suscepta sponte aut per gladiorum vim *Propaganda* 2 *Cor.* X. 4. 5. uti factum olim in *Bello Sacro*; β item *Puniendi Hæresiarchas Blasphemos*, & indesinenter turbantes, Suppliciis Corporalibus quin & Capitalibus, ob criminum junctorum atrocitatem, juxta exemplum Legis Mosaicæ *Lev.* XXIV. 15. [1] *Deut.* XIII. 1. 5. *&c.* & Civilium Statutorum; uti id factum in *Serveto*, *Valentino Gentili*, *&c.* non tamen in Hæreticos simpliciter per Inquisitionem & Flammas sequentes pro arbitrio sæviendi, uti factum in Papatu, juxta prædictionem *Apoc.* XIII. 14. [2].

[1] *Exerc. Text.* X. P. V. [2] *Comm. in Loc.*

XXXIII. In rebus Communibus ad Rempublicam magis quam Ecclesiam spectantibus, ad duo capita *Potestas Magistratuum* referri potest, *Gubernationem* sc. & *Defensionem* Populi. *Gubernationis* Jus exseritur potissimum; α in *dandis Legibus*, quibus, duris li- **Potestas Magistratus in rebus Civilibus.**

licet & diversis à Divina Lege, Obedientia à subditis est præstanda, sive Personas, sive Bona concernant *Rom.* XIII. 1. 6. 7. ϐ in *audiendis & decidendis* cum autoritate *Litibus*, quas si causa sit gravis, necessitas adsit, animusque proximum lædendi aut ei nocendi cupidus absit, *licitum est simul coram Magistratu instituere* adversus Fratres Fideles, secundum praxin veterem *Deut.* XVII. 8. 9. 2 *Chron.* XIX. 5. 6. *&c.* & initium Amoris à Nobis ipsis, quoad famam dignitates & possessiones &c. haud repugnantibus, quos aliter statuentes *Anabaptistæ* opponunt, textibus *Matt.* V. 39. 40. 1 *Cor.* VI. 1. quibus partim Vindicta Privata illiusque studium parabolico & hyperbolico sermone commendatur, partim absterrentur Corinthii à Litibus instituendis in causa levi, & absque necessitate, coram Magistratu Infideli, in opprobrium Christianæ fidei, neglectis Arbitris, quos ex Christianis ipsi ex pacis studio potius seligere debuissent; γ in *disponendis Dignitatibus*, *Nummis*, *Contractibus*, aliisque rebus ab publicum bonum, aut ad privatum bonorum præmium spectantibus, secundum æquitatem & Ecclesiæ ac Reipublicæ salutem.

Ad quam spectat Jus Gladii in Facinorosos. Jus item Bella gerendi Necessaria.

XXXIV. Potestas insuper Magistratui competit *Defendendi* subditos, ab omni vi Bonis aut Personis illorum illata vel inferenda; sive fiat id. 1. A *Facinorosis*. Quorum Delicta *Pœna Publica*, & quandoque Criminis magnitudine aut frequentia id exigente, *Corporali*, imo & *Capitali*, puniri posse & debere, tenemus contra negantes *Socinianos* & *Mennonitas*, ex hypothesi Perfectioris nunc Charitatis mandatæ Vitæque promissæ; α ob antiquissimum & vere *Perpetuum* multarum *Pœnarum Corporalium* & ipsius *Necis Jus Exod.* XXI. 23. 24. 25. *Gen.* IX. 6. *Matt.* XXVI. 52. ad quod etiam alluditur *Apoc.* XIII. 10. [1] nullo admittendo hic vel Præcepti vel Promissi olim minus Perfecti somnio; β ob *Gladii Usum* Magistratui, non utique infideli tantum, tributo *Rom.* XIII. 4. γ ex Justitia in Delictis compensationem æquam exigente; δ denique ex Humanæ Societatis Securitate, quæ aliter subsistere nequit. Nihil obstantibus; α aut *Interdictis Homicidii*, *Resistentiæ Mali*, *Vindictæ*, quam & hinc Deus sibi soli servet, *Exod.* XX. 13. *Matt.* V. 38. 38. *Rom.* XII. 19. quæ scil. ad Privatos spectant, comparate debent intelligi, nec externum Vindictæ Publicæ opus, sed Privatam Ultionem animumque ejus cupidum tantum excludunt, Deo non tantum ulciscente imme-

immediatè sed & mediatè per Magistratum; β aut *Mandatis Amoris*, *Remissionis* ad exemplum Dei, *procurandæ* per datum Resipiscentiæ tempus *Salutis*, *&c.* cum per Pœnas illatas verus Amor non excutiatur, qui etiam major debet esse in Remp. totam quam in unum aut alterum hominem, Remissio ad privatas læsiones pertineat, Mortis tempus sciens homo Resipiscentiæ tum maturè studere debeat, Dilationis culpâ ipsi soli imputandâ, & longiori Vitâ ad Scelera majora facillimè ducturâ. Species Criminum v. g. *Furti*, *Adulterii*, *&c.* puniendæ interim sunt, *non* præcise *secundum Forum Judæorum*, sed secundum Constitutiones Terrarum varias, quas ad naturam Delicti, ejus Frequentiam, Populi genium, Peccantis statum, &c. sapienter attemperari decet; nec commune Jus prò nudo arbitrio imperantium relaxari debet. 2. Ab *Hostibus* extraneis; *Bello* legitimè compescendis, sed quod α geratur *à Supremo Magistratu*, β ex causa Necessaria, ut sit vel nomine vel saltem re *Defensivum*, Nostri aut Sociorum, Fœdere Externo vel Spirituali junctorum, γ *Modo* sic *Ordinato*, ut Compressiones, & Vastationes Inhumanæ, reliquaque Facinora Militaria similia, quantum fieri potest, vitentur, δ *in finem Pacis* certæ & tranquillitatis restituendæ. Quod *Belli* gerendi *Jus*, contra *Adversarios eosdem*, & ex eadem hypothesi illud negantes, asserimus; α ex Lege Veteri, nusquam hic sub Novo Fœdere abrogata, sed potius stabilita *Luc.* III. 14. *Rom.* XIII. 4. 7. ϐ ex Exemplis, non tantum Piorum Regum & Ducum Vet. Test. belligerantium, sed & Centurionis Euangelici, Cornelii *Matt.* VIII. 8. 10. *Act.* x. 1. 2. Legionis, si non Decimatæ, utique Fulminatricis, juxta Christianos Milites innumeros, imo Pauli, Præsidio Militum utentis *Act.* XXIII. 16. 23. γ ex Defensione tandem publica Magistratui demandata, æquè quam Moderamen Inculpatæ Tutelæ singulis competit. Nec repugnant; α Loca, quibus *Sanguinis Humani* omnis *Effusio*, aut *Malorum Resistentia* generatim *interdicitur*, aut *Bellum* speciatim *damnari* videtur *Gen.* IX. 6. *Matt.* v. 38. 39. 1 *Chron.* XXII. 8. XXVIII. 3. *&c.* Cum priora illa jam dixerimus esse restricto sensu quoad Personas & Rem intelligenda; & posteriora non improbent Davidis Bella, *coll.* 1 *Sam.* XXV. 28. *Psal.* XXXV. 1. 2. &c. sed ob Curam in Templi ædificatione abhibendam, *coll.* 1 *Reg.* v. 3. 4. & Mysticam Christi ac Ecclesiæ Præfigurationem opus illud Salomoni

servatum innuant; ε Vaticinia de *Pacato Novi Test. Tempore Jes.* II. 4. IX. 6.[2] XI. 6. 7. 8.[3] *&c.* quæ tum Spiritualiter, tum Comparate, tum de Quibusdam Temporibus tantum esse intelligenda, ex eventu liquet; γ Descriptiones *Christianorum & Militiæ* horum 2 *Cor.* X. 4. *Eph.* VI. 12. 13. cum Arma & Bella Magistratuum ab iis quæ Ministri & Fideles singuli gerere debent multum differant, nec illa per hæc excludantur; δ Officia quærendæ *Pacis cum Omnibus*, & *Contemptus Bonorum & Damnorum Terrestrium*, &c. quæ Bellum necessarium ad optatam pacem obtinendam, & Curam decentem de corporali nostri & nostrorum statu, non evertunt; ε *Causas* denique *leves*, ob quas, & *Facinora Sæva*, cum quibus Bellum vulgò geritur, quæ nos pariter damnamus, ita ut Bellum à nobis supra descriptum propterea non damnetur ipsum, nec etiam rei sint Milites, qui à Sceleribus abstinent, aut in Causas Belli inquisitionem curatam sibi demandatam non habent, Culpâ Belli injustè suscepti tribuenda Principibus & eorum Consiliariis malis.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Text.* XV. P. VI. [3] *Exerc. Text.* XVI. P. VI.

Modus exercendæ Potestatis. Et Officia subjectorum.

XXXV. In *Potestatis* vero omnis *Exercitio* uti Magistratus versari debent, cum omni *Fidelitate*, *Prudentia*, *Assiduitate*, & potissimum *Benignitate Pastorali* & *Paterna*, quam docent nomina *Jes.* XLIV. 28. XXII. 21. *&c.* etiam *in Propria Persona* sic, ut omnia Ministris pro lubitu agenda non permittantur. Ita iis retribui à Populo debet; α *Honos* dignus 1 *Pet.* II. 17. *Exod.* XXII. 28. *&c.* β *Tributum*, necessarium ad tuendum Magistratuum decus, & curandum Pace Belloque, etiam per Fœdera cum Infidelibus licitè inita, Reipubl. Bonum *Matt.* XXII. 17. 21. *Rom.* XIII. 6. 7. quo refertur *Didrachma Matt.* XVII. 24. 27. sive in usum Templi ex Lege *Exod.* XXX. 13. sive Romanis solutum, & *indecens* hodie *Publicanorum* bonorum *Odium*; γ *Obedientia* denique in omnibus, etiam durissimis, mandatis *Rom.* XIII. 1. *Tit.* III. 1. *coll.* 1 *Petr.* II. 13. 18. dummodò nihil præcipiatur adversum, vel Divinæ Legi, vel Fundamentalibus Reipublicæ Constitutionibus, quibus Gubernatio ejus in suscepto Magistratu adstricta fuit. Tali enim in casu, non temere quæsito sed evidenter constante, licita quin & decens est *Non Obedientia*, seu *Resistentia Negativa*, ex exemplis *Dan.* III. 16. 17. VI. 11. *Act.* IV. 19. V. 29.

29. & ex naturâ rei, dum nihil unquam admittendum, quo Supremi Regis Majestas aut ipsa Reipublicæ Constitutio evertatur; ubi aliud esse *Regum Jus*, aliud Magistratuum aliorum, haudquaquam probatur ex textu 1 *Sam.* VIII. 11. tanquam omninò agente de solita *Usurpatione*, quam avertere difficillimè possent. Imò addimus *Resistentiam Positivam*, merito istis casibus tribuendam, *non Subditis* singulis, quorum sc. perpetua sic facile foveretur rebellio, sed *Optimatibus*, quibus Legum omnium Servandarum Cura major esse solet.

XXXVI. Accedit tandem, ob impossibilem Magistratus ad omnia quæ Privatim geruntur extensam Curam, *Regimen Oeconomicum*, sive *Domesticum*; cujus *Existentiam* in Ecclesia, perpetua Praxis, Familiarumque Christianarum Necessitas corporalis & spiritualis, docet. Id respectu *qualitatis* putamus rectè *Quadruplex* dici; α *Maritale*, quod Viro in Uxorem; β *Paternum*, quod Parentibus proximis & remotis in Liberos; γ *Herile*, quod Domino Dominæve in Servos competit; & δ *Analogicum*, quod ob convenientiam ad unam aut alteram speciem præcedentem referri potest, ut Regimen in Socios familiæ, Pupillos, Discipulos commissos, Ministros mercenarios, &c. Regimen Oeconomicum quadruplex.

XXXVII. Regiminis hujus omnis *Origo* generatim à Deo ut Suprema Causa est repetenda. Qui illud *Jure Scripto & Naturali* constituit *Gen.* III. 16.* 1 *Cor.* XI. 7. 10. *Eph.* V. 22. *Col.* III. 18. *Tit.* II. 5. 1 *Petr.* III. 1. 5. 1 *Tim.* II. 12. 13. *&c. Exod.* XX. 12. *Eph.* VI. 1. 4. *&c. Eph.* VI. 5. 6 *Col.* III. 22. *Tit.* II. 9. 1 *Petr.* II. 18. *&c.* ita ut *Approbatio & Circumscriptio* multiplex per Leges Humanas accesserit, non in omnibus similes ubique. Intervenit verò, in Juris hujus ad Personas certas devolutione speciali; α quoad *Regimen Analogicum*, mutuus & voluntarius Contractus, vel Sanguinis nexus, vel Magistratus mandatum, &c. β quoad *Herile*, vel Captivitas ex Bello, vel Pœna Magistratus ob commissa flagitia, vel propria aut parentum aut priorum Dominorum Venditio, vel Nativitas ex Servis; γ quoad *Paternum*, vel Generatio, vel Adoptio; δ quoad *Maritale* denique, *Matrimonium*, *Conjugium*, vel *Connubium*, de quo quædam amplius dicenda hic sunt. Ejus Origo à Deo, per varias Causas Medias; inter quæ Conjugium.

* *Hist. Parad. Lib.* III. *Cap.* II.

XXXVIII. Definitur illud; *Maris Fœminæque Unius Nubilis* Conjugii & definitio.

& legitime quoad sanguinis nexum Distantis Conjunctio, ex mutuo junctoque parentum Consensu, in Individuam vitæ Societatem, ad generis Humani Conservationem, mutuum Vitæ Adjumentum, & Impuritatis Vitationem, ex Dei sapientissima ordinatione.

Uti Licita est Polygamia Successiva omnibus. Ita illicita semper Polygamia Simultanea.

XXXIX. *Marem unum Fœminamque Unam* cum dicimus, verum *Sexus Discrimen* ita supponitur, ut ponatur præcipuè *Monogamia*, opposita *Polygamiæ*, non *Successivæ*, sed *Simultaneæ*. Uti enim 1. *Polygamia Successiva* post Mortem conjugis unius aut alterius omnino *licita est*, etiam Pastoribus, nec post ruptum tantum Primum, sed & Secundum, Tertium, &c. vinculum, ex *Rom.* VII. 3. 1 *Cor.* VII. 2. 8. 9. 1 *Tim.* V. 14. *&c.* Quam ob rem *Digamis*, seu *Bigamis* hoc modo, denegatur male; α tum *Benedictio* solennis à *Papistis*, imitantibus sic saltem ex parte veteres *Montanistas* & *Novatianos*, qui Secundas Nuptias pro Fornicatione habebant; β tum *Ordinatio Ecclesiastica*, uti fit etiam apud *Græcos*, ex mala interpretatione textus 1 *Tim.* III. 2.[1] quem Episcoporum Digamiæ Successivæ obstare, nequaquam solide probant, vel ex simili in Diaconissa requisito 1 *Tim.* V. 9.[2] vel ex Polygamiæ Simultaneæ tum temporis defectu in historia, vel ex speciali Episcoporum descriptione. 2. Ita *Polygamia Simultanea*, tum crassior, tum subtilior, per *Divortia* apud Judæos Romanos & Græcos reperta, omnino illicita est; α ob primam in Creatione facto ipso & verbo datam Legem *Gen.* II. 24.[3] *Matt.* XIX. 4. 5. β ob repetita post Mandata, tum in Novo Test. *Matt.* V. 32. 1 *Cor.* VII. 2. 1 *Tim.* III. 2. tum & in Veteri *Mal.* II. 14. 15.[4] *Deut.* XVII. 17. ubi *Multiplicatio* de Duplicatione quoque exponi debet ob Divinæ Legis constitutionem adversam, *Lev.* XVIII. 18[5]. ubi, per *Sororem*, Alteram quamque Similem notari liquet, ex obvio vocis apud Hebræos usu, addito Vitæ Uxoris termino, ratione à Coarctatione petita, & gradu propinquo Sororum Duarum satis interdicto v. 16. γ ob rationes denique plures petitas à Conjugum mutuo Amore integro, Dominio in mutua Membra, Contentionibus vitandis, repræsentatione Unionis Christi cum Ecclesia, &c. Adversus quæ non valent; α vel argumenta communiora, prò *Muhammedanorum*, *Ochini*, *Anabaptistarumque Monasteriensium* sententia ac praxi, à *Libertinis* quandoque adducta & ab impiis Politicis, ex majori hominum Multiplicatione, faciliori impuræ Libidinis Coërcitione, Fœminarum multarum

Ste-

Sterilitate, &c. ϐ vel ſpecialis Patrum ante Moſen Praxis, in qua quidam ex Chriſtianis Antiquis & Recentioribus, præter Judæos, abſque fundamento ſolido, ob non lectam Redargutionem & Reſipiſcentiam, quæ in aliis vitiis ſimiliter ſæpe non reperitur, ſtatuunt à Deo factam *Diſpenſationem*, nos potius agnoſcimus, ob Leges antea adductas, Peccatum, quod ob finem optimum Deus ſeveriſſimè non punivit, atque hactenus phyſicè permiſiſſe dici poteſt.

[1] *Exerc. Text.* XLVIII. P. IV. [2] *Ibid.* [3] *Hiſt. Parad.* *Lib.* II. *Cap.* II. [4] *Comm. in Loc. & Exerc. Text.* XXV. P. I. [5] *Exerc. Text.* V. P. I.

Perſonarum Matrimonio jungendarum Requiſita, inter quæ eminet Legitima Diſtantia. Quouſque hic Religionis Diverſitas ſpectari poſſit.

XL. *Requiſita* in his Duobus *Perſonalia* revocamus ad α *Statum Nubilem*, ſeu Conjugio aptum, ϐ & *Diſtantiam Sanguinis* legitimam. Ad *Aptitudinem* Conjugii ſpectat, *Rationis Uſus* integer, *Membrorum* plane *Neceſſariorum Poſſeſſio*, & *Ætas Juſta*, ad unum aut alterum Conjugii finem obtinendum, quæ infra Pubertatem ſtatui non poteſt, nec pariter fere in decrepita Senectute, quamque præſtat circiter Æqualem eſſe in Conjugibus. *Diſtantiæ* vero *Legitimæ Gradus*, intra quos peccatur Inceſtu, reperimus *Lev.* XVIII. 6...... 17. [1] Quos tenemus eſſe *Juris Naturalis*, ſed Secundarii, hinc obtinere *perpetuo*, dum Copia eſt Diſtantium à ſe invicem Hominum, putamuſque id ſatis liquere; α ex clauſula de Gentibus Ejectis propter Legum præmiſſarum Violationem, quod ad præcipuam certè earum partem pertinere debet, v. 24. β ex Naturali à nimium Propinquis Averſione; γ denique ex Lege Naturali, Amicitias humani generis multitudine diviſi colligandi, Factioneſque præveniendi, Occaſioneſque & Suſpiciones ſiniſtras à familiis avertendi; nihil obſtante contraria, vel *Praxi Patrum* quæ ante multiplicatum genus vitioſa non fuit, poſtea verò Peccatis annumerari debet, vel lege *Leviratus* *Deut.* XXV. 5. quæ Exceptionibus ex beneplacito Legiſlatoris profectis ob ſpecialem in Republica iſthac rationem annumeranda, niſi ad Agnatos extra gradus Inceſtus interdictos illam cum aliis referre velimus. Uti vero de Gradibus iſtis impiè *Diſpenſationem* ſibi ſumunt *Papiſtæ*; ita vel ab iiſdem, vel ab aliis etiam quandoque, temere illi ulterius *protenduntur*, tum ad *Fratrum & Sororum Liberos*, tum ad *Affinitatem Affinitatis*, in quibus Interdictum aliquod Humanum & Politicum repudiare nos plane no-

 limus,

limus, tum maximè ad confictam *Spiritualem Cognationem*. Quamquam fatendum sit; α ob Viri & Uxoris unam Carnem, æque late primam Affinitatem & Consanguinitatem Conjugium impedire; β sub nomine Patris & Filiorum omnes Ascendentes & Descendentes comprehensos videri; γ & Casum expresse Non Nominatum sub simili Æqualis Gradus omnino comprehendi. *Distantia* vero *Religionis*, quam inter Impedimenta hactenus numerant quoque *Papistæ*, ut Matrimonia Fidelium cum Infidelibus sint illicita & irrita, omnino secundum Scripturam *impedit Conjugium Contrahendum*, illudque facit illicitum *Deut*. VII. 3. *Exod*. XXXIV. 16. 2 *Cor*. VI. 14. 15. 1 *Cor*. VII. 39. *&c.* etiam ob Jurgia sequentia, & Seductionis periculum in Parentibus & Liberis; *non* tamen *Irritum* reddit id quod *Contractum* jam est, ex 1 *Cor*. VII. 12. 13. 14. dum ad Gentes omnes Conjugii usus naturalis pertinet. Nec probant; α vel Exempla Jacobi, Josephi, Mosis, Boozi, Salomonis, Estheræ, &c. licitum esse Conjugium cum Infidelibus, cum in his quandoque nudum habeamus Factum, quandoque Conversio alterutrius conjugis sit facta; β vel Factum Judæorum sub Hezra, Conjugia talia contracta esse Irrita, cum illud ex Lege Particulari rationemque Politicam habente fluxerit *Hezr*. IX. & X.

[1] *Exerc. Text*. IX. P. V.

Personæ Duæ in Conjugio junguntur arctissimè, non mutuo tantum, sed & Parentum Consensu. Ad quem Consummatio decens accedere debet. Quando Unio hæc est Plane Indivisibilis, extra casum Adulterii.

XLI. Fit in Matrimonio Personarum harum *Conjunctio Arctissima Gen*. II. 24. [2] habens pro fundamento *Mutuum Consensum*, eumque *Liberum*, & *Fraudis* magis Essentialis *Expertem*, nec de Futuris solum Nuptiis, quarum promissio *Sponsaliorum*, variis ex causis rescindendorum, nomine venit, sed & Præsentibus. Ad quem *Consensus* adhuc *Parentum*, sive hos repræsentantium personarum, accedere debet in iis qui necdum sui juris sunt, non tantum ad *Honestatem* sed & *Integritatem Conjugii*; uti perpetua phrasis *dandi filios filiasque Deut*. VII. 3. *Jer*. XXIX. 6. 1 *Cor*. VII. 36. 37. 38. specialis Lex de *Votis Deo* factis *Num*. XXX. 4. 5. & de *Filia Compressa Exod*. XXII. 16. 17. *Honor* denique *Parentibus* deferendus *in omnibus*, & maxime in re hac maximi ponderis quoad familiam integram *Col*. III. 20. satis docet. Nec probatur contrarium; vel ex Factis Hesavi & Jacobi, quorum nec Ratio per omnia satis perspecta est, nec Exemplum nobis imitandum; vel ex Requisitis Matrimonii omnibus, quæ absque hoc

hoc Consensu adesse gratis supponitur; vel ex Incontinentia sæpe in Liberis secutura, cum negato à Parentibus Consensu ob rationem plane injustam Magistratus illum autoritate sua supplere possit; vel ex Legibus Politicis Conjugium quandoque tale approbantibus; quas per omnia æquas esse non liquet. Uti vero Consensus hic Conjugum futurorum & Parentum Conjugium facit ratum, etiam ex Lege *Deut.* XXII. 23. ita *Consummatio* major accedit *successive*, per publicas *Denunciationes*, solennem *Benedictionem*, & præstita, quæ tum demum sequi debent ex Civili Honestate & Decentia Christiana, *Officia Conjugalia* 1 *Cor.* VII. 3. 4. 5. ad quæ referri possunt specialia omnia Viri & Mulieris munera *Eph.* V. 25. 28. 29. 31. *Col.* III. 19. 1 *Petr.* III. 7. *Prov.* XXXI. 13. 14. 15. *Eph.* V. 22. 23. 24. *Col.* III. 18. 1 *Petr.* III. 1. 2. 6. *&c.* Atque est tum porro *Conjunctio* hæc ita *Divisibilis*, quoad *Thorum Mensamque*, ad vitanda Dissidia & graviora Mala, ex autoritate Magistratus, post Causam cognitam, ut *Indivisibilis sit quoad Vinculum Conjugii*, non dirimenda nisi Morte vel Adulterio, ex *Rom.* VII. 3. *Matt.* V. 32. XIX. 9 extra quem casum omne *Divortium* nos *Illicitum* putamus fuisse, & olim in conscientia, licet Lex Politica sub Pœna Modica id permitteret *Deut.* XXIV. 1. 2. [1] & esse hodieque. Bifariam hic peccantibus *Papistis*; *a* dum *Conjugia Consummata Infidelium*, extra casum Adulterii, *Solubilia* volunt, etiam quoad Vinculum; *b* *Fidelium* vero *plane Insolubilia* hoc sensu & Casu Adulterii, dictum Salvatoris ad Cohabitationem restringentes, quam putant tolli tum in Adulterio, tum similiter ex Voto mutuo Perpetuæ Continentiæ, ex alterutrius lapsu in Hæresin, atque ex Impulsione ad Peccatum. Ex dictis consequitur, *ad Conjugalis Vinculi Solutionem non sufficere*; vel *Frigus* aut *Impotentiam*, sive Perpetuam, sive recenter Contractam; vel *Infamiam* Priorem & serius cognitam, contra quam ex parte olim voluit Lex Forensis Judæorum *Deut.* XXII. 20. 21. vel etiam *Malitiosam Desertionem*. De qua vulgo tamen aliter judicant, ex textu 1 *Cor.* VII. 15. quem nos ob aperta Salvatoris verba, de non ducenda Derelicta absque Adulterio *Matt.* V. 32. XIX. 9. potius ad *Cohabitationem*, aut ad Casum unicum Infidelitatis restringimus, quam ut generalem ex eo regulam constituamus Divortii Justi licitique Conjugii Novi.

[2] *Hist. Parad. Lib.* II. *Cap.* 2. [1] *Exerc. Text.* XV. P. V.

Finis Conjugii Triplex. Papistarum duplex Error.

XLII. Finis Conjunctionis hujus ex dictis est; α tum *Propagatio Generis Humani*, & post Mortem in mundum ingressam ejus *Conservatio*, ut sic Deus gloriam ex opere Mundi & Gratiæ in Ecclesia suam recipiat *Gen.* I. 28. 1 *Tim.* v. 14. *&c.* β tum *Adjumentum Vitæ* mutuum *Gen.* II. 18. 20. γ tum etiam *Impuritatis Carnalis Evitatio* 1 *Cor.* VII. 2. 9. 1 *Tim.* v. 11. 14. Qui omnis Triplex Finis in omnibus Conjugium ineuntibus necessario tamen non concurrit. Ad hunc vero Triplicem Finem cum Deus ipse *Conjugium* ordinaverit, Creatione & Adductione Evæ ad Adamum, insaniunt æque *Papistæ*; α cum ex Matrimonio faciunt Novi Test. *Sacramentum*, contra adducta *Cap.* XXIX. §. XXXV. β & cum *Cælibatum* præ Conjugio tantopere Perfectionis & Continentiæ intuitu extollunt, Votum ejus suadent, Necessitatemque Clericis imponunt, de quibus vide §. XV. *Cap.* XI. §. XXXIV. XXXV.

Potestas Regiminis Oeconomici determinatur.

XLIII. *Potestas* tandem Regiminis Oeconomici varia est pro varia hujus specie, secundum regulas, quas Maritis, Parentibus, reliquisque Superioribus, tum Scriptura, tum ratio Naturalis figit. Id generatim hic tantum notamus; α esse illam *ad Corporalia & Spiritualia* simul curanda extensam, ut familia unaquæque Christiana sit Ecclesiæ instar; β reduci illam posse ad actus *Gubernationis & Retributionis ac Punitionis*, tum Verbalis, tum ex parte Realis, sed Modicæ, ut nequaquam ad Jus Vitæ & Necis, aut facilem Exhæredationem totalem Filiorum, extendatur; γ esse illam denique non tantum *Deo*, sed & *Magistratibus*, horumque *Legi & Inspectioni*, quin & *Pastorum Directioni & Curæ* ex Dei verbo, planè *Subjectam*.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

De Electorum Glorificatione Beata.

Ultimus Status Glorificationis, quæ est Theologiæ Finis.

CONspecto Hominis, cui erudiendo Theologia nostra destinatur, Triplici *Statu*, ad *Quartum* nunc progredimur, quo Disciplinæ Finem, Fidei Complementum, Operisque nostri Terminum, simul habebimus, quique *Constitutus*, *Salutis*, *Gloriæ*,

riæ, *Salutis*, Glorificationis, *&c.* variè dicitur. Conſiderabimus hic autem non tam Dei Beneficium, in Boni Datione, quam *Bonum* ipſum, à Deo adipiſcendum, ſeu *Glorificationem Paſſivam.*

Gloriæ & Glorificationis nomina, cum Synonymis, & Homonymia.

II. *Gloriam* & *Glorificationem* varie derivant, à Græcorum κλέος, κέλωρ, aut γλῶσσα, vel à Latinorum *gerere lauream*, aut *clarus*, *&c.* Leguntur frequentiſſime in Scriptura ei reſpondentes voces, τιμὴ, δόξα, quæ eſt à δοκέω, *videor*, *reputor*, צבי / תפארת / כבוד / הוד / יקר / &c. nec ſolum ſimpliciter, ſed & in hac materia, cum epithetis *Gloria Æterna*, *Dei*, *Filiorum Dei*, *&c. Pſal.* LXXIII. 24. *Rom.* II. 7. V. 2. VIII. 21. 2 *Tim.* II. 10. 2 *Cor.* IV. 17. *&c.* Synonyma alias adhibita ſunt, ſive Propria ſive Impropria magis, ſive Metaphorica ſive Synecdochica, *Salus*, notans & immunitatem à Malo & præſentiam Boni, *Vita*, exprimens Unionem cum Deo & Actuoſitatem lætam, *Gaudium*, *Regnum Dei & Cœlorum*, *Corona Vitæ*, *Juſtitiæ*, *Immarceſſibilis*, *Conſortium Dei*, *Viſio ejus*, *&c.* Addimus, uſurpari tum Gloriæ & Glorificationis nomen, juxta alia Salutis & Vitæ; α vel *communius*, pro Externo & Corporali Decore, β vel *ſpecialius* prò Spirituali piorum Felicitate; eaque α vel *Inchoata*, hic in Gratia, potiſſimum per Sanctificationem *Pſal.* XVI. 3.[1] XLV. 14.[2] *Ezech.* XVI. 14. *Luc.* XIX. 9. *&c.* β vel *Conſummata*, quæ poſt hanc vitam Animam & Corpus manet, qui ſenſus hic obtinet.

[1] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [2] *Anal. Exeg. poſt. Cant.*

Glorificationis Veritas & Definitio.

III. Gloriam *Futuram eſſe* aliquam poſt hanc vitam piis; α evidenter ex Infallibilibus Scripturæ Promiſſis, per Spiritum nobis etiam inſinuatis, cognoſcimus; β & colligimus, tum argumento Chriſtiano, ex Chriſti Capitis Gloria, ac viſis ab Apoſtolis Moſe & Elia, &c. tum Ratione Naturali, ex Dei Juſtitia, & Bonitate, Hominiſque Immortali Anima, ex quibus *Spem* ſuam *Bonam*, & *Campos Elyſios* Gentiles ipſi concluſerunt. Ejus vero natura hac Definitione breviter comprehenditur; *Eſt Bonum à Deo Fœderatis & Electis, ſecundum æternum propoſitum, ac propter meritum Chriſti Fide apprehenſum, conferendum poſt Exceſſum ex hac Vita reſpectu Animæ, Noviſſimo vero Die reſpectu Animæ & Corporis Reſuſcitati pariter, poſt habitum Judicium, ad æternam gratiæ ſuæ laudem.*

IV. *Bonum* cum multiplex & varium ſit, nullum tamen eſt,

Est Gloria Bonum Electorum, ex Gratia, ad Gloriam Dei ipsis datum.

quod illud nomen æquè mereatur quam Gloria hæc; quæ α omne Honestum, Utile, & Jucundum, in se includit; β omne Malum excludit; γ & est Æterna Stabilitate Præstantissima. Æquè evidentia sunt, quæ in Definitione posuimus; α de *Subjecto* Gloriam hanc recipiente, esse scil. *Fœderatos & Electos*, ex *Rom.* VIII. 30. *Phil.* IV. 3. *Matt.* XXV. 34. *Joh.* X. 28. *Eph.* V. 23. 27. *&c.* utpote in quibus solis & omnibus Dei Amor, Fides, Resipiscentia, Justificatio, Sanctificatio, Conservatio, &c. locum habent, non adeo, vel Homines Lapsi Omnes, vel quidam tantum ex Electis, ex hypothesi *Origenianorum*, aut *Pelagianorum*, non etiam Angeli, ex quibus Mali nunquam salvandi erunt, Boni verò nec ejusdem per omnia gloriæ, utpote incorporei, nec eodem modo ejus participes sunt, non obstante ejusdem Cœlestis Civitatis Consortio; β de *Causa* eam donante, quæ est Deus ipse per Gratiam suam, juxta Propositum suum, in Filio suo, per Fidem accepto, secundum *Matt.* XXV. 34. *Rom.* VI. 23. *Eph.* II. 8. 2 *Tim.* I. 9. *&c.* & plura à nobis adducta *Cap.* XXIV. §. XII.[1] XV. excludendo hinc omnino omni Merito Humano; γ de *Fine*, qui in Eventu æquè quam Proposito Dei est Gloriosæ ipsius Gratiæ demonstratio, hic facta verè, & agnita à Glorificatis, *Eph.* I. 6. 2 *Thess.* I. 10. *Apoc.* V. 12. 13.[1] VII. 10.[1] XI. 16. 17.[1] XIII. 10.[1] XIV. 2. 3.[1] XV. 2. 3.[1] *&c.*

[1] *Comm. in Loc.*

Duplex Gloriæ Momentum, & primum quidem in Morte.

V. Istis omnibus itaque missis, notamus modò *Duplex Gloriæ collatæ Momentum*, unum in Morte, alterum in Die Novissimo. Non agnoscendo hic discrimine alio, quam quod in priori Gloria conferatur, α Animæ, & β Fidelibus Singulis, & γ Minus Solenniter; in posteriori vero extendenda sit illa quoque, α ad Corpus, & β Omnes Electos, & γ danda in Publica Panegyri, ipsis videntibus Impiis. Unde tum Gloria Consummatissima dici meretur; neque negandum modo Animabus Glorificatis Desiderium istius Ultimi Complementi, etiam ex *Apoc.* VI. 10.[2] XXII. 17. 20[2].

[2] *Comm. in Loc.*

Supponitur hic Animæ Existentia & Vita in Morte manens. Eaque defenditur.

VI. In Glorificatione Animæ tempore Mortis, *supponitur*; ejus α *Existentia post Mortem*, quæ adstructa est contra omnes *Thnetopsychitas Cap.* XIII. §. XV. β ejus item *Actuositas* similis, tenenda contra omnes *Psychopannychitas*, quales olim *Nazaræi*, &

& *Arabici*, hodieque *Sociniani* & *Mennonitæ*, statuentes *Animæ Separatæ Statum veluti Mortuum & Somnolentum*, in quo *Vitæ*, *Sensus*, *Intellectus*, *omnisque Actionis Expers* sit, consentientibus quoad Operationes ab Extra & ad Extra etiam *Remonstrantibus*. Quæ sententia solidè refutatur; α tum ex *Spirituali & Viva Animæ Natura*, quæ propterea ab omni impedimento Corporis liberata in Operationum suarum Exercitio à Corporis organis dependere amplius nequit; β tum ex *Scriptura*, Operationes Intellectuales, juxta Gaudia & Tormenta, Animæ Separatæ adscribente *Luc*. XVI. 25. XX. 37. 38. 2 *Cor*. V. 7. 8. *Phil*. I. 23. *Apoc*. IV. 10. 11. VI. 9. 10.[3] *&c*. Contra quæ gratis opponitur, præter argumenta *Thnetopsychitis* communia; α tum *Somnus* & *Quies Mortuis* tributa *Joh*. XI. 11. 13. 14. *Apoc*. VI. 11. XIV. 13. *&c*[4]. cum prius nomen Morti detur, tum respectu Corporis, tum respectu Resurrectionis Futuræ, nec etiam unquam Vitam & Operationem omnem excludat, posterius vero denotet Animarum Liberationem ab Incursibus & Molestiis omnibus, non vero Iners Otium, hinc & iisdem in locis addito *Clamore*, *Operum Sequela*, *& Beatitudine*; β tum *Totius Hominis*, ex Anima & Corpore juncti, *Vita ac Operatio*, quæ Corpori quidem ex se inerti, non vero Animæ ex se actuosæ Vitam adimit, dependentia in operando à Corpore non ultra Unionem actualem extendenda; γ tum denique *Remunerationis Dilatio*, de qua ex professo nunc agendum.

[3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.*

VII. His suppositis, ponimus porrò, *Animas Fidelium in Hora Mortis mox Glorificari*, concessâ eis Perfecta & Læta Dei Fruitione; idque contra *Errores* varios urgemus. Quorum *primus* est, *Retributionem Differendam esse usque ad Diem Ultimi Judicii*; quod volunt, ex priori hypothesi, *Sociniani* & *Anabaptistæ*, & ex *Veteribus* plures, Certitudinem Futuræ Gloriæ & Exspectationem lætam Resurrectionis Animabus interim tribuentes. Quam nos sententiam admittere non possumus; α ob loca generalia, quæ *Reditum ad Deum*, atque *Cœlestem* Mansionem, & *Consummationem*, Spiritibus in Morte tribuunt *Eccl*. XII. 7. *Col*. I. 20. *Hebr*. XII. 23. β ob Exempla Specialia, Lazari, Latronis, Animarum cum Stolis Albis à Johanne visarum &c. *Luc*. XVI. 22. XXIII. 43. *Apoc*. VI. 9. 10.[1] non aliorsum quam ad Cœlestem Gloriæ partici-

Et ponitur ejus Glorificatio in ipsa Morte, non demum in Die Ultimi Judicii.

cipationem trahendo, vel Sinu Abrahæ, vel Paradiso; γ ob communem *Fidelium Exspectationem in Morte* 2 *Cor*. v. 1. [2] 8. *Phil*. I. 23. Nihil obstantibus locis; α quæ *Descensum in Infernum* Animabus tribuere videntur *Act*. II. 31. *Phil*. II. 10. *Luc*. XVI. 23. 24. *&c.* cum ille ex Scripturæ sensu ad Corporis Sepulturam pertineat, ad hoc quoque vel ad Damnatos & Dæmonas spectet καταχθονίων nomen, Intuitus denique & Colloquium Divitis cum Abrahamo ad parabolæ aut narrationis Decus, non Scopum, pertineat; β quæ *Præmium differunt ad Judicium Matt*. XXV. 46. *Rom*. II. 5. 6. 7. 2 *Cor*. v. 10. 2 *Tim*. IV. 8. *Apoc*. VI. 10. [3] *&c.* cum omnia isthæc loca ad Glorificationem Totius Hominis & Ecclesiæ tantum spectent, quæ Beatitatem Consummatam Animæ non magis excludit post hanc Vitam, quam Inchoatam hominis in ea; γ nec tandem *Inutili sic Futuro Judicio Ultimo*, cum publicè judicari iterum Omnes, quoad Corpus etiam, Divinæ Gloriæ maximè intersit.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [3] *Comm. in Loc.*

Papistarum error de Limbo Patrum V. T. notatur & refutatur.

VIII. Tenenda amplius est veritas modo proposita, contra *geminum Errorem Pontificiorum*; quorum priorem cum multis *Veteribus* communem habent, fuisse sc. *Animas Fidelium Patrum ante Christi Mortem exclusas à Visione Dei Beatifica*, & in *Infernali loco*, quem *Limbum*, *Hospitium*, *Carcerem*, dicunt, *eousque detentas*. Quam hypothesin evertimus; α ex *Gratioso Dei cum Patribus Fœdere*, omnibusque ejus *Beneficiis*, inter quæ etiam est Justificationem & Sanctificationem necessario consequens Glorificatio, *coll. Matt*. XXII. 32. β ex *Salute & Cœlesti Mansione* adscripta, tum Patribus promiscue *Act*. XV. 11. [4] *Col*. I. 20. *Hebr*. II. 10. XII. 23. *coll. Eccl*. XII. 7. *Jes*. LVII. 2. *&c.* tum nonnullis nominatim, Henocho sc. Eliæ, Abrahamo, Lazaro, &c. γ ex *Certa eorum Exspectatione*, non Frustranea utique, *Psal*. LXXIII. 24. *Hebr*. XI. 10. 14. 15. *&c.* δ ut mittamus Rationes complures alias, ex nulla Loci Statusve Tertii Ordinarii in Sacris mentione, nulla Cœli tum Fidelibus Clausi Ratione, magis Misero sic eorum post Mortem quam in Vita Statu, nimia Mercedis Dilatione parum conveniente cum Dei Bonitate & Felicitate piorum, &c. Et opponuntur frustra. 1. Tum *Loca*; quæ α vel *Neminem* olim *in Cœlum Ingressum* dicunt *Joh*. III. 13. *Hebr*. IX. 8. X. 20. XI. 13. 39. *&c.* β vel *Christum* faciunt *Præcursorem Hebr*.

VI.

vi. 20. *Joh.* xiv. 2. 3. *Eph.* iv. 8. *&c.* γ vel *Pios* ponunt *in Inferno Psal.* lxxxix. 49. *Phil.* ii. 10. *&c.* δ vel *Christum* indicant *Descendisse ad eos Liberandos Zach.* ix. 11. [5] 1 *Petr.* iii. 19. iv. 6. *&c.* Cum α primum nusquam legatur, Ascensione intelligenda vel per Proprium Jus vel Mentali, Viâ Sanctuarii magis sub Novo Test. tantum declaratâ, & Recenti quoad Modum, Promissione denique quam non obtinuerunt olim intelligenda non de Salute Æterna sed dè Christo Incarnato; β alterum spectet maxime ad Christi Dignitatem & Efficaciam, quamquam & tempore ante Nos præcesserit; γ tertium restrictionem nullam habeat ad Tempus Vet. Test. & referri debeat ad Mortem & Sepulturam corporis; δ quartum tandem gratis inferatur ex locis, quibus vel Liberatio ex Captivitate Corporali & Naturali Satanæ per Christi Sanguinem, vel Prædicatio anterior coram Hominibus Carceri Infernali nunc inclusis, cum ipsi antea adhuc viverent in terra, innuitur. 2. Tum *Exempla*, Abrahami, Jacobi, Davidis, Samuëlis, &c. sive *Abeuntium ad Patres* Idololatras, sive *Descendentium in Infernum*, sive ex *Inferis Ascendentium*, *Gen.* xv. 15. [6] xxxvii. 35. 1 *Sam.* xxviii. 12. [7] *&c.* Cum α Abitus ad Patres communem Mortis Statum notet, nec fuerint omnes Abrahami Majores Idololatræ; β Descensus ad Sepulturam spectet, uti ante; γ Apparitio denique nulla facta sit Veri Samuëlis, sed Phantastici, quod Status Saulis à Deo Derelicti, Apparitionis Causa Pythonissa, Apparentisque Verba & Facta satis, præter Ascensionem ei adscriptam, docent, nec evertitur aut per repetitum Samuëlis nomen, aut per Saulis intelligentiam, aut per institutam futurorum Prædictionem, aut per Redargutionem additam, aut per Consternationem insecutam. 3. Tum *Rationes*, à negata *Salute per Legem* Naturæ & Mosis, ab *Insufficientia Sanguinis Animalium* ad purgandas Conscientias, &c. Cum Salutem & Expiationem omnem repetamus à Christo semper eodem *Hebr.* xiii. 8. cujus Merita etiam ad Priora Tempora retrotrahi debent. Nec consentiunt per omnia cum Adversariis illi ex *Reformatoribus* nostris, qui non planè dissimiles quandoque phrases de Patribus fortè adhibuerunt.

[4] *Exerc. Text.* XL. P. V. [5] *Comm. in Loc.* [6] *Exerc. Text.* VI. P. III. [7] *Exerc. Juv. Disp.* III. *&c.*

IX. Alter *Papistarum* error etiam ad nostra tempora spectat, esse

Alter eorum Error de Purgatorio perinde rejicitur.

Purgatorium aliquod *Infernale*, proximum Gehennæ Damnatorum, in quod Animæ à Peccatis Venialibus & Reatu Pœnæ non plene liberatæ post latam à Christo sententiam ducantur ab Angelis Bonis, ut Igne Corporeo Pœnisque Damnatorum gravissimis crucientur, per annos etiam plurimos, donec Divinæ Justitiæ plane satisfecerint, nisi Vivorum Suffragiis, Oblationibus, & concessis Indulgentiis, juventur; ad quod *Purgatorium* addunt adhuc *Pratum aliquod Gratissimum*, in quo sint Animæ nihil patientes amplius, sed nondum idoneæ Visioni Beatæ, tanquam *Carcerem Senatorium & Honoratum*. Cujus Purgatorii fidem uti necessariam faciunt *Papistæ*, ad maximum Corporale suum Lucrum, ita nos illud facilè destruimus; α per *Duplicem* hominum *Mortuorum Statum Locumque Ordinarium* in Scriptura tantum agnitum *Matt*. VII. 13. 14. *Luc*. XVI. 22. 23. *coll. Matt*. VIII. 11. *&c.* β per assertam aperte *Glorificationem Animarum in ipsa Mortis Hora Luc*. XVI. 22. XXIII. 43. *Joh*. XVI. 32. 33. 2 *Cor*. V. 1.[1] *Phil*. I. 23. *Apoc*. XIV. 13.[2] *&c.* γ per plenam *Purgationem Fidelium in Sanguine Christi*, concessamque ob illum *Remissionem Rom* VIII. 1. *Hebr*. I. 3. X. 14. 1 *Joh*. I. 7. 2 *Cor*. V. 19. *Eph*. I. 7. *Jer*. XXXI. 34. *&c.* δ denique per *vanitatem & falsitatem Hypothesium*, quæ hic supponuntur, de Peccato Veniali in Se, Reatu Pœnæ & Culpæ distincto, Pœnâ sola Temporali creaturæ nudæ quæ sit Satisfactoria, Satisfactionibus Propriis, Indulgentiis, Suffragiis Vivorum pro mortuis, &c. quæque alibi dudum sunt explosæ à nobis.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [2] *Comm. in Loc.*

Atque Argumenta Objecta diluuntur.

X. Alienissimum à Scripturis dogma, uti ob *Papistarum* confugium quoque ad *Traditionem* imo & ad *Satanæ Interrogationem* id appellare licet, probare tamen conantur ipsi. 1. Magna *farragine Locorum tum Vet. tum etiam Novi Test*. quorum plurima cum per inanissimas Allegorias & Torsiones ineptas huc trahantur, alia sint Apocrypha, uti 2 *Macch*. XII. 43. (cujus textus Autor simul à veritate Fidei & Historiæ aberrat, nec de Anima sed Corporis Resurrectione disserit,) non lubet illa omnia allegare. Præcipua sunt *Jes*. IV. 4.[1] *Mich*. VII. 8.[2] *Zach*. IX. 11.[3] *Mal*. III. 2. 3[4]. *Matt*. III. 11.[5] V. 26. XII. 32.[6] 1 *Cor*. III. 13. 15.[7] XV. 29[8]. *&c.* Quæ nos, secundum ordinem positum, dicimus spectare; α ad Spiritum Sanctificantem gratia sua; β ad hujus Vitæ Angustias Lucemque Consolationis & Ereptionis Divinæ; γ ad Capti-

ptivitatem Babylonicam, & Satanæ Naturalem; δ ad Gratiæ Sanctificantis Necessitatem & Vim; ε ad Efficaciam Spiritus in Baptismo obsignatam; ϛ ad Humani Fori Jus & Pœnam Infernalem; ζ ad perpetuam Irremissibilitatem Peccati in Spiritum, *coll. Marc.* III. 29. ex qua nulla aliorum Peccatorum post hanc Vitam Remissio sequitur, quæ etiam in Purgatorio tanquam plene Satisfactorio locum non reperiret; η ad doctrinæ Euangelicæ Fundamento inædificatæ, tum Solidæ tum Levioris, Inquisitionem spiritualem, Difficilemque male docentium Salutem; θ ad Baptismum propriè dictum, non Opera Pœnitentiæ, susceptum vel Loco vel Bono Mortuorum quoad Corpora, nec probatum ab Apostolo, ut plures alias aliorum glossas mittam. 2. *Rationibus plurimis*; α ex Consuetudine Ecclesiæ *pro Mortuis Orandi* antiquissima, etiam sub Vet. Test. 1 *Sam.* XXXI. 13. 2 *Sam.* I. 12. III. 33. 34. 35. *&c.* β ex *Peccatorum Venialium* natura; γ *Satisfactione Pœnæ Temporalis* necessaria; δ *Mediocri* quorundam Hominum *Bonitate*; ε *Apparitionibus Liberatorum* ex Purgatorio; ϛ *Bis Mortuorum* exemplo, quibus præter Cœlum & Terram Locus Tertius concedendus; ζ *Securitate Carnali* alias introducenda, &c. Ad quas notamus; α Preces pro Mortuis in Ecclesia Antiqua Christiana, & Græca adhuc hodiè, utpote pro Apostolis, Martyribus, & B. Virgine, quoque fusas, fluxisse non ex persuasione Purgatorii, sed alia longe de Animabus ad Diem Judicii Gloria Exclusis hypothesi, ad Memoriam sacram, Quietem, Resurrectionem Mortuorum tendentes, nec posse Exempla Jejunantium & Dolentium sub Vet. Test. illuc trahi; β Peccata ex se Venialia dudum esse explosa, nec Veniam cum plena hominis ipsius Satisfactione posse conciliari; γ nullam plane homini fideli propriam incumbere Satisfactionem; δ Justitiam Christi Perfectissimam omnibus imputari, & Sanctificationem in Morte omnium perfici; ε Apparitiones, vel Confictas serius, vel Illusione Diabolica factas esse; ϛ Bis Mortuorum Animabus recte Locum Tertium Extraordinarium Divinæ Dispensationis tribui, unde prò Mortuorum finaliter Mansione aliqua Ordinaria inepta est conclusio; ζ denique Piorum Consolationem prætextu Securitatis impediendæ non debere tolli, nec Impios Flammis confictis & pretio redimendis sed Æternis ac Inexstinguibilibus decere terreri. 3. Consensu *Judæorum*, *Muhammedanorum*, *Gentilium*, qui omnes

omnes in connexa fide Paradisi & Gehennæ non decepti hic gratis erroris accusentur, & *Christianorum* antiquissimorum. Ad quem dicimus; α illorum omnium Consensum non valere ad Veritatem adstruendam, nec sequi ex retenta Veritate aliqua in aliis ipsos non errasse, quamquam nec dicatur vere, consentire Judæos in Re ipsa, aut reliquos in Modo rei; β inter Christianos vero serius *Purgatorium Papisticum* esse introductum, cum prius traderetur, tum Purgatorium Resipiscentiæ in his terris, tum Exclusio Animarum à Visione Dei ad Diem Judicii, tum Conflagratio Universi futura in fine mundi, tum etiam ab *Origene* & sequacibus Purgatio Infernalis omnium Malorum & Angelorum & Hominum, cum secutura tandem illorum Liberatione, quam Catholicos *vehementer exhorruisse* notavit *Augustinus*.

[1] *Exerc. Text.* XII. P. VI. [2] [3] [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XXVII. P. IV. [6] *Exerc. Text.* XXXI. P. III. [7] *Exerc. Text.* XLI. P. III. [8] *Exerc. Juven. Dispp.* XXV. & XXVI.

Animæ dum Glorificantur, in Cœlum localiter transferuntur.

XI. *Judæorum* deliria, de *Anima Separata per Duodecim Menses circa Cadaver suum volitante*, & Potestati Dæmonum eousque subjecta ut in Corpus reduci possit, ad exemplum Samuëlis, refutatione digna non putamus. Et notamus potius, non licere nobis dubitare, quin Animæ ad Beatitatis Statum perductæ, simul etiam in *Cœlum*, Locum Beatitatis, transferantur; α ob testimonia, quæ *Mansionem Cœlestem in Morte* nobis adscribunt, etiam ante Resurrectionem *Luc.* XVI. 22. XXIII. 43. *Job.* XVII. 24. 2 *Cor.* V. 1. [1] 8. *Phil.* I. 23. *Eccl.* III. 2. XII. 7. *&c.* β quæ item *Visionem Gloriosam ad Cœlum* ut Dei thronum referunt *Jes.* LXVI. 1. *Matt.* XVIII. 10. γ quæ earum Existentiam in Corpore & in Terra negant; δ quod etiam inculcat *Catechesis Palatina Quæst. LVII.* Quod propterea evertere non decet, ob monstrosam hypothesin recentioris Philosophiæ de *Anima ipsa Nusquam existente;* ac si ob solam Operationem circa Deum, sive clariorem ejus Cognitionem & perfectiorem cum Gaudio Amorem, quæ utique non sunt Corporalis Motus à quo alias in Loco Spiritus esse dicuntur ab ipsis, in Cœlo esse diceretur impropriè. Nequaquam juvant hos; α vel incerta phrasis & sententia Veterum, de Animabus in *Paradiso*, *Sinu Abrahæ*, *Manu Dei*, *Deo*, *Communi Custodia*, *&c.* existentibus, cum horum incertitudo & error ex Scripturis dudum sint explosa; β vel prudens judicium *Cal-*

Calvini, de non scindendis *Ecclesiis*, *quarum altera citra contentionis libidinem*, *citra pervicaciam asserendi*, *Animos à Corporibus demigrantes in Cœlum convolare putet*, *altera nihil ausit definire de Loco*, *cæterum Vivere tamen Deo certo statuat*, quod ob plane alium hodie Controversiæ Statum ad Recentiores hypotheses applicari non potest; γ vel *Animæ* Præsentia in *Eutycho Mortuo Act.* XX. 10. cum illa referri debeat ad Animam mox à Paulo reducendam, aut jam reductam cum hæc diceret Paulus.

[1] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

XII. Atque ista quidem Cœlestis Sedes uti cum Beatitate continget Fidelium Animabus in hora Mortis, ita *opposita Sors & Mansio* extemplo erit *Improborum*; quorum α *supererunt* verè *Animæ*, nequaquam exstinguendæ ex *Epicureorum* voto, secundum dicta *Cap.* XVI. §. XI. β & quidem ita *Actuosæ* in Malo, ut simul *sentiant* Pœnam illatam illiusque Horrorem, secundum notata *ibidem*; γ in loco *Infernali*, quem *Carceris*, *Tartari*, *Inferni*, *Gehennæ*, *Abyssi*, *Stagni Ardentis*, *Loci Exterioris*, *Tenebrarum*, *&c.* nominibus sic nobis proponit Scriptura Sacra 1 *Petr.* III. 19. 2 *Petr.* II. 4. *Matt.* XVI. 18. X. 28. *Luc.* VIII. 31. *Apoc.* XIX. 20. [2] XIV. 20. [2] *Matt.* XXII. 13. *&c.* ut satis intelligamus illum esse à Cœlo & Terra distinctissimum, & quam maximè terribilem, ejus verò determinatum Situm & Constitutionem omnem ulteriorem ignoremus; ob quam Inscitiam qui Locum ipsum Pœnæ rident, *Fanatici*, *Libertini*, & *Athei*, nimis sero veritatem & terrorem ejus cognoscent.

Animarum Damnatarum Sors opposita mala in Morte.

[2] *Comm. in Apocal.*

XIII. Sed ad *Alterum Momentum Glorificationis* nunc progredimur, cujus *Antecedentes Gradus* erunt Mortuorum *Resuscitatio*, & *Judicium* Ultimum. Intelligimus autem hic per *Resuscitationem*, quæ respectu nominis ad similitudinem Somni respicit, & alias ob Dei in homine operationem *Resurrectio*, *Exitus ex Monumentis*, *Reviviscentia*, *&c.* dicitur; non *Spiritualem*, quæ obtinet in Vocatione aut Regeneratione *Joh.* V. 25. *Eph.* II. 4. V. 14. &c. non *Metaphoricam* aliam, quæ est in Liberatione ex gravissimis malis *Hos.* VI. 1. 2. *Ezech.* XXXVII. 12. *&c.* quin & in Animæ Glorificatione per Mortem *Apoc.* XX. 5 6. [3] sed Proprie magis dictam & *Corporalem*, eamque non Particularem paucorum, sed *Universalem*, nec porro Beatam Bonorum tantum, sed *Mortuo-*

Alterum Momentum Glorificationis incipientis à Resuscitatione Corporum. Cujus Veritas monstratur.

tuorum Omnium. Quam verè futuram esse, uti hæc est *Fiducia Christianorum*, & *Pietatis Radix* maxima 1 *Cor*. XV. 16. 17. 18. 19.[4] 1 *Joh*. III. 3. *&c.* contra *Gentiles* plurimos, *Tsadducæos*, *Hæreticos* notatos 2 *Tim*. II. 17. 1 *Cor*. XV. 12. *Simonianos*, *Saturninianos*, *Basilidianos*, *Carpocratianos* &c. ac *Libertinos* & *Epicureos* plures, etiam hodieque, qui partim μετεμψύχωσιν, partim Vitam in Posteris, partim Spiritualem Mutationem substituunt, nos probamus. 1. *Demonstrative* ex Scriptura; α dogma hoc sub Vet. & Novo Test. aperte *inculcante Exod*. III. 6. *Job*. XIX. 25.[5] *Psal*: XVI. 9.[6] XVII. 15. *Jes*. XXV. 8.[7] XXVI. 19.[8] *Ezech*. XXXVII. 4. 5. *Dan*. XII. 2.[9] *Hos*. XIII. 14.[10] *Matt*. XXII. 29. *Joh*. V. 28. 29. VI. 39. 40. 44. XI. 24. 25. *Act*. IV. 2. XVII. 18. XXIII. 6. XXIV. 15. 1 *Cor*. XV. 19.[11] *Apoc*. XX. 12. 13.[12] *&c.* β idem etiam *probante*, tum ex *Christi*, ut Capitis, & Primitiarum, & Victoris, *Resuscitatione*, tum ex *Dei Bonitate in Fœdere* promissa, tum aliis ad hominem argumentis *Matt*. XXII. 31. 32. 1 *Cor*. XV. 12. 29.[13] 30. 32.[14] 2 *Cor*. IV. 14. 1 *Thess*. IV. 14. *&c.* γ idem tandem *Confirmante* per adducta *Exempla Resuscitatorum* sub Vet. & Novo Test. 1 *Reg*. XVII. 21. 2 *Reg*. IV. 35. XIII. 21. *Matt*. IX. 25. XXVII. 53.[15] *Luc*. VII. 15. *Joh*. XI. 44. *Act*. IX. 40. XX. 10. *&c.* 2. *Probabiliter* ex Ratione; docente Dei Potentiam, Constantiam, Justitiam; & exhibente Similia, in perpetua Rerum Successione, Seminibus, & Plantis, ne de *Phœnice* ave quicquam addam.[16] Unde, uti & ex *Traditione* Majorum & Judæorum, vestigia aliqua Resurrectionis obscuriora, & conficta Resuscitatorum Exempla, reperire licet apud *Gentiles*. Nec sunt ferè memoratu digna, quæ *Objiciuntur*; α sive *loca Eccl*. III. 19. 20. *Job*. XIV. 10. 11. 12. *&c.* quorum prior tum communem Mortis sortem, tum Apparentiam externam concernit, posterior vero negat Suscitationem ante Finem mundi & ad Vitam hanc terrestrem; β sive *ratiocinia*, petita à Privatione Totali, Carnis ab animantibus & hominibus anthropophagis Devoratione, Incommodis variis inter Suscitatos orituris, &c. quæ, tum consideratione Mutati Status Resuscitatorum, tum contemplatione Divinæ Potentiæ & Scientiæ, per quam dispersas partes & sibi invicem immixtas optimè discernet, tum Canonis Physici ad Naturales Causas restrictione, facilè tollere licet.

[3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XLVII. P. IV. [5] *Exerc. Text.* XII.

XII. P. I. [6] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [7] *Exerc. Text.* XVII. P. VI. [8] *Ibid.* [9] *Exerc. Misc. Disp.* VII. [10] *Comm. in Loc.* [11] *Exerc. Text.* XLVII. P. IV. [12] *Comm. in Loc.* [13] *Exerc. Juven. Dispp.* XXV. & XXVI. [14] *Exerc. Text.* XLVII. P. V. [15] *Exerc. Text.* XXXIII. P. III. [16] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

XIV. Est generatim Resuscitatio hæc *Opus Dei*, non hominis qui se merè passive hic habet; *gratiosissimum* quidem respectu *piorum*, non item respectu impiorum. Nec potest, cum ad extra tendat, hinc *Filius* excludi, cujus tamen Naturæ Humanæ hæc virtus non inest, secundum loca adducta; nec etiam *Spiritus*, quamquam id ei expresse vindicari non putemus *Rom.* VIII. 11 [1]. Præ reliquis vero Dei Attributis in hoc Opere excellit ejus *Potentia*; docente rei natura, & textibus *Matt.* XXII. 29. *Rom.* IV. 17. *Eph.* I. 19. 20. *&c.* Ad quam ita referri potest *Tuba Vocis Magnæ*, *Dei*, *Septima*, *κέλευσμα*, *φωνὴ ἀρχαγγέλου*, *Matt.* XXIV. 31. I *Cor.* XV. 52. I *Thess.* IV. 16. *Apoc.* XI. 15. [2] ut tamen non immerito statuatur *Vox* aliqua *Externa*, & *Articulata*, & *Inarticulata*, adfutura; *α* quod literæ simplicitas in locis adductis videtur exigere, *β* & arguere simile in Legislatione factum, *γ* & antiquus Tubarum in Convocatione Populi usus *Num.* X. 2. *δ* & praxis Christi in Lazari Suscitatione *Joh.* XI. 43. *coll. Act.* IX. 40. *ε* & interveniens Angelorum Ministerium ad Collectionem pariter & Suscitationem, *Matt.* XXIV. 31. *coll.* I *Cor.* XV. 52. Est hæc Divinæ Virtutis opus singulare.

[1] *Exerc. Text.* XXXIX. P. I. [2] *Comm. in Loc.*

XV. Resuscitandi per hanc Dei Potentiam erunt *Mortui*; *α Soli* quidem, cum Suscitationis capaces non sint, vel dudum antea Glorificati integri, ut Henoch, Elias, & forte tum Moses, [1] tum Suscitati tempore Resurrectionis Christi, [2] vel *qui Vivi supererunt*, mutandi tunc I *Cor.* XV. 51. [3] I *Thess.* IV. 17. *coll. Act.* X. 42. nec morituri adeò ob communem alias regulam *Hebr.* IX. 27. sed & *β Omnes*, absque discrimine Gentis, Sexus, Status, Ætatis, &c. Conditionis denique Spiritualis *Justorum* vel *Injustorum*. Quod postremum evidentissime liquet; *α* ex *Effatis Generalibus Joh.* V. 28. 29. *Apoc.* XX. 12. 13. [4] ad quæ loca inanissime excipitur, Monumenta Naturalem Ignorantiæ Statum notare, Exitum esse exeundi Licentiam, Bona & Mala Facta intelligi quæ Exitum post Auditam Vocem Euangelii sequentur, Extendet illa se ad Mortuos Omnes, etiam Injustos.

&c. dum clariſſimum eſt, ad Diem Noviſſimum reſpici in priori ex *coll. v.* 25. 27. 29. & in poſteriori ex Textu ipſo & antecedenti ac conſequenti Contextu omni; β ex *Futuro Omnium Judicio Rom.* II. 5. 6. XIV. 10. 2 *Cor.* V. 10. 2 *Theſſ.* I. 8. *&c.* γ ex *Juſtorum* & *Injuſtorum* expreſſa nominatione *Act.* XXIV. 15. ineptè hac ad Fideles, magis & diutius vel minus Injuſtos, tracta, contra perpetuum oppoſitionis iſtius uſum *Pſal.* I. 6. *Matt.* V. 45. 1 *Cor.* VI. I. 2 *Petr.* II. 9. *&c.* δ denique ex *Diverſiſſimo Exitu Reſuſcitatorum*, memorato & *Joh.* V. 29. & *Dan.* XII. 2.[5] Quem textum poſtremum, ex prioris collatione, omnino ad *Reſurrectionem Ultimam*, non *Spiritualem* aliquam, referimus; nequicquam evertentibus illud *Recentioribus*, vel per *Multorum* factam mentionem, cum Omnes etiam Multi ſint *Rom.* V. 15. 19. vel per *Diviſionem Dormientium*, cum illa non ſit plane neceſſaria in voce מִיְּשֵׁנֵי apte referenda ad Statum Communem ex quo Omnes ſuſcitantur, & admiſſa ſpectet ad Diverſum Exitum, vel per neglectam in poſteriori membro repetitionem vocis *Expergiſcendi*, quæ ἀπὸ κοινοῦ ſubintelligenda potius, ex vulgari Scripturæ uſu, etiam *Joh.* V. 29. quam ut alia vox intrudatur, denique per *Prophetiæ contextum*, qui aptiſſime ex expoſitione hac fluit, cum Reſuſcitatio ſummum Eccleſiæ in omnibus anguſtiis ſit Solatium. Nec ſunt alicujus ponderis, quæ poſt *Judæos* nonnullos, Reſurrectionem vel ad Pios vel ad quoſdam tantum Impios reſtringentes, opponunt plures *Sociniani*, aperte Reſurrectionem Impiorum negantes; α eſſe ſcil. *Reſuſcitationem Privilegium Piorum*, ex Unione cum Chriſto fluens, *Luc.* XX. 35. 36. *Joh* VI. 39. XIV. 19. 1 *Cor.* XV. 20. 22. 1 *Theſſ.* IV. 14. cum loca hæc de Reſuſcitatione Beata & Optata agant; β manere *Impios Exitium* Æternum, jugi permanentiæ oppoſitum, 1 *Joh.* II. 17. cum illud ab Annihilatione diverſiſſimum, ſpectet ad Excluſionem Dolorificam à læta Divinæ Faciei fruitione, nec Permanentia Piorum nuda ſed felix & optanda ei opponatur; γ imo videri *ipſis Reſurrectionem negari Jeſ.* XXVI. 14.[6] *Pſal.* I. 5. &c. cum locis iis agatur, vel de Reſurrectione ad Vitam Terreſtrem, vel de Reſurrectione Beata cum juſtis, vel de Conſiſtentia per Juſtam cauſæ Defenſionem.

[1] *Exerc. Text.* XXXII. P. II. [2] *Exerc. Text.* XXXIII. P. II. [3] *Exerc. Text.* XXXIII. P. III. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Miſc. Diſp.* VII. [6] *Exerc. Text.* XVII. P. VI.

XVI.

XVI. In hac Resuscitatione credimus *Mutandas esse Corporum Qualitates* Accidentales; maxime in Piis, à quibus omnis Imperfectio ex Peccato ablata cum *Gloria & Incorruptibilitate* mutabitur ita, ut nec Vitia Nativa, nec Deformitas ulla, etiam per Martyria illata, sit superfutura 1 *Cor.* xv. 42. 43. 44. *Phil.* III. 21. *&c.* Sed & simul ponimus, *Eadem* fore *Corpora* omnium, quæ hic circumgestarunt, & *Specie*, Extensa, Palpabilia, Visibilia, &c. & *Numero*; atque id tenemus contra *Scholasticos* partim & *Ubiquitistas*, Illocalitatem & Penetrabilitatem asserentes in gratiam Eucharisticæ hypothesios, partim & maxime contra *Origenistas* veteres, *Socinianos*, & *Mennonitas*, qui omnes Novum & Spiritualis Essentiæ Corpus restituendum nobis fore volunt. α Ex *Locis* apertissimis *Job.* XIX. 25. 26. 27. 1 *Cor.* xv. 53. 54. *Phil.* III. 21. *&c.* β ex *Exemplo Christi*, cui nos conformandi erimus *Luc.* XXIV. 39. *Joh.* XX. 27. *coll. Phil.* III. 21. etiamque aliorum *Resuscitatorum* omnium, & *Mutandorum* similiter novissimo die; γ ex *Divina Justitia*, in Corporis ejusdem Retributione *Matt.* x. 28. 2 *Cor.* v. 10. *&c.* & *Veritate* in exsequenda Redemptione promissa & per Baptismum obsignata; δ ex Nominibus denique tum *Resurrectionis*, tum *Exitus ex Monumentis*, quæ Idem Corpus inferunt, unde & in *Symbolo* emphaticè posita *Resurrectio Carnis*, & in *Aquilejensi* olim *Hujus Carnis*. Levissimæ sunt *Objectiones*. 1. Ex Locis, quæ *Ventrem*, *Carnem*, & *Sanguinem* videntur à Gloria futura excludere, 1 *Cor.* VI. 13. xv. 50. Cum ea, α partim spectent ad præsentem Ventris Usum; β partim agant de Carne per peccatum Corrupta, & ob peccatum Corruptioni Obnoxia, ex frequenti phrasios illius in Scriptura Usu & Contextu. 2. Ex asserta *Suscitatorum Corporum*, tum *Similitudine cum Seminibus* ex terra natis, tum *Spiritualitate* & ἰσαγγελίᾳ 1 *Cor.* xv. 36. 37. 38. 44. *Matt.* XXII. 30. Cum α Simile Seminis non ultra scopum suum debeat extendi, & revera Idem Specie Semen surgat, etiam ex Substantia priori non plane abolita; β Spiritualitas de Qualitatibus, non de Natura, ab Apostolo ipso explicetur; γ ἰσαγγελία denique eodem, & potissimum directè ad Generationem Cessaturam, pertineat. 3. Ex *Incorruptibilitate*, non concilianda *cum Eodem Corpore*, & *Organis* omnibus, præcipuè quæ *Nutritioni* inserviunt. Cum Deus per Potentiam suam Incorruptibilitatem Plenam æquè dare possit Corporibus glo-

Mutabuntur Qualitates Corporum. Sed prodibit Eadem Substantia in specie & individuo. Quod contra Objectiones Socinianorum defenditur.

glorificatis, quam Inchoatam olim concessit Adamo Integro, licet Modus rei à nobis difficulter intelligatur; Organis superfuturis ad Integritatem & Ornatum Corporis, uti hodie quædam etiam hunc usum habere videntur 4. Denique ex *Impossibilitate Rei*. Quæ ob absolutam Dei Omnipotentiam, in prima Corporum omnium Creatione nostrorumque Generatione satis declaratam, absque ulla specie inculcatur; dum Partes v. g. Libri alicujus, per omnes terras dispersæ, humana etiam industria recolligi possunt. Ut nihil opus sit, nos hic recurrere cum *Judæis*, ad figmentum de *Incorruptibili Officulo* in Spina Dorsi לוז dicto, quod illapso Rore Cœlesti sit diffundendum, quodque uti in natura incognitum est, ita ineptissime extorquetur ex *Psal.* XXXIV. 21. & *Jes.* XXVI. 19. [2] Quamquam nec ad *Identitatem Numericam Corporis* singularum minimarum *Partium Identitatem* ullatenus requiri, ex Ætatis nostræ Infantilis Virilis & Senilis collatione satis appareat, qua Idem tamen Numero Corpus semper habemus; magis propterea delirantibus *Judæis*, cum *Vestimenta*, in quibus sepulti fuerunt homines, restituenda quoque somniant. Restituto verò sic Corpori Anima, ex Cœlesti vel Infernali Mansione reducta, consequenter sicut in Adamo redunietur, ita ut Motus Corporis absque Animæ præsentia nullus sit futurus, inepte contrarium rursus inculcantibus *Judæis*.

[1] *Exerc. Text.* XII. P. I. [2] *Exerc. Text.* XVII. P. VI.

De Tempore Resuscitationis hujus agitur. Et de ejus Loco.

XVII *Circumstantia Gemina* adhuc addi debet. 1. *Temporis* scil. quod nos credimus; *α Unum idemque Omnium* adhuc Mortuorum esse futurum, contra hypothesin *Chiliastarum*, eversam *Cap.* XXXII. §. XXVIII. *ϐ Brevissimum*, ad Dei nutum, absque mora longiori, *coll.* 1 *Cor.* XV. 52. [1] *γ* & generatim fore *Novissimum*, cum Consummatio Seculorum & Finis Mundi aderit, *δ* speciatim vero nobis respectu Anni, Diei, aut Horæ, *non esse Declaratum Matt.* XXIV. 42. XXV. 13. *Marc.* XIII. 32. [2] 1 *Thess.* V. 2. 3. *&c.* Ut concidere debeat antiqua *Traditio Domus Elianæ Judaica*, de Sex Mille Annis Durationis Mundi, si præcise sumatur; & *Papistica* de Anti-Christi Excidium secuturis Mundi Diebus Quadraginta Quinque; & quæcunque alia similis de Die hoc prædictio, revelatione divinâ speciali quandoque palliata. Certum interim est, *plura Instantis Adventus Christi*, Secundi æquè quam Primi, *Signa* nobis esse data, in descriptis variis Ecclesiæ & Mundi

di Fatis, quæ leguntur potissimum in *Apocalypsi*, & de quibus nos disseruimus *Cap.* XXXII. §. XXIII. *&c.* Quin etiam dubitare non licet, quin *Signa Cœlestia & Terrestria* varia *Portentosa* cum Adventu Christi immediatè sint jungenda, ex *Matt.* XXIV. 29. 30.[3] & *Apoc.* VI. 12. 13. 14.[4] quæ loca aut ad aliud tempus trahi, aut emblematicè exponi, partim non patitur ulla probalibi ratione, partim non præcipit contextus, *Signo Filii Hominis* nequaquam ad *Crucis Figuram* quoque torquendo. 2. *Loci.* Qui neutiquam erit sola *Terra Canaan*, aut hæc præ reliquis Orbis partibus prior, secundum Judæorum somnium de *Volutatione Corporum* alibi sepultorum per Foveas Subterraneas, quod ex Sepultura Patriarcharum in Canaan desiderata, ob spem certam possessionis ejus in posteris aliasque rationes temporarias *Gen.* L. 5. 25.[5] *Hebr.* XI. 22. *&c.* perperam concludunt; sed *Omnis Terræ*, *Aquæ*, *Aërisque*, *Tractus* promiscuè, restituturus sic partes in se comprehensas, ut Terminus Redunationis earum nobis non sit determinatus *Matt.* XXIV. 31. *Apoc.* XX. 13.[6] *&c.* Ut non sit, quod metuant Fideles; α Maris, Piscium, Volucrium, Flammarum, quin & Anthropophagorum vim, in discerpendo Corpore; β minus adhuc Exclusionem à Cœmiteriis communibus, aut Honoratioribus eorum Partibus in Templis & Choris, qua scil. Infideles, Non-Baptizatos, & Hæreticos, terrent *Papistæ*. Quamquam contemnere nolimus *Sepulturam Honestam*, conditioni singulorum attemperatam, quæ Gentilibus multis probata, apud Christianos ab ævo Testimonium publicum futuræ Resurrectionis audiit; & quidem in communibus *Cæmiteriis*, quæ pio licet instituto & antiquo constituta sint in & prope Templa, præstaret tamen in primis tempore Pestis alibi esse; quæque præferenda, tum Combustioni aliorum populorum, tum probrosæ Projectioni *Jer.* XXII. 19. tum propudiosæ Ostentationi Papali ad fœdam idololatriam, quæ in Reliquiis Sanctorum observatur.

[1] *Exerc. Text.* XXXVII. P. II. [2] *Exerc. Text.* XXXII. P. IV. [3] *Exerc. Text.* XXXII. P. V. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Pent.* [6] *Comm. in Loc.*

Post Resuscitationem proximè sequetur Judicium.

XVIII. Resuscitationem excipiet mox *Judicium*, quod vulgo *Ultimum*, *Extremum*, *Universale*, *Publicum*, & in Scripura *Futurum*, *Magni Diei*, forte & *Æternum*, quin & absolute κατ' ἐξοχὴν *Judicium* dicitur, *Hebr.* VI. 2.[1] *Act.* XXIV. 25. *Jud. vers.* 6. *Matt.*

Matt. XII. 41. 42 *&c.* Opponitur hoc autem, tum magis *Particulari*, quod obtinet, vel *in Hac Vita*, in Dei Beneficiis & Pœnis singularibus, vel *in Morte*, in Adjudicatione Felicitatis vel Miseriæ, ad quod vulgò refertur textus *Hebr.* IX. 27. [2] potius tamen ex collatione ỳ. 28. referendus ad Ultimum Christi gloriosum Adventum. Notatque hic non præcise *Damnationem*, aut *Pœnam* sequentem, sed ipsum *Judicialem Processum.*

[1] *Exerc. Text.* XLVI. P. III. [2] *Exerc. Misc. Disp.* VII.

Quod Futurum esse asseritur.

XIX. *Futurum* tale *Judicium* esse aliquod, liquet; α ex perpetuo *Scripturæ Præconio Jud. vers.* 14. *Eccl.* XI. 9. XII. 14. *Matt.* XVI. 27. *Act.* XVII. 31 *&c.* β ex *Justitia Dei*, magis & luculentius manifestanda, quam fit vulgo in hoc Mundo, teste ipsa Conscientia hominis; γ unde fluxerunt notissimæ Gentilium Fabellæ, de *Judicio Æaci*, *Minois & Rhadamanti*, *Jovis filiorum*, ex Patris jussu. Adversus quæ nil valent prætextus; α vel *Dilationis Nimiæ*, *inde ab Apostolis*, suo tempore exspectare Judicium hoc visis, 2 *Petr.* III. 3. 4. *coll.* 1 *Cor.* XV. 51. 52. [1] X. 11. *Hebr.* I. 1. [2] 1 *Petr.* I. 20. 1 *Joh.* II. 18. [3] *&c.* etiam ex Domini ipsius dictis variis *Matt.* XVI. 28. [4] XXIV 34. [5] XXVIII. 20. [6] *Joh.* XXI. 22. [7] cum Dilatio Nulla hic sit ultra Momentum aptum, à Deo constitutum, & ab Apostolis agnitum, qui ob Brevitatem Temporis collati cum æternitate & præcedenti Mundi Ætate, quin & Oeconomiæ Novæ Immutabilitatem, non vero uti multi hodie volunt ob Finem Oeconomiæ Veteris tum instantém, Suos *Dies Ultimos* vel *Novissimos* dixerunt, & per Communicationem Rhetoricam in prima persona locuti sunt de novissime victuris, ipso Judicio ad sequentia tempora ab ipsis dilato 2 *Thess.* II. 1. 2. dum in adductis Christi dictis alius longe est sensus, cumque faciat omnis hæc Dilatio tum ad Conversionem Electorum, tum ad Convictionem majorem Impiorum; β vel *Inutilitatis*, cum jam judicati sint homines, sed Animæ tantum respectu & Privatim; γ vel *Difficultatis* in Modo & Circumstantiis Judicii repertæ, quæ rem ipsam revelatam dubiam facere nequit fidelibus.

[1] *Exerc. Text.* XXXVII. P. II. [2] *Exerc. Text.* XLV. P. II. [3] *Exerc. Text.* L. P. II. [4] *Exerc. Text.* XXVI. P. II. [5] *Exerc. Text.* XXIX. P. II. [6] *Exerc. Text.* XXX. P. II. [7] *Exerc. Text.* XXXV. P. II.

Judex erit Deus in Christo.

XX. *Judex* ita futurus est *Deus Triunus*, ex *Eccl.* XII. 14. *Rom.* II. 5. *Hebr.* XII. 23. *Jac.* IV. 12. *&c.* ut Oeconomicè tamen

men Judicium maximè approprietur *Filio*; secundum dicta à nobis *Cap.* XXI. §. XXXVIII. Qui quidem gloriosissimo Nubium curru magna cum Pompa & Clamore vectus, Angelisque ministris comitatus, *Assessores* veluti Judicii habebit *Fideles*, & præ reliquis *Apostolos*, prius judicatos à Christo, secundum textus *Matt.* XIX. 28. & 1 *Cor.* VI. 2. 3. [1] Quem priorem, ob memoratam generalem παλιγγενεσίαν, & magnificentissimam *Sessionem Christi in Throno gloriæ*, & phrasios *Judicandi* emphasin, & μισθαποδοσίαν ab Apostolis quæsitam ac reliquis mox *v.* 29. promissam, optime ad *Judicium Ultimum* putamus referri; uti posterior, ob res majores Rebus hujus Vitæ, & *Mundi* totius non regionum quarundam mentionem, & Mundo junctos *Angelos*, non potest referri, vel ad gerendum olim à Christianis his in terris Magistratus munus, vel aliorsum quam ad idem Judicium. Judices vero erunt hi; α quatenus de gloria Capitis sui ut Membra participabunt *Eph.* II. 6. β Sententiam Christi approbabunt *Apoc.* XV. 3. 4. XIX. 1. 2. γ Factis suis convincent Mundum nequitiæ, δ quin & Testimonium rerum Gestarum dabunt.

[1] *Mant.* X. *post Anal. Exeges. Jes.* LIII.

XXI. Personæ *Judicandæ* erunt; α *Angeli*, non Boni, utpote jam dudum consummatæ Gloriæ participes, sed *Mali*, ex *Matt.* XXV. 41. 1 *Cor.* VI. 3. 2 *Petr.* II. 4. *Jud. vers.* 6. β & *Homines*, omnes indiscriminatim, Magni Parvi, Mortui Vivi, Boni denique & Mali, *Apoc.* XX. 12. [2] *Act.* X. 42. 2 *Tim.* IV. 1. 2 *Cor.* V. 10. *&c.* haud excludendis *Piis* ob ablatum ab illis *Judicium* Condemnationis *Joh.* V. 24. aut *Impiis* ob negatam *Stationem in Judicio* vel Stabilem vel inter Pios *Psal.* I. 5. Quamquam putemus à Judicio denuo subeundo jure posse eximi eos, qui Animæ & Corporis respectu pariter jam antea in Cœlis cum Henocho & Elia glorificati fuerunt, quique ab initio potius mox Christi Assessores futuri videntur. Judicandi Angeli Mali, & Homines omnes.

[2] *Comm. in Loc.*

XXII. *Actus Judicii* plures ad *Quinque* revocamus. 1. *Citationem* sc. Peremptoriam, per *Angelos*, *Tubamque* potentissimam, *Matt.* XXIV. 31. 2 *Cor.* V. 10. 2. *Segregationem Piorum ab Impiis*, emphatice propositam sub similitudine Ovium à dextris & Hædorum à sinistris collocandorum *Matt.* XXV. 32. 33. Quæ tamen directe & immediate ad *Hypocritas* hic *Piis immixtos* videtur spe- Actus Judicii Quinque. Citatio. Segregatio. Causæ Cognitio. Sententiæ dictio. Ejusque Executio.

ctare; α ex nominibus solorum Domesticorum Animantium adhibitis, β Operibus Charitatis in Fratres memoratis, γ & collatione Textuum Parallelorum *Matt.* VII. 22. 23. XIII. 40. 49. Ita ut inde Separatio aliorum Malorum, nunquam Bonis Mixtorum, fortius inferatur. 3. *Causæ Cognitionem.* Quæ per *Apertionem Librorum* vulgo innuitur, phrasi petitâ ex *Dan.* VII. 10. & *Apoc.* XX. 12. ³ atque *Libris* notatis *Quatuor*, α æternæ *Prædestinationis Phil.* IV. 3. β *Scripturæ* Legalis & Euangelicæ, secundum varium hominum statum, γ *Providentiæ* Divinæ, ad omnia minima & abdita extensæ, *Psal.* CXXXIX. 16. *Mal.* III. 16. ⁴ δ *Conscientiæ* denique propriæ Creaturarum Rationalium, quæ Providentiæ testimonio subscribet *Rom.* II. 15. 1 *Joh.* III. 20. Quamquam vero Dominus *Matt.* XXV. ad Eleemosynæ commendationem majorem, & inculcationem Charitatis, tanquam potentissimi veræ Fidei indicii, adduxerit tantum *Charitatis Opera*; non licet tamen dubitare, quin reliqua *Opera Bona*, & quidem abditæ Cordis Cogitationes etiam tunc sint producendæ, 1 *Cor.* IV. 5. Similiter cum recenset ad rigorem Judicii exprimendum ipsa *Peccata Omissionis* Impiorum, magis debemus credere futuram commemorationem Peccatorum Commissorum, & Externo Opere, & Sermone sive Duro sive Otioso plane, & Cogitatione quoque *Eccl.* XII. 14. *Rom.* II. 6. 16. *Jud. vers.* 15. *Matt.* XII. 36. 37. *&c.* Addimus, plane nobis esse verisimile, quod etiam *Piorum Mala Opera in Judicio Producenda sint*, α ob Generalia Scripturæ Effata, β Justitiam Judicis omnibus secundum Opera, quæ per Peccata sane minuuntur, retributuri, γ Divinæque Gratiæ in Christo fluentem hinc majorem illustrationem, ad humiliationem piorum & Dei gloriam; haud obstante, α vel Judicis *Adventu ad Suos Salvandos*, qui finis Agnitionem uberiorem Salutis à se adductæ non excludit in hoc magis quam in primo adventu, β vel *ablata* dudum *Peccati Memoria*, *Jer.* XXXI. 34. quæ non est absolute plane intelligenda, sed tum de cessante ejus Vi Condemnante, tum de abolita Futuræ adhuc Expiationis sub Novo Test. Mentione in Sacrificiis, γ vel *Confusiono Piorum* hinc secutura, cum per certitudinem salutis in Christo illa tollatur, cum vera humilitate jungenda merito, δ vel *Silentio Christi Matt.* XXV. quod argumentum, ut mere negativum, & ex uno loco petitum, non valet. Causæ verò omnis Per-
fe-

fectissimam Cognitionem futuram, *Gentiles* ipsi significarunt per Judicandorum *Nuditatem*, & Negatos iis *Causidicos*. 4. *Sententiæ Dictionem*; α *secundum Operum Qualitatem & Quantitatem Rom.* II. 6. *Apoc.* XXII. 12. [5] ita ut Lætæ Retributionis Causa in Operibus Bonis non sit quærenda tamen, sed in cœlestis *Patris Benedictione*, *Præparatione*, & *Testamentaria* voluntate *Matt.* XXV. 34. β *Irrevocabilem*, absque ullo Revisionis aut Appellationis beneficio, γ *Initium* sumpturam *à Piis*, ad celerius ipsorum gaudium, & majorem Impiorum torsionem. 5. *Sententiæ* paratissimam absque mora ulla *Exsecutionem Matt.* XXV. 46.

[3] *Comm. in Loc.* [4] *Comm. in Loc.* [5] *Comm. in Loc.*

XXIII. Addimus adhuc verbo. 1. Tum *Judicii Tempus*; nobis ita *Incertum*, ut perpetuo vigilaremus, ratione *Anni*, *Mensis*, *Diei*, & *Horæ*, quam tamen *Mediæ* fore *Noctis*, ex historia Ægyptiaca, locisque *Psal.* CXIX. 62. *Matt.* XXV. 6. *Luc.* XVII. 34. aut Eandem qua resurrexit Christus, *coll. Luc.* XII. 38. quidam conjecerunt, etiam ratione *Durationis*, quæ tamen ob Judicis Omniscientiam brevissima erit; ut generatim dicere liceat, futurum illud *in Fine Seculi*, *Mortuis resuscitatis*, *Vivis mutatis*, *in Reditu*, *Adventu*, ἀποκαλύψει, παρουσίᾳ, ἐπιφανείᾳ, *Christi*, sive *Die Domini*. Qui, ad tempus Ecclesiæ gloriosius in his terris temere prorsus quandoque tractus, sub omnibus his nominibus nobis proponitur *Joh.* XIV. 3. *Act.* I. 11. 1 *Cor.* I. 7. 1 *Thess.* V. 23. *Tit.* II. 13. 1 *Cor.* I. 8. *&c.* & porro describitur à *Signis* remote magis & propinquius *Antecessuris*, de quibus ante est dictum; & inter quæ non numeranda *Quindecim Portenta*, à *Judæis* totidem diebus ultimis tributa, vel *Signum Crucis*, à *Papistis* post *Veteres* nonnullos somniatum, sive ex aëre luculentissimo formandæ & superaturæ magnitudinem ac splendorem Solis, sive colligendæ ex partibus Ligni à quo suspensus fuit Dominus. 2. Tum *Locum*; qui erit *Aëris Regio* terræ propinqua, ad quam Dominus descendet, ut ab omnibus promiscuè ad solatium vel terrorem videri possit, *Matt.* XXIV. 30. 1 *Thess.* IV. 16. 17. *Apoc.* I. 7. [1] *&c.* Circa *quem* verò *Terræ Tractum* videndus sit, nobis expositum non reperimus; ut non quidem plane negandum videatur esse verisimile, quod *circa Terram Cananæam*, olim à se in Statu Humili calcatam, & Populi sui antiquam sedem, gloriose se sit manifestaturus Salvator, sed inepta interim sit *Judaica* & *Papistica* determi-

Tempus & Duratio Judicii hujus. Ejusque Locus.

minatio, *Vallis Josaphati*, quam inter Jerosolymam & Montem Oliveti ponunt, quamque Judicii Sedem fore colligunt ex *Joël.* III. 2. 12. [1] *&* *Act.* I. 11. Dum α una Vallis omnes homines capere nequit, Protensione ejus mira inepte conficta; β in textu Prophetæ de Judicio, non Universali, sed Particulari in Gentes strage insigni aliqua delendas, agitur, γ nomen ipsum potius appellative quam propriè videtur intelligendum, ut sit *Vallis Judicii Domini*; δ nec est ulla in Scripturis Vallis Josaphati prope Jerosolymam nota, *Valle Benedictionis*, in qua Josaphat percussit hostes, procul Jerosolymis distante, neque sic appelllata 2 *Chron.* XX. 2. 20. 26. 27. Sepulchro Josaphati in Civitate Davidis posito 2 *Chron.* XXI. 1. nulla etiam Trophæorum à Josaphato in Valle Jerosolymis propinqua erectorum usquam repertâ mentione; nec tandem eodem loco sed modo rediturum esse Christum dixerunt Angeli apud ejus Ascensionem.

[1] *Comm. in Loc.* [2] *Comm. in Loc.*

Gloria ipsa Electorum descripta multifariam, a nobis tamen heic plene non potest capi, aut exprimi.

XXIV. His Gradibus promota Gloria Electorum tandem consummabitur plenè. Atque hic agnoscenda est simul; α Dei Bonitas maxima, qui Gloriæ hujus Magnitudinem nobis multifariam, expressis terminis, & Similitudinibus adductis omnium rerum optabilium, commendavit *Matt.* V. 12. XIX. 29. *Rom.* VIII. 18. 2 *Cor.* IV. 17. *Apoc.* II. 7. II. 17. 26. [3] *&c.* β & nostra *Imbecillitas*, per quam hic plene felicitatis illius Gradum summum & Modum omnem *capere non possumus* *Psal.* XXXI. 20. 1 *Cor.* II. 8. 2 *Cor.* XII. 2. 3. 4. [4] 1 *Joh.* III. 2. *&c.* ut omnis hic Descriptio multum infra rem ipsam subsidat.

[3] *Comm. in Loc.* [4] *Exerc. Text.* XLIX. P. V.

Consistit in Dei Fruitione Speciali, Immediata, Perfecta, & Æterna.

XXV. Consistit illa summatim; α in *Dei Fruitione*, qui verè Summum Bonum est in Se, & respectu Creaturarum Rationalium, secundum Scripturam *Gen.* XV. 1. *Psal.* IV. 7. 8. XVI. 5. XXXV. 3. XXXVI. 10. LXXIII. 26. 28. *Thren.* III. 24. *Rom.* VIII. 17. 1 *Cor.* XV. 28. *&c.* & Summi Boni Requisita, perfectam Amabilitatem inditam, Sufficientiam, Perpetuitatem, &c. β eaque *Speciali*, quæ opponitur communi per Opera Providentiæ, & *Immediata*, exclusis non tantum Creaturis Corporeis, sed etiam Verbo & Sacramentis 1 *Cor.* XV. 28. qualis ne quidem Adamo Integro, concessa fuit, & *Perfecta* 1 *Cor.* XIII. 10. tum *quoad Partes* beatorum omnes, Animam cum Facultatibus, & Cor-

Corpus, utpote jam antea pariter Sanctificatas, tum *quoad Gradus*, quantum Finiti subjecti capacitas admittit varia, & *Æterna* denique, absque ullo prorsus Fine aut Interruptione, docente id Scriptura *Psal.* XVI. 11.[1] 2 *Cor.* IV. 17. 18. *Apoc.* VII. 15. 16. 17.[2] &c. & pariter Rei Naturâ, cum Peccatis abolitis Hostibusque subactis nulla Mali ullius Causa supersit.

[1] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [2] *Comm. in Loc.*

XXVI. Non inutile erit paulo adhuc distinctius *Actus Glorificationis* notasse: sic enim nobis occurrunt. 1. *Cognitio Dei & Operum ejus Perfecta*, non tamen *Adæquata* & *Comprehensiva*, qua fulgebit Intellectus; in qua sola tamen formaliter cum *Thomistis* Beatitatem constituere non licet. Venit autem hæc vulgò sub nomine *Visionis*, ex *Matt.* V. 8. 1 *Cor.* XIII. 9 10. 11. 12. 2 *Cor.* V. 7. *&c.* nequaquam Corporaliter de Deo Incorporeo intelligendæ; quamquam alia Dei Incarnati Corporalis quoque Visio sit adfutura *Job.* XIX. 25 26. 27.[3] 1 *Joh.* III. 2. *&c.* Ad hanc Cognitionem porro Dei refer, *Cognitionem Nostri* ipsius, quin & *Sanctorum Cœlitum*, non necessario Omnium, sed tum nobis Cognatorum aut Cognitorum in hac terra, tum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorumque; quam ex exemplis Adami Evam, Apostolorum Mosen & Eliam, Lazari Resuscitati Suos cognoscentis *Gen.* II. 23. *Matt.* XVII. 3. *Joh.* XI. dum nulla specialis revelationis in his adductis sit mentio, ex Memoria item Animarum spirituali, Gloriæ aliorum Excellentia, & Mutua Societate intima, meritò putamus concludi, licet simul omnis Amor Specialis vinculo Carnali nixus sit cessaturus. 2. *Sanctitas Plena*, in Voluntate plane occupata Amore Dei & Fratrum *Psal.* XVII. 15. 1 *Cor.* XIII. 13. *Eph.* V. 27. *Hebr.* XII. 14. 23. 1 *Ioh.* III. 2. *Apoc.* VII. 14.[4] XXI. 27.[4] *&c.* Quam solam male iterum urgent *Scotistæ*. 3. *Gaudium* in Mente integra *Consummatum Psal.* XVI. 11.[5] *Matt.* XXV. 21. *Apoc.* VII. 17.[6] XXI. 4.[6] *&c.* Quod etiam innuitur per *Nuptias & Cantica* memorata, & ex priorum Bonorum Æterna Possessione fluere debet. 4. *Incorruptibilitas* tandem, *Agilitas*, *Potentia*, *Gloria*, & *Spiritualis Gubernatio*, in Corpore toto 1 *Cor.* XV. 42. 43. 44. *Phil.* III. 21. *coll. Matt.* XIII. 43. XVII. 2. *Exod.* XXXIV. 35. *&c.* Quam etiam extendimus ad *Virilem* omnium *Staturam*; nec refutatam solide ex *Apoc.* XX. 12.[6] nec probatam similiter ex *Eph.* IV. 13.

Quæ complectitur Cognitionem Dei. Sanctitatem porro. Gaudium etiam. Et Corporum Decus maximum.

 [3] Ex-

[3] *Exerc. Text.* XII. P. I. [4] *Comm. in Loc.* [5] *Exerc. Text.* XVII. P. III. [6] *Comm. in Loc.*

An futuri sint Gloriæ Gradus, inquiritur.

XXVII. Quæritur hic, an *Gloriæ hujus Futuræ* in variis futuri sint *Gradus Varii?* & propendemus merito in *Affirmantem* plurimorum, Veterum & Recentiorum, sententiam. Quamquam ad probationem non putemus spectare; vel Periculum Confusionis in Æqualitate, quod quidam inculcant; vel loca *Jes.* LVI. 4. 5. *Matt.* V. 19. XIII. 8. XVIII. 4. XXII. 30. *Joh.* XIV. 2. *Apoc.* XIV. 4. *&c.* quæ plures etiam adducunt. Nitimur nos magis; α Locis satis expressis *Dan.* XII. 3. *Matt.* V. 12. XIX. 28. *Luc.* XIX. 17. 1 *Cor.* XV. 41. 42. 2 *Cor.* IX. 6. *&c.* β Rationibusque, ex *Retributione* futura *Secundum Opera Rom.* II. 6. 2 *Cor.* V. 10. *&c.* ex *Sanctificationis*, *Pugnæ*, *&* *Capacitatis*, *Inæqualitate*, *&c.* Et responsio facilis est; α tum ad Loca objecta *Matt.* XIII. 43. XX. 12. 1 *Cor.* XV. 28. 2 *Tim.* IV. 8. *Hebr.* XII. 23. *Apoc.* I. 6. *&c.* utpote in quibus ad *Eandem Specie Gloriam*, ejusque *Magnitudinem* absolute spectatam, respicitur; β tum ad Rationes, ex *Æqualitate Electionis & Justificationis*, cum Sanctificatio his jungi deberet, & Graduum respectu illa temere supponatur, ex *Perfectione* item, *Infinitate*, *& Satiatione Gloriæ* futuræ, cum illa comparate ad Subjectum finitum, Capacitate varium, instar plurium Vasorum, concipi debeat. Interim *Meritum* omne *Humanum*, quod *Pontificii* somniant, & *Aureolas* ab ipsis tributas *Virginibus*, *Martyribus*, *& Doctoribus*, cum Coronarum externarum, *Albarum*, *Rubrarum*, *& Viridium*, indiciis, omnino repudiamus, secundum *Cap.* XXV. §. XVIII.

Gloria hæc in Cœlis concedetur.

XXVIII. Felicitatem communem haud parum augebit *Mansio in Cœlo Supremo Joh.* XIV. 2. 3. 2 *Cor.* V. 1. *Phil.* I. 23. III. 20. 1 *Thess.* IV. 17. &c. quod sub nomine *Paradisi*, *Canaan*, *Jerosolymæ*, *Sanctuarii*, *&c.* non immerito venit, & in quod dabitur frui læto Consortio Christi, Angelorum, & Sanctorum omnium; cum quibus Sermones quoque miscere & Deum externa Voce glorificare æquè quam Opere 2 *Thess.* I. 10. *Apoc.* V. VII. XII. licebit, Linguâ vel Antiquissima Hebræorum aut alia, vel aliqua Cœlesti nobis nunc non cognita, & reliquis cessaturis ex 1 *Cor.* XIII. 8. Nec quicquam porro est in Sacris Literis, quod de *Terra* tum quoque *Inhabitanda*, aut per vices *cum Cœlo mutanda*, & *Deliciis* etiam *Mundanis* in illa, more *Judæorum*, quorum tamen

men dicta Mysticum habere Sensum quidam volunt, *Muhammedanorum*, & *Chiliastarum*, cogitare nos cogat; locis oppositis *Matt.* v. 5. 2 *Petr.* III. 13.[1] *&c.* intelligendis, aut de legitima & tranquilla Terræ in hac Vita possessione & Terra Viventium superiori certò concedenda, aut de Mundo Integro, per familiarem Hebræorum divisionem, sic innovando, ut justitiæ & hominum justorum, non tamen in omnibus partibus suis pariter, sedes ille sit futurus.

[1] *Mant.* XIII. *post Anal. Exeg. Ies.* LIII.

XXIX. Hæc Gloria dum continget æternum piis, *Impii* cum *Dæmonibus* à Fruitione Dei beata *exclusi*, *tormentis* simul ineffabilibus, Gradu tamen variis, indesinenter cruciabuntur in Anima & Corpore pariter, uti *Ignis inextincti*, *Tenebrarum*, *Vermium*, *Stridoris Dentium*, &c. mentio satis docet; qua de re vide *Cap.* XVI. §. X. *&c.* Et erit eorum *Sedes*, nec in Cœlo, nec etiam quicquid somnient nonnulli in hac Terra; sed in *Inferno*, ubi nunc Animæ eorum detinentur, secundum § XII. nulla hinc sequente *Creaturarum Servitute sub Corruptione*, quam Paulus tunc cessaturam dixit *Rom.* VIII. 20. 21. 22.[2] cum Carcer hic ad Divinæ Justitiæ gloriosam demonstrationem immutabiliter sit facturus. Impiorum opposita Pœna Infernalis.

[2] *Exerc. Text.* XLIII. P. V.

XXX. Atque sic *Finis Mundi Totius* aderit; per *Ignem*, qui Gentilibus ipsis notus fuit, & traditur expresse 2 *Petr.* III. 7. 10. 11. 12. nequaquam in Allegoricum sensum, ut ineptum nimis in singulis vocibus & contextu, trahendo hoc testimonio. Hunc verò *Interitum* statuimus omnino ad *Cœlos Visibiles* fore extensum, Supremo per Peccatum nunquam corrupto; & non *Substantialem*, ut volunt multi, potissimum *Lutherani*, sed *Accidentalem*, α ob phrases *Mutationis*, *Liberationis*, *Innovationis*, *Restitutionis*, *&c.* hic adhibitas *Psal.* CII. 26. 27. *Rom.* VIII. 19.; 2 *Petr.* III. 13. *Act.* III. 21. β collationem ejus Petrinam cum *Diluvio*, γ medium *Ignis* adhibendum, δ Dei denique in creaturis suis ne plane pereant servandis *Constantiam*. Contra quæ nihil concludere licet; α ex locis *Iob.* XIV. 13. *Psal.* CII. 26. *Ies.* XXXIV. 4. LI. 6. LXV. 17. *Matt.* v. 18. 2 *Petr.* III. 7. *Apoc.* XX. 11. 4 *&c.* quæ vel de hoc præsenti Mundi Statu loquuntur, vel Mysticè potius ad aliud tempus, quam Judicii, spectant, vel etiam rem De Fine tandem & Interitu Mundi totius agitur.

Nun-

Nunquam Futuram arguunt; 6 Rationibus petitis, à cessante tunc Mundi Fine, Tempore, & fluxura hinc rerum Æqualitate cum Beatis hominibus, dum simplex Permanentia multum à læta Dei Fruitione differt, Tempus tunc nullum Pœnitentiæ est futurum, vel etiam quod Finem sumat, & Finis Mundi Subordinatus qui olim obtinuit cessans Supremum alterumque Subordinatum, qui nobis hactenus perspectus non est, non tollit. Nostrum est, missa Securitate, Desperatione, quin & Curiositate omni, jugiter laborare, ut digni reperiamur stare coram Filio hominis, & æternum Ipsius, Patrisque, & Spiritus, ut Triunius Dei, Creatoris & Redemptoris nostri, laudes canere lætas.

[2] *Exerc. Text.* XLIII. P. V. [3] *Comm. in Loc.*

F I N I S.



THEO-

THEOLOGICARUM POSITIONUM CENTURIÆ DECEM.

QUÆ


Privatarum Disputationum Argumentum continent.

Viro Amplissimo, & Nobilissimo,

HESSELO VEGELIN DE CLAERBERGEN,

Territorii Haskerani Prætori Dignissimo, Summis Dignitatibus in Frisiorum Republ. functo & fungenti;

JOHANNES à MARCK S. P. P.




Aud miraberis, Vir Nobilissime, publicam allocutionem ejus, quem à teneris annis, & primis literarum rudimentis simul perceptis, benevolentia fraterna es complexus, literisque tuis dignatus plusquam semel, postquam Reipublicæ Frisicæ clavus Tuæ etiam Prudentiæ fuit commissus. Sed indignari posses meritò, contigisse meâ culpâ, ut vetus necessitudo intermortua potuerit videri ab aliquot annis, quibus à Franequerana statione ad Groninganam transii. Enim vero, ut nunquam memoriam, vel Virtutum Tuarum, vel Meritorum de me plurimorum, intermortuam aut intermorituram credas plane, publicis his literis facere volui. Quod obsequii mei testimonium tantò Tibi gratius futurum existimo, quod cum doctrinæ salutaris summâ, prolixiori & breviori, à me sit junctum. Ignoscat enim Tua mihi Pietas, si non Frisia, Tuarum Virtutum dudum tota conscia, sed Belgium & Orbis inte-

ger Reformatus ex ore meo audiat, habere in VEGELINO Frisios Nobilitatis & Dignitatis primæ Virum, qui Avitæ Laudi propriis Virtutibus augendæ studet, qui ad Sapientiæ humanæ sublimem ascendit gradum, & qui potissimum Religionis decus adeò justo pretio æstimat, ut non tantum actiones omnes secundum eam componat, & in ejus exercitiis Ecclesiasticis & Domesticis delicietur, sed & illi apud alios propagandæ per instructiones & monitiones salutares summo cum fructu incumbat. En, Vir Amplissime, post plenius Systema, breve argumentum istius Divinæ Doctrinæ quâ imbutus es à parvulo, & quam imbibere concives tuos, parvos atque magnos, quotidie jubes Inserviit id olim Franequeræ per Pentadas *Domesticis Disputationibus studiosæ Inventutis, calamo descriptum; eundem postea usum apud Groninganos præstitit per* Decadas, *Centuriis tum singulis simul Publicæ Disquisitioni subjectis; nunc typis id denuo subjicio, ut quotidianam exercendi se occasionem habeant nostri Auditores, nec incerti in exercitiis id genus vagentur. Tu nostram sentiendi libertatem, cum veteris veri amore constanti junctam, ex eo agnosce; ex majori etiam opere Academicæ nostræ institutionis rationem percipe, & adversus invidorum calumnias defende; me tandem tibi semper devinctissimum & devotissimum constanter ama, atque diu in Patriæ & Ecclesiæ bonum vale. Dabam Lugduni Batav. ipsis Kall. Jul. A: Dion. MDCXC.*

THEO-

THEOLOGICARUM POSITIONUM

CENTURIÆ DECEM.


HEOLOGIÆ VOX, quamquam ab Ethnicis accepta, meritò tamen retinetur apd Christianos; utpote Doctrinæ nostræ Cœlestis & Salutaris naturam ritè exponens, & in S Scripturis fundata.

II. Theologia, quæ vulgo Unionis vocatur, & Humanæ Naturæ Christi tribuitur, non est confundenda cum infinita Dei Sapientia, qua se ipsum ut Deus cognoscit.

III. Indita sunt omni homini Naturaliter ea Semina, ex quibus una cum rationis usu aliqua Numinis Cognitio, ac Honesti & Turpis discretio, surgit, *coll. Rom.* I. 19. II. 14. 15.

IV. Quæ Theologia Naturaliter per Argumenta à creaturis petita potest confirmari, atque eò perduci, ut hominem de Dei Existentia, Essentia, Attributis, Operibus, quæ Naturæ vocantur, Voluntate etiam aliquatenus; de Sui ipsius item Essentia, Miseria, atque Officio, haud linquat planè incertum, *coll. Rom.* I. 20. *Act.* XIV. 17.

V. Nec ulla in his, aliisve capitibus, Theologiæ Naturali cum Revelata est vera Pugna.

VI. Naturalis Theologia, uti in multis deficit, ita Modum Reconciliationis cum Deo, & Perfectam benè Vivendi Regulam, non tradit, *coll. Matt.* XVI. 17. I *Cor.* II. 7.

VII. Quapropter Insufficiens est ad Salutem, ut ad illam hominem perducat, *coll. Act.* IV. 12. *Joh.* XIV. 6. *Eph.* II. 12.

VIII. Et nihilominus hominem plane ἀναπολόγητον reddit, dum Contra Scientiam suam agit homo, *coll. Rom.* I. 20.

IX. Theologia disciplina magis Practica quam Theoretica est.

X. In eâ tradenda, sicut non commendari debet methodus Scholastica, qualis in Papatu superioribus seculis fuit usurpata;

ita neque contemni debet Locorum Communium, ex Scripturis digestorum, methodica tractatio.

XI. Unicum Veræ Theologiæ Principium est Dei Verbum; quod olim ante Mosen absque Scriptione ipse Ecclesiæ suæ patefecit, & in ea conservavit.

XII. Sed quod Deus postea scribi voluit, multiplici Mandato Amanuensibus suis dato, *coll. Deut.* XXXI. 19. *Apoc.* I. 19.

XIII. Ex quo tempore Scriptura Ecclesiæ facta est Necessaria ad Fidem & Pietatem, per Dei voluntatem.

XIV. Est hæc Scriptura à Deo Inspirata per omnes partes; ut nulla res tam levis aut exigua videri debeat, in quâ auxilio Spiritus destituti errare potuerint Amanuenses, *coll.* 2 *Tim.* III. 16. 2 *Petr.* I. 20.

XV. Hæc Divina Scripturæ Origo, & fluens hinc Infallibilis ejus Autoritas, quamquam per Ecclesiam prædicetur, non tamen ob hujus Testimonium à nobis creditur, sed ob insitas complures Divinitatis Notas, quas illuminanti gratia sua potentissime nobis monstrat Spiritus Sanctus, *coll. Joh.* V. 34. 2 *Petr.* I. 19. 1 *Joh.* V. 6.

XVI. Competit hæc Infallibilis Autoritas, rerum verborumque respectu simul, Scripturæ eâ tantum in Lingua, in qua primum mandato & inspiratione Dei exarata est, *Hebræâ scilicet & Græca*, secundum duas ejus partes.

XVII. Ad hos adeò Fontes omnes Versiones examinari debent, etiam Vulgata Latina; de cujus Authentia post Canonem adhuc Tridentinum disputant ipsi Pontificii.

XVIII. Nulla in Originali Textu adferri potest Corruptio, quæ & Sensum lædat, & ex variis exemplaribus, collatisque Scripturæ locis, corrigi nequeat.

XIX. Utut versio Græca LXX. viralis dicta sit Antiquissima, & à Novi Test. Scriptoribus aliquoties usurpata, non tamen vel traditam à Veteribus ejus Originem Miraculosam, vel Autoritatem Infallibilem, credimus.

XX. Belgica Scripturarum Versio, ex Dordracenæ Synodi decreto à Viris Doctissimis in communem Ecclesiarum usum adornata, ac communi Celeberrimorum Virorum calculo plurimis aliis Versionibus anteposita, haud temerè absque sufficienti & Modestia & Prudentia, nedum quæsitâ ubivis sollicitè vel le-

levissimâ occasione, à Pastoribus coram plebe voce vel calamo carpi debet.

XXI. Autores Singulorum Librorum S. Scripturæ uti non cognoscimus, ita nec eos cognoscere necessarium est.

XXII. Fide tamen Divinâ credendum est, Singulos hos à Spiritu S. esse Actos; Mosenque & reliquos, qui in ipsa Scriptura Autores esse perhibentur, Scripta ea reliquisse.

XXIII. Haud minimum Divinæ Originis Argumentum est mirus Consensus, qui in Scripturæ S. Libris, tam diverso tempore & instituto ab Autoribus tam diversis scriptis, conspicitur.

XXIV. Omnia in Scripturis comprehensa ad Salutem Fidemque nostram, seu directè seu indirectè, faciunt.

XXV. Libros Apocryphos Fidei nostræ Canonem non constituere censemus, ob quadruplex imprimis adversum testimonium; Ecclesiæ sc. Judaicæ, Scriptorum indubie Canonicorum, Ecclesiæ Primæ Christianæ, denique & ipsorum horum Librorum, quatenus hi Notis Divinitatis carent, & Humanæ Originis Argumenta plurima in se continent.

XXVI. Reliqui, qui Canonici vocantur, Libri in Regulam Fidei & Morum perpetuam Ecclesiæ dati sunt, sive ad Vetus sive ad Novum Test. pertineant.

XXVII. Unde ullos ex his Periisse, gratis ab Adversariis urgetur, ac à nonnullis Theologis temerè conceditur. Omnes enim qui Deperditi videntur Libri, aut nunquam exstiterunt, aut sub alio hodie adhuc veniunt nomine, aut Divinitus inspirati non fuere, aut denique in Canonem Fidei Ecclesiæ non sunt dati.

XXVIII. Fluit & hinc eorundem Librorum ad Salutem Sufficientia seu Perfectio, *coll. Job.* xx. 30. 31. 2 *Tim.* III. 15. 17. *&c.* Quæ, si vel detur Libros aliquos esse Deperditos, nihilominus defendi & debet & potest.

XXIX. Tum adversus Enthusiastas, Extraordinarias Revelationes Scripturis jungentes, easque supra has efferentes.

XXX. Tum adversus Pontificios, Traditionum Oralium necessitatem, ad exemplum Pharisæorum, Carpocratianorum, & Artemonitarum veterum, urgentes, in gravissimis etiam Fidei capitibus.

XXXI. Scriptura, cum sit unica Fidei ac Morum in Ecclesia Norma, in Linguas etiam Vernaculas transferenda est, ex antiquo

quo Christianorum usu, & quam fieri potest, accuratissimè.

XXXII. Nec ejus Lectio Plebi interdicenda, aut ad Superiorum Permissionem alliganda, uti fit ex plurimorum Errorum conscienta, & quæsito spirituali Dominio, in Papatu.

XXXIII. Qui hanc enim Saluti & Pietati nocere judicat, næ is Dei sapientam prorsus vilipendit.

XXXIV. Et quamquam Naturalis Homo, Spiritus Sancti illuminanti gratia destitutus, salutariter Scripturas intelligere nequeat.

XXXV. Potest tamen mens quæcunque pia, hanc Spiritus gratiam nacta, ex ejus Lectione facillimè discere ea quæ ad Salutem Creditu & Factu prorsus sunt necessaria, cum in his Clarum passim & Perspicuum sit Dei Verbum.

XXXVI. Imò nusquam Scripturæ Sensum ita abditum esse putamus, ut is adhibita juxta cum omnibus Mediis debitâ Industriâ reperiri non possit, absque cœlesti Romanæ sedis Oraculo.

XXXVII. Scripturarum Interpretem Infallibilem, præter solum Spiritum in iis loquentem, non agnoscimus ullum.

XXXVIII. Nec displicet minus, id honoris Rationi hominis deferri, quam autoritatem eam Romanam sibi sumere Ecclesiam.

XXXIX. Sive per eam intelligatur Pontifex ex Cathedra loquens, sive Concilium, sive hoc a Pontifice approbatum, de quo ipsi disceptant.

XL. Ea Fallibilitatis specimina & Pontifices & Concilia certissimè dederunt, ut iis tutò amplius fidere non liceat.

XLI. Dum urgent quandoque Pontificii Patrum Exegeses, ut certissimum Veri Sensus Medium simul & Criterium, nimium ipsis deferunt honorem, & suam turpiter produnt causam.

XLII. Nec magis dissentientes à se curant Pontificii Patres, quam ipsum Lutherum, Zwinglium, Calvinum, & quos plures vocant Hæreticos.

XLIII. Multiplex, quem iidem statuunt, Scripturæ Sensus supremæ Dei sapientiæ & bonitati haudquaquam convenit.

XLIV. Significare tamen verba Plus semper, quam expresse dicunt, & propterea quod per Consequentias ex Scriptura justas elicitur, Divinitus quoque revelatum esse, censemus.

XLV.

XLV. Imò & dari quædam loca, in quibus tum Verba, tum Res typicè quid significent, sitque adeo Sensus Literalis & Mysticus simul, nulli dubitamus.

XLVI. In interpretanda Scriptura ante omnia attendi debet Analogia Fidei, Symbolicis Libris & Canonibus expressæ, ne quid illa lædatur.

XLVII. Nec minus circumspecte observanda Contextus Analogia, ad quam Antecedentia, Scopus, Consequentia, & ipsæ Phrases imprimis, spectant.

XLVIII. Vis Vocum & Phrasium propria & nativa uti non absque ratione tolli aut minui debet; ita nec sub prætextu Potentiæ Verborum, quævis Significata Impropria, Minusque inter se Cohærentia, sollicitè in Scripturæ explicatione conquirere licet.

XLIX. Prophetiarum multarum Veterum ad Novi Test. tempora Traductio, & Specialissima Applicatio, incerta non tantum sed & ludicra sæpissimè est.

L. Cui Mysteria, Allegorias, Prophetias, pro arbitrio in simplicissimis textibus fingere libet, sive loco sensus Literalis sive juxta hunc, is haud bene de Scripturis meretur, nec operis unquam finem sperare poterit, quod tamen magnum nunquam merito censebitur.

LI. Errant, qui Religionis naturam ita in Præceptorum Observatione & Promissiorum Fide constituunt, ut omnem Cognitionem excludant.

LII. Fundamentales seu ad salutem Scitu Credituque Necessarios plures putamus Articulos, quam quos Sociniani aliique tradunt.

LIII. Imò Necessaria prorsus est ad Salutem Christi Cognitio, quâ quicunque carent, hi & spe salutis destituuntur adulti.

LIV. Necessarii Articuli non sunt æstimandi, vel ex generali Christianorum Consensu, vel ex Symboli Apostolici formula, vel ex Explicita Necessitatis in Scriptura Mentione, sed ex eorum cum Salute Nexu, vel reali, vel verbali.

LV. Horum Articulorum Numerus præcise vix determinari potest; cum unus virtute plures semper in se contineat. Nec jure Pontificii quidam à nobis Determinationem hanc postulant.

LVI. Articulos Fundamentales quamquam concedant aliqui

quoad Verba in Papatu retineri, quoad Sensum tamen genuinum illic tolli, & per errorum multorum additionem corrumpi, statuimus.

LVII. Ubi hi Integri servantur, Fraternitatis utrinque Communio retinenda & fovenda est, non obstante, qui in aliis reperitur capitibus, aut in disciplina, ritibusque externis, notabili etiam dissensu.

LVIII. In Religionis quoad fundamenta Corruptæ Communione qui vivunt externa, summo exitii exponuntur periculo; cæterum qui & Fide internâ ei adhærent, hi promissis Divini Fœderis prorsus carent.

LIX. Dissidiorum inter Christianos Compositio Totalis, uti absque fundamento speratur, ita per Veritatis & Errorum Mixturam tentari nunquam debet.

LX. Religionis Christianæ Reformatæ Veritatem probant; mandatus Dei Unius Cultus, ab ipso Institutus, optima cum Deo Reconciliationis via, data omnium Deo Gloria, intima Conscientiæ turbatæ Consolatio, efficacissima ad Pietatem sinceram Incitatio, & quæ plures Veræ Religionis Notæ dantur, ac in ea solâ deprehenduntur.

LXI. Ad Dei Cognitionem uti Naturæ & Personarum distinctio necessaria est, ita neque Voces hæ proterve sunt rejiciendæ.

LXII. Nomen Dei, & quæ plura Communicabilia dicuntur, primo & per se non Officium, sed Naturam & Perfectiones Dei notant.

LXIII. Quod tamen non obstat, quo minus Angelis, Potentibus, & Magistratibus, Dei nomen ob Majestatis similitudinem aliquam tribuatur sæpe.

LXIV. Nomen Jehovah, in se haudquaquam ἀνεκφώνητον, in Casu Recto & extra Compositionem Soli Deo Proprium est; ut ex hoc nomine etiam liceat concludere, Angelum Fœderis, seu Salvatorem nostrum, Verum esse Deum.

LXV Significat illud communiter quidem omnes Dei Perfectiones, specialiter autem Simplicitatem, Æternitatem, Independentiam, & Immutabilem maximè Dei Constantiam.

LXVI. Uti nullum Dei Nomen ipsius infinitam Majestatem clare & perfectè nobis explicat, ita nec Perfectè ipse ille Definiri potest.

LXVII. In Descriptione, non Deitatis adeo quam Dei, necessaria est Personarum Trinitatis Mentio.

LXVIII. Deum esse verè Spiritum Incorporeum, & Scriptura & ratio luculenter docet, *coll. Joh.* IV. 24.

LXIX. Unde nec Oculis Corporeis ipsa Deitas unquam conspici, vel potuit, vel poterit, *coll. Joh.* I. 18.

LXX. Nec fas est qualicunque Imagine Perfectissimam ejus exprimere Essentiam, *coll. Deut.* IV. 15. 16.

LXXI. Quæ Deo ut Spiritui Vita tribuitur, illa Perpetuam ejus, Independentem aliundè, & Æternam præcipuè Actuositatem notat, omnemque ab ipso excludit Potentiam Passivam.

LXXII. Infinita Spiritualis hujus Essentiæ Perfectio non patitur, ut Intellectum ejus aliunde instrui dicamus, aut Scientiam ei, uti vocant, Mediam seu Conditionatam tribuamus.

LXXIII. Ex quo eodem principio Voluntatem Dei Antecedentem & Conditionatam, quo sensu eam urgent Adversarii, rejicimus.

LXXIV. Potentia Dei Inexhausta, Irresistibilis, Infinita prorsus, ac ad ea etiam extensa quæ nunquam fiunt, nullis à nobis limitibus est circumscribenda.

LXXV. Merito tamen docemus, per Potentiam Deum agere non posse Contradictoria, aut ea quæ Perfectionibus suis, Sanctitatis puta, Veritatis, aut aliis, repugnant.

LXXVI. Perfectiones, quæ Deo in Scripturis tribuuntur, & ex dictamine etiam Rationis ipsi tribuendæ sunt, uti realiter ab Essentia non distinguuntur, ita nec in ipso Deo multiplicantur.

LXXVII. Uti plures dantur & dari possunt, ob intellectus nostri imbecillitatem, Divisiones harum Perfectionum, ita nec contemnenda prorsus nobis illa videtur, quâ notissimo sensu Theologi alias Communicabiles, & alias Incommunicabiles, dicunt.

LXXVIII. Et quam si ex sensu Theologorum nostrorum in Scripturis fundatam dixerimus, neutiquam errare nos putamus.

LXXIX. Rejiciendâ prorsus eadem Divisione, si Communicatio hic intelligatur, ut vocant, Realis, cujuscunque etiam finitæ naturæ respectu, aut Univoca.

LXXX. Omnes quotquot numerantur Dei Perfectiones summatim in Infinitate ipsius comprehenduntur; quæ omnem à

Deo Perfectionis Terminum removens, quicquid est Perfectionis ambitu suo complectitur, adeoque & Existentiæ Necessitatem infert.

LXXXI. Independentia Deo competit Absolutissima, non tantum Essentiæ, sed & Scientiæ, ac Voluntatis, & Potentiæ respectu, cum omnia dependeant ab ipso, *coll. Gen.* XVII. 1. *Act.* XVII. 25.

LXXXII. Dicit autem hæc dubio procul in Deo intrinsecam Perfectionem & Sufficientiam. Ob quam si Deum Positivè à Se esse dicamus, phrasis tamen erit durior, & in sensum alienum forte ducet.

LXXXIII. Simplicitas Divinæ Essentiæ omnem Deitatis evertit Multiplicationem, quam nec Scriptura, nec sanior admittit Ratio.

LXXXIV. Omnem etiam removet ab Unica hac Essentia Compositionem Realem, ad quamcunquè à Philosophis illa referatur speciem, Physicam, Logicam, Metaphysicam.

LXXXV. Nec patimur, Simplicitatem Dei illis annumerari capitibus, quæ merè Philosophicâ nituntur ratione, & de quibus taceat planè Scriptura Sacra.

LXXXVI. Immutabilitas Absoluta ex infinita Perfectione fluit, & passim Deo tribuitur, *coll. Mal.* III. 6. *Jac.* I. 17.

LXXXVII. Quæ ita ad Essentiam ejus refertur, ut specialiter maximè Voluntati applicari debeat, *coll. Jes.* XLVI. 10.

LXXXVIII. In quam non Mutationis tantum Speciem aliquam, sed veram potius Conversionem inferunt, quotquot Voluntatem Deo Conditionatam tribuunt Adversarii.

LXXXIX. Æternitas Absoluta solius Dei est Attributum, cum nulla Creatura Communicabile, *coll. Rom.* XVI. 26.

XC. Quæ removet à Deo, non Principium tantum, & Finem, sed omnem etiam Successionem, ipsiusque Perpetuam & Constantem notat Existentiam, *coll.* 2 *Petr.* III. 8.

XCI. Uti nullo Temporis Termino concluditur Deus, ita nec ullo Locorum Spatio circumscribitur, *coll.* 1 *Reg.* VIII. 27.

XCII. Non Scientiæ tantum, & Operationum, sed & Essentiæ operantis respectu, absque ulla tamen Extensione aut Multiplicatione, verè Omnipræsens, *coll. Jer.* XXIII. 23. 24.

XCIII. Imò ita Immensus, ut omnes rerum creatarum termi-

minos ipse excedat, extra Mundum etiam in Se ipso sicuti ante Mundum existens.

XCIV. Scientia Dei non tantum ad omnia secundum Decretum Dei Futura, sed & ad ipsam Dei Naturam perfectissimam, adeoque & ad merè Possibilia, extenditur, *coll Matt.* XI. 27.

XCV. Nec Objecti tantum respectu, sed & ratione Modi, est Perfectissima; ut intimè, per se, uno actu, ab æterno, & infallibiliter, Omnia Deus cognoscat.

XCVI. Quamquam multiplicem Scientiam Deus Homini concedat, & Angelis, non tamen hæc ad Cordis cogitata immediate se extendit, sicuti Dei ipsius Scientia, *coll.* 1 *Reg.* VIII. 39.

XCVII. Sicut & solius Dei Proprium est, Futura Libera & Contingentia, per se, certò, omnia, & tanquam præsentia, cognoscere, *coll. Jes.* XLI. 22. 23.

XCVIII. Bonitas Deo soli competit Summa, quæ tum ipsius Perfectionem in se, & Amabilitatem, tum Benignitatem ejus erga creaturas notat, *coll.* 2 *Chron.* XXX. 18. *Matt* XIX. 17.

XCIX. Quæ posterior sæpe Amoris & Charitatis Divinæ nomine in Scripturis venit. Cum tamen non Affectus, sed Effectus tantum in Deum cadat.

C. Cujus diversi Effectus respectu non tantum Gradus varii Divino Amori tribuuntur, sed & ille in Amorem Benevolentiæ & Complacentiæ recte dividitur.

CI. Amor Dei ex Objecto, si id in se Indignum, Gratia, si Miserum, Misericordia dicitur; quamquam confundantur nonnunquam inter se hæ voces.

CII. Gratia nulla gratos nos faciens in Scriptura agnoscitur, nisi Dei Favor in Christo, *coll.* 2 *Tim.* I. 9.

CIII. Gratiam & Misericordiam Dei licet non una ratione Universalem dici posse concedamus, non tamen ea quæ ad Salutem sufficit, & ad hanc à Deo destinata est, ad Omnes homines extendi potest, *coll. Eph.* II. 12.

CIV. Non tantum Sanctificationis nostræ Initium & Progressum, sed & quascunque veras ad eam Præparationes, Deoque gratas, à gratis data Spiritus Gratia produci contendimus, *coll. Phil.* II. 13.

CV. Longanimitas Dei, quæ Justitiam Vindicativam non tollit, cum Salutari Gratia nullatenus est confundenda; & quam-

quam nos hæc impellat ad Resipiscentiam, non tamen ejus Viam nobis sufficienter monstrat.

CVI. Justitia, non uno sensu Deo in Sacris adscripta, vulgo imprimis & rectè Deo ut Judici tribuitur, *coll.* 2 *Tim.* IV. 8.

CVII. Fertur per hanc Deus in Amorem se amantium, seu per Fidem in Christum, seu per Perfectam Legis Obedientiam; prout Duplex hæc Via homini est proposita qua perveniat ad Dei Communionem.

CVIII. Perfecta Obedientia ubi reperitur, Deum per Bonitatem, Sanctitatem, Justitiam suam, sui Communionem negare non posse putamus. Quamquam Creatura omnis ita sit à Deo Dependens, ut illa etiam Innocens à Deo rejecta non haberet à sua parte, quod opponeret.

CIX. Per hanc eandem Justitiam Deus Peccatum prorsus Impunitum remittere nequit, *coll. Nah.* I. 2. 3.

CX. Quod non solum à Libero aliquo & Æterno Voluntatis Decreto est repetendum, sed ex ipsa Sanctissima Dei Natura deducendum, *coll. Jos.* XXIV. 19.

CXI. Cum Divinæ Essentiæ Unitate jungenda est Personarum Pluralitas; quam non humana Ratio, sed sola Revelatio, in Scriptura Sacra passim & abundanter facta, docet, etiam in iis quandoque locis, ubi de Dei Unitate agitur, *coll.* 1 *Joh.* V. 7. &c.

CXII. Non est tamen concedendum, Revelatam hanc Veritatem rectæ Rationi contrariari, vel contrariari posse.

CXIII. Si quæ adducuntur pro hoc Mysterio ex Natura Rationes aut Similitudines, eas ad illustrationem & faciliorem aliunde cognitæ veritatis persuasionem conducere posse, non vero dogma hoc demonstrative probare, putamus.

CXIV. Personæ vox, cum Scripturæ phrasibus bene conveniens, hic non est proterve rejicienda; uti nec illa Trinitatis, quam, rejectâ altera Triplicitatis, semper usurpari velimus.

CXV. Personæ & ab Essentia & inter Se non differunt mere Nominaliter; non etiam Realiter, ut diversa Entia; sed ut diversi ejusdem numero Essentiæ Subsistendi Modi. Quam differentiam per nos Realem, Personalem, Modalem, Rationis ratiocinatæ, &c. vocare licet.

CXVI. Discrimen inter Personas Scriptura equidem constituit

tuit in Nomine, Ordine, Modo Operandi, & Operibus ad Extra œconomicè appropriatis; maximè autem in quibusdam Proprietatibus Personalibus, quas Characteristicas Theologi vocant.

CXVII. Quo modo Patri competit esse à Se, non Essentiæ tantum respectu, quo sensu & Filius & Spiritus αὐτοθεός, sed & Subsistentiæ ratione, adeoque & ἀναίτιον & ἀγέννητον, *coll. Joh.* v. 26.

CXVIII. Filii vero est Generari à Patre; quæ Generatio non intelligenda, vel de Miraculosâ ex Maria Nativitate, vel de Suscitatione ex Mortuis, &c. sed de Æterna, Incomprehensibili, & Perfectissima ejusdem Essentiæ Communicatione, *coll. Psal.* II. 7. *Joh.* v. 25. &c.

CXIX. Spiritus nunquam dicitur à Patre Generari, sed Procedere; inter quæ quid propriè sit Discriminis, quis perfecte explicaverit? Discrimen utique ab Intellectu & Voluntate Patris petendum heic nobis non videtur.

CXX. Exire vero Spiritum S. non à solo Patre, sed à Patre Filioque, vel à Patre per Filium, pie credimus; cum etiam Spiritus Filii dicatur, & ab hoc ipse mittatur.

CXXI. Cæterum has, quæ ita distinguuntur, Personas Eandem numero Essentiam habere credimus, hinc Æqualis Gloriæ participes, & sibi invicem arctissimè Unitas.

CXXII. Hoc dogma, cujus cognitio ad Salutem Necessaria est, etiam sub Vet. Test. fuit revelatum & creditum.

CXXIII. Sunt enim illic Locutiones Dei in Prima Persona Plurales, & Plurium Personarum manifestæ distinctiones, ex quibus Pluralitas Personarum indefinitè patet, *coll. Gen.* I. 26. III. 22. XIX. 24. *Psal.* XLV. 8. &c.

CXXIV. Quod vero multi hic addunt Argumentum ex voce Pluralis Terminationis Elohim, juxta alias similes plures, cum Singulari Verbo aut Nomine constructa *Gen.* I. I. &c. nobis solidum non videtur.

CXXV. Trinitatem etiam, quam & multi Veteres gratis ex eâ quæ Abrahamo *Gen.* XVIII. contigit Apparitione probarunt, monstrant, tum Trinæ Divini Nominis aut Essentialis Attributi repetitiones *Num.* VI. 24. 25. 26. *Jes.* VI. 3. &c. tum distinctæ Trium Personarum recensiones, *coll. Jes.* LXI. I. LXIII. 9. 10 II. 14. *&c.*

CXXVI.

CXXVI. Hoc Myſterium qui in plurimis Novi Teſt. locis *Matt.* III. 16. 17. XXVIII. 19. 2 *Cor.* XIII. 13. 1 *Joh.* V. 7. *Apoc.* I. 4. 5. 6. &c. non videt, is voluntariè plane cæcutit.

CXXVII. Quæcunque vel opponuntur alia Loca, vel Ratiocinia, illa ex genuina dogmatis explicatione facilè ſolvuntur; dummodo mens noſtra cum ſui abnegatione Dei Infiniti Veracitatem amplectatur.

CXXVIII. Filii, ſeu Secundæ Perſonæ, Deitatem, probant vulgò & rectè Theologi, ex Divinis Nominibus paſſim ipſi tributis; juxta cum Proprietatibus, quæ etiam per Nomina ſignificantur.

CXXIX. Quibus adduntur Divina Opera, tum Æterna tum Temporalia, tum Naturæ tum Gratiæ; itemque Honor Divinus, qui ipſi, & ut Deo, & ut Mediatori ſed ex fundamento Deitatis, competit.

CXXX. Non eſt cenſendum ullatenus, vel Humanam Naturam ejuſque Imperfectionem, vel Munus Mediatorium ejuſque Oeconomiam, hanc ejus Deitatem evertere: imò & Incarnatio, & quod geſſit Munus, potenter illam inferunt.

CXXXI. Spiritum Sanctum non nudum Nomen, aut Accidens aliquod, ſed Veram Perſonam eſſe, docent Nomina, Attributa, Opera, & Emblemata Perſonalia.

CXXXII. Diſtinctum eundem eſſe Perſonaliter à Patre & à Filio, diſertè docet Scriptura, quoties diſtinctè eum recenſet, Alium nominat, & Proprietates διακριτικὰς illi tribuit.

CXXXIII. Idem & Unus; ut erret toto cœlo, qui per eum totum Sanctorum Angelorum Chorum intelligere voluit.

CXXXIV. Tandem & Verum Deum illum eſſe, iiſdem argumentis à Nominibus, Proprietatibus, Operationibus, & Honoribus Divinis, recte probant Theologi.

CXXXV. Meretur omnino hoc Trinitatis dogma non tantum à Sublimitate & Neceſſitate, ſed & ab inſigni ad veram Pietatem Utilitate commendari.

CXXXVI. Tam in Natura, quam in Scriptura, Perfectiones ſuas in Operibus ſuis nobis exponit Deus, quæ hinc in Theologia non ſunt negligenda.

CXXXVII. Sub communi hoc nomine comprehendimus etiam Conſilia ſeu Decreta Dei, quæ, abſtracta tamen ab omni imperfectio-

fectione, illi & Scriptura & multiplex Ratio tribuit.

CXXXVIII. Illa neque sunt Accidentia, neque Simplices rerum futurarum Ideæ, neque ipsa Divina Voluntas formaliter & absolutè considerata, sed consistunt in sapientissima Voluntatis ad res Futuras & earum Fines Tendentia.

CXXXIX. Decreta omnia Dei absolutissime sunt Æterna, ita ut nullo momento absque iis fuerit Deus, *coll. Eph.* I. 4. *Act.* xv. 18.

CXL. Nec ulla prorsus in ea cadit, vel Mutatio, vel Mutabilitatis Species, *coll. Hebr.* VI. 17.

CXLI. In Decretis quamquam multæ Conditiones ut Media cum Eventibus connectantur, nullum tamen Decretum Conditionatum est agnoscendum.

CXLII. Uti libere in tempore operatur, simulque respectu Decreti necessario, sic & Liberrime decernit Deus; ita tamen ut per naturam sanctissimam contrarium in multis decernere non potuisset.

CXLIII. Eventus & mirabilis rerum omnium Connexio Decretorum Divinorum Sapientiam imperscrutabilem humiliter adorare nos docet.

CXLIV. Nihil plane evenit in tempore, quod Deus ab æterno non decrevit, Bonum si sit, Efficere, Malum sin fuerit, Permittere, Dirigere, & Ordinare.

CXLV. Qui Dei Actus, seu in Consilio, seu in Exsecutione spectati, & cum ipsius Operis qua talis Efficientia conjuncti, nequaquam Deum Autorem ullius Mali constituunt.

CXLVI. Neutiquam est existimandum, Futura Contingentia in Dei Decreto non esse determinata, aut per Dei Decretum eorundem Contingentiam tolli.

CXLVII. Idem omnino de Eventibus Liberis, & dè Libertate, judicandum est, uti præter historiam Josephi, docet Passio omnis Christo illata ab hostibus secundum Efficacissimum Dei Consilium, *coll. Act.* IV. 28.

CLLVIII. Uti Vita Humana ejusque Casus omnes, etiam Minimi, à Deo determinati sunt, ita ejus Terminus quin homini cuicunque Immutabilis plane sit constitutus, non est dubitandum, *coll. Job.* XIV. 5.

CXLIX. Extendere se Dei Decretum ad Rerum quæ in tempore fiunt Nexus, uti non est dubium; ita Rerum, non quidem futura-

rarum, ſed tamen Revelandarum, Nexum aliquem Decretum à Deo eſſe, unde revelationis iſtius veritas fluat, non abſque magna ſpecie volunt nonnulli.

CL. Decreta uti novimus in Deo non eſſe Plura, nec Diverſa, ita de eorum Ordine, ubi communis tenetur orthodoxia, prolixe non eſſe diſputandum putamus.

CLI. Sicuti omnia, quæ in tempore fiunt, ab æterno determinavit Deus, ita & de Hominum quorundam Salute, & aliorum Exitio, ipſum ab æterno ſtatuiſſe, Scriptura & ratio docet.

CLII. Id Dei Conſilium, cum in S. Scriptura nobis exponatur, & inſigni ſe commendet hominibus uſu, docendum omnino & explicandum eſt Theologo.

CLIII. In cujus tamen tractatione, ob materiæ ſublimitatem, & Satanæ inſidias, Prudentia magna opus eſt.

CLIV. Prædeſtinationis vox, quæ juxta alias multas hic in Scriptura adhibetur, rectè tam ad Reprobationem quam ad Electionem à Theologis applicatur.

CLV. Nec Scripturis repugnat, eam vocem etiam ad Angelos extendi; quamquam inter horum Prædeſtinationem, & Hominum illam, Objecti, Modi, & Finis reſpectu, multiplex ſit diſcrimen.

CLVI. Prædeſtinatio competit equidem Triuni Deo, ſed tamen Patri œconomice potiſſimum tribuitur.

CLVII. Prædeſtinatio non minus, ac reliqua Dei Decreta, verè Æterna eſt ſtatuenda, *coll. Eph.* I. 4.

CLVIII. Atque prorſus Immutabilis; ut neque Electi finaliter & totaliter ulli deficere, neque Reprobi ad ſalutem pervenire poſſint, *coll.* 2 *Tim.* II. 19.

CLIX. Independens item ab omni Cauſa Decretum antecedente; ut nec ullum in homine Bonum, quocunque nomine Fidei, Perſeverantiæ, Boni Uſus Liberi Arbitrii & Gratiæ communis, Bonorum Operum, &c. venerit, Electionis vel ſit Cauſa, vel Conditio prærequiſita, *coll. Rom.* IX. II.

CLX. Nec prævifa Incredulitas aut Impietas Deum ad aliorum Reprobationem impulerit, *coll.* I *Petr.* II. 8.

CLXI. Neque eſt Prædeſtinatio Actibus Dei Judicialibus accenſenda, cum ſit Liberrimi plane Dominii; ut vel Peccatum

Cauſa

Causa Impulsiva Reprobationis, vel Satisfactio Christi Motiva Electionis commodè dici neutiquam possit, *coll. Rom.* IX. 18. 21.

CLXII. Ultimus Prædestinationis Finis est Sapientiæ, Potentiæ, Libertatis, Justitiæ, & Misericordiæ Divinæ, gloria.

CLXIII. Quam ut Deus luculenter patefaceret, Hominum Creationem, Permissionem Lapsus, horum Liberationem per Christum, illorum Derelictionem in Miseria, ut Media in consilio quidem coordinata, nostro vero concipiendi modo & eventu sibi invicem subordinata, ipse ab æterno unico voluntatis actu voluit.

CLXIV. Unde liquet, sano sensu & Hominem Labilem, & Lapsum, Prædestinationis posse dici Objectum.

CLXV. Non probamus tamen hic Extrema, ut vel absque certa ad futurum Lapsum relatione Prædestinatio facta dicatur, vel Permissio Lapsus Medium, ad ultimum demonstrandæ Divinæ Justitiæ & Misericordiæ finem, esse negetur.

CLXVI. Prædestinationi, generalius sumptæ, etiam Christus est subjiciendus; qui pro diverso considerandi modo vel Prior vel Posterior in Electione concipitur, *coll Jes.* XLII. 1.

CLXVII. Omnesque Homines Prædestinati sunt, non tantum Conditionate, & sub communi intuitu vel Fidei vel Incredulitatis considerati, sed & Singuli ad Suum Certum Finem, *coll. Rom.* IX. 13. 1 *Thess.* V. 9.

CLXVIII. Electio quin pro Consilio Dei Æterno in Scripturis sumatur, non est dubitandum, ex *Eph.* I. 4.

GLXIX. Electionis unicus Fons gratiosus est Dei Amor, ex quo fluit omne illud Bonum, quod in tempore Deus, vel in homine, vel propter eum operatur, *coll. Matt.* XI. 26.

CLXX. Electio ad Gratiam vere Salutarem, quo nomine Dona quæcunque Communia exprimenda neutiquam esse putamus, & ad Gloriam, est Unica; unde nemo ad illam electus est, qui non simul ad hanc à Deo ordinatus sit.

CLXXI. Facit Gloriæ cum Gratia Nexus in Electionis gratioso decreto, ut evanescant calumniæ de Absolutâ prorsus & omni modo Electione, atque ut Impietas omnis à Credentibus absit.

CLXXII. Sed & fluit ex hoc nexu Immutabilis Electionis Certitudo, non admittente verè lituram ullam Libro Vitæ re-

ſpectu Divinæ Inſcriptionis, *coll. Rom.* VIII. 29. 30.

CLXXIII. Imò & reddit hic nexus Fideles de ſua pariter & Perſeverantia, & Salute, & Electione, Certos, ubi Spiritus dona ſibi conceſſa probe excutiunt, *coll.* 2 *Pet.* I. 10.

CLXXIV. Electorum uti Determinatus eſt Numerus, ita Reprobis multitudine æquari hi non poſſunt, ſapienter ita Miſericordiæ ſuæ divitias erga Electos demonſtrante Deo, *coll. Matt.* XX. 16.

CLXXV. Ex Externa equidem Conditione de Electione judicium fieri non debet, aut poteſt; ſed & ſapienter Deus Pauperes præcipue & Ignobiles hujus mundi hæredes glorioſi regni ſcripſit, *coll.* I *Cor.* I. 26.

CLXXVI. Ex quorundam Electione ſequitur neceſſario aliorum Reprobatio; non minus ferè frequenter in Scripturis inculcata, hinc & à Theologis, prudenter tamen, docenda.

CLXXVII. In qua duplicem Actum, Poſitivum unum, Negativum alterum, ex *phraſi Scripturæ diverſa*, conſiderant Theologi.

CLXXVIII. Hujus quoad Actum Utrumque, conſideratæ etiam tum Abſolutè & in Se, tum Comparatè ſeu cum Relatione ad hos & illos homines, unicus Fons eſt Liberrimum Dei Dominium, & hinc fluens Propoſitum declarandæ ſuæ *Juſtitiæ*, *coll. Rom.* IX. 22.

CLXXIX. Ita tamen, ut nemo ad Pœnam prædeſtinetur, qui non ſimul ad Culpam à ſe committendam ordinetur.

CLXXX. Neque poteſt ullus hominum à Culpa Communi, in Adamo contracta, excuſari; quæ ſola ad Damnationem cum ſufficiat, Propoſitum etiam Reprobationis juſtificat. Ut non deceat hic ad Præviſam Incredulitatem aut Impœnitentiam confugere, quæ abſque Electione & Gratia Dei omnibus forent communia.

CLXXXI. Incredulitas ergo & Impœnitentia, ut Conſequentia, ex Reprobatione fluunt neceſſario, *coll. Job.* X. 26. 1 *Petr.* II. 8.

CLXXXII. Circa quæ Deo in tempore tribuuntur, tum Actus Negativi, non illuminandi, non miſerendi, derelinquendi, &c. quamquam varios hæc Dei Derelictio Reproborum reſpectu Gradus agnoſcat.

CLXXXIII. Tum Positivi, indurandi, excæcandi, aggravandi, obfirmandi, tradendi, &c.

CLXXXIV. Quibus phrasibus neque Otiosa Dei Permissio, neque Duritiei aut Impœnitentiæ Efficientia Deo tribuitur.

CLXXXV. Sed significatur Gratiæ Ablatio, data Satanæ Potestas, & Occasionum, in se quidem Bonarum sed per hominis malitiam ad omne Malum ducentium, Objectio.

CLXXXVI. Incredulitas & Impœnitentia Finalis cum ex Reprobatione ut Consequentia fluant, liquet hanc esse Immutabilem, nec posse Reprobos unquam ad Salutem pervenire.

CLXXXVII. Sed & fundamentum hic habemus, cur de Reprobatione non æque, quam de Electione, homines Certi esse possint; quia scilicet maxima Incredulitas & Durities cordis, nisi Finalis fuerit, argumentum Reprobationis non suppeditat.

CLXXXVIII. Sicut Homines Plurimos & Maximos, satis ex Eventu constat, à Deo esse Reprobatos; ita huic Dei Decreto Infidelium etiam Liberos, Gentesque ab Euangelii præconio alienas, subjicere non dubitamus.

CLXXXIX. Ita connexum est Prædestinationis dogma cum Salutis nostræ doctrina, ut hæc integra fermè convellatur, priori non rite explicato.

CXC. Pessimis Absurdis pessime premunt Adversarii hanc doctrinam; quæ tum Dei Perfectiones, tum Nostram Imperfectionem, luculenter nos docet, atque Consolationis Adhortationisque usus uberrimos nobis largitur.

CXCI. Secundum Æterna Decreta Deus in tempore ad Extra operatur, eodem Voluntatis suæ jussu, absque ulla Mutatione.

CXCII. Horum Operum initium est in Mundi hujus Creatione; cujus veritatem Natura pariter & Scriptura docet.

CXCIII. Ea vox sua vi Productionem Rei Novæ insolitam notat, & pro synonymis in Scriptura S. habet præcipue vocabula Faciendi & Formandi.

CXCIV. Est Creatio Solius Dei Opus, Personis singulis commune, sed plane & quocunque modo cum Creaturis Incommunicabile, *coll. Jer.* X. 11. 12. *Job.* IX. 8.

CXCV. Et mero Divinæ Voluntatis Jussu, tendente ad rerum Existentiam, absolvitur, *coll. Psal.* XXXIII. 9.

CXCVI. Unde ſequitur, Libere Deum Mundum hunc creaſſe, nec ullius rei præter Deum Exiſtentiam eſſe Neceſſariam.

CXCVII. Nec in primâ rerum Creatione ullum potuiſſe Inſtrumentum Deo ſubſervire.

CXCVIII. Cum per hunc Dei Juſſum res omnes initium habeant, ex Nihilo omnia creata eſſe apparet, *coll. Rom.* IV. 17. *Hebr.* XI. 3. &c. Ita tamen ut poſteriorum dierum Opera ex Inhabili primoque die creata Materia producta ſint.

CXCIX. Ita ad Dei Juſſum Res exſtiterunt, uti Deus eas ad gloriæ ſuæ demonſtrationem, & ſubordinatos fines obtinendos, ſufficere ſapientiſſimè judicavit.

CC. Unde quam agnovit in Operibus ſingulis & omnibus Perfectionem Deus *Gen.* I. 31. eam & nos agnoſcere decet, nec vanas de Poſſibili majori Perfectione quæſtiones fovere.

CCI. A Creationis hujus Initio hactenus Sexies Mille Anni non effluxerunt, quamvis ob varia Dubia Chronologica numerum præciſe determinare vix poſſibile ſit.

CCII. Ratione Tempeſtatis Anni primum Mundi Principium maximè probabiliter in Autumnum conjicitur.

CCIII. Quamquam Uno Momento Deus res Omnes in eo ſtatu, in quo nunc ſunt, creare potuiſſet, libuit ipſi tamen conditam à ſe Molem Corpoream, Sex demum Dierum, à Veſpera incipientium, ſpatio ſucceſſive expolire. Cui Moſis narrationi ſimpliciter fides videtur habenda.

CCIV. Diei Primi Opus fuit, non tantum Univerſi Corporei moles, ſed & Cœlum Supremum cum ejus Incolis Spiritibus, & Lux Primigenia, quæ certe abſque corpore lucido non eſt concipienda.

CCV. Die Secundo Expanſum exiſtere fecit Deus; ac per illius partem inferiorem, magnam Aquarum copiam, in Nubibus ſuſpenſam, à Terreſtri & Aqueo globo ſejunxit. Diviſione hac Aquæ & Terræ ulteriori, hinc & Operis Approbatione, Diei Tertio ſervatâ.

CCVI. Data ſunt Quarto Die Cœli Luminaria in Signa, non tamen Eventuum Contingentium & Liberorum, quos hinc per Aſtrologiam Judiciariam prædicere non licet, *coll. Jeſ.* XLI. 22. XLVII. 13.

CCVII. Rerum Creatarum Molem, quamquam Maximam, non

non tamen Immensam dicere oportet, *coll.* 1 *Reg.* VIII. 27.

CCVIII. Nec ita exhausta Dei Potentia est in rebus creatis, ut Quietem Dei de Restitutione delassatarum virium interpretari possimus, cum in rerum creatarum Conservatione jugiter operetur; aut ut plura non possit ipse pro arbitrio suo creare.

CCIX. Mundo qui præter Deum Universo Animam tribuunt, nec Ratione nec Scriptura nituntur.

CCX. Quam in Creatione intendit Deus Gloriam suam, eam in singulis & omnibus Operibus effulgere lucidissime facit.

CCXI. Creationem rerum Corporearum quamquam Moses ex professo tantum narraverit, illam tamen Spirituum rectè jungi à Theologis putamus; quorum Existentiam uti Scriptura docet, ita probabiliter ex Ratione colligere licet.

CCXII. Angelorum nomen uti primo est Officii, ita Hominibus & Christo etiam tribuitur; sæpissime autem Spiritibus, quorum Ministerio Deus frequenter utitur.

CCXIII. Cæterum Christus quando Angelus dicitur, ea adscribuntur ipsi Opera, aut illa adduntur Epitheta, ex quibus ἐξοχὴ ipsius sufficienter constat.

CCXIV. Angelos non esse Phantasmata aut Operationes meras, firmiter tenemus.

CCXV. Illos Creatos esse à Deo, nec ante Principium Mosaicum, patet ex Scriptura; Die vero, non Secundo, aut Sexto, sed Primo creatos esse, probabiliter ex ea colligere licet, *coll. Job.* XXXVIII. 6. 7.

CCXVI. Infinitas soli Deo est vindicanda; ac proinde sicut Perfectione, ita Numero & Potentia non tantum, sed & certa locorum Præsentia, Finiti Angeli censeri debent.

CCXVII. Omnis tamen Corporeæ Molis, seu Essentiam constituentis, seu cum Spirituali essentia conjunctæ, plane expertes sunt, *coll. Luc.* XXIV. 39.

CCXVIII. Corpora Assumpta, in quibus sæpius apparuerunt hominibus, varia fuisse videntur, quandoque ex condensato Aëre in speciem formata, quandoque vere Humana.

CCXIX. Qui Angelis ut Spiritibus competit Intellectus, non Naturali modo, sed & Experimentali, & Revelata Scientia, instructus est.

CCXX. Scientia eorum, quamquam nostrâ longe Perfectior sit,

ſit, non tamen aut Simplex abſque omni diſcurſu, aut Infinita plane eſt.

CCXXI. Non extendit ſe Angelorum Scientia immediate ad humani Cordis cogitata, uti nec ad Futura Libera & Contingentia, nedum Omnia, & Infallibiliter.

CCXXII. Libertas Voluntatis horum, tum in Obedientia Bonorum, tum in Inobedientia Malorum, liquidò conſpicitur.

CCXXIII. Potentia ſumma iis competit, ſed à Divina prorſus Voluntate Dependens.

CCXXIV. Sunt illi, quacunque ætate Eccleſiæ, hujus perinde ut Dei & Chriſti Miniſtri, *coll. Hebr*. 1. 14.

CCXXV. Omnes in initio Boni creati ſunt, Præſentis adeo Conditiouis reſpectu tantum in Bonos & Malos diſtinguuntur.

CCXXVI. Bonis Angelis varia in Scripturis Nomina tribuuntur; inter quæ etiam nomen Proprium Gabrielis, altero Michaëlis ſoli Chriſto proprio, & tertio Raphaëlis fabuloſo.

CCXXVII. Hos initio mox Immutabiliter Bonos creatos eſſe, ex Scriptura non liquet; unde ex Diſparitatis in Creatione ſilentio, & Hominis Mutabilis facti Exemplo, contrarium potius colligimus.

CCXXVIII. Hodie tamen eos autumamus extra Lapſus & Peccati omnis Periculum eſſe conſtitutos, confirmante Dei Gratiâ.

CCXXIX. Quæ non à Chriſto ut Mediatore eſt repetenda; non etiam ſtrictiſſimo ſenſu Promerita dici debet; ſed ex liberrimo Electionis Propoſito, & hinc Conſtanti ad tempus Obedientia fluxit.

CCXXX. Eorum Numerus Magnus eſt equidem, ſed tamen non præciſe in Scripturis determinatus, an illo Lapſorum Angelorum, itemque Hominum, ſeu Reprobatorum ſeu Electorum, major, minor, an æqualis ſit.

CCXXXI. Angelos ut Aſtrorum Circumgyrationi gratis præfecit cæca Gentilitas; ita non niſi ex illorum, ut & Rabbinorum & Baſilidianorum, traditione vana fluit, ſomniatum à Pontificiis, Gentium, Societatum, Opificiorum Præſidium.

CCXXXII. Eodemque plane loco haberi debet opinio de Angelo Cuſtode Singulis tributo.

CCXXXIII. Interceſſionem pro Fidelibus ad horum Preces Angelis tribui, nec Chriſti unici Mediatoris gloria nec Angelorum Imperfectio permittit.

An-

CCXXXIV. Angelis Bonis, ut Conservis Fidelium sub quacunque Ecclesiæ œconomia, nulla Adoratio, Veneratio, aut Subjectio, Religiosa competit, sive ore, sive opere illa demonstretur.

CCXXXV. Ita, ut Fideles tamen semper hos merito, & Imitentur, & ob Dei ministerium Revereantur, *coll.* 1 *Cor.* XI. 10. 1 *Tim.* V. 21.

CCXXXVI. Uti Ordinem aliquem inter Angelos Bonos non minus, quam Malos, lubenter concedimus, ita tamen eos in Assistentes & Ministrantes dividi, aut in certos Ordines, seu Decem, uti volunt Judæi, seu Novem, quos urgent ex Pseudo-Areopagita Pontificii, distingui absque vanitate, non autumamus.

CCXXXVII. Angelos, qui propria protervia Lapsi sunt, non quidem ante Creationem Mosaicam, aut inchoatam, aut absolutam, sed tamen ante Hominis Transgressionem, Æternæ Miseriæ irreparabiliter sapienti judicio suo Deus subjecit.

CCXXXVIII. Conjectura est, Lapsos eos superbâ Divinitatis Affectatione, ex exemplo Hominis, & loco 1 *Tim.* III. 6. Quâ tamen altera fortè non improbabilior est, quæ ponit, Superbiam in Invidia hominis respectu se manifestasse primum, ex *Gen.* III. 1. *Joh.* VIII. 44. 1 *Petr.* V. 8. &c.

CCXXXIX. Plurimi hi, & Ordine inter se Distincti, in Infernum ut ordinarium domicilium detrusi, gloriosa Dei fruitione exclusi, & conscientiæ horroribus cruciati, graviori tamen judicio novissimo die subjicientur, *coll.* 2 *Petr.* II. 1. *Jud. vers.* 6.

CCXL. Reliqua tamen ipsis est insignis Πανεργία & Potentia, unde plurima Nomina *Col.* II. 15. *Eph.* VI. 12. &c. & mira non solum Vaticinia, sed & Opera, quæ tamen sæpe in speciem modo talia. Ut Vera Miracula edere solius sit Dei *Psalm.* LXXII. 18.

CCXLI. Ex Existentia Dei & Mundi tam certo fluit ejus Providentia, ut Deum ipsum neget, quisquis hanc à mundo tollit, *coll. Psal.* XIV. 1.

CCXLII. Consistit hæc à parte Dei in Potenti Voluntatis Jussu, tendente ad Rerum Creatarum, tum Continuationem, tum Operationes.

CCXLIII. Unde Primus ejus est Actus Positiva Rerum Conser-

ſervatio in exiſtentia, eſſentia, & perfectionibus omnibus ad eam pertinentibus, *coll. Neh.* IX. 6.

CCXLIV. Quæ adeo eſt Neceſſaria, ut abſque hac omnia eſſe neceſſario deſinerent, *coll. Pſal.* CIV. 29.

CCXLV. In diverſo autem Conſervationis Modo ſapientiam ſuam, libertatem, aliaſque perfectiones, luculenter Deus demonſtrat.

CCXLVI. Secundus Providentiæ Actus eſt Concurſus, ſive Cooperatio Dei, quâ non tantum vires agendi conſervat, aut generales operationum leges imprimit, ſed & in omnes ac ſingulas Creaturarum Actiones influit, *coll. Jeſ.* X. 15. *Act.* XVII. 28.

CCXLVII. Quæ Dei Operatio, non ut Simultanea, ſed ut Prævia, non ut Determinanda, ſed ut Determinata, non ut realiter ab operatione creaturæ Diverſa, ſed ut Eadem, concipi debet.

CCXLVIII. Fluit ex hoc Concurſu omnium Operationum Gubernatio ad Objecta & Fines certos, cui omnia, licet inſcia & invita multa, parent.

CCXLIX. Huic Providentiæ Omnia dum ſubjacent, imprimis Maxima quæque, Cœlum, Cœleſtia, Terra, ejus Incolæ, Reges & Regna, Homines Omnes, in nativitate, vitæ curſu, operationibus ſingulis, & morte, ſubjici debent.

CCL. Sed nec Minima quæque ſubtrahi poſſunt, eo magis Dei ſuſtentatione opus habentia, *coll. Matt.* VI. 26. 28. X 29. 30. &c.

CCLI. Neque Contingentium naturam recte aſſequuntur, qui hæc Divinæ Providentiæ ſubtrahunt.

CCLII. Quod idem de omnibus Actionibus Liberis Creaturarum Rationalium eſt dicendum.

CCLIII. Bona uti Deus per Providentiæ ſuæ Concurſum Efficit, ita Mala omnia tum Pœnæ tum Culpæ à ſapientiſſima Providentiæ Divinæ Ordinatione efficaciter fluunt.

CCLIV. Quam uti in Otioſa Permiſſione conſtituere neutiquam licet, ita nec Malum omne in vana Hominis Perſuaſione eſt conſtituendum.

CCLV. Nec ulla ſpecie Mali Culpa in Deum Optimum & Sanctiſſimum omni labe carentem rejicienda.

CCLVI. Deum per arcanam Providentiam ſæpiſſimè Peccata Pec-

Peccatis punire, tum in iisdem tum in diversis Hominibus, & Scriptura & Experientia docet, *coll.* 2 *Sam.* XII. 11. 12. *Rom.* 1. 24. 26.

CCLVII. Quæcunque Dei circa Peccatum Actiones, puta gratiæ negatio, & prioris ablatio, Satanæ traditio, occasionum objectio, certa gubernatio, sapiens ordinatio, denique actionis peccaminosæ productio, Sanctissimæ deprehenduntur nihilominus.

CCLVIII. Dogma hoc cum nos de Divinis Perfectionibus variis instruat, non intelligere se id ostendunt, quotquot per illud Deum libertate, quiete, majestate, justitia, & sanctitate sua, privari contendunt.

CCLIX. Nec ullum ad Christianam Consolationem magis est accommodatum.

CCLX. Imo & ad Officia nostra, tam in Prosperis, quam in Adversis, tam in Præsentibus & Præteritis, quam in Futuris, efficaciter nos impellit.

CCLXI. Deum, cujus tam Adorabiles sunt Perfectiones, & ob Bonitatem pariter & Sapientiam stupenda Opera, a nobis esse Colendum, illorum intuitus docet.

CCLXII. In vocibus λατρείας & δουλείας nullum reperimus Discrimen, vel Originis vel Usus respectu, ubi ad Deum & Cultum Religiosum referuntur.

CCLXIII. Cultus Divinus cum consistat in Obedientia Mandatorum ejus, Creaturis Rationalibus eum tantum competere, nec externo exhauriri opere, facile liquet.

CCLXIV. Unde etiam Consequens est, Verum Dei Cultum Præmii & Pœnæ intuitu præcipuè niti non posse.

CCLXV. Verum Deum non colunt, qui Filium & Spiritum Sanctum juxta Patrem non honorant.

CCLXVI. Cultus Religiosus nulla specie Creaturis est deferendus, *coll. Matt.* IV. 10.

CCLXVII. Unde Idololatriæ merito reos judicamus Pontificios, cum Deo sociantes, non Mariam modo, sed & omnem Angelorum & Sanctorum chorum.

CCLXVIII. Imo eâ se Obedientia Pontifici subjicientes, ut hunc re non minus, quam nomine, pro Deo habeant.

CCLXIX. Cultum Religiosum ita Deo Proprium esse volumus,

mus, ut ne Humana quidem Christi Natura abstracte considerata ejus particeps esse debeat.

CCLXX. Cultus porro cum Obedientiam dicat, Verus non est, qui in ἐθελοθρησκείᾳ consistit, *coll. Col.* II. 23.

CCLXXI. Obedientiæ & Cultus nostri Norma Unica est Lex Dei, quamquam in Sanctis sæpe ejus reperiatur Exemplar.

CCLXXII. Ita Universalis omnium Actionum nostrarum in Lege Dei est Norma, ut nulla Actio in circumstantiis omnibus considerata Indifferens judicari possit.

CCLXXIII. Dei Voluntas ut in Legem abeat, Notificatione aliquâ opus est, quæ tamen, ubi Primo Parenti concessa fuit, nunc repeti necessario nentiquam debet.

CCLXXIV. Ad Legis Dei Observantiam in omnibus & singulis mandatis cum homines sub Pœna Mortis à Deo obligati sint, sequitur, nec Dispensandi Potestatem penes Pontificem, nec ulla Peccata Venialia esse.

CCLXXV. Imo fluit & hinc, ab Observantia Legis hujus per Fœdus Gratiæ hominem non esse liberatum; sed uti Plenariam ejus Impletionem Mediator suscepit, ita ad Perfectionem summam omnibus Fœderatis esse contendendum.

CCLXXVI. Amplissimum Vitæ Promissum cum ex Bonitate sua mandatorum suorum observationi indiscriminatim annexuerit Deus, illud ad Præcepta Moralia nequaquam est restringendum, *coll. Lev.* XVIII. 5.

CCLXXVII. Sed nec idem Adamo in Statu Integritatis est denegandum.

CCLXXVIII. Leges multas Deus omni tempore ante & post Lapsum dedit, mero Voluntatis supremæ Beneplacito nixas, sed & alias ex propria Sanctitate fluentes.

CCLXXIX. Prioris generis quædam etiam in Perpetuum durare debuerunt; homini in Creatione inscriptæ.

CCLXXX. Quædam vero vel Uni alicui vel Pluribus ad tempus tantum datæ; in quarum censum referimus Interdictum Sanguinis & Suffocati, quod est *Act.* XV. 29.

CCLXXXI. Ad Leges has Positivas pertinet Jus Forense Judæorum, quod propterea Christianos hodie non obligat, nisi quatenus in Lege Morali & Æquitate fundatum est.

CCLXXXII. Permittit illud quidem aliqua, Lege Morali non

non interdicta; dum tamen eadem non præcipit, nulla hic est Contrarietas.

CCLXXXIII. Juri huic Forensi addita & immixta fuerunt Statuta Ceremonialia, quibus cum Christus ipsiusque Beneficia Præfigurata sint, liquet & illa non esse Juris Perpetui.

CCLXXXIV. Legis Ceremonialis Initium à primâ Promissione, Progressus ab Abrahamo, Complementum à Mose in Exitu Ægyptiaco est repetendum. Ita ut reperiatur ubique eadem Divina Institutio, Idem Cultus genus, eadem Præfiguratio, eadem onerosa Peccati commissi & nondum expiati Commemoratio.

CCLXXXV. Unde neque Historiæ filium, neque rei Natura permittit, ut inde à μοσχοποιΐᾳ hanc Legem tanquam Pœnam repetamus, cum per μοσχοποιΐαν Legislatio ea potius sit abrupta, *coll. Exod.* XXXII.

CCLXXXVI. Præcepta Legis Ceremonialis, tum ad Cultum Dei Publicum, tum etiam ad Vitam Privatam, fuerunt extensa: referendis huc præter Sacrificia, Sacramenta, & Sacra, etiam Observantiis circa Victum, Amictum, & Munditiem carnalem.

CCLXXXVII. Uti non negandum est, Legem hanc latam ad Israelitarum ab aliis populis Distinctionem, & Idololatriæ Coërcitionem, ita simul asserendum, Præcipuum ejus Finem fuisse Præfigurationem Christi, veram Expiationem olim pro fidelium peccatis peracturi.

CCLXXXVIII. Necessitatem Abrogandæ sub Novo Test. hujus Legis, Utriusque Testamenti Scriptura inculcat *Hebr.* VII. VIII. X. *Gal.* V. 2. 3. 4. *Jes.* LXVI. 3. *Jer.* III. 16. *Dan.* IX. 27. &c. docente id etiam ipsa Præceptorum horum Natura.

CCLXXXIX. Abrogationis hujus Gradus recte discernunt, qui in Adventu Christi Legem hanc Languidam, in Morte ejus Mortuam, in Excidio Jerosolymæ Mortiferam eam factam, dicunt.

CCXC. Nec est modo ulla Hierosolymitani Templi & Ceremonialis Cultus Restitutio unquam exspectanda.

CCXCI. Ab hac Lege Temporaria multum differt Moralis, in ipsâ Creatione hominis cordi inscripta, ut non modò Vitæ Norma, sed & Justitiæ & Vitæ æternæ per eam Via esset unica.

CCXCII. Quæ à Lege Naturali non nisi Perfectione & Claritate differt; fatentibus ex parte Judæis in suis Adamicis & Noachicis Præceptis.

CCXCIII. Repetiit solenniter hanc Legem Deus ad montem Sinai, tum etiam Tabulis Lapideis inscriptam.

CCXCIV. Ubi Legislator Jehovah, etiam Filius, Ministri vero tum Angeli, tum & Moses, hinc dictus Mediator, & Finis multiplex; alius totius Populi respectu, ut scilicet Norma esset Externæ in Republica Obedientiæ, ac convincerentur de Miseria sua & Justitia Divinorum Judiciorum; alius Electorum ratione, ut sc. humiliarentur, ad Christum adducerentur, normamque Gratitudinis perpetuam haberent.

CCXCV. Hæc Lex à Decem Verbis minimè est distincta; quæ licet Verba Fœderis aliquando synecdochice dicantur, nullam tamen Fœderis Formulam in se continent propriè, sed tantum ejus Legem & Normam.

CCXCVI. Fœdus vero super hac Lege sancitum cum Natione Israëlitica ex Gratia quidem profectum fuit, nec Fœdus Gratiæ cum Patribus erectum abolevit, sed tamen Externam Fœderis Operum Formam sive Speciem, per rigidam Obedientiæ Perfectæ exactionem, cum Minis & Promissis junctam, præ se tulit, sed absque ulla nova Antiquati olim hujus Fœderis Erectione.

CCXCVII. Præcepta Legis Decalogicæ quædam (præter generale Charitatis mandatum) ex ipsa Dei Sanctitate proveniunt, quorum propterea Contrarium Deus, præcipere neque potest, neque potuit; uti I. II. III. imò & ex parte IV.

CCXCVIII. Quædam æterno nituntur Legislatoris Beneplacito, in ipsa Creatione homini inscripto; circa quæ nihil obstat, quo minus Deo Possibilem imò & Actualem Dispensationem adscribamus. Qualia videntur vel in se vel in præsuppositis esse, præter magnam partem IV. Præcepti plurima Secundæ Tabulæ, quatenus Externa Officia in societate hominum observanda præscribunt.

CCXCIX. Utraque tamen Immutabilia, atque Homini cuicunque plane Indispensabilia sunt.

CCC. Et continent illa simul Perfectissimam Morum Regulam, nullis Humanis Traditionibus augendam.

Re-

CCCI. Rejicimus hinc Consilia uti vocant Pontificii Euangelica, quæ ad Majorem quam Lege mandatam ducant Perfectionem, hominique Cælibatus, Voluntariæ Paupertatis, & Cæcæ Obedientiæ, suadeant Vota.

CCCII. Uti & Socinianorum & Mennonitarum, de Novis, tum Præceptis, tum ad Præcepta Additamentis, hypotheses, παρερμηνεία Capitis Quinti Matthæi præcipuè nixas.

CCCIII. In Legis explicatione probe observandum, illam esse Spiritualem, ac talem exigere Obedientiam, *coll. Rom.* VII. 14.

CCCIV. Non quidem respectu Condemnationis, neque exactæ à nobis Plenæ Obedientiæ, neque rigidæ Intonationis, sed ratione Naturalis Obligationis, Agnitionis nostræ Miseriæ, & Directionis Vitæ Christianæ, perpetuo Lex Moralis durat.

CCCV. Ex æquo nos obligant Affirmativa & Negativa Mandata, quamquam Officiorum Præscriptorum à Vitiis Interdictis diversa sit ratio.

CCCVI. Uti Secundæ Tabulæ sunt Præcepta Sex, ita Primæ tribui debent Quatuor, non mutando Inscriptionem communem in Præceptum, sed distinguendo Secundum à Primo.

CCCVII. Et à Creatione, & à Conservatione, & à Dominio in Populum Israëliticum universum, & à Fœdere Gratiæ cum Electis erecto, Jehovah se Deum Israëlis in Inscriptione Legis dicit, nulla hic facta Explicita Promissione magis quam Jussione.

CCCVIII. Primo Præcepto interdicitur omnis generis Magia, & Creaturarum quarumvis, sive Existentium, sive Confictarum, Cultus Religiosus, sive ore, sive opere, sive corde ipsis deferatur, sive Ultimus & Absolutus, sive Relativus dicatur.

CCCIX Ex quo Præcepto Cultum Humanæ Christi Naturæ in abstracto consideratæ illicitum esse putamus, deferendum tamen Christo Homini.

CCCX. Præcipitur hic vero id omne Officium, quo Fiduciam nostram in Deo, & Obedientiam illius demonstramus, adeoque & Precatio, ad eundem in Modum olim quo nunc instituenda.

CCCXI. Secundo Præcepto omnes Imagines à Cultu Dei removentur, cujuscunque etiam sint rei, & quocunque modo factæ. Ita tamen, ut Creatoris Imaginem ullam facere absolute sit

sit illicitum; quod de Creaturis perinde non est asserendum.

CCCXII. Quamquam Imagines Sanctorum in Templis simpliciter ad Ornatum & Memoriam collocare in se non sit Impium, neutiquam est illud tamen vel Utile, vel Necessarium, sed Periculosum.

CCCXIII. Tertio Præcepto nullus Divini Nominis Usus, sed solus Abusus interdicitur, qualis est in Execrationibus, Blasphemiis, Superstitionibus, & rebus in genere, sive Malis, sive Vilibus & Exiguis nimis.

CCCXIV. Juramentum neque olim fuisse, neque hodie absolute esse Illicitum, non etiam Impium, quod de rebus futuris præstatur, contra Anabaptistas & Socinianos tenemus.

CCCXV. Uti Lege Dei interdicitur omne Juramentum Leve & Falsum, ita imprimis hæc non admittit Juramentum per Creaturas, etiam sanctissimas, in quo gravis committitur Idololatria, *coll. Matt.* v. 34. 35.

CCCXVI. Præceptum Quartum, partim Ceremoniale, partim Morale & Perpetui Juris esse cum Dordracenis dicimus.

CCCXVII. Ad Ceremonialem partem referimus Diei Sanctificationem per Sacrificia, rigidam Quietem, per se tum Cultus partem constituentem, atque Septimi i. e. Ultimi Diei determinationem; quo omni sensu Abrogata nunc sunt Sabbatha.

CCCXVIII. Moralia vero hic sunt Publicus & Solennis Dei Cultus, Certo Die observandus, & quidem Septimo quoque i. e. Uno ex Septem, cum Quiete non modo ab Operibus Malis, sed etiam ab Operibus Servilibus & Non-Necessariis, vel publicum Dei Cultum, vel privatam quoque Meditationem impedientibus.

CCCXIX. Quale Sabbathum in Integritatis Statu institutum, atque ex Dei mandato observandum fuisse, non dubitamus, ex textu *Gen.* II. 3. ejusque citatione in ipso Præcepto IV.

CCCXX. Unde Sabbatho Judaico substitutus ab Apostolis est Dies Primus Septimanæ, hinc Dominicus dictus. Cujus observatio non à temporibus Constantini demum, sed à Prima Euangelii Antiquitate, & Apostolica, tum Praxi omnino, tum & Lege, est repetenda.

CCCXXI. Juribus Magistratus dum detrahunt Pontificii, itemque Conjugium & Vota sua absque Parentum consensu rata vo-

volunt, Præcepto Quinto contrariantur.

CCCXXII. Promissioni additæ sua constat Veritas, quamquam Terminus Vitæ Divino Decreto statutus singulis sit Immutabilis, & immorigeris longius sæpe vitæ spatium quam obedientibus contingat.

CCCXXIII. Interdicto Homicidio, non est dubium, quin interdicatur ante omnia αὐτοχειρία, Damnum nobis illatum, & levis in Pericula conjectio, qualis est in Duellis.

CCCXXIV. Uti Lege hac non interdicitur Moderamen Inculpatæ Tutelæ, ita Bellum Necessarium & Defensivum Illicitum non debet existimari.

CCCXXV. Tantum abest, ut Magistratui Judicia Capitalia à Deo auferantur, ut Pœna Mortis transgressoribus hujus Legis semper à Deo statuta sit, ad strictam ejus observationem, à Judicibus scilicet exsequenda.

CCCXXVI. Uti sub Vet. Test. Odium Proximi cujuscunque non magis licitum fuit, quam nunc, ita vicissim nullus major Amor Proximi nunc nobis mandatus est quam olim.

CCCXXVII. Adulterio interdicto, omnis etiam interdicitur Impuritas Carnalis, ad quam & Polygamiam, non quidem Successivam, sed Simultaneam, referimus, quocunque tempore illicitam.

CCCXXVIII. Incestum non modo Mosaicæ, sed & Naturali, Legi repugnare dicimus.

CCCXXIX. Castimoniæ Septimo Præcepto inculcatæ repugnant Cælibatus Perpetui Vota Papistica.

CCCXXX. Uti & Nuptiarum in Clericis damnatio; quam nec cum Apostolicis regulis, nec exemplis, conciliare possunt Pontificii.

CCCXXXI. Voluntariâ Paupertate contra Præceptum peccare Octavum Monachos Pontificios, non dubitamus; uti & eos, qui Bonorum Communionem vellent introductam.

CCCXXXII. Usuræ Immodicæ, non vero Omnes absolute, illicitæ censendæ sunt.

CCCXXXIII. Testimonium Falsum dum interdicitur, Verum etiam quod est Contra Proximum præcipitur.

CCCXXXIV. Mendacium quodcunque, sive Jocosum, sive Damnosum, sive Officiosum, damnat Lex: non tamen Stratagemata in Bello usurpata.

CCCXXXV. Concupiſcentiæ Actus, etiam Primi, in ipſis Regenitis, ſunt Peccaminoſi, atque hinc Mortem etiam hi merentur æternam, *coll. Rom.* VII. 7.

CCCXXXVI. Agnoſcendus & Colendus Deus eſt ab Homine; quo nomine Sexus etiam Muliebris comprehenditur.

CCCXXXVII. Hominum Primus abſolutè fuit & abſque ulla reſtrictione Adamus, ex *Gen.* II. 5. 20.

CCCXXXVIII. Cum quo eodem Dei Sexto condita eſt Eva, Viro ab ipſo Deo in Uxorem data, ut Honeſtas Conjugii inter omnes pateret.

CCCXXXIX. Homo in initio non eſt à Deo creatus Androgynos.

CCCXL. Conſultatio ſive Excitatio Dei quæ legitur *Gen.* I. 26. uti Hominis Præſtantiam commendat, ita Pluralitatem Divinarum Perſonarum, quas Tres eſſe aliunde diſcimus, luculenter probat.

CCCXLI. Nec Puerilis, nec Gigantea, Forma primis noſtris Parentibus in Creatione eſt adſcribenda, ne Monſtra eos fuiſſe credamus.

CCCXLII. Præter Corpus cum Animatis & Imanimatis commune Animam Rationalem in Homine ſolo agnoſcere uti jubet hiſtoria Creationis apud Moſen, & Scriptura paſſim, ita & hominis Conſcientia.

CCCXLIII. Illa prorſus eſt Incorporea, & ex Cogitationis quam operatur actu maxime à nobis cognoſcitur, quam tamen cum ipſius Eſſentia prorſus confundere non decet.

CCCXLIV. Uti in initio à Deo immediatè Homini illa eſt Indita, ita nec hodiè per Traducem propagatur, ſive Corporalem, ſive Spiritualem, *coll. Zach.* XII. 1. *Hebr.* XII. 9.

CCCXLV. Eſt eadem vero Immortalis, docente Scriptura pariter & Natura, illam poſt mortem ſupereſſe, *coll. Matt.* X. 28.

CCCXLVI. Animæ & Corporis Unio, quæ Præſentiam Localem ſupponit, verius ex Effectis mirabilis eſſe deprehenditur, quam qualis omnino ſit intelligitur.

CCCXLVII. Quamquam generalior ſit Imaginis quam Similitudinis vox, in hiſtoria creati Hominis utraque tamen idem omninò ſignificat, *Gen.* I. 26. 27.

CCCXLVIII. Angelis Imago Dei abſolute non eſt deneganda, *coll. Job.* XXXVIII. 7.

CCCXLIX. Illa neutiquam consistit in Lineamentis Corporeis, sive ad Deum, sive ad Christum Θεάνθρωπον instituatur relatio; nisi Humani Corporis Excellentiam in genere hic consideraveris.

CCCL. Omnino autem ad Imaginem Dei pertinent Spiritualis Animæ Substantia ejusque propriæ Facultates, *coll. Gen.* IX. 6. *Act.* XVII. 29.

CCCLI. Præcipuè Imago Dei consistit in Rectitudine, sive Sapientia, Justitia & Sanctitate vera, *coll. Eccl.* VII. 29. *Col.* III. 10. *Eph.* IV. 24.

CCCLII. Ad quam accedit Dominium homini in Omnia concessum, liberum Animantium Esum omnino inferens, *coll. Gen.* I. 26. 28.

CCCLIII. Quin & Immortalitas, non quidem Independens & Absoluta, sed Gratiose concessa, & conditione Obedientiæ circumscripta, *coll. Gen.* II. 17.

CCCLIV. Ex quibus omnibus consequens est, Imaginem Dei Utrique Sexui esse communem, non obstante Viri supra Mulierem Excellentia, *coll.* I *Cor.* XI. 7.

CCCLV. Imaginem item Dei in Plenitudine ita Homini competere Integro pariter & Glorificato, ut tamen ejus Reliquiæ Homini Lapso, illiusque major sed tamen partialis Restitutio Homini Regenito sit tribuenda.

CCCLVI. Imaginem Dei Homini Primo fuisse Naturalem, contra Pontificios, Concupiscentiam in ipso agnoscentes, merito defendimus.

CCCLVII. Ita tamen ut ratione Præcipuarum Partium amitti potuerit, & illâ amissâ hoc modo, Homo tamen Naturam Humanam non amiserit.

CCCLVIII. Cum Homine Integro iniisse Deum Fœdus, quod Operum, & Legale, vulgo vocatur, extra dubium ponimus, ex *Gen* II. 17. *Hos.* VI. 7. *Rom.* III. 27. VIII. 3. &c.

CCCLIX. Considerari hic debet Primus Homo, ut repræsentans totam Posteritatem, Naturaliter ex ipso descensuram.

CCCLX. Unde ad Fœdus hoc primum initum Christus non pertinet, neque absque Sponsione ipsi hominis Transgressio imputari potuit.

CCCLXI. In Fœdere Operum Deus, præter Obedientiam Exter-

terni & Symbolici Mandati, Universalem, Perpetuam, Perfectissimam, & in Propria Persona præstandam, totius Legis Moralis, cordi inscriptæ, Observationem exegit.

CCCLXII. Nec fit in Fœdere Gratiæ Legis mututio, nisi in Sponsoris Substitutione.

CCCLXIII. Promissa est Homini eadem Vita Æterna, & Cœlestis quidem, quam in Christo nos exspectamus.

CCCLXIV. Quæ Promissio per Arboris Vitæ & Scientiæ Boni & Mali Sacramenta, itemque per Paradisum, & Sabbathum fortè habdomadarium, obsignata fuit.

CCCLXV. Cum Mors in Scriptura sit Corporalis, Spiritualis, & Æterna, hæc omnis in Comminatione intelligenda venit, *coll. Gen.* II. 17.

CCCLXVI. Consensum Adami in Fœdus, gratiose ipsi à Deo propositum, ex Hominis Subjectione & Imagine Dei facile est educere.

CCCLXVII. Antiquatum hoc est Fœdus per Lapsum, non Legis ipsius, naturaliter obligantis, nec Promissionis respectu, sed tum ratione Potentiæ Vivificandi, tum Non Ulterioris hujus cum Peccatore Erectionis.

CCCLXVIII. Quod tamen non obstat, quo minus ejus Summa homini Lapso clare proponi queat denuò, ad sui convictionem, & miseriæ agnitionem.

CCCLXIX. Ex felicitate præsenti, & futuræ exspectatione, exciderunt Adamus pariter & Eva, Fœderis Transgressione.

CCCLXX. Quæ uti fuit Liberrima, ita nec Satanæ, qui tantum suasit, nec Deo, ob æternum Decretum aut negatam Gratiam, ullatenus est tribuenda.

CCCLXXI. In historia Tentationis Serpens quidem Verus sed non Merus est intelligendus, *Gen.* III. I.

CCCLXXII. Cujus Astutia in solius Fœminæ Aggressu, in Simulata primum Ignorantia, in Enervata tum Comminatione, in facto Dubii sensus Promisso, in adscripta denique Deo Invidia, satis liquido cernitur.

CCCLXXIII. Gravissimum cum multis modis fuerit Scelus hoc, à Primis Parentibus commissum, in re Levi, gratis quæritur, Uter Gravius peccaverit; aut etiam Dei Justitia in inferenda Pœna ut minus æqua accusatur.

In-

CCCLXXIV. Interna Peccati Radix fuit Incredulitas & Superbia, hæc illâ, ut videtur, posterior.

CCCLXXV. Per hoc Peccatum Divinæ Imaginis Gloria mox in homine fuit fœdata, & ipsi cum omni Posteritate Reatus incubuit, Culpâ pariter & Pœnâ Electorum ita in Christum Sponsorem tanslatâ, ut in his Reatus tamen Potentialis relinquatur, nullus Actualis Pœnæ alicujus, sive Temporalis, sive Æternæ, aut Culpæ Venialis, ut vellent Pontificii.

CCCLXXVI. Post Peccatum denunciata Serpenti Pœna præcipuè ad Diabolum refertur, ac totius Euangelii in se continet summam, *Gen.* III. 14. 15.

CCCLXXVII. Continet & illa tamen Pœnam Hominis in se, quatenus & Christus ut Sponsor proponitur, & Afflictiones multæ Semini Mulieris adscribuntur.

CCCLXXVIII. Dolor Partus ex Peccato simpliciter, Subjectio vero Fœminæ sub potestatem Viri, tantum respectu Molestiæ, indè deduci debet, *coll. Gen.* III. 16.

CCCLXXIX. Ærumnarum non modo Terminus Mors in Viri sententia, sed & Pœna Peccati ipsa dicitur *Gen.* III. 19.

CCCLXXX. De Tempore Lapsus quamquam clare nihil tradiderit Moses; id tamen omnino asserendum videtur, neque per Plures Annos Adamum in Integritate perstitisse, neque eadem Creationis Die ipsum esse lapsum.

CCCLXXXI. Lapsum Adami secuta Humani Generis Miseria Peccatum & Pœnam ejus complectitur; quæ duo in re sæpe idem sunt.

CCCLXXXII. Peccatum non est Quid Substantiale, aut Reale, sed Defectus Rectitudinis Lege Divinâ præscriptæ, contra quam propterea solam propriè peccatur, non Actionibus modo sed & Naturâ Corruptâ, *coll.* I *Joh* III. 4.

CCCLXXXIII. Præsens Legis Cognitio, & Voluntatis plenus Consensus ad aggravandum faciunt Peccatum, non tamen ad illius Constitutionem requiruntur.

CCCLXXXIV. Uti ejus Subjectum, ita etiam Causa Efficiens propriè sola est Creatura Rationalis.

CCCLXXXV. Agnoscendum est in Homine præter Actuales Transgressiones Peccatum, quod Originale à Theologis dicitur, & Carnis, Corporis Peccati, Veteris Hominis, &c. nominibus in Scriptura venit.

CCCLXXXVI. Peccatum Originale non est Substantia, neque Positiva Qualitas, neque merum Nihil, sed Privatio Rectitudinis debitæ, Deformitatem summam pariens.

CCCLXXXVII. Eousque ut Verum & Bonum salutare neque intelligat & velit, neque intelligere & velle possit, absque superveniente Spiritus gratia, homo ullus, *coll.* 2 *Cor.* III. 5. *Rom.* VIII. 7.

CCCLXXXVIII. Locum habet in Omnibus Posteris Naturaliter ex Adamo & Eva progenitis, ac Hominem Totum occupat, *coll. Rom.* V. 12. *Job.* XIV. 4.

CCCLXXXIX. Unde Immunis ab hac Labe est quidem Christus, ut virtute Spiritus S. Extraordinaria, & ex Speciali Promissione natus, *coll. Luc.* I. 35.

CCCXC. Neutiquam autem Maria ejus Mater, cui Actuale pariter & Originale Peccatum est adscribendum.

CCCXCI. Fluit ex Peccato Primorum Parentum, Posteris omnibus naturaliter prognatis Imputato, hæc Labes, intercedente Dei Justitia, *coll. Rom.* V. 12. 19.

CCCXCII. Et propagatur per Naturalem Generationem; cujus ratio non ita difficilis est, ac videtur, non ponendâ hic propterea Animæ ipsius per Traducem Propagatione, *coll. Joh.* III. 6.

CCCXCIII. Dum Generatio est *Actio Naturalis*, & Fideles ex Parte tantum sanctificati sunt, Fidelium Liberi ab hac Macula non sunt liberi.

CCCXCIV. Per se etiam sola hæc Labes Mortem infert Æternam, *coll. Eph.* II. 3.

CCCXCV. Durat in ipsis Fidelibus usque ad Mortem, Dominium licet Peccati per Regenerationem tollatur, *coll. Rom.* VII. 14. 24.

CCCXCVI. Ex Originali Peccato fluunt Actualia, sic vocata, quod ad Actiones hominis magis, quam ad ejus Naturam, referantur.

CCCXCVII. Consistunt in Defectu Actionum Rationalium à Divinæ Legis præscripto. Unde Factis non tantum Externis, sed & Dictis, imò Cogitatis, quin & Omissione pariter ac Commissione peccari, consequitur.

CCCXCVIII. Graviora tamen sunt Peccata Commissionis quam

quam Omissionis, non ob Majorem Interdictorum Obligationem, sed ob Præsentiorem Voluntatis Motum.

CCCXCIX. Peccata agnoscimus etiam ea, quæ per Accidens talia vocantur, & quæ ex Infirmitate aut ex Inscitia proficiscuntur; non excusante Hac unquam in Totum, nisi quando Facti & Invincibilis plane est, alias modo in Tantum.

CD. Uti Deus nullius Peccati Causa est, ita constanter ejus Pœnam statuit Mortem; ut, licet agnosci debeant Gradus Gravitatis varii, rejici tamen debeat Peccatum ex Se non Mortale, sed Veniale, *coll. Rom.* VI. 23. *Deut.* XXVII. 26.

CDI. Peccatum in omnibus Irregenitis est Regnans, non obstante contrario sæpè rectæ Rationis Dictamine.

CDII. In Regenitis vero cum adsit Lucta Spiritualis, Regnum Peccati cessat hoc ipso.

CDIII. Peccatum, quod specialiter in Spiritum S. vocari solet, consistit in Veritatis Euangelicæ per internam Illuminationem agnitæ, Malitiosâ sive Abnegatione sive Rejectione, quæ consequenter cum Blasphemia, Persecutione, & Impœnitentiâ finali est conjuncta, *coll. Hebr.* VI. 4. 5. 6. X 26. 29.

CDIV. Est idem Peccatum absolute Irremissibile & ad Mortem certo perducens, *coll. Matt.* XII. 32. I *Joh.* V. 16.

CDV. Hujus Peccati Reos dignoscere, per Ordinaria Spiritus S. Dona, haudquaquam nos posse, adeoque mitius de multis judicium ferendum esse, existimamus.

CDVI. Peccatum vi Divinæ Justitiæ, Sanctitatis, & Veritatis, sequitur necessario Pœna.

CDVII. Est hæc Malum, Creaturæ Peccatrici propter Peccatum à Deo illatum, ad gloriæ suæ laudem, & hominis vel salutem vel punitionem justam.

CDVIII. Pœnæ Autor præcipuus est Deus Judex & Legislator; adhibens tamen sæpe Causas Medias, *coll. Jac.* IV. 12.

CDIX. Non cadit Pœna proprie, nisi in Creaturam Peccatricem, adeoque etiam Rationalem.

CDX. Unde, non obstante Dei liberrimo Dominio, Deum Creaturam Innocentem, sive Punire, sive à Communione sua Beata separare posse, non videtur concedendum.

CDXI. Pœnam agnoscimus in Scriptura non tantum illam quæ ut Divinæ Justitiæ satisfiat, Christo & Reprobis infertur, sed etiam

etiam Castigatoriam, Probatoriam, atque Martyrii, quæ piis immittitur.

CDXII. Dicimus, eam etiam esse Corporalem & Spiritualem, Temporalem & Æternam; repudiata hujus distinctione in Pœnam Damni & Sensus, licet eadem Pœna bifariam spectari queat.

CDXIII. Ad Pœnam Corporalem pertinent Vitia Corporis Naturalia, Labores Onerosi, Morbi, Mors, sequens Corruptio, & maxime Suscitatorum Corporum Dolores gravissimi; quæ tamen an Igne crucianda sint Corporali, incertum videtur.

CDXIV. Mortem huc quoque referimus Spiritualem, Nativam sc. hominis Corruptionem, cum pullulantibus illinc Peccatis, accedente Induratione, & sequentibus Conscientiæ Horroribus.

CDXV. Consummatio Pœnæ erit in Morte Æterna, seclusis hominibus à Divinâ Communione, detrusis in Gehennam, atque ibidem Sensu Iræ Divinæ cum Desperatione juncto jugiter cruciatis, *coll. Matt.* xxv. 41. 46.

CDXVI. Fœdus Gratiæ, in quo Homini Lapso Via Salutis aperitur, naturaliter non constat: quamquam ex Dei Bonitate, & Longanimitatis fructibus, Communem aliquam & vagam Spem concipere possit Peccator.

CDXVII. Appellatur hoc in Novo Test. διαθήκη, notione Fœderali magis quam Testamentaria. Quamquam semel aut iterum forte huc respexerit Paulus, ob communem Vocis hujus apud Græcos Usum, & rei ipsius convenientem naturam, *Gal.* III. 15. *Hebr.* IX. 16. 17.

CDXVIII. Quamquam in Fœdere Gratiæ Deus Conditiones præscribat, atque etiam operetur per Spiritum, non est hoc tamen propterea dicendum μονόπλευρον.

CDXIX. Erigitur Fœdus Gratiæ cum Hominibus Lapsis, neutiquam autem cum Omnibus; quamquam Veritas sit universalis, omnem Credentem & Resipiscentem esse Salvandum.

CDXX. Ejus Fœderis Manifestatio est facta, non in Lege, sed in Euangelio, Legi hic plane opposito.

CDXXI. Euangelium neutiquam revelatum est Hominibus Integris, sed tantum Lapsis.

CDXXII. Non tamen Omnibus, uti ex Præteriti Temporis po-

potissimum inde à Mose historiâ, & Experientiâ Hodiernâ liquet, *coll. Act.* XIV. 16. XVI. 6. 7.

CDXXIII. Quamquam certum pariter sit, Ultra Electos Præconium Gratiæ se extendere, *coll. Matt.* XX. 16.

CDXXIV. Et sub Novi Test. Oeconomia Discrimen Gentium ac Populorum esse sublatum, *coll. Tit.* II. 11.

CDXXV. Euangelium quoad Substantiam Veteri Populo Dei Ante Christum omnino etiam est concedendum, *coll. Hebr.* IV. 2. 1 *Petr.* IV. 6.

CDXXVI. Est certe Euangelium mox in Paradiso Revelatum primis Parentibus, *Gen.* III. 14. 15. & postea Pluribus Vicibus atque Modis eorundem Posteris.

CDXXVII. Salutem etiam, Remissionem Peccatorum, & Sanctificationem, consecuti sunt, non absque Euangelio, *coll. Act.* XV. 11.

CDXXVIII. Atque fuerunt isthæc Beneficia ipsis in Fœdere Gratiæ promissa, *coll. Gen.* XVII. 7.

CDXXIX. Per Eundem Mediatorem acquirenda, *coll. Hebr.* XIII. 8.

CDXXX. In quem hinc & Credere debuerunt, & Crediderunt, *coll. Hebr.* XI. 13.

CDXXXI. Varia est Fœderis Gratiæ Oeconomia, & quidem respectu Christi Mittendi vel Missi, atque Obscurius vel Clarius manifestati, Duplex, *coll. Hebr.* I. 1.

CDXXXII. Posterior Oeconomia Novi Test. sive Fœderis dicitur, uti prior Veteris, ex *Hebr.* IX. 15. 26.

CDXXXIII. Et recte satis, tum secundum stylum Scripturæ, tum ex ratione Rei Significatæ: cum Vetus & Novum Fœdus in Substantia Idem sit, nec Vetus illud dicatur, nisi quod ante Christum præcesserit, & veterascere debuerit illius Oeconomia.

CDXXXIV. Quamquam verum sit, frequenter in Scriptura à Mose & Sinai deduci Vetus Fœdus, quod Oeconomia hæc tum publicè suum acceperit Ultimum Complementum apud Israelem, *coll. Gal.* IV. 24. *Hebr.* IX. 18. 19.

CDXXXV. Displicet verò τριχοτομία, maxime ob hypotheses cum ea jungi solitas, de Nimia Vet. & Novi Test. Distinctione, de Legis Ceremonialis Origine, ac adaucto nimium Servitutis Jugo sub Vet. Test.

CDXXXVI. Oeconomiæ Novi Test. Initium, respectu Graduum variorum, Varium est, constituendum tamen præcipue in Morte Mediatoris, *Hebr.* IX. 16. 17.

CDXXXVII. Eadem Invariata ad Adventum Christi Ultimum permanet, mutatâ licet sæpe Ecclesiæ Externâ Conditione.

CDXXXVIII. Mediator in Fœdere Gratiæ, non Testem aut Judicem inter Partes, non simpliciter Internuncium, sed Sponsorem, Sospitatorem, & εἰρηνοποιόν, notat, *coll.* 1 *Tim.* II. ℣. 6.

CDXXXIX. Licet latiorem vocis usum, quo tum Internuncium, tum Intercessorem notat, agnoscamus *Gal.* III. 19. ubi intelligendus omnino nobis videtur Moses, & non Christus ipse.

CDXL. Mediatoris inter Deum & Hominem Necessitas ex Ratione Naturali, & Traditionibus atque Cultu Gentilium, clare satis constate potest.

CDXLI. Mediatoris est, non tantum Hominem Deo sed & Deum Homini Reconciliare, *coll.* 1 *Joh.* II. 2.

CDXLII. Unde Triplicis porro fluit Officii Necessitas, Prophetici, Regii, & Sacerdotalis.

CDXLIII. Mediator etiam debet esse Homo Verus, Verusque Deus.

CDXLIV. Et quidem in Una Persona, Utrâque Naturâ ad opus Mediationis concurrente.

CDXLV. Quæstio de Possibili Alio Salutis Medio, per Dei potentiam & sapientiam infinitam vana est; cum nobis aliud non suppeditaverit Deus, nec tale à nobis reperiri ullum possit.

CDXLVI. Jesum Nazarenum Verum esse Mediatorem, primum & certissimum Fidei Christianæ qua talis caput est.

CDXLVII. Cujus demonstratio adversus Gentiles institui potest, ex Requisitis Mediatoris, cum Historia Jesu, uti ex parte apud Gentiles ipsos legitur, collatis.

CDXLVIII. Ad Judæorum verò convictionem faciunt maxime Testimonia, Tempus Adventus Messiæ ita describentia, ut id jam dudum elapsum sit, & circa Nativitatem Nazareni indubie obtinuerit. Qualia sunt *Gen.* XLIX. 10. *Hagg.* II. 8. 10. *Dan.* IX. 24. 25. 26. *Dan.* II. 44. 45. *Jes.* XI. I. &c.

CDXLIX. Deinde, quæ Genus ipsius, ex Abrahamo, Israële, Juda, Davide, repetunt; collatâ Genealogiâ, tum Josephi apud Mat-

Matthæum, tum Mariæ apud Lucam, *Matt.* I. *Luc.* III.

CDL. Atque in primis, quod apud *Jesaiam Cap.* VII. 14. de Nativitate ejus ex Virgine Davidica legitur.

CDLI. Impletum id Jesaiæ Vaticinium in Maria, Virgine ante Partum, & in Partu certissime, post Partum probabiliter.

CDLII. Locus deinde Nativitatis, à Micha prædictus, antecedens Eliæ Adventus, consequens Vastatio Terræ & Gentium Vocatio, cum Idololatriæ Eversione conjuncta, Status Messiæ Duplex, Officium Triplex, aliaque à Prophetis clare determinata, in Nazareno nostro verum implementum reperiunt.

CDLIII. Neque negligendum heic temere adversus Judæos, uti aliorum inter ipsos, ita imprimis Josephi Historici illustre Testimonium, immerito totum suspectum quibusdam Doctis.

CDLIV. Mediatoris gloria omnis Uni Christo est relinquenda, *coll.* 1 *Tim.* II. 5.

CDLV. Nec concedendum Nomen vel Res significata ullo modo Angelis, aut Sanctis Demortuis.

CDCLVI. Mediatoris Munus Christo tributum, ad Angelos objectivè non est extendendum, sive Bonos, sive Malos.

CDLVII. Non etiam ad Omnes & Singulos Homines, cum nulla Muneris hujus Pars eam extensionem admittat, *coll. Eph.* v. 23.

CDLVIII. Sed ad Solos Electos, qui salvantur; quamquam Sufficientiam & Prædicationem Externam Mediationis latius se extendere fateamur lubentissime.

CDLIX. Mediator ab Æterno Constitutus, sub quadam Fœderis inter Divinas Personas ratione, mox post Lapsum Manifestatus, in temporis Plenitudine Missus, Unctus, Passus, Exaltatus est.

CDLX. Unde consequitur, ita plenius sub Novo Test. Mediatorem se declarasse Christum, ut isthoc Nomine, atque omni Functione etiam, sub diebus Vet. Test. non sit privandus.

CDLXI. Nomen Jesu, Mediatori nostro cœlitus tributum, Hebræum est ab ישע / neque necessarium aut probabile existimamus, illud ex Tetragrammato esse compositum, *coll. Matt.* I. 21.

CDLXII. Superstitiosum est, illi Nomini specialem Venerationem deferre, quæ Personæ omnino tribuenda, *coll. Phil.* II. 10.

Ddddd 2 Chri-

CDLXIII. Christus etiam appellatus est Servator noster ex Scripturis Vet. Test. & impulsu Spiritus, ob multiplicem Unctionem, Æternam & Temporalem, ad Triplicem imprimis Dignitatem, *coll. Dan.* IX. 25.

CDLXIV. Non dubitamus enim ad Propheticum Munus Unctionem etiam referre; tum ob dictum *Psal.* CV. 15. tum ob Exemplum Elisæ 1 *Reg.* XIX. 16.

CDLXV. Nazareni nomen per Contemptum à Loco Educationis Christo tributum, non ex aliqua jam deperdita Prophetia, sed ex iis petitur a Matthæo locis, in quibus Messiæ Germinis & Surculi nomen est datum *Matt.* II. 23. maxime *Zach.* VI. 12.

CDLXVI. Ad Jesum nostrum respicere figmenta Talmudica de Ben Stada, nulli dubitamus.

CDLXVII. Non potest aut debet Christo denegari Natura vere Divina, quæ tamen non adeò quam Persona Incarnata est dicenda, *coll. Act.* XX. 28.

CDLXVIII. Pariter propugnamus contra omnes Docetas prò Veritate Naturæ ejus Humanæ, *coll.* 1 *Joh.* IV. 2. 3.

CDLXIX. Ejusdemque Integritate, extendenda ad Similitudinem non modo Qualitatum, sed & Imperfectionum Miserabilium, uti vocantur, *coll. Hebr.* II. 17. 18.

CDLXX. Cujus Naturæ Humanæ Origo *omnino* ex *Substantia* Virginis Mariæ, non ex Cœlo aut aliunde, est repetenda, *coll. Gal* IV. 4.

CDLXXI. Originem eam Naturæ Christi Humanæ ex Maria Virgine, non minus quam ejus Veritatem, Scitu Credituque Necessariam dicimus.

CDLXXII. Absque ratione ulla creditur, Mariam Absque Dolore ullo, & Clauso Utero, peperisse Christum, atque hunc non Successivè sed Mox Perfectum in Utero Formatum esse.

CDLXXIII. Generatio Christi Spiritui S. tribuitur, ob Fœcundationem Mariæ, Corporis Christi Formationem, atque Fœtus hujus Sanctificationem. Qui tamen propterea Pater Christi dici nequit, cum de sua Divina Substantia nihil ad hunc contulerit.

CDLXXIV. Incertus est pariter fixus Annus, Mensis, Dies, & Hora, Nativitatis Christi. Nec id fidem Christianam lædit.

Hu-

CDLXXV. Humanam Naturam Christus propter Peccatum Hominis tantum accepit, *coll.* 1 *Tim.* I. 15.

CDLXXVI. Duarum Naturarum Unio in Christo Personalis nomine Assumptionis venire solet, ex *Phil.* II. 7. & *Hebr.* II. 16. An tamen posterior hic locus huc immediate pertineat, dubium est hodie inter Theologos, non absque ratione magna.

CDLXXVII. Inchoata Unio, non a Nativitate demum, sed à Prima Naturæ Humanæ Perfectione, & quodammodo à Primâ Conceptione.

CDLXXVIII. Rejiciendus in explicatone hujus Unionis est Nestorianismus, meram Personarum Duarum Relationem hic agnoscens, *coll.* 1 *Tim.* II. 5.

CDLXXIX. Pariter Eutychianismus, Confusionem sive Mixtionem Naturarum ponens, *coll. Rom.* I. 3. 4.

CDLXXX. Item Mennonitica omnis Naturæ Divinæ in Humanam Mutatio, *coll. Jac.* I. 17.

CDLXXXI. Dicendum ergo, Naturam Humanam à Persona Filii Dei in Unitatem, non constituendæ alicujus Naturæ Tertiæ, sed Personæ, arctissimè & inseparabiliter Assumptam esse. Quali Unioni Similem prorsus alteram nusquam reperimus.

CDLXXXII. Charismata, Humanæ Naturæ Christi variis Gradibus collata, Mensuram Hominum aliorum quidem excedunt, non tamen sunt prorsus Infinita, *coll. Joh.* III. 34.

CDLXXXIII. Apotelesmata Personæ Mediatoris Toti competunt, distinctè ad ea agente Natura Utraque, *coll. Act* XX. 28.

CDLXXXIV. Communicationem Idiomatum Realem Personæ Θεανθρώπυ factam, & hinc fluentem Verbalem respectu Personæ ab Alterutra Natura denominatæ, uti agnoscimus; ita rejicimus prorsus Ubiquitariorum hypothesin, de Communicatis Realiter Naturæ Humanæ Proprietatibus quibusdam verè Divinis, quas Operativas vocant.

CDLXXXV. Ex Unione Naturarum fluit etiam Honor Divinus, non Naturæ Humanæ, sed Mediatori Theanthropo deferendus, *coll. Phil.* II. 9. 10.

CDLXXXVI. Triplex Munus, Propheticum, Sacerdotale, & Regium, in Vet. Test. pariter & Novo Mediatori tribuitur.

CDLXXXVII. Illa Munera licet arctissime inter se Unita, non tamen Confundi debent more Sociniano.

CDLXXXVIII. Supponitur in Christo ut Doctore summa Sapientia, quæ tamen in Humana Natura Incrementa Successiva accepit; gratis fingentibus Socinianis Raptum aliquem in Cœlum, *coll. Eph.* IV. 12.

CDLXXXIX. Juxta Euangelium, ad cujus Præconium missus præcipuè Christus, etiam Legem prædicavit, exposuit, & vindicavit; non tamen aliam Novam & Perfectam magis sub Novo quam sub Vet. Test. præscripsit.

CDLXC. Christum, & Immediate & Mediate per Ministros, & Externe & Interne docere, ex Scripturis constat.

CDLXCI Doctrinæ Veritatem Miraculis propriâ potentiâ perpetratis demonstravit Christus. Unde ante Præconium Publicum illa extra Scripturam fingi non debent.

CDLXCII. Sufficiunt illa Miracula hodiè ad Confirmationem nostræ Doctrinæ, quæ eadem est cum illa Christi.

CDLXCIII. Ad Confirmationem etiam Doctrinæ fecit, tum Vitæ Sanctitas, tum Mortis Perpessio constans.

CDXCIV. Est præterea Christus veri nominis Sacerdos, præfiguratus quidem in Sacerdotibus Leviticis, sed magis in Melchitsedeco, *coll. Hebr.* VI. 20.

CDXCV. Non fuit is Melchitsedek, aut *Spiritus S.* aut Virtus Christo major, aut Angelus, aut Christus ipse, sed Merus & Verus homo, *Gen.* XIV. 18. 19.

CDXCVI. Neque Sacerdotium Melchitsedeci respectu Rei Oblatæ diversum ab Aharonico prorsus fuisse statuendum est.

CDXCVII. Cum ut Sacerdos Benedixerit quidem Abrahamo, ut Rex vero ad refocillationem Abramidarum Panem & Vinum Protulerit.

CDXCVIII. Ad Functionem Christi Sacerdotalem Sanctitas requiritur intaminata, atque Justitia integra.

CDXCIX Quæ Christo Domino nostro ob Sanctissimam Nativitatem, & Inculpatam prorsus Vitam, hostium etiam judicio, denegari non potest.

D. Cedit hæc Divinæ Legis Obedientia Activa non tantum in nostrum Bonum, sed & Loco nostro præstita est, *coll. Rom.* V. 19.

DI.

DI. Illi ut Sacerdoti nequaquam est deneganda Oblatio veri nominis his in terris facta, *coll. Hebr.* I. 3.

DII. Ubi Christus est Sacerdos, secundum Utramque Naturam: Dignitate isthac nequaquam Judæ proditori, vel Judæis, tribuendâ.

DIII. Victima vero, Humana tantum ejus Natura, sed Animæ pariter & Corporis respectu, *coll. Eph.* V. 2.

DIV. Ara vero Divinitas victimam sanctificans: ita tamen, ut isthæc appellatio, ob Sustentationem Crucisque Maledictionem, non immerito etiam Cruci tribuatur, quæ propterea nequaquam Divino Honore prosequenda est, nedum ejus Imago.

DV. Oblationis hujus Initium à Vitæ Pauperrimæ initio repetendum est; Gradus ejus major in Passionibus per Vitam Universam secutis agnoscendus; Consummatio denique in Crucis Morte statuenda, *coll.* I *Petr.* II. 24.

DVI. Est facta Oblatio Christi, non pro ullis Propriis, sed pro Fratrum suorum Peccatis, *coll.* I *Petr.* III. 18.

DVII. Pro quibus Satisfecit omnino Divinæ Justitiæ, necessario Pœnam exigenti, *coll.* I *Tim.* II. 6. 2 *Cor.* V. 21. *Gal.* III. 13.

DVIII Tam multis Phrasibus atque Argumentis Scriptura Dogma hoc adstruit, ut nullis unquam torsionibus Necessariam hanc Veritatem negantes impie Sociniani conscientiæ suæ hic satisfacere possint. Vide in primis *Jes.* LIII. 3..... 8.

DIX. Non Omnium & Singulorum hominum, sed tantum Electorum Peccata sunt, pro quibus sese Christus obtulit, *coll. Eph.* V. 25.

DX. Nec probamus etiam phrasin ἄγραφον, Christum Sufficienter pro Omnibus & Singulis Hominibus mortuum esse. Quorsum non ducit textus I *Joh.* II. 2. quo de vera Substitutione pro Electis omnibus agitur.

DXI. Nihil hic falsius, quam Omnibus & Singulis simpliciter incumbere, ut Credant, Christum pro Se Mortuum esse.

DXII. Electorum interim Peccata Omnia, absque exceptione, per Christi Sacrificium sunt expiata, *coll.* I *Joh.* I. 7.

DXIII. Ut nullus supersit post Remissam Culpam Reatus Pœnæ, cum Pœna in Culpa fundetur unice.

DXIV. Ut etiam Satisfactionibus Humanis, sive Propriis sive Alic-

Alienis, ſive Hic ſive in Purgatorio præſtandis, Divinæ ſc. Juſtitiæ, ſit locus nullus.

DXV. Nec Repetitio Sacrificii, in Miſſa quæ fieri dicitur Pontificia, ulla admitti debeat, *coll. Hebr.* x. 14.

DXVI. Cum Oblatione, ut alter Actus Sacerdotii, conjuncta eſt Interceſſio, iterum ad Electos reſtricta, *coll.* 1 *Joh.* II. I.

DXVII. Quæ locum jam habuit ante Oblationem; referendo huc ſatis commode loco *Job.* XXXIII. *Verſ.* 24. ita ut *Verſ.* 23. pertineat ad Chriſti Inſtitutionem per Verbum & Spiritum.

DXVIII. Etiam in Statu Exinanitionis, durante ipſius Oblatione; cum non ſit dubium id ex *Joh.* XVII. & *Luc.* XXIII. 34.

DXIX. Maxime autem poſt Ingreſſum in Cœleſte Sanctuarium, & Sanguinem fuſum, *coll. Hebr.* IX. 24.

DXX. Eſt autem gloria hujus functionis Sacerdotalis, tum Oblationis, tum Interceſſionis reſpectu, Uni Chriſto omnino relinquenda, *coll. Hebr.* VII. 24. 28.

DXXI. Præter Regnum Naturale, Chriſto cum Patre & Spiritu commune, tribuendum ipſi eſt Regnum Oeconomicum & Mediatorium, *coll. Pſal.* II. 7

DXXII. Ad quod tanquam Subditi pertinent tantum Electi, Chriſto à Patre dati, non autem Omnes Homines, *coll. Joh.* VI. 37. X. 26.

DXXIII. Quod eſt Spirituale, nec unquam ſecundum Chiliaſtarum ſomnia Corporale his in terris futurum, *coll. Joh.* XVIII. 36.

DXXIV. Et Æternum, ut nunquam gloriam Regiæ majeſtatis ſit depoſiturus Chriſtus, *coll. Luc.* I. 33.

DXXV. Et varios Incrementi habet Gradus, ſub Novo Teſt. illuſtre magis, quam ſub Vet. Teſt. & in conſummatâ Cœli Gloria Conſummatiſſimum, *coll. Matt.* III. 2. XIII. 43.

DXXVI. Supponit hoc Regnum, non quidem in Natura Humana, ſed in Perſona Θεανθρώπου, Sapientiam & Potentiam infinitam.

DXXVII. Actus ejus prior eſt Gubernatio per Legum externam Præſcriptionem, internam Spiritus Tractionem, & lætam Remunerationem, *coll. Joh.* X. 27. 28.

DXXVIII. Alter Defenſio, præſtita Toti Eccleſiæ, & Singulis Fidelibus, ut neque hi neque illa deficiat, tum Interceſſio-

sione, tum Missione Spiritus, & Potentia suæ Deitatis, *coll. Joh.* x. 28.

DXXIX. Quæ tamen Defensio circa Ecclesiam non magis, quam circa Singulos Fideles, externam Felicitatis Perpetuitatem infert, *coll.* 2 *Tim.* III. 12.

DXXX. Soli tandem Christo Regia hæc Majestas in Ecclesiam, Quocunque Tempore, est vindicanda, *coll.* 1 *Cor.* VIII. 6.

DXXXI. Ad Officiorum Functionem Humiliari primum, tum Exaltari decuit Christum, juxta Scripturas, *coll. Luc.* XXIV. 26.

DXXXII. Pertinetque illa tum Exinanitio, tum Exaltatio, ad Totum Christum ac Utramque ejus Naturam.

DXXXIII. Exinanitionis Primum Gradum in Humili Incarnatione cum Apostolo ponimus, *Phil.* II. 7.

DXXXIV. Alterum in Vita Ærumnosa, quam privatim primum egit in Obedientiâ Parentibus debita, & ut non improbabile videtur, in Artis etiam Fabrilis exercitio, *coll. Luc.* II. 51. *Marc.* VI. 3.

DXXXV. Duodecimo Anno specimen insigne dedit Sapientiæ Insolitæ, non tamen ut Doctor, sed ut Discipulus, *coll. Luc.* II. 42.

DXXXVI. Tricenarius per Baptismum Cœlestemque Declarationem in Muneris Publicam Functionem immissus est, moxque ad Certamina per Tentationem Diaboli quasi præparatus, *coll. Matt.* III. IV.

DXXXVII. Nec plura nec pauciora, quam Quatuor, Paschata Christum in Ministerio Publico transegisse reperimus. Unde Tempus ejus ad Quartum usque Annum determinatur, secundum Vaticinium *Dan.* IX. 27. & Parabolam *Luc.* XIII. 7.

DXXXVIII. Sabbathum δευτερόπρωτον nobis est Primum Sabbathum Anni Judæorum Sacri.

DXXXIX. Christi Pascha Θανάσιμον, quod fuit vere θύσιμον, incidit in Diem Lege Definitum, nec tamen Eundem cum Judæis tunc reliquis.

DXL. Tertius Exinanitionis Gradus est in Passione Ultima, Crucis maxime, prædicta *Psal.* XXII. 17. Ubi retineri tamen commode censemus lectionem vocis כארי / *sicut leo.*

DXLI. Non minus Voluntaria fuit Passio Crucis Extrema

 quam

quam Tota Vita Ærumnosa in Salvatore.

DXLII. Repertionem Crucis Dominicæ per Helenam Constantini Matrem, uti à Veteribus traditur, pro Fabula habemus.

DXLIII. Subsecuta Quarto loco Mors Christi Vera fuit, non cessante hic vel Humana Natura, vel ejus cum Divina Unione Hypostatica.

DXLIV. Fuitque illa Necessaria plane intuitu Divinæ Veritatis & Justitiæ, cui satisfieri non potuit per Fusam ab eo Sanguinis Guttam unam.

DXLV. In connexa Quinto loco Sepultura Veritas constitit Prædictionibus Vet. Test. imprimis *Psal.* XVI. 9. 10. ubi per שאול omnino intelligimus Sepulchrum.

DXLVI. Neque dubitandum, quin *Jes.* LIII. 9. vaticinium sit de Sepulchro Christi, tum quod destinaverant illi Judæi aut Romani Increduli, tum quod procuravit Divina Providentia.

DXLVII. Spatium Tridui, quo in Corde Terræ futurus Salvator, synecdochice, non de Tempore Passionis, sed Sepulturæ, interpretamur; nec aliam expositionem admittunt loca *Matt.* XVI. 24. XVII. 23. XX. 19. &c.

DXLVIII. Sexto tandem Exinanitio maxima fuit Christi in Doloribus Infernalibus Damnatorum, *quos in Animâ perpessus est*, tum in Horto, tum in Cruce, *non ex Sympathia tantum* cum Corpore, sed ex Sensu vero Iræ Divinæ, *coll. Matt.* XXVI. 38. XXVII. 46.

DXLIX. A quibus tamen omnis abfuit tum Desperatio, tum Desperationis Vox. Quam nemo unquam Orthodoxus Christo adscripserit.

DL. De his Doloribus interpretamur Articulum Symboli, (*Descendit ad Inferos*,) uti hodie post Sepulturam & Mortem in eo legitur, *coll. Psal.* XVIII. 6. 1. *Sam.* II. 6.

DLI. Neque enim agnoscimus Localem Animæ Christi ad Inferos Descensum, sive ad liberandos ex Limbo Patres, sive ad prædicandum Damnatis Euangelium, sive ad Triumphandos hostes, sive ad Patiendum.

DLII. Nec Perfectioni & Brevitati Symboli videtur conveniens, ut de Sepultura aut Statu Mortis Articulum hunc, quemadmodum olim indubie multi & conformiter satis Scripturis egerunt, explicemus.

Mi-

DLIII. Minime placet, per ᾅδην Locum ſive Statum Animæ Separatæ ex Gentilium phraſi intelligere; cum Diſtinctiſſimum Locum ac Statum Piorum & Impiorum Animabus tribuat Scriptura, nec illæ poſſint dici deſcendere.

DLIV. Gradus Exaltationis ſive Tres ſive Quatuor ſtatuantur, parum intereſt.

DLV. Reſuſcitatus eſſe non modo à Deo & Patre, ob Eſſentiæ Unitatem, Juſtitiæ acquiſitæ Certitudinem, Decentemque Chriſti ad Gloriam Vocationem, ſed & Reſurrexiſſe Virtute Propria Chriſtus dicitur. Atque huc reſpicere etiam Paulum exiſtimamus *Rom.* I. 4.

DLVI. Neceſſaria fuit omnino Reſurrectio Chriſti, etiam ob Prædictiones multifarias, (inter quas merito Paulus poſuit verba *Jeſ.* LV. 3.) & Typos, qualis fuit & Hircus Hazazel qui Græce dicitur ἀποπομπαῖος.

DLVII. Ad Veritatem ejus probandam quam maxime faciunt Apparitiones Chriſti Redivivi multifariæ, *coll.* I *Cor.* XV. ℣. 6. 7.

DLVIII. Etiam illæ, quæ Stephano, Paulo, Johanni, contigerunt, quamvis exiſtimemus, has in Viſione potius quam Reali veri corporis Chriſti Repræſentatione eveniſſe, *coll. Act.* VII. IX. *Apoc.* I.

DLIX. Certus Ordo aut Numerus Apparitionum harum ſtatui vix poteſt. Non tamen dubitamus, quin Eadem ſit Viſio quæ narratur *Matt.* XXVIII. 16. & I *Cor.* XV. 6.

DLX. Ad Confirmationem Reſurrectionis Chriſti facit Suſcitatio Sanctorum, de qua agitur *Matt.* XXVII. 52. 53. Quam, licet præceſſerit Sepulchrorum Apertio, poſtea demum contigiſſe, nec fuiſſe ad hanc ſed ad Cœleſtem Vitam, exiſtimamus.

DLXI. Retinuit Corpus Chriſti in Reſurrectione Qualitatts ſuas Naturales, Infirmitatibus tantum poſitis: niſi quod per ſpecialem Oeconomiam ad tempus Signa Vulnerum etiam retinuerit, *Luc.* XXIV. 39.

DLXII. Atque in Eodem numero Corpore reſurrexit Jeſus, uti & nos in eodem reſurgemus, quod hic habuimus.

DLXIII. Tempus fuit Diei Tertii à Sepultura, Primi Septimanæ, hinc ſanctificandi à Chriſtianis, Diluculum primum. Quo tamen an reſpicatur *Pſal.* XXII. I. aut LVII. 9. dubium prorſus eſt.

 Fluit

DLXIV. Fluit ex Resurrectione Christi non modo Justificatio & Sanctificatio nostra, sed & Glorificatio in Resurrectione consummata: quamquam de illa potius quam de hac explicemus locum *Rom.* VIII. 11.

DLXV. Post Resurrectionem in Cœlum non modo Assumptus est à Patre, sed & Ascendit Virtute Propria suoque Jure Christus.

DLXVI. Hæc Ascensio Christi, uti multis locis prædicta fuit, ita etiam præfigurata in Henocho & Elia, vere in Cœlum supremum ingressis.

DLXVII. Per eam non disparuit, Invisibiliter Ubique Præsens factus, sed Terrâ derelicta per Cœlos visibiles in Tertium & Supremum Cœlum Certissimè introiit, *coll. Joh.* XVI. 28. XIV. 2. 3.

DLXVIII. Unde consequens est, non nisi improprie eam ad Naturam Divinam posse referri, utpote quæ Omnipræsens est.

DLXIX. Locus Ascensionis fuit Mons Oliveti. Cæterum uti non ascendit in vico Bethaniæ, ita incertum existimamus, à quo Montis Termino Christus sublatus fuerit, *coll. Luc.* XXIV. 50. *Act.* I. 12.

DLXX. Narrationem antiquam de Pedum Signis, Monti à Christo Ascendente Impressis, pro Fabula habemus, imprimis ob silentium Eusebii de hac re altum.

DLXXI. Tempus Quadraginta Dierum non absque multiplici ratione inter Resurrectionem & Ascensionem Christi intercessit, *coll. Act.* I. 3.

DLXXII. In Cœlo ad Dexteram Patris Consessurum Christum, uti prædictum fuerat, ita re vera impletum est, faciente etiam hic diversitate phrasios ad nostram instructionem, *coll. Psal.* CX. 1. *Rom.* VIII. 34.

DLXXIII. Illa non dicit aut infert Ubiquitatem Humanæ Naturæ, aut Æqualitatem Filii cum Patre, aut Dignitatem Divinâ majorem.

DLXXIV. Licet Dextera, ex phrasi Scripturæ, Sinistrâ vere sit Honoratior & Dignior, *coll. Matt.* XXV. 34.

DLXXV. Sed Gloriosam Dignitatem Christi Θεανθρώπου, Cœlesti Regni administrationi convenientem, *coll. Psal.* CX. 1. 2. 1. *Cor.* XV. 35.

Est.

DLXXVI. Estque illa Divina, quatenus Creaturæ undæ convenire non potest; atque simul non Divina, quatenus est Solius Filii Incarnati.

DLXXVII. Non est repetenda Sessio hæc, aut ab omni Æternitate, aut à primo Incarnationis momento, sed ob Ascensione, ut præmium laboris, *coll. Eph.* I. 20.

DLXXVIII. Durat eadem prorsus in omnem Æternitatem.

DLXXIX. Maxima gloriæ Christi demonstratio erit futura in Judicio Ultimo.

DLXXX. Quod à Christo Θεανθρώπῳ habebitur, atque ad Mercedem ipsius pertinet, *coll. Joh.* v. 27

DXXXI. Præscribuntur in Fœdere Gratiæ Homini etiam Officia, per modum Conditionum ab ipso præstandarum, *coll. Act.* XVI. 31. *Rom.* x. 9.

DLXXXII. Licet hæ tales sint, ut per Dei Gratiam certo præstentur, nec Officium Fœderis Operum prorsus evertant, nec Fundamentum sint, sed Instrumentum apprehendens, Juris ad Vitam.

DLXXXIII. Sunt illæ Fides & Resipiscentia, generalius in Lege mandatæ, sed in Euangelio expositæ, & ratione Actuum sibi invicem Immixtæ.

DLXXXIV. Eides generalius sumpta, neque Adamo Integro, neque Christo Θεανθρώπῳ est neganda, specialius autem in Homine Lapso tantum locum habet.

DLXXXV. Probamus, sive Distinctionem, sive Divisionem Fidei, in Temporariam, Miraculorum, Historicam, & Salvificam: probatâ simul hac omni ejus Appellatione.

DLXXXVI. Fides Miraculorum, quam parœmialiter notat Salvator *Matt.* XVII. 20. neque Salutaris per se, neque Necessaria est semper. Imo nec Passivam hanc absolute Necessariam fuisse existimamus in sanandis ad salutem temporalem.

DLXXXVII. Nequaquam sola Duratione differt Temporalis & Salvifica Fides; sed insuper Principio, Actibus, & Effectis.

DLXXXVIII. Fidem Salvificam non nudum Actum, sed Habitum dicimus, etiam secundum Scripturas, *coll.* 2 *Tim.* I. 5.

DLXXXIX. Ejus Sedem, nec in Intellectu, nec in Voluntate, sed in Mente intelligente ac volente statuimus, *coll. Rom.* x. 9. 10.

DXC. Estque illa Fidelibus ac Electis Utriusque Testamenti communis; absque Essentiali Discrimine, sive in Objecto, sive in Actibus, *coll. Hebr.* xi. 1. &c.

DXCI. Fidem tamem Infantibus, neque Actualem, neque Habitualem, tribuimus ante Rationis Usum, licet ipsis Autor Fidei, & Radix ejus, ac Objectum, possit tribui.

DXCII. Electis interim in Infantia Morientibus per Spiritum, nobis imperscrutabili modo, Christi Merita applicari, asserimus.

DXCIII. Fidei Autorem Spiritum dicimus, non modo Prædicatione externa, Illuminatione interna, & Suasione mentis, sed & potenti mentis ad eam Impulsu, vere Irresistibili, *coll.* 2 *Cor.* iv. 13.

DXCIV. Nihil Fide Divina unquam Credendum proponitur, quod Falsum sit, *coll. Tit.* i. 2.

DXCV. Unde Omne hoc Dei Verbum & Solum Fidei Salvificæ dicimus esse Objectum.

DXCVI. Non est Verbum Dei Fidei tantum Objectum Materiale, sed & Formale; quod & cui propterea tantum credimus.

DXCVII. Neque agnoscendum post tempora Mosis, nedum hodie sub Novo Test. aliud Verbum Scriptum, aliud Oraliter Traditum, aut à Spiritu peculiari acceptum, Utrumque ex æquo constituens Fidei nostræ Objectum & Canonem; quod volunt Pontificii & Enthusiastæ.

DXCVIII. Speciale Objectum Fidei est Euangelium, quod Christum Deumque in illo Propitium peccatori offert, *coll. Marc.* i. 15.

DXCIX. Distinctio phrasium, Credendi Deo, Deum, & in Deum, apud Latinos, non item apud Hebræos & Græcos, procedere potest, *col. Joh.* viii. 30 31. xiv. 11. 12.

DC. Ad Fidei Actus ante omnia referri debet Notitia rerum Credendarum, ex Verbo Dei acquisita; quam commendatione Fidei Carbonariæ Papistæ antiquiores apertè, & imperatâ Ecclesiæ docentis Fide tectius impugnant Pontificii hodierni, contra *Joh.* vi. 69. xvii. 3. No-

DCI. Notitia Credendorum, licet respectu præcipui & Justificatorii actus Fidei Prærequisitum dici possit, nec per se sola Fidem Constituat, rectè tamen quoque Fidei Essentialis Actus dicitur.

DCII. Numerus Articulorum Credendorum necessariò explicitè, adeoque Cognoscendorum, ob Veritatum plurimarum inter se Nexum vix determinari potest.

DCIII. Interim quid sit Necessariò Electis cognoscendum, tum ex assertione Scripturæ, tum ex Veritatis uniuscujusque cum Salute Nexu, facile colligitur.

DCIV. Notitiam in Fide sequitur Assensus Theoreticus, qui ferè coincidit cum generali Fiducia de Salute & Remissione Peccatorum per Christum ab omnibus verè credentibus impetranda, vel hanc omnino complectitur.

DCV. Tum etiam & præcipuè Practicus, sive Amplexus Christi, tanquam Unius Mediatoris. Quem Actum Fidei Principalem & Justificatorium esse asserimus, Fiducia speciali sæpe destitutum, *coll. Joh.* I. 12. *Col.* II. 6.

DCVI. Amplexus Christi, qui est in Fide, nequit esse absque Prono in Veritatem Euangelii & Christi Justitiam Affectu.

DCVII. Abhorremus tamen à confusione Charitatis, Lege præceptæ, & à Fide passim per modum Effectus distinctæ, cum Fide ipsa; ac si hæc formaliter diceret Propositum Deum Diligendi in Christo, quæ vix à Pontificiorum Fide Formata differt.

DCVIII. Tertius in Fide Actus est Fiducialis Promissionum Euangelii Applicatio; quam contra Pontificios Possibilem & Decentem esse asserimus, *coll. Job.* XIX. 25. *Gal.* II. 20.

DCIX. Et quam ad Fidei Integritatem omninò requiri putamus, ut Vera quidem, non autem Perfecta, hæc esse queat absque illa.

DCX. In Fiduciali Applicatione illa quæ supponitur Fidei in Homine Conscientia, immotis Scripturæ nititur demonstrationibus, *coll.* 2 *Tim.* I. 12.

DCXI. Finis Salvificæ Fidei, Salus nostra, certissimum etiam ejus est Consequens, *coll.* I *Petr.* I. 9.

DCXII. Quin & operatur Fides, quamquam diversimodè, nostram

ſtram Unionem cum Chriſto, Adoptionem, Juſtificationem, Sanctificationem.

DCXIII. Unde fluit Fidei Inamiſſibilitas vera, *coll. Luc.* XXII. 32.

DCXIV. Quæ non intelligenda de ejus Actu, aut Confeſſione, aut ex noſtra Dignitate vel Virtute derivanda, aut à Studio & Cura Salutis perpetua ſeparanda eſt.

DCXV. Sed ſequitur illa ex Amoris Divini Æternitate, Fidei noſtræ Veraciſſimo Objecto, Chriſti Conſervatione, Interceſſione, & Promiſſione, ac Spiritus Obſignatione, *coll.* 2 *Cor.* I. 21. 22.

DCXVI. Curioſa magis quam ſolida eſt diſtinctio *μετανοίας* & *μεταμελείας*: licet Diſcrimen Reale inter Pœnitentiam Legalem & Euangelicam ſit maximum.

DCXVII. Melior & magis commoda eſt vox Reſipiſcentiæ, quam altera Pœnitentiæ.

DCXVIII. Ingeneratur Reſipiſcentia à Spiritu Electis Omnibus Adultis, per ordinarium Verbi Euangelici Medium.

DCXIX. Actus tres, quibus hanc circumſcribunt Pontificii, Contritionis, Confeſſionis, & Satisfactionis, nequaquam ſunt ſufficientes.

DCXX. Imò in verâ Reſipiſcentia ne quidem locum habet Contritio ex mero Pœnæ inſtantis intuitu orta.

DCXXI. Multò minus requiritur ad Reſipiſcentiam Confeſſio Pontificiorum Auricularis.

DCXXII. Quæ neutiquam confundenda eſt cum Confeſſione neceſſaria coram Deo, coram Eccleſia ſcandalizata, & coram Fratre læſo.

DCXXIII. Omnis porro perſuaſio Satisfactionis Deo præſtandæ, ut impia & ſuperba, ab humili Reſipiſcentia exulare debet.

DCXXIV. Quæ eſt Dolor de Peccatis commiſſis, cum Averſatione mali & Amore boni junctus.

DCXXV. Conſequitur Reſipiſcentiam Remiſſio & Salus: nequaquam tamen vi intrinſeci Demeriti, *coll. Ezech.* XVIII. 21.

DCXXVI. Beneficiorum omnium Fœderis Gratiæ Primum, quod reliqua quandoque etiam ambitu ſuo complectitur, eſt Vocatio, variis nominibus in locis variis notata.

In-

DCXXVII. Intelligimus hic eam, non quæ eſt ad Munus aliquod Politicum aut Eccleſiaſticum, vel ad Communiora quædam Bona, ſed quæ tendit ad Gratioſam & Glorioſam Dei Communionem.

DCXXVIII. Iterumque non Externam adeo, quam Internam, externâ longe Excellentiorem, Cauſæ, Finis, Objecti, & Efficaciæ reſpectu, *coll. Rom.* VIII. 28.

DCXXIX. Eſt hæc Triunius Dei opus, cui in ſolidum vindicari hinc illa debet, *coll.* 1 *Cor.* I. 9.

DCXXX. Nulla quoque Dignitas hic Antecedens in Homine vocando eſt agnoſcenda, quæ Deum ad opus hoc moverit, vel de Condigno, vel de Congruo, *coll.* 2 *Tim.* I. 9.

DCXXXI. Sola hic prædicari debet Gratia Dei, per ac propter Mediatoris Merita Efficax.

DCXXXII. Vocantur enim homines Peccatores, prorſus mali, ad omne bonum inidonei; quaſes naturaliter ſunt omnes, *coll. Col.* I. 13.

DCXXXIII. Errant prorſus, quotquot Beneficium hoc ſingulare, vel ad Omnes prorſus Homines, vel ad Singulos Euangelium Audientes, extendunt; cum Electis omnibus tantum competat.

DCXXXIV. Ad horum, per omnes Nationes, Ætates, atque Conditiones diſperſorum, Univerſitatem reſtringenda eſſe Univerſalia Scripturæ dicta, res & contextus docet, *coll. Tit.* II. 11. 12.

DCXXXV. Neque capiunt verè aut decenter celebrant Divinam Miſericordiam, qui eam ad omnes planè homines heic debere extendi ſomniant.

DCXXXVI. Uſus quoque Externæ Vocationis Veraciſſimo Deo conveniens ac maximus eſt, licet Sufficiens ad Obedientiam Gratia cum illa non ſit connexa.

DCXXXVII. Vocationem ipſam conſtituimus in Tranſlatione hominis ex Statu Naturali Peccati in Statum Divinæ Communionis.

DCXXXVIII. Non obſtante Verbi miniſterio, atque Hominis à Deo moti Adventu ad Deum, conſideramus Hominem in Primo beneficii Momento, ut merè Paſſivè ſe habentem.

DCXXXIX. Quod tamen non de Intellectus aut Voluntatis

 Ope-

Operatione physice spectata, sed dè Bonitate huic inditâ, est intelligendum. Ut multum hic Homo à Trunco differat.

DCXL. Interiori in hoc opere utitur Deus Efficaciâ, â cujus vel Absentia vel Præsentia Vocationis Externæ Fructus omnis unicè pendet.

DCXLI. Ut hic neutiquam ad hominis Indifferentiam, aut Vocationis Congruum Momentum vel Modum, sit recurrendum.

DCXLII. Non consistit quoque hæc Gratia Interna in Datione Naturalium Virium Intellectus, aut Supernaturali Illuminatione, Voluntatisque Suasione solâ: sed in potentissima Obedientiæ Persuasione ac Productione, *coll. Phil.* II 12. 13.

DCXLIII. Unde consequitur Vocationem hanc prorsus Insuperabilem, & finaliter Irresistibilem esse, *coll. Eph.* I. 19. 20.

DCXLIV. Dum interim Verbo Euangelii, atque Spiritui per Prophetas id prædicanti, homines resistere, cum Scriptura quotidiana experientia docet, *coll. Act.* VII. 51. 52.

DCXLV. Qui *hic Hominis Libertatem* objiciunt, se illam neutiquam rectè intelligere, ratiocinatione sua palam faciunt.

DCXLVI. Nec consequitur ex doctrina nostrâ, Frustraneam Vocationem Externam esse: dum Deus cum Creatura Rationali agit modo rationali.

DCXLVII. Opus Obedientiæ si quis ob *thesin nostram* Deo adscribendum judicaverit, illi respectu *Principalis Efficientiæ*, non verò Subjectivæ Productionis, unde Effecta denominari solent, suffragamur.

DCXLVIII. Diversitas multiplex in Beneficii hujus Modo Speciali, tum Intra tum Extra Hominem, observari potest.

DCXLIX. Uti Beneficii hujus Tempus pro Divini beneplaciti libertate in variis multum variat; ita neque in ipsa Mortis Instantis hora est quod prorsus desperet homo, *coll. Matt.* XX. 1. 3. 5. 6. *Luc.* XXIII. 42. 43.

DCL. Præter Dei ipsius Gloriam, ad æternam Peccatoris Salutem tendit Vocatio.

DCLI. Quò cum pervenire non possit absque Reconciliatione cum Deo, & novo ad Vitam Jure, Vocatum Peccatorem novo & secundo Beneficio Justificationis Deus cumulat, *coll. Rom.* VIII. 29. 30.

DCLII. Non tantum Justificatio à Sanctificatione est Distin-

stinctissima, sed & hanc illa antecedit, *coll.* 1 *Cor* 1. 30.

DCLIII. Longe alius Usus Vocis hujus est Ecclesiasticus, quam Profanus; dum secundum hunc posteriorem, & vox hæc Latina, & Græca δικαιῶν, notat & Damnationem & Punitionem.

DCLIV. Licet sumatur quandoque pro Liberatione & Declaratione Justitiæ, quæ eam propriè consequuntur, receptissimus tamen Usus in Scriptura est Forensis, quem contra Papistas urgemus, *coll. Rom.* VIII. 33. 34.

DCLV. Infusionem vero & Operationem Justitiæ, sive Primam sive Adauctam, uti respectu Vocis in Se consideratæ notare potest, ita & notare quoque *Dan.* XII. 3. & *Apoc.* XXII. 11. nolumus pertinaciter negare.

DCLVI. Justificationem Piorum, Secundam, ex Operibus, Novissimo etiam Die futuram, non tam respectu rei quam phrasios minus propriæ & nimis propinquæ Adversariis improbamus.

DCLVII. Justificatio Deo competit Triuni, œconomicè Patri vindicatur tamen.

DCLVIII. Non alia verò quam Ministeriali & Declarativa ratione Hominibus ullis tribui debet.

DCLIX. Plane Gratiosum hæc est Dei Opus, non admittendâ ejus in ipso homine ulla causa.

DCLX. Fœderi Gratiæ propria est Justificatio. Quamquam si perstitisset Adam, alia ratione justificandus quoque ex Fœdere Operum fuisset, Jure Vitæ Æternæ absque Peccati ullius Remissione ipsi adjudicato, & quidem propter Opera, non ex Condigno, sed ex Pacto.

DCLXI. Solis Electis competit veri nominis Justificatio.

DCLXII. Sed & his Omnibus, absque Ætatis, Conditionis, Peccatorum, & Graduum Fidei, discrimine.

DCLXIII. Ut nulla hic etiam Differentia Essentialis inter Fideles Vet. & Novi Test. sit admittenda; licet sit illa omninò manifesta, in Iustitiæ Acquisitione futura vel facta, Sacrificiis exactis vel cessantibus, Extensione ad Judæos solos vel & Gentes, & Insinuationis Externæ & Internæ Gradu.

DCLXIV. Unde improbamus, Justificationem Patrum dici Minus Plenam; quæ utique cogitari jure non potest, ubi Pecca-

catorum omnium Remiſſione Pœna omnis proprie dicta tollitur, & Jus Vitæ Æternæ datur.

DCLXV. Et Chriſtum Sponſorem nudum, non Expromiſſorem verum, dici ſub diebus Vet. Teſt.

DCLXVI. Et Πάρεσιν illis tribui, negata Ἄφέσει; cum hæc aut ſint ſynonyma, aut potius illa Prætermiſſionem peccatorum, oppoſitè ad Punitionem Actualem in Chriſto ſub Novo Teſt. factam, notans, hanc neutiquam excludat ſed verius inferat, *coll. Rom.* III. 25.

DCLXVII. Et conſtitui illos Sub Reatu, Ira, Maledictione, ac jugi Mortis Metu.

DCLXVIII. Et deſtitui eos Conſcientiæ Verâ Tranquillitate, Conſummatione juſta, ac Adoptione.

DCLXIX. In quibus omnibus & ſimilibus Phraſibus, dum eas urgent Theologi noſtri, nulla quidem eſt Heterodoxia, cæteroquin & à Salute ipſa neceſſario excludendis Patribus.

DCLXX. Sed tamen multiplex Locutio Incongrua, in Hæreſin imprudentiores inducere apta, & cum coacta Scripturarum plurium Interpretatione juncta.

DCLXXI. Conſiderantur autem Electi in Juſtificatione, ut Peccatores à Deo Vocati per Spiritum & Verbum.

DCLXXII. Qui reſpectus in Chriſto non habet locum, dum alia ratione juſtificatur hic æquè quam eligitur.

DCLXXIII. Actus Juſtificationis Duo, Peccati Remiſſio, & Vitæ Æternæ Adjudicatio, non divellendi, ſed tamen omnino ad curatum rei intellectum diſtinguendi ſunt, *coll. Rom.* IV. 6, 7.

DCLXXIV. Quamquam ſynecdochice Actus Unus pro Juſtificatione tota quandoque ponatur.

DCLXXV. Per Remiſſionem non Macula, aut Reatus Potentialis, ſed Pœna omnis, & Reatus Actualis tollitur, *coll. Rom.* VIII. 1.

DCLXXVI. Neque eſt hic Diſcrimen ullum Peccatorum, Ante vel Poſt Baptiſmum, Mortalium aut Venialium, Graviorum aut Leviorum, Plurium aut Pauciorum, vel etiam Pœnæ Stricte dictæ, Temporalis aut Æternæ.

DCLXXVII. Non etiam fingenda Remiſſio, vel Potentialis mere, vel Conditionata, ut ſemel Remiſſa Culpa denuo Imputari poſſit.

Sic

DCLXXVIII. Sic à Peccatis Absolutos, & hactenus Adamo Integro pares, Jure Vitæ Æternæ amplius supra illum donat, Justosque constituit Deus.

DCLXXIX. Justificationis Causa Impulsiva, seu Meritoria, seu Materialis, est Justitia Christi, per Gratiam Dei nobis donata, ac per Fidem apprehensa, & hæc Sola quidem, *coll. Rom.* III. 24. 25.

DCLXXX. Ubi haud excludi debet ejus Justitia Activa, seu Legis Perfecta Obedientia, quæ ad Jus Vitæ Æternæ planè est necessaria, æquè quam ad Absolutionem ejus Justitia Passiva, *coll. Rom.* V. 19.

DCLXXXI. Justitiam Christi hic prædicat Scriptura, & explicitè, & implicite, ut Sponsorem eum describens, ac Gratiam Dei, & Fidem Operibus oppositam, urgens, *coll. Gal.* II. 16. *Phil.* III. 9.

DCLXXXII. Ejus verò Imputationem Justitia Dei neutiquam respuit, atque Propriæ Justitiæ Studium necessario excipit; haud obstante quorundam Jactantia vana & abusu.

DCLXXXIII. Impiè adversantur Papistæ, Fidei Informi dispositive, Formatæ verò per Charitatem effective, Justificationem tribuentes; Remissionis Causam inter Christum & Hominem dividentes; ac Merita Operum, tum de Congruo, tum de Condigno, urgentes.

DCLXXXIV. Quibus tamen saniores alii, dum Merita tantum ex Pacto urgent, Fœdus Gratiæ cum Fœdere Operum nimium confundunt.

DCLXXXV. Evertit Merita omnia Propria Spiritus, Opera à Justificatione excludens cuncta, Gratis nos justificari docens, & Gratiam Dei Operibus oppositam inculcans.

DCLXXXVI. Nec Operibus nostris Optimis conveniunt Meritoriorum requisita, Perfectio, Virtus Propria, exercitium Indebitum, & Mercedis Convenientia.

DCLXXXVII. Secundum Opera cum Retribuendum esse dicitur, Qualitas & forte Quantitas, non tamen Causa propter quam, innuitur, *coll. Rom.* II. 6.

DCLXXXVIII. Vel si quæ similes leguntur alibi phrases, Ratiocinativè sunt accipiendæ, & de Causa Declarante exponendæ, *coll. Luc.* VII. 47.

DCLXXXIX. Merces & Ἀνταπόδοσις nulla nisi Gratiosa hic agnoscitur, quæ Merces dicitur, ob Tempus, Promissionem, Certitudinem, Desideriumque Prævium, gloriæ, *coll. Matt.* v. 12.

DCXC. Dignitas similiter nulla, nisi ex Gratiosa Divina Dignatione in Christo, *coll. Apoc.* III. 4.

DCXCI. Ad Justitiam Suam & Dei dum provocant, vel Justitiam Causæ, vel Integritatem seu Sinceritatem suam, & Constantiam Dei in servandis per Fœdus Gratiæ datis Promissis, respiciunt fideles, *coll. Psal.* XXXI 2.

DCXCII. Justificationem Operibus dum tribuit quandoque Scriptura, ad consequentem Justificationis Declarationem omninò id referri debet, *coll. Jac.* II. 24.

DCXCIII. Nec aliud vult Jacobus; Paulo etiam sic minime adversus, quod de Fide ψευδωνύμῳ agat, ac adversus Impios Gratiâ abutentes disputet, dum Paulo cum Judaizantibus res erat.

DCXCIV. Bona Opera tandem non tollimus sic, sed plane Necessaria dicimus, ad Salutem ipsam Acquirendam, nobis Obsignandam, Deum Glorificandum, Proximum ædificandum, Obedientiamque Divino Mandato præstandam.

DCXCV. Damnamus porro Socinianam Obedientiæ Mandatorum Christi Imperfectæ, tanquam Causæ *Sine Qua Non*, Acceptilationem; Satisfactione Christi exclusa.

DCXCVI. Arminianorum etiam placitum, de Fide cum Obedientia Nova, ut Opere, Justificante propter Christi Meritum.

DCXCVII Quod per Opera Omnia Exclusa, Justificationemque non Propter Fidem, sed ex Fide, Per Fidem, & Fide, Sola omnino, adeoque relativè & instrumentaliter considerata, evertitur.

DCXCVIII. Justificationem Activam sequitur Passiva, seu illius Insinuatio per Verbum & Sacramenta à Spiritu potenter facta, *coll. Psal.* XXXV. 3.

DCXCIX. Per quam Infallibiliter omnino de illa Certi sunt Fideles, non tamen Semper, neque in Gradu intensissimo, Dubitatione omni exclusâ, *coll. Rom.* V. I.

DCC. Ad Certitudinem hanc enim ipsa Salutis adjudicatæ Fruitio tandem omnino sequetur.

Cum

DCCI. Cum Justificatione jungitur Sanctificatio, Beneficium Homini Fideli magis Internum, quod alibi explicitè memoratur, verum *Rom.* VIII. 29. 30. non sub Justificatione, sed Vocatione partim, partim Glorificatione, comprehenditur.

DCCII. Illa vi vocis, etiam Hebrææ, notat, tum Segregationem, tum Purgationem, tum Parationem, quæ omnis in Sanctificatione reperitur.

DCCIII. Et docet res ipsa, aliter Vocem debere intelligi, cum Deo passivè, Tempori item, & Loco, aliter cum Hominibus, variis iterum, tribuitur.

DCCIV. Est Actio Dei Triunius, œconomicè tamen tributa potissimum Spiritui, qui hinc etiam appellationem Sancti habet, *coll. Lev.* XX. 8. 1 *Cor.* VI. 11.

DCCV. Causam Sociam Principalem hic nullam Deus admittit, licet illi subserviant & Ministri & homines Vocati ipsi.

DCCVI. Nullum in Homine est Meritum, quod Deum heic impellat, sed operatur ille hic ex sua Gratia propter Christi Meritum solum, *coll. Ezech.* XXXVI. 26.

DCCVII. Quin & Beneficium hoc est ad Fœdus Gratiæ restrictum, cum in Statu Integritatis, Impuritate exclusa, excludatur quoque ejus Ablatio.

DCCVIII. Locum habet hoc Beneficium in Omnibus Electis, juxta priora Vocationis & Justificationis, licet Momenta & Gradus plurimum varient.

DCCIX. Competit etiam iis Solis. Ut debeat vel externa quædam Sanctificationis species intelligi, vel ad Judicium Charitatis sermo referri, ubi latius videtur extendi, *coll. Rom.* I. 7.

DCCX. In Electis vero nulla est Pars, quæ uti antea corrupta non fuit, ita beneficii hujus non fiat particeps, *coll.* 1 *Thess.* V. 23.

DCCXI. Atque est detestanda Socinianorum Impietas, qui præter Vitæ Emendationem, & pravarum Consuetudinum Correctionem, nihil in Sanctificatione agnoscunt, *coll.* 2 *Cor.* V. 17.

DCCXII. Primus Sanctificationis Actus consistit in Ablatione Maculæ per Peccatum introductæ, Cæcitatis sc. ab Intellectu, Perversitatis à Voluntate, Servitutis Peccati à Membris, Rebellium denique Affectuum & Metus ab Homine Toto, *coll. Eph.* IV. 22.

Al-

DCCXIII. Alter in Collatione Novæ cum Deo Similitudinis, Vitiis prioribus oppositæ, *coll. Eph.* IV. 24.

DCCXIV. Actus Uterque hic Inseparabilis est, & Æqualis respectu gradus, etiamsi in Malis singulis ablatis & Bonis collatis Æqualitas non semper servetur.

DCCXV. Utitur Deus in hoc opere Verbo, tum Legis, tum Euangelii, Sacramentis, Beneficiis, Pœnisque.

DCCXVI. Horum verò omnium Efficacia est à Spiritu intus potenter operante.

DCCXVII. Qui opus hoc non Simul Semelque sed Successivè perficit, in Morte demum consummandum plenissime, *coll. Hebr.* V. 13. 14. XII. 14.

DCCXVIII. Unde est Perfectissimorum Imperfectio perpetua, Lapsibus quotidianis, etiam gravioribus, demonstrata, & in Officiis precandi, pugnandi, progrediendi, &c. supposita, *coll. Gal.* V. 17.

DCCXIX. Luculenter Paulus Se in exemplum proponit, *Rom.* VII. 14. &c. ubi omnino de Se, non alio, & quidem in Statu Gratiæ, non Naturæ, nec Medio aliquo, constituto agit.

DCCXX. Perfectio cum Præcipitur aut Vovetur, ostenditur tum Officium illuc contendendi, tum rei Amabilitas, sed necdum possessæ, *coll. Matt.* V. 48. VI. 11.

DCCXXI. Quamquam & *concedamus*, *Perfectionem hic locum* habere, Partium omnium, Perseverantiæ, Comparatam, in Christo, &c. ad quam sæpè respicit Scriptura, *coll. Cant.* IV. 7. *Col.* II. 10.

DCCXXII. Exempla Perfectionis celebria in Asa, Josia, Zacharia, &c. κατά τι quoque, non absolutè, sunt intelligenda.

DCCXXIII. Habet verò Deus Rationes justissimas non mox Perfecti in homine Operis Sanctificationis; ut doceat scil. Humilitatem, Gratiæ suæ Agnitionem, Fidem in Christum, & Desiderium Cœli.

DCCXXIV. Ad Gloriam Dei & Salutem hominis Sanctificatio tendit, atque planè Necessaria est.

DCCXXV. Ab hac ut Fructus proveniunt Bona Opera, non Perfectè aut merè Civiliter, sed Verè & Spiritualiter talia, ratione Causæ, Normæ, & Finis.

DCCXXVI. Ab hoc Nomine non debent excludi Cogitationes & Sermones Boni.

Sed

DCCXXVII. Sed Omnes omnino Actiones Irregenitorum, multiplici ratione Deficientes, *coll. Matt.* VII. 16. 17. 18.

DCCXXVIII. Opus Bonum fieri debet unicè secundum Normam Divinæ Voluntatis, in Scriptura Revelatæ.

DCCXXIX. Nec alia ejus est Causa, quam Spiritus per Fidem potenter operans in homine, *coll. Gal.* V. 22.

DCCXXX. Habet quidem pro Fine Proximi Ædificationem, & Salutis nostræ, tum Confirmationem, tum Acquisitionem; terminatur vero ultimo in Gloria Dei, potissimum Misericordiæ ejus, *coll.* 1 *Cor.* VI. 19. 20.

DCCCXXXI. Inter Opera Bona multum excellit Oratio, Præstantiæ, Necessitatis, & Utilitatis intuitu, cujus studium per doctrinam nostram exstingui, calumnia est Adversariorum.

DCCXXII. Nomina, δεήσεως, προσευχῆς, ἐντεύξεως, & εὐχαριστίας, variè quidem distinguunt, nos verò distincte referimus ad Deprecationem, Apprecationem, Intercessionem, & Gratiarum Actionem, quæ tamen species in omni Oratione concurrere debent, *coll.* 1 *Tim.* II. 1.

DCCXXXIII. Est Oratio Actio verè Religiosa, quæ non potest modo Deo grato præstari nisi à verè Sanctificatis.

DCCXXXIV. Tendit ad Deum Triunum, adeoque etiam Christum Mediatorem & Θεάνθρωπον, non tamen ad Humanam ejus Naturam, *coll. Phil.* II. 10.

DCCXXXV. Neutiquam autem ad Angelos, aut Sanctos, qnorum Invocatio inter Christianos serius est orta, ex occasionibus variis non ignotis, *coll. Matt.* IV. 10.

DCCXXXVI. Orandum est pro Omnibus, non Mortuis, sed Vivis, etiam Inimicis; Nemini absolutè Malum vovendum, *coll. Matt.* V. 44.

DCCXXXVII. Et propter Bona Omnia, tum Spiritualia, tum Corporalia, hæc verò magis Conditionatè & Secundario, *coll. Matt.* VI. 11.

DCCXXXVIII. Neutiquam autem propter Mala, sive Pœnæ, sive Culpæ; quo & refer Divino Consilio nobis patefacto Contraria.

DCCXXXIX. Oratio in animo requirit præcipuè Reverentiam, & Fiduciam, atque solo Cordis motu absolvi potest.

DCCXL. In Corpore vero, tum Verba decentia, tum Gestus re-

reverentiam & fiduciam exprimere aptos, qui varii leguntur in Scriptura, nulli autem absolutè sunt necessarii.

DCCXLI. Fiduciam verò istam maximè parit certus Precum Fructus, à Deo promissus, nec unquam, quicquid videatur, verè negatus, *coll. Jac.* I. 6. v. 16.

DCCXLII. Orandum est Indesinenter, omnique data Occasione, non tamen sic Singulis Momentis, ut aliis Operibus planè vacare non liceat unquam, *coll.* I *Thess.* v. 17.

DCCXLIII. Neque improbanda sunt Statuta Precum Tempora, ab ævo in Ecclesia Judaica & Christiana recepta: licet rejici debeant ob multiplicem Idololatriam & Superstitionem Horæ Canonicæ Papistarum, *coll. Psal.* LV. 18. *Dan* VI. 11.

DCCXLIV. Specialem in Precibus Zelum præsentes Necessitates, atque Opera quævis magna suscipienda, imperant.

DCCXLV. Locus sub Novo Test. Quicunque Domino sanctus est, nec à Consecratis Templis aut magis Religiosis quibusdam locis, ad quæ Peregrinationes gratis instituuntur, major Vis Precibus accedit, *coll.* I *Tim.* II. 8.

DCCXLVI. Formulæ Precandi Statutæ, per quas apud Papistas Zelus verus exstinctus ac juxta Superstitionem Idololatria stabilita est; nec omnes sunt planè Rejiciendæ, ob praxin antiquam & usum quem rudioribus maximè præstant; nec pro Necessariis obtrudendæ, ob Libertatem quæ inter *Judæos* Christianosque hic semper viguit, iisque commendata est, Occasionum varietatem, ac Zelum extra Formulas, vulgò majorem.

DCCXLVII. Et Formulam & Exemplar Precandi Dominus nobis dedit in Oratione Perfectissima, quæ ab ipsius institutione, fortè repetita, Dominica dicitur, *coll. Matt.* VI. *Luc.* XI.

DCCXLVIII. Præscripta à Domino hac Formulà non debet Lex Mosis sub Novo Test. dici Adaucta; cum nec Novum inferat Officium, nec aliunde quam ex Veteris Test. Praxi illa sit petita.

DCCXLIX. Non est huic Orationi insita quædam Specialis Efficacia tribuenda, aut Sanctitas; ob quam vel inaniter sit Repetenda sæpe, vel Singulis Precibus necessariò subjicienda, vel Parvulis etiam & Publicis Congregationibus subtrahenda.

DCCL. Nimio equidem suarum hypothesium studio aguntur, qui delineatas Septem Novi Test. Periodos in ea reperiunt; majori

jori cum specie utique in Præceptis Decalogi ponendus, ubi Futurum Tempus simul sc. habere queat vim Mandandi & Promittendi, nec Verborum Historiarumque torsione difficilis ad Novi Test. Tempora applicatio est.

DCCLI. In Orationis istius Exordio ad Deum ducimur, sive Patrem tantum, ad quem per Filium accedimus, sic una Invocatum, sive & Triunum.

DCCLII. Quem dicimus Patrem, non tam Creationis, Conservationis, & Externi Fœderis, quam quidem Adoptionis, Regenerationis, & Unionis cum Christo, intuitu.

DCCLIII. Pronomen Nostri additum Fidei simul & Charitatis necessariæ indicium præbet.

DCCLIV. Nec negat Cœlorum heic facta mentio Dei Immensitatem, sed ejus Majestatem summam nobis commendat, *coll. Jes.* LXVI. I.

DCCLV. Petitiones Orationis, non Septem, sed Sex, commodè dividuntur secundum argumentum, quod in Tribus prioribus magis immediatè Deum, posterioribus vero Nos ipsos spectat, atque in Quatuor prioribus est Bonum desideratum, Duabus vero posterioribus Malum declinatum.

DCCLVI. Ad Finem omnium supremum, Agnitionem scil. & Celebrationem Divinarum Perfectionum, Prima nos ducit Petitio, uti illa locum habere debet in Nobis & Aliis. Cui adeò omnes reliquæ Petitiones subordinari debent.

DCCLVII. Petitione Secunda de Regno Dei agitur, non Naturæ, sed Gratiæ, in Gloria consummando, & sub Novi Test. Oeconomia latissimè extendendo; unde potius, quam à Consortibus Dei in Regno nunc sublatis, hæc Nomen illud κατ' ἐξοχὴν recipit.

DCCLVIII. Adventus ejus Successivam majorem Extensionem, & Incrementum quoque in Nobis ipsis, notat.

DCCLIX. Tertia Petitione memoratur Voluntas Dei, tam Beneplaciti, quam Signi, tam Promissi quam Præcepti; quam Fieri dum petimus, ad patientem Subjectionem, Promissorum Implementum, & Obedientiam nostram potissimum, respicitur.

DCCLX. Angelorum & Beatorum, utpote qui in Cœlo perfecti existunt, Exemplum additum ad Similitudinem magis

quam Æqualitatem, utpote his in terris nunquam obtinendam reſpicit.

DCCLXI. Panis Petitione Quarta Corporalis ſolum innuitur, non Spiritualis, ac Victum & Amictum omnem notat Neceſſarium.

DCCLXII. Non melius derivatur vox ἐπιούσιος, quam ab ἐπὶ & οὐσία, ut ſic notet Ad Eſſentiam & Vitam noſtram ſuſtentandam neceſſarium.

DCCLXIII. Hujus Petione Quotidiana à Deo, Noſtræ impotentiæ Divinæque providentiæ monemur, ad Sollicitudinem tollendam.

DCCLXIV. Debita Quintæ Petitionis, Peccata optime notant, ob juſtitiam Dei cui nos ſubjiciunt; atque Noſtra dicuntur à Fidelibus, non aliorum tantum ſed quoque ſui ipſorum intuitu.

DCCLXV. Remiſſio Meritum Chriſti includit, petiturque à Credentibus & Juſtificatis quotidie, reſpectu Inſinuationis majoris, repetitorum Peccatorum, & Pœnæ omnis actu arcendæ.

DCCLXVI. Remiſſio Noſtra ſubjecta, non ad Officium, ſed ad Praxin cum majori Conatu junctam, debet referri; nec adducitur hæc, vel ut Norma, vel ut Cauſa Meritoria Divinæ remiſſionis, ſed ut Beneficium Gratiæ jam exhibitæ, & Motivum ab Officio per hanc præſtito.

DCCLXVII. Tentatio, quam Petitione Sexta deprecamur, non eſt Exploratio per Verbum & Spiritum, ſed tum Immiſſio Malorum, quæ ad malum ſeducere poſſent, tum Diabolicus ad malum Impulſus, qui fit Deo permittente, atque per Providentiam arcanam ordinante, merito deprecandus ob imbecillitatem noſtram.

DCCLXVIII. Malus eſt Diabolus cum omnibus Inſtrumentis, à quo Liberari petimus, non tantum Victoriæ ſed & Inſultus ratione.

DCCLXIX. Concluſio Doxologica, quæ perperam à Papiſtis ſecundum Vulgatum rejicitur, ad totam Orationem adeoque & ad Ultimam Petitionem debet referri.

DCCLXX. Amen ſubjectum, diſtinctum ab ἦ μὴν *Hebr.* VI. 14. uſum hic poteſt habere, vel Aſſeverandi, vel potius Vovendi.

Cum

DCCLXXI. Cum Oratione jungitur Jejunium, non Spirituale, Coactum, Miraculosum, Politicum, Naturale, sed Religiosum, ut Officium etiam sub Novo Test. decens, *coll. Matt.* XVII. 21.

DCCLXXII. Quamquam id per Se Deo non placeat, nec ad complura in anno Tempora debeat præscribi, uti fit in Papatu, ex mala imitatione tum praxios Judaicæ, aliis rationibus nixæ, tum superstitionis Pharisaicæ, tum Miraculosæ Christi potentiæ, ad quam respectus est in Quadragesima, non fuit tamen olim.

DCCLXXIII. Consistit Jejunium in Abstinentia ab omni Victu, vel lautiori & ordinario, ubi longius protenditur idem, *coll. Esth.* IV. 16. *Dan.* X. 2.

DCCLXXIV. Neutiquam autem in Delectu Ciborum, quem ex schola Judaica, Pythagorica, Montanistica, Encratitica, & Marcionitica, sumpserunt Pontificii, contra Novi Test. Libertatem, & Discriminationem hanc expresse damnatam, *coll.* 1 *Cor.* X. 25. 27. 1 *Tim.* IV. 1. 2. 3. 4.

DCCLXXV. Nec juvat eos Discrimen Ciborum à Deo olim statutum, utpote non ultra dies Vet. Test. plane finitos extendendum, nec pertinens etiam ad Jejunium.

DCCLXXVI. Exempla Petri lupinis, Matthæi oleribus baccisque vescentium, Jacobi à vino & carnibus abstinentis, tum & Johannis Baptistæ, & Danielis, partim fabulosa sunt, partim non Jejunium sed Frugalitatem Spontaneam in Munere Extraordinario probant, partim tenuissimam indicant in Jejunio longiori diætam.

DCCLXXVII. Jejunium & privato Arbitrio suscipi potest, & ab Ecclesia, sive per Presbyterium, sive per Magistratum, omnibus præscribi.

DCCLXXVIII. Temporis in verbo Dei non est determinata Mensura; debet tamen nec homo nimium debilitari, nec ordinarium edendi tempus servari.

DCCLXXIX. Quin & circa Jejunii initium & finem Frugalitati solitâ majori est studendum. Unde Bachanalium Papisticorum impietas apparet.

DCCLXXX. Jejunium verò præscribendi Jus Ecclesiæ non est absolutum, sed limitatum, ut instituatur Tempore singula-

ris Calamitatis, cujus tamen annua quædam potest esse memoria, nec nimis multiplicetur, uti apud Pontificios jugum Mosaico durius impositum est longe, pluribus quam CL. diebus per annum Jejunio dictis.

DCCLXXXI. A Jejunio abesse debet omnis vana Gloria, omne Merendi aut satisfaciendi studium, omne denique institutum Deum per hoc Opus colendi.

DCCLXXXII. Ut finis ejus sit Carnis Domatio, Indignitatis & Tristitiæ nostræ coram Deo & hominibus Declaratio, atque Precum constantior & major Zelus.

DCCLXXXIII. Orationi jungitur porro Vigilia, non tantum Spiritualis, sed & Corporalis, eaque Voluntaria, suscepta ad Sacras Meditationes & Preces cum majori studio continuandas, *coll. Matt.* XXVI. 38. 41.

DCCXXXIV. Quæ iterum non est nimium Multiplicanda, & ad Festa Majora alliganda; quomodò Veteres ob exspectatum Christi ad Judicium Adventum Vigiliam Paschatis in primis servarunt.

DCCLXXXV. Inter Opera cum Oratione juncta excellit porro Eleëmosyna, quam strictè hic capimus pro Facultatum Erogatione in usus Pauperum necessarios; quæque actus in se est religionis imperatus, sed jungitur cum Precibus ob beneficentiam Dei hic desideratam, *coll. Matt.* VI. 4. 5.

DCCLXXXVI. Est Eleëmosyna Opus Charitatis, Lege mandatum, & quidem Octavo Præcepto verius, quam Quinto, quod postremum malè volunt Papistæ quidam.

DCCLXXXVII. Unde incumbit omnibus ratione Affectus, possessiones verò etiamsi minores habentibus ratione Effectus, qui secundum possessiones crescere debet, *coll. Luc.* XXI. 2. 3.

DCCLXXXVIII. Exercenda Eleëmosyna non erga omnes Petentes, quod ex *Luc.* VI. 30. perperam colligitur, sed verè Egenos, manente graduum discrimine inter Consanguineos, Domesticos Fidei, Conterraneos, Vicinos, aliosque, *coll. Gal.* VI. 10.

DCCLXXXIX. Non debent autem inter hos Egenos numerari Validi Mendicantes, quos non admisit Deus in Israële, nec Prædones Monachi.

Danda

DCCXC. Danda est Eleëmosyna ex vere Nostris, non ergò ex male partis, aut etiam sordide acquirendis, *coll. Luc* XIX. 8.

DCCXCI. Neque Omnia Nostra danda sunt, introductâ Bonorum Communione, neque præcise Omnia Superflua.

DCCXCII. Differt à Mutuatione, cum Fœnore vel absque eo, etiamsi Fœnus cessans ad Eleëmosynam tum referri possit, utpote largitionem dicens lubentem & liberalem.

DCCXCIII. Ab Eleëmosyna, dirigenda ad pauperis sublevationem & gloriam Dei, abesse debet omnis Satisfactionis & Meriti persuasio, sive Pœnitentia absit, sive adsit.

DCCXCIV. Referimus ad Orationem tandem etiam Vota, quæ generatim mandata, etiam sub Novo Test. Quod non negant Nostri, hac tamen calumnia à Pontificiis pressi.

DCCXCV. Notat Votum Promissionem, originaliter formaliter & finaliter Religiosam; unde non debet fieri Sanctis vel Angelis, sed soli Deo, *coll. Psal.* LXVI. 13. 14.

DCCXCVI. Non sunt vovenda Mala, quibus Cultum Imaginum, Reliquiarum, indefinitam Jephtæ Ἀνθρωποθυσίαν, quam & verè in Filia exsecutus est, &c. annumeramus, neque Impossibilia, neque Inutilia plane.

DCCXCVII. Unde concidunt Vota Pontificia, Cælibatus, Obedientiæ, & Paupertatis, quæ omni modo in has conditiones impingunt.

DCCXCVIII. Voventur verò rectè Bona plane Necessaria, ad quæ præstanda sic magis incitamur.

DCCXCIX. Licet hæ Actiones Liberæ non sint, est tamen Liberum magis in se illarum repetitum & solenne Votum.

DCCC. Voventur præterea Mediæ res, si justa attentio utilitatis adsit, & finis, absitque omnis Meriti & Cultus in opere tali persuasio.

DCCCI. Beneficiis prioribus Fœderis Gratiæ, Vocationi scilicet, Justificationi, & Sanctificationi, pondus accedit per Conservationem, cujus promisso Adam in Statu Integritatis caruit.

DCCCII. Quandoque eadem implicite in Nexu reliquorum Beneficiorum continetur, quandoque explicite proponitur, vocibus emphaticis τηρεῖν, φρουρεῖν, φυλάσσειν, σώζειν, &c.

DCCCIII. Est Opus Dei Triunius, & Solius tanquam Causæ Principalis, subservientibus interim Angelis, Ministris, Fideli-

bus

bus ipsis, Verboque pariter & Sacramentis, *coll.* 1 *Pet.* 1. 5.

DCCCIV. Gratiæ Dei in Christo idem adscribendum venit, cum homo priorem gratiam omnem semper indigne usurpet.

DCCCV. Extendit se hoc Beneficium ad Solos & Omnes Electos, non obstante Debilitate quorumdam maxima.

DCCCVI. Consistit maximè in Defensione potenti adversus vim omnem hostilem, internam & externam, per suppeditatas hinc vires, illinc repressum impetum.

DCCCVII. Ex quâ fluit Perseverantia, non Conditionata sed Absoluta, Fidelium omnium, opposita Finali & Totali Apostasiæ, *coll. Rom.* VIII. 29. 30.

DCCCVIII. Constat hæc Perseverantia, unicum solidæ consolationis fundamentum, ex descriptione Fidelium propria & impropria, multiplici Dei Promissione, Beneficiorum antecedentium Fonte perenni, & Fidei, Spei, Charitatisque natura, *coll. Joh.* VI. 39.

DCCCIX. Nec obstant, vel exempla Apostasiæ ab externa Ecclesiæ communione; vel Conditionatæ Comminationes; vel Peccata Fidelium gravissima, per resipiscentiam semper abrupta; vel Absurda Impietatis & Securitatis Carnalis, quam omnem pellit Dei gratia.

DCCCX. Nec usquam magis, quam in hoc Beneficio, Divinæ bonitatis & potentiæ laus elucet.

DCCCXI. Plura Divinorum horum Beneficiorum, variè inter se junctorum, sunt Nomina, quæ fidelis animæ considerationem merentur.

DCCCXII. Celebris est Regeneratio, quæ Vocationis naturam aptè declarat, cum innuat novam spiritualem vitam, quæ cum operationibus vitalibus in vocatis per Spiritum producitur, *coll.* 1 *Pet.* 1. 3.

DCCCXIII. Ac excludit simul ab homine, ante Vocationem mortuo, omnes Vires, Merita, & Præparationes antecedentes, solummodò nixa Christi merito, *coll. Eph.* II. 1. 5.

DCCCXIV. Non minus prædicatur Adoptio, quæ partim ad Vocationem partim ad Justificationem pertinet, & quâ Electi natura Extranei in filios & hæredes Dei propter Christum adsciscuntur, *coll. Eph.* 1. 5.

DCCCXV. Quamquam vox aliquando ad notandam clariorem Ju-

Juris hujus Patefactionem, vel uberiorem Fruitionem adhibeatur, *Gal.* IV. 5. *Rom.* VIII. 23.

DCCCXVI. Assumuntur verò Electi in Familiam Dei, & ut Fratres Christi, & ut Conjux ipsius, ita ut transeant in Nomen, Hæreditatem, & Potestatem Dei Patriam, atque in familiarem cum Deo Conversationem mox admittantur.

DCCCXVII. Sæpius occurrit nobis Reconciliatio cum Deo, per ablatam hujus iram & hominis odium, *coll. Rom.* V. 10.

DCCCXVIII. Quam excipit non tantum mutua Pax, sed & Amicitia intima & indivulsa plane.

DCCCXIX. Commendatur in Scripturis quoque Redemptio, ad Beneficia omnia priora quodammoda pertinens, imò ad Glorificationem ipsam extensa, cum per eam Electi à Potestate Satanæ, Maledictionis, & Peccati, liberentur, *coll. Eph.* I. 7.

DCCCXX. Voces apud Hebræos Duæ præcipuæ sunt גאל & פרה / ex quibus hæc Liberationem quæ fit per Vim, illa talem quæ fit soluto Pretio, sæpe non tamen semper notat, utroque Liberationis modo hic concurrente.

DCCCXXI Beneficium hoc est, cujus Impetratio & Applicatio distingui equidem, sed neutiquam separari possunt, ut sic maneat illud plane proprium Electis, *coll. Tit.* II. 14.

DCCCXXII. Quamquam Pretium à Christo sub Novo Test. demum sit solutum, atque major hic sit Liberationis declaratio, verè tamen olim quoque Redempti fuerunt Fideles, *coll. Psal.* CIII. 4.

DCCCXXIII. Ejus consequens est vera Libertas, quæ hic non Naturalis, aut Civilis, sed Spiritualis intelligitur, atque ita quoad substantiam fuit in Veteris Test. Fidelibus, ut tamen major ejus Gradus sit sub Novo Test. & maximus in futura Gloria exspectetur.

DCCCXXIV. Abusus ejus gravis est, cum prætexitur Neglectui Charitatis, etiam in rebus Adiaphoris, in quibus utique Scandali, etiam Accepti, datio vitanda est; Aut cum ejus prætextu negatur debita sub Ministris, vel Magistratibus, Subjectio, quæ utraque multum tamen differt; Aut cum vertitur in Carnis Licentiam, excusso prorsus Divinæ Legis jugo.

DCCCXXV. Ad Officia & Beneficia pertinent simul Sacramenta, seu Sigilla, quibus Fœdus obsignatur Fœderatis.

DCCCXXVI. Vox hæc, quam Gentiles de Juramento Militari, & Pignore à litigantibus deposito, Patres verò de quavis re Sacra & Abscondita usurparunt, retineri equidem potest, non tamen aliis ἐγγράφοις Signi & Sigilli Fœderis videtur præferenda.

DCCCXXVII. In Sacramentis ante omnia requiritur Divina Institutio, cùm Deus solus Legislator & Gratiæ Autor sit.

DCCCXXVIII. Tum Signum Visibile & Substantiale aliquod, quod per Convenientiam rem Spiritualem adumbrare possit.

DCCCXXIX. Dein Res Significata, Gratia scilicet Fœderalis in Christo Electis omnibus promissa.

DCCCXXX. Quæ Localiter cum Signo non est Unita, sed Moraliter, quatenus Signi receptione Rem Signatam Deus adumbrat, obsignat, & credentibus actu confert.

DCCCXXXI. Destinantur Sacramenta omnibus Fœderatis, qui scilicet eorum per Ætatem capaces sunt.

DCCCXXXII. Eum in finem, ut Fides corroboretur, & ad Officia præstanda magis obligetur homo.

DCCCXXXIII. Gratiam non præstant ex Opere Operato, aut Probitate vel Intentione Ministri, sed ex Dei singulari Concursu, per Spiritum, & Fide utentis.

DCCCXXXIV. Sacramenta sunt vel *Vet.* vel *Novi Test.* quæ multis quidem differunt modis, neutiquam autem vel in re significata, vel in modo eam conferendi, uti illa fuisse Figuras horum dici nequeat.

DCCCXXXV. Quædam olim fuerunt Extraordinaria, uti Mansio super Aquam in Arca, sub Nube, Transitus per Mare, Manna, Aqua ex Petra, Serpens Æneus, &c. Quæ omnia ad Christum respexerunt.

DCCCXXXVI. Ordinaria autem strictèque dicta Duo tantum, Circumcisio & Pascha; dum Sacrificia à Sacramentis hic distinguimus, cum omni Apparatu illuc spectante, & in Sabbatho nullum est Signum Substantiale, circa quod homo operetur.

DCCCXXXVII. Institutio Circumcisionis prima, non ab Ægyptiis, aut à Turpi Necessitate Israëlitarum, sed ab ipso Deo tempore Abrahami est repetenda, *coll. Gen.* XVII. 11.

DCCCXXXVIII. Nec ulla Mutatio in ea est à Mose facta,

cta, nisi quod Fœdere Dei ad Israëlem tunc restricto plane, Omnibus ex æquo Salvandis, non amplius solis Abrahamidis, facta sit necessaria.

DCCCXXXIX. Administrata est Circumcisio in Præputio, ut Corruptionem Nativam innueret; & quidem ejus Abscissione, ut notâ in carne perpetuâ plenitudinem Justificationis & Sanctificationis significaret.

DCCCXL. Facta est Circumcisio à Patribus-Familias, Sacerdotibus, Levitis, & quibuscunque postea ejus rei Peritis. Non tamen probanda videtur opera Fœminarum; nec probatur illa ex Exemplo, vel T'Sipporæ, vel Mulierum tempore Antiochi.

DCCCXLI. Facta est eadem ope Cultri Acuti, non determinate Lapidei solius.

DCCCXLII. Administrata porrò non Fœminis, quæ in Viris Circumcisæ censebantur, sed Masculis Abrahamidis, Solis & Omnibus, quousque Fœdus Dei apud ipsos mansit, juxta Servos & Proselytos, qui ad Israelitas accedebant.

DCCCXLIII. Hinc & à Parentibus Circumcidi debuit Christus; quod non obstante ejus Sanctitate ob plures rationes quoque fieri voluit Divina Providentia.

DCCCXLIV. Tempus fuit in Adultis, cum Transirent in Dei Fœdus, in Parvulis verò Dies à Nativitate Octavus, ob rationem Naturalem, Legalem, & Mysticam.

DCCCXLV. Comminatio gravis ad Ceremoniam hanc adjecta fuit, Excidii Animæ ex Populo, quæ Exclusionem à Dei Fœdere notare merito censenda est.

DCCCXLVI. Non debet autem ad Parvulos, sed ad Adultos voluntariè Circumcisionem negligentes, hæc referri.

DCCCXLVII. Res per Ceremoniam hanc Significata fuit Gratia in Fœdere promissa, tum Justificans tum Sanctificans; quod collatione Abscissi Præputii, cum Peccato, quin & forte cum Christo, ostendi potest, *coll. Rom.* IV. 11. *Deut.* XXX. 6.

DCCCXLVIII. Præter Beneficiorum verò Gratiæ Obsignationem, & Obligationem ad Officia debita, usum Discretionis Judæorum ab aliis habuit ritus hic.

DCCCXLIX. Circumcisionis Durationem non ultra Vet. Test. tempus extendendam esse, ex testimoniis Utriusque Testamenti, & ex rei natura clarum est, *coll. Gal.* V. 2. 3.

DCCCL. Nec poteſt illa hodiè in Judæis, vel in Chriſtianis, ſi etiam prætexatur Uſus Politicus, probari.

DCCCLI. Alterum Veteris Teſt. Sacramentum, voce non Græca, ſed Chaldaica, Paſcha dicitur, quod proprie Tranſilitionem Angeli perdentis in Ægypto trans ædes Iſraëlitarum, impropriè verò Agnum, Feſtum, & Ceremoniam tunc adhibendam circa Agnum, notat.

DCCCLII. Hujus Inſtitutio facta eſt tempore Exitus ex Ægypto, quandò Beneficium Corporale recens, & Spirituale clarius revelandum erat, *Exod.* XII.

DCCCLIII. Subſtantio Viſibilis in hoc Sacramento fuit Parva Pecus, ſive ex Ovibus, ſive ex Capris ſumpta.

DCCCLIV. Quæ debuit eſſe Integra, generis Maſculini, & Annuæ ætatis, non Inchoatæ primum, ſed circiter longe potius Completæ.

DCCCLV. Quamquam autem ad Feſtivitatem Paſchalem etiam pertinuerint mactati Boves, non tamen hi propriè Sacramentum Paſchatis conſtituerunt.

DCCCLVI. Ritus adhibendi fuerunt, Non Omnes tamen Semper, Separatio Pecudis Quatriduana, Mactatio abſque Oſſis Fractione, Sanguinis Aſperſio ad Poſtes & Superliminare, poſtea ad Altare, Aſſatio cruditati & elixationi oppoſita, Comeſtio denique Totius Pecudis cum Azymis & *Amaritudinibus*, ac *Habitu* Iter ingreſſurorum.

DCCCLVII. Pro Rituum varietate Perſonæ Adminiſtrantes variarunt, Separatione Mactatione Aſſatione ſingulis Patribus familias, Sanguinis Aſperſione Sacerdotibus, & Comeſtione Iſraëli toti cum Fœminis & Infantibus competente.

DCCCLVIII. Locus habiti Paſchatis primum fuit in Ægypto, dein Manſio in Deſerto, poſtea Sedes Publici cultus *Deut.* XVI. 2. 5. 6.

DCCCLIX. Quem tamen textum, propter Uſum Paſchatis ad omnes ſub Anathematis Pœna extenſum, qui utique Jeroſolymam aſcendere non poterant, & propter Loci in Templo Temporiſque Anguſtiam, apertaque *Philonis Judæi* teſtimonia, ad Publicam Feſti Celebrationem reſtringimus, reliquis qui alibi mactabantur Agnis Sanctificatis in Jeroſolymitanis.

DCCCLX. Tempus conſtituit Legiſlator Menſis Primi Sacri, &

& Diei Decimi Quarti, Horis ejus pomeridianis Mactationi destinatis. Mensis vero Secundi idem Dies Impuris datus est, & longius Absentibus à terra suæ.

DCCCLXI Diem verò, secundum Canonem בד״ו/ ob Duorum Dierum Festorum Concursum, jam tempore Salvatoris quandoque videntur Judæi cum alio proximo commutasse.

DCCCLXII. Cœna post Paschalem ἀπολυτικὴ, ac Pedum Lotio, an ad Paschales ritus, à Judæis adhibitos, pertinuerint, magnopere controvertitur inter Philologos Doctos.

DCCCLXIII. Ex superiorum rituum consideratione constat, Pascha non Nudum Sacramentum, sed simul etiam Sacrificium fuisse, docente id Nomine repetito, Actu Oblati Sanguinis, & clarissima Christi Offerendi heic data Figura.

DCCCLXIV. Ceremoniæ totius Significatio partim respexit ad Præteritum Corporale Beneficium, partim ad Futuram Liberationem Spiritualem per Christum, *coll.* 1. *Cor.* v. 7.

DCCCLXV. Nec potest Aptior ulla Figura Christi dari, quam fuit Agnus Paschalis, in Specie sua, Requisitis omnibus, Ritibus adhibitis, Personis cooperantibus, Loco & Tempore Mactationis, tandem etiam connexo cum ejus Mactatione Beneficio.

DCCCLXVI. Præter Finem Significativum & Obsignativum, voluit hoc Sacramento Charitatem & Unitatem mutuam in Cultu Deus quoque foveri.

DCCCLXVII. Cum omnibus Sacrificiis, & operoso isthoc Cultu, Sacramentum hoc etiam sub Novo Test. cessare debuit.

DCCCLXVIII. Alia hic Duo substituit Dominus, cum quibus Extraordinaria Vetera quoque contulit Paulus, 1 *Cor.* x. 1. 2, 3. 4.

DCCCLXIX. Ad hæc Duo simpliciter, juxta Verbum, in Testibus Terrestribus Tribus putamus respici 1 *Joh.* v. 8.

DCCCLXX. Nec Sacramentis Christianis ut Tertium annumerari Pedumlotio debet, symbolicè ad docendum Humilitatem à Christo facta.

DCCCLXXI. Nedum admitti Septenarius illorum Numerus, qnem ridiculis argumentis ex Vitæ Corporalis Requisitis, Peccatorum & Virtutum Numero, ac Septenarii sæpissime lecti Mysterio, eliciunt Papistæ.

DCCCLXXII. Ad Confirmationem Papisticam non spectat, vel Confirmatio gratiosa Spiritus 2 *Cor*. I. 21. 22. vel Impositio Manuum extraordinariè ab Apostolis ad conferenda Charismata singularia adhibita.

DCCCLXXIII. Pœnitentiæ Sacramentum pessimè stabilitur; ex Remissionis Ministerialiter annunciandæ Potestate facta discipulis *Joh*. xx. 22. 23. atque ex Peccatorum Confessione, tum coram Deo, tum coram læsis Fratribus, commendata.

DCCCLXXIV. Unctio ab Apostolis adhibita, & à Jacobo præscripta *Cap*. v. 14. 15. ut ad Miraculosam Corporis Sanationem spectans, Sacramentum Ordinarium Gratiæ Spiritualis non constituit.

DCCCLXXV. Ceremonia Impositionis Manuum in Ministrorum Consecratione ab ævo adhibita, ex praxi Judaica, utpote quibusdam in Ecclesia Propria, ad Sacramentum Ordinis gratis trahitur.

DCCCLXXVI. *Mysterium*, *non* Sacramentum, Magnum in Christi cum Ecclesia Unione Conjugali ponens Apostolus, ex Conjugio Humano Sacramentum quoque non fecit *Eph*. v. 32.

DCCCLXXVII. Baptismus Primum dicitur *meritò Sacramentum* Novi Test. ob *Institutionis & Administrationis tempus*, *coll. Luc*. III. 2. 3.

DCCCLXXVIII. Vox, ex se Lotionem notans, pro Immersione frequenter ponitur, ut per quam optimè abluimur.

DCCCLXXIX. Metaphoricè vox ponitur prò gravi Malorum Oppressione, quando Baptismus Sanguinis, & pro copiosa Effusione Donorum Spiritus, quando Baptismus Flaminis dicitur, à quo Baptismus Ignis malè distinguitur, *coll. Matt*. xx. 22. III. 11.

DCCCLXXX. Propriè Ablutionem per Aquam significans, vel est Communis, vel Ceremonialis, vel Superstitiosus, vel Christianus.

DCCCLXXXI. Proselytorum apud Judæos Ablutio partim fuit Superstitiosa, partim Pius sed Humanus Ritus, ex multiplici Legis Analogia tamen petitus.

DCCCLXXXII. Est Baptismus Christianus indubiè Divinæ Institutiònis, quamquam plures huc Prædictiones & Typi torqueantur perperam.

Il-

DCCCLXXXIII. Illam primò reperimus in Johannis à Deo Missi Baptismo; quem proprio Motu administratum fuisse, aut Diversum à Baptismo Christiano esse, malè urgent Papistæ, *coll. Joh.* I. 33. *Act* XIX. 4. 5.

DCCCLXXXIV. Deinde in Discipulorum Christi Baptismo, durante ipsius Prædicatione humili inter Judæos, quem Permissum tantum, non Præceptum fuisse, impiè statuitur, *coll. Joh.* III. 22. 26.

DCCCLXXXV. Paulò ante Ascensionem verò in solenni Panegyri Præceptum Expressum Baptizandi, ad Omnes Gentes extensum, Dominus dedit, *Matt.* XXVIII. 19.

DCCCLXXXVI. Substantia Visibilis hic adhibenda est Aqua, eaque Communis & Pura, non Ignis, Sputum, Oleum, Brodium, Lixivium, &c. *coll. Eph.* V. 26.

DCCCLXXXVII. Ritus Ablutio in ea, sive fiat Immersione, sive Aspersione, vel Infusione: nullus enim ex his Universali Mandato planè necessarius est.

DCCCLXXXVIII. Nec interest, an Ablutio hæc fiat Semel, cum respectu ad Unitatem Divinæ Essentiæ, an Ter ob Personarum in Deo Trinitatem.

DCCCLXXXIX. Verborum Formula, ex *Matth.* XXVIII. 19. rectè pièque petita, nec Latinè sed Vernaculè pronuncianda, non est Absolutæ Necessitatis; quare nec hæc præcisè verba, vel à Johanne, vel ab Apostolis, adhibita legimus.

DCCCXC. Infert illa omninò Divinum & Æqualem Trium Personarum Honorem, dum ex illarum Autoritate, ac in Fidem, & Obsequium earundem, nos baptizari, phrasis illa innuit.

DCCCXCI. Baptismi Minister, neque Ordinarius, neque Extraordinarius in Necessitatis casu, esse potest, vel Laicus, vel Non-Baptizatus, vel Fœmina: est verò solus Minister Euangelii, *coll.* 1 *Cor.* IV. 1.

DCCCXCII. In quo amplius, vel Intentionem Specialem, vel Pietatem, vel etiam Fidem Catholicam per omnia, gratis requirunt: quamquam de Hæreticis externa Professione non immeritò olim multa fuerit disputatio, atque omnium consensu pro nullo habeatur Baptismus ab iis Hæreticis administratus, qui Essentialia Sacramenti hujus non servant.

Bap-

DCCCXCIII. Baptiſmus competit, non rebus Inanimatis, aut Hominibus, vel Mortuis, vel à Fide & Pietate alienis, ſed Fidem & Pietatem veram Profitentibus Adultis, *coll. Marc.* XVI. 15. 16.

DCCCXCIV. Et juxta hos, Externè Fœderatorum Parvulis, ſecundum Inſtitutionem, Fœderis Extenſionem, ſimile Circumciſionis, & Antiquiſſimam, ipſorum quoque Apoſtolornm, Praxin: non excluſis planè Spuriis, Adoptatis, Expoſitis inter Chriſtianos, &c.

DCCCXCV. Non eſt Certo alicui Loco alligatus Baptiſmus, diſciplinâ Eccleſiarum noſtrarum Privatam Adminiſtrationem quoque admittente certis caſibus; neque certo Tempori, niſi ex Eccleſiaſtica conſtitutione.

DCCCXCVI. Neceſſitatem Baptiſmi agnoſcimus, non tamen Abſolutam, ad quam ἀπροσδιονύσως torquetur locus *Joh.* III. 5. de Spiritus aquea virtute, vel de Euangelii Doctrina, recte intelligendus.

DCCCXCVII. Semel adminiſtratus Baptiſmus Non eſt Repetendus, nec repetitus legitur *Act.* XIX. 4. 6. Perperam ex Charactere Indelebili Irreiterabilitatem hanc derivantibus Papiſtis.

DCCCXCVIII. Accedentes ad Baptiſmum Ritus quidem Apoſtolicæ ſunt Antiquitatis, ut Interrogatio, & Manuum Impoſitio, &c. quidam Humanæ & Innocuæ Originis, multi vero Superſtitioſi apud Papiſtas.

DCCCXCIX. Res per Ceremoniam externam Significata & Obſignata eſt Spiritualis à Peccatis omnibus quoad Maculam & Reatum Ablutio, per Spiritum & Sanguinem Chriſti, *coll.* 1. *Joh.* 1. 7. *Act.* XXII. 16.

CM. Quam tamen ex Opere Operato nequaquam efficit externum Sacramentum. ſed ex accedente Opere Operantis per Dei gratiam.

CMI. Alterum Novi Teſt. Sacramentum Cœna Dominica vel Sacra eſt; quæ iſthoc nomine ob primam ejus Inſtitutionem Nocturnam, & Epuli Præſtantiam, & Fidelium mutuam communionem, merito venit, 1 *Cor.* XI. 20.

CMII. Præter complura Nomina ejus in Scripturis, addiderunt alia Patres, quorum aliqua ad Idololatriam Miſſaticam ſtabiliendam perperam trahuntur, uti eſt Sacrificium, Oblatio, & Sacramentum Altaris.

Miſſæ

CMIII. Missæ nomen, ludicre ab Hebræa Origine repetitum, licet allusionem quandam ad Deum משים in eo ferre possimus, & vere pro Missione sive Dimissione primo usurpatum, serius Sacramento huic datum est.

CMIV. Institutio ejus Sacramenti à Domino facta est Ultima Vitæ suæ Nocte, post habitum Pascha, 1 *Cor*. XI. 23.

CMV. Narrata illa ab Euangelistis Tribus, & à Paulo Apostolo, vim Præcepti Universalis omnino habet.

CMVI. Sunt ibidem consideranda Christi Facta, qui Symbola accepit, consecravit verbo Eulogiæ vel Eucharistiæ, & distribuit; atque Dicta, cum jussit accipere, edere, bibere, Facere denique, tum quod ipse fecerat, tum quod jusserat, ad sui absfuturi jugem Memoriam.

CMVII. Unde vanissime Præceptum Faciendi ad Institutum novum Sacerdotium à Papistis hic trahitur.

CMVIII. In Dictis Christi porro est Promissio, cum Panem Corpus Suum Fractum, & Poculum Sanguinem suum Fusum dixit, metonymice, sicut in omnibus Sacramentis fit, & ex Usu quotidiano illa phrasis facile intelligitur; cum etiam verbum de Vino Novo in Regno Patris bibendo addidit, *Matt*. XXVI. 29.

CMIX. Externum in hoc Sacramento Symbolum Geminum est, & Primum quidem Panis, absque discrimine Azymi vel Fermentati, vel etiam Frumenti ex quo fit; ne quidem damnandâ Substitutione Alterius Cibi, qui ubi panis deest pro pane usurpatur.

CMX. Quamquam in Panis Veri abundantia damnari debeant Hostiæ sive Oblatæ Orbiculares, Materiæ & Magnitudinis respectu minus aptæ ad hoc Sacramentum.

CMXI. Alterum Symbolum est Vinum, 'absque discrimine iterum Coloris & Terræ ortus, Meri vel Mixti; & rursum non damnandâ Substitutione alterius Potus, vel in locis ubi Vinum deest, vel in plane Abstemiis, si qui tales.

CMXII. Ex Duplici hoc Symbolo, cum in Convivii actu uno ad nutritionem decentem Utrumque concurrat, Duo stricte dicta Sacramenta facere non licet.

CMXIII. Quin & prorsus damnanda est Communio Laicorum sub Una Specie Panis, serius sed vere sacrilege à Papistis introducta & stabilita, *coll. Matt*. XXVI. 27.

CMXIV. Ad cujus defensionem parum admodum valet Concomitantiæ inventum; cum illa in Laicis non magis quam in Clericis obtineat, & non Corpus Integrum sed Fractum, neque Sanguis Venis Inclusus sed Effusus, in Sacramento nobis exhibeatur.

CMXV. Ritus communes utrique Symbolo sunt; Consecratio per Preces & Mysterii explicationem, Distributio, Missas Privatas evertens, Acceptio absque discrimine Situs Corporis, Usus in Nutrimentum, denique Explicatio gratiæ Christi, in Lingua cognita & voce clara.

CMXVI. Ritus in Vino peculiaris est Infusio, in Pane Fractio, omnino quoque ad Integritatem decentem Sacramenti necessaria, *coll. Act.* 11. 43.

CMXVII. Symbola principaliter administrari debent à solis Ministris legitimè Vocatis; quorum vel Vera Fides in corde latens, vel Pietas, vel Intentio, gratis ad Sacramenti hujus Integritatem requiruntur.

CMXVIII. Neque Mortuis, aut Morientibus, neque Infantibus, neque Non-Baptizatis, neque in Doctrina aut Vita à Fœdere Dei Aberrantibus; sed Adultis Fidem Profitentibus, Baptizatis, Pieque viventibus, Symbola porrigi debent, quos tamen decenter se probare, & ad hoc præparare oportet, *coll.* 1 *Cor.* XI. 27. 28.

CMXIX. Locus Cœnæ quiscunque est, ubi convenit Ecclesia; nec magis determinatum est Tempus, vel Anni, vel Diei, quamquam Sæpius Cœnam haberi, & tempore Matutino, videatur præferendum.

CMXX. Ritus Humani plurimi, tum Antecedentes, tum Concomitantes, tum Sequentes, quos absque Mortali Peccato omitti non posse, & Efficaciam habere Singularem volunt Papistæ, cum in Scripturis non sint fundati, & Sacramenti Simplicitatem corrumpant, rejici debent.

CMXXI. Res Signata hujus Sacramenti indubiè est Corpus & Sanguis Christi, quatenus utrumque in nostrum Nutrimentum Spirituale cedit.

CMXXII. Liquet facile, illam Signo Externo esse Unitam, Verè quidem & Realiter, non tamen Corporaliter; & ex Analogia Sacramentorum omnium, & ex Institutione prima Cœnæ, &

& ex Analogia Fidei, & ex Rationis tandem Rectæ æque quam Sensuum multiplici Testimonio.

CMXXIII. Unde rejici debet commentum recens Transsubstantiationis Pontificiæ; alterumque non admodum dissimile Consubstantiationis Lutheranæ.

CMXXIV. Quod infelicissime probatur; modo ex Scriptura, per Typos, Promissiones, Cœnæ Institutionem, & Usum; modo ex Patrum Phrasibus; modo ex Dei Potentia, & Ecclesiæ Determinatione.

CMXXV. Finis est nostræ Fidei Confirmatio, Pietatisque Promotio; neutiquam ut sit Sacrificium Propitiatorium pro Vivis pariter & Mortuis, *coll. Hebr.* x. 14.

CMXXVI. Duratio ejus tandem usque ad Christi absentis Reditum est extendenda, *coll.* 1 *Cor.* XI. 26.

CMXXVII. Multitudo Fœderatorum, cui Fœderis Beneficia conferuntur, & per Sacramenta obsignantur, venit nomine Ecclesiæ *Matt.* XVI. 18. &c.

CMXXVIII. Cujus Nominis ab altero Synagogæ Distinctio celebris, magis in Usu recentiori, quam in vocum Origine, fundatur.

CMXXIX. Nomen illud varie quidem usurpatur, sed in Scriptura Sacra pro Loco Conventus poni idem, non satis liquet.

CMXXX. Varius vocis Usus peperit nomina Ecclesiæ Visibilis, & Invisibilis, Universalis, & Particularis, Integræ, & Repræsentativæ, &c.

CMXXXI. Non tamen dubium est, quin Præcipua vocis Notio ad vere Fœderatos pertineat, adeoque Hypocritæ & omnes Fidem tantum externe Profitentes propriè Ecclesiæ Membra Vera neutiquam sint, *coll.* 1 *Joh.* II. 19.

CMXXXII. Uti Ecclesia non constat ex Angelis, sed ex Hominibus, ita Discrimen inter hos, Gentis, Sexus, Ætatis, Status, nullum est, *coll. Gal.* III. 28.

CMXXXIII. Christus, consideratus ut Ecclesiæ Caput, & ab illa distingui, & ad illam referri potest, *coll. Eph.* I. 22. 23.

CMXXXIV. Cœtus in se Magnus, hominum omnium & mundi respectu Parvus tamen est, *coll. Luc.* XII. 32.

CMXXXV. Discriminantur hi primum per Electionem Dei, quo respectu Necdum Nati & Conversi, imo Ecclesiæ Hostes,

ejus esse possunt Membra, *coll. Act.* XVIII. 10.

CMXXXVI. Dein per Efficacem Vocationem, arctissimamque, quæ hinc fluit, Unionem cum Deo & Christo Mediatore, sub variis Similibus nobis repræsentatam, ac Inter Se mutuo, *coll. Col.* I. 13.

CMXXXVII. Tandem per Æternæ Salutis Fruitionem Futuram, quæ quibusdam jam concessa Triumphantem Ecclesiæ partem à Militante adhuc in terris distinguit, *coll. Matt.* XXV. 34.

CMXXXVIII. Notæ Veræ Ecclesiæ, sive Proprietates ex quibus ipsa nobis constat, Plures vel Pauciores numerantur: dum aptissime ad Doctrinæ Fundamentalis Puritatem, & Vitæ Sanctitatem, referri possunt illæ omnes, *coll. Joh.* X. 27.

CMXXXIX. Quo ipso rejicimus, tum Donatisticam Perfectionem, tum Anabapristicam Charitatem, tum Pontificiorum variè recensitas Notas, quæ à nostris sc. differunt, & quædam sacræ Descriptioni Ecclesiæ plane repugnant.

CMXL. Ex Notarum Applicatione Veræ Ecclesiæ nomen nostris Cœtibus Reformatis tribuendum esse, Hæreticisque Congregationibus omnibus denegandum, quamquam in iis aliqui Electi latere possint, constat.

CMXLI. Et amolimur facillimè Præjudicia, quæ contra Successionem nostram, Secessionem, & Ministrorum Vocationem, continuo inculcant Papistæ.

CMXLII. Ecclesiam Veram cum Falsa Syncretismo ullo coalescere prorsus indecens est, *coll.* 2. *Cor.* VI. 17.

CMXLIII. Inter Attributa Ecclesiæ perperam ponitur, tam Infallibilitas, quam Defectio Universalis.

CMXLIV. Rectè verò ipsa Una dicitur, ut & hoc intuitu omnia Schismata sedulo sint vitanda, *coll.* 1 *Cor.* I. 10. 11.

CMXLV. Est eadem in Officiis omnibus, & quoad Societatem totam, & quoad Singulos fideles, semper in his terris Imperfecta.

CMXLVI. Hinc Calamitatibus & Pugnis jugiter exercita variis, quas movent Hostes; inter quos qui singulariter excellit, Anti-Christus, à Paulo & Johanne delineatus, indubie est Romanus Pontifex, inde ab Apostasiæ suæ & Dominatus sumpti tempore, *coll.* 2 *Thess.* II. 2---11.

CMXLVII. Ex Calamitatibus & Pugnis his frequens oritur ex-

externa Ecclesiæ Invisibilitas, *coll. Apoc.* XII. 6.

CMXLVIII. Ex qua tamen iterum illa semper Emergit; exspectatâ meritò à nobis Insigni aliqua Ecclesiæ in his terris ante Judicium Gloria, quæ tamen more Chiliastico & Corporali concipi non debet, nec Nimium extendi, nec Ubique in Scriptura inveniri.

CMXLIX. Judæorum certe Futura Conversio generatim nobis constat, atque omni modo à Christianis promovenda est; dum Specialis Modus ejus non est declaratus, & illorum Reditus in Possessionem Terræ Canaan temere à nonnullis additur, *coll. Rom.* XI. 11. 12.

CML. Neque est dubitandum, quin cum hac Judæorum Conversione Major Euangelii ad Gentes Extensio, & major tum Hostium aliorum tum Anti-Christi Lapsus sit jungendus, *coll. Rom.* XI. 12.

CMLI. Tempora sive Periodos Ecclesiæ Vet. & Novi Test. variè supputare licet; & per nos teneat cui placet numerum Septenarium Periodorum Novi Test. Sed esse hunc nobis in Apocalypticis Epistolis, Sigillis, & Tubis, delineatum, & simul Filum, secundum quod omnis fere Scripturæ pagina debeat explicari, non facilè concedet, qui torsiones Scripturæ & Historiæ miras ad Hypothesios hujus Confirmationem adductas, leviter modo attenderit. Imo nec est hæc Distinctio admodum præ aliis Curata.

CMLII. Regimine, tum Communi cum aliis Hominibus, tum Speciali, Ecclesiam suam gubernat Deus.

CMLIII. Regimen Ecclesiasticum omni reperitur Tempore, neque Doctoribus Novi Test. est prorsus denegandum.

CMLIV. Non debet idem esse Monarchicum, cujus Regiminis Formæ Præstantiam nimium extollunt Papistæ.

CMLV. Nec est idem, nec fuit unquam Tale, vel sub Vet. vel sub Novo Testamento, *coll. Matt.* XX 25. 27.

CMLVI. Æque vana sunt omnia argumenta, quibus Promissionem, Institutionem, & Confirmationem, Pontificatus Universalis Petri asserunt Papistæ, *coll. Matt.* XVI. 18. 19. *Joh.* XXI. 15.

CMLVII. Nec jure ullo ad Romanæ Ecclesiæ Præpositum Successionem Petri rapiunt eidem; dum nec Romæ Fuisse unquam

videtur, nec Episcopatu ibidem Functus est ipse, nec Principatus Apostolorum magis quam Apostolatus ipse Successorem admittit, & quæcunque fuit olim Successio, illa per mutatum Doctrinæ & Disciplinæ genus plane dudum est sublata.

CMLVIII. Non est Regimen Ecclesiasticum quoque constituendum Democraticum, sed potius Aristocraticum, cum sit penes plures, Donis Præstantes, *coll. Eph.* IV. 11. 12.

CMLIX. Rectores sub Vet. & Novo Test. pariter observantur Ordinarii & Extraordinarii, quales sub Novo Test. Apostoli Duodecim, ad quos dein accessit Paulus, eorumque συνεργοὶ Prophetæ & Euangelistæ, ex Discipulis LXX. ut videtur primum orti.

CMLX. Ordinarii sunt Pastores & Doctores, eidem qui absque discrimine Presbyteri & Episcopi quoque dicuntur; horum supra Presbyteros Elatione temporis tractu cum reliquis Dignitatibus Ecclesiasticis introductâ.

CMLXI. Pastoribus ab ævo in Ecclesiæ Christ. Gubernatione juncti fuere recte Presbyteri Non-Docentes; & in Pauperum cura Diaconi & Diaconissæ, *coll.* 1. *Tim.* V. 17. *Act.* VI. 2. 3.

CMLXII. Qui præterea Ordines obtinent in Ecclesia Romana, vel alibi, hi ex Humana Institutione fluxerunt.

CMLXIII. Ad Regimen & Ministerium Ecclesiæ Vocatione Divinâ opus est, sive Immediata & Extraordinaria, sive Mediata & Ordinaria; cujus Jus originaliter est penes Ecclesiam Totam, quæ verò Juris quadam Cessione exerceri potest à Consistoriis, Patronis, vel etiam Magistratibus, *coll. Rom.* X. 15.

CMLXIV. Vocationem vero excipit Ordinatio per χειροθεσίαν, quæ Ceremonia absolute necessaria, in primis in Ecclesia turbata, judicari non debet.

CMLXV. Potestas Ministrorum in substantia rei sub Vet. & Novo Test. eadem est; in qua Classium & Synodorum Subordinationi quoque locus est.

CMLXVI. Conciliorum Convocatio uti Christianis Magistratibus non est deneganda, ita Libertas Necessaria ab iis non est tollenda in judicando.

CMLXVII. Nullum est Concilium, quame maxim licet Oecumenicum, quod pro Infallibili haberi debet per Ordinaria Spiritus Dona.

Non

CMLXVIII. Non extendit ſe Eccleſiaſtica Poteſtas Jure Divino, vel mediatè vel immediatè, ad Poſſeſſiones ullas Corporales, nedum ad auferenda Regna ipſa.

CMLXIX. Imo nec decensadmodum eſt, Magiſtratus alicujus Superioris Munus cum Miniſterio Eccleſiæ in Eadem Perſona concurrere.

CMLXX. Non habent etiam Præpoſiti Eccleſiæ Jus Ferendi Leges, quæ Conſcientiam extra rationem Scandali obligent.

CMLXXI. Poſitive verò Facultas Verbi Prædicandi, Adminiſtrandorum Sacramentorum, & Diſciplinæ Exercendæ adverſus Hæreticos ac Profanos, ſecundum Præſcriptum Chriſti & Praxin Apoſtolicam, quin & Leges ad Ordinem ſpectantes ferendi, ipſis eſt conceſſa.

CMLXXII. In quibus omnibus uti Fideles debent eſſe Paſtores, ita Stipendium juxta Honorem debitum ipſis non eſt denegandum, *coll.* 1 *Theſſ.* v. 12. 13.

CMLXXIII. Regimen Politicum, Varium quoad Formam, & in genere plane Neceſſarium, etiam reſpectu Eccleſiæ, eſt à Deo ordinatum, adeoque licite ab homine Chriſtiano ſuſcipitur, *coll. Rom.* XIII. 1. 2. 3.

CMLXXIV. Extendit ejus Poteſtas ſe ad Omnes, ipſos etiam Eccleſiæ Miniſtros, *coll. Rom.* XIII. 1.

CMLXXV. Incumbit Magiſtratibus Gubernatio ſecundum leges juſtas, atque etiam Defenſio ſubditorum ab injuria omni; tum Privata, per Litium Deciſionem, tum Publica, per Facinoſorum Pœnas etiam Capitales, & Bella, quæ tamen nonniſi multiplici reſtrictione addita licitum eſt gerere.

CMLXXVI. Imò amplius Eccleſiæ & rerum Sacrarum Cura decens ipſis eſt tribuenda, ubi facile in Exceſſu & Defectu peccatur.

CMLXXVII. Subditorum eſt Honorem & Obedientiam præſtare Magiſtratibus, ſalva ſemper Dei Obedientia, & Libertate per Fundamentales Leges ſubditis relicta.

CMLXXVIII. Regimen tertium in Familiis Singulis obtinet, Maritale ſc. Paternum, Herile, & quod per Analogiam huc refertur.

CMLXXIX. Fundamentum hujus præcipuum ponitur in Conjugio; à quo omnis Polygamia Simultanea, & Inceſtus, abeſſe debet. Quod,

CMLXXX. Quod, Divortio nullo Activo finiendum, Deum sic agnoscit autorem, ut Clericis non debeat interdici, nec infra Cælibatum multum deprimi, nec Repetitio ejus post Ruptas Copulas priores improbari.

CMLXXXI. Finis Religionis omnis est Gloria & Salus æterna, quæ duplex Initium, in Morte, & in Resurrectione, accipit.

CMLXXXII. Est enim Anima post Mortem vere Superstes simul & Actuosa, nec differtur Beatitas ejus ad Diem Judicii, *coll. Luc.* XVI. 22. 23.

CMLXXXIII. Imò nec admittimus, vel Limbum Infernalem Patrum, in quem olim Fideles ante Christum fuerint detrusi, vel Purgatorium, in quod hodieque Animæ, non plene purgatæ, in Morte recipiantur, *coll. Rom.* VIII. 1.

CMLXXXIV. Ad Consummatam vero, & Totius Ecclesiæ, & Corporis juxta Animam, Glorificationem, ducet Resurrectio ex Morte; quam certò Futuram ex Scripturis Vet. & Novi Test. credimus, dum Possibilem eam docet etiam Ratio, quin & Argumenta Probabilia pro ejus Veritate hæc suggerit, *coll. Matt.* XXII. 29.

CMLXXXV. Proveniet illa ab Infinita Divina Potentia, interveniente Tuba sonora, & Voce Dei, quam de Sono Articulato & Inarticulato rectè putamus exponi, 1 *Thess.* IV. 16.

CMLXXXVI. Resurrectio ipsa *communis erit Mortuis* Omnibus, Bonis & Malis, quamquam Diversissimo cum Exitu utrorumque, *coll. Joh.* V. 28. 29.

CMLXXXVII. Fiet Resurrectio in Iisdem Corporibus, & Specie & Numero, Qualitatibus tantum Mutatis, *coll.* 1 *Cor.* XV. 53.

CMLXXXVIII. Resuscitabuntur absque Locorum discrimine Corpora, non in Sola Terra Canaan, aut etiam reliqua omni opposita Mari; ut non sit quod ob locum Sepulturæ nobis metuamus, *coll. Apoc.* XX. 13.

CMLXXXIX. Omnibus adhuc Mortuis, & Morituris, Eodem, nobis non determinato, Temporis Momento Resurrectio hæc continget, *coll.* 1 *Cor.* XV. 52.

CMXC. Sequetur proximè Judicium Ultimum, verè habendum gloriosè à Christo Θεανθρώπῳ, Utrâque sed diversimodè concurrente Natura, *coll. Joh.* V. 22. 27.

CMXCI. Personæ Judicandæ erunt, & Angeli Mali, & Homi-

mines Omnes, Vivi ac Mortui prius, *coll. Apoc.* xx. 12. 2. *Cor.* v. 10.

CMXCII. Actus Judicii observantur varii, Citatio, Discretio, Librorum Prædestinationis, Scripturæ, Providentiæ, & Conscientiæ, quoad omnia Bona & Mala Facta, Apertio, Sententiæ Dictio, & promptissima Exsecutio.

CMXCIII. Locus habendi Judicii non aliter est determinatus, quam quod in Nubibus cœli Judex sit manifestandus, *coll.* 1. *Thess.* IV. 16. 17.

CMXCIV. Gloria Piis porrò concedenda, quoad Magnitudinem suam, nobis modo Incomprehensibilis est, *coll.* 1 *Joh.* III. 2.

CMXCV. Constat illa generatim in Dei Immediata, Perfectissimâ, & Æterna Fruitione *coll.* 1. *Cor.* XIII. 12.

CMXCVI. Atque dicit Sapientiam, Sanctitatem, Gaudium, Incorruptibilitatem, & Decus summum.

CMXCVII. Probabile est, in hac Gloria Gradus fore Varios, non ex Merito, sed ex Dei Gratia, tamen, *coll.* 1. *Cor.* XV. 41. 42.

CMXCVIII. Locus Cœli Felicitatem quoque augebit, quod tum, Terra prorsus derelicta, incolent perpetuo Electi, *coll.* 2. *Cor.* v. 1.

CMCIX. Dum æternum in Inferno Cruciabuntur à Dei fruitione exclusi Impii, *coll. Apoc.* xx. 15.

M. Et Mundus Universus non Annihilatus, sed Renovatus, perfecte Dei Gloriam illustrabit, modo nobis non patefacto, *coll. Apoc.* XXI. 1. &c. quem textum juxta alios nonnullos huc potius quam ad Ecclesiæ priorem Statum in his Terris referimus.

FINIS.

NOMINA

Optimorum Juvenum, qui Positiones has publicè defenderunt.

JACOBUS KNIPPINGH, Gelrus.
GERHARDUS GANSEFOORT, Groninganus.
HIERONYMUS WARENDORP, Groninganus.
PETRUS WILMAN, Omlandus.
JOHANNES BOUMEESTER, Transisalanus.
JEREMIAS MEES, Omlandus.
JOHANNES SMEINS, Groninganus.
RUDOLPHUS BOTTICHIUS, Omlandus.
JACOBUS BAVINCK, Oldamptinus.
JOHANNES GERCAMA, Frisius.

Nec non eorum, qui Defensione Publica quorundam Capitum hujus Compendii se exercuerunt.

JOHANNES HENR. PFENNINGER, Tigurinus. *Cap.* II.
PETRUS PENON, Embdanus. *Cap.* III.
PHIL. BRANUS, Westphalus. *Cap.* VII.
JOHANNES METELERKAMP, Westphalus. *Cap.* VIII.
PETRUS VOLTELEN, Batavus. *Cap.* XI.
JOHANNES BOUMEESTER, Transisalanus. *Cap.* XIV.
ABRAH. RIET, Campensis. *Cap.* XVII.
HERBERTUS LIPPINKHOVIUS, Westphalus. *Cap.* XVIII.
HERMANNUS SCHLUMPFIUS, Gallopolitanus. *Cap.* XIX.
BENO IMMEN, Frisius-Orientalis. *Cap.* XX.
JOH. MELCHIOR BOEKHOLT, Westphalus. *Cap.* XXI.
JOHANNES SMEINS, Groninganus. *Cap.* XXII.
MATTHÆUS BRANDENBURG, Campensis. *Cap.* XXIV.
TAMMERUS DOMNA, Frisius. *Cap.* XXVI.
PAULUS VANDER VECHT, Frisius. *Cap.* XXIX.
LEONARDUS TERWOLT, Frisius. *Cap.* XXX.
JOHANNES DE LESPIERRE, Frisius. *Cap.* XXXIV.

INDEX RERUM

Maxime Notabilium, ſimulque Scripturæ Locorum, quæ in hoc Compendio exponuntur, ſecundum Capita ejus & Paragraphos.

Au-

 Di-

Con-

D.

De-

INDEX RERUM.

Dura-

Con-

INDEX RERUM.

L.

INDEX RERUM.

M.

Me-

N.

Na-

Ope-

Præ-

INDEX RERUM.

Sal-

T.

V.

Viri

INDEX RERUM.

F I N I S.